Ex Libris

[redacted]

Sumptu e domestic.ª Biblioth.ª

1834:

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. F. IGNATII HIACYNTHI
AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, & Collegii Caſanatenſis Theologi, Ord. Prædicatorum,

EPISTOLÆ
AD AMICUM SCRIPTÆ
THEOLOGICO-HISTORICO-POLEMICÆ,

IN QUIBUS

Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem prævisionem meritorum, contra Scholæ Thomiſticæ Adverſarios aſſeritur ac vindicatur.

BIBLIOTEC... IN ROMA

OPUS

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIII.
PONTIF. MAX.
NUNCUPATUM.

VENETIIS, M.DCCXXIX.
Apud Joannem Baptiſtam Recurti.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

BENEDICTO XIII.

PONTIFICI MAXIMO.

REM SANCTITATI TUÆ *multis nominibus debitam offero, cum iſtud Opus, quod pro ingenii mei modulo lucubravi, Tibi,* BEATISSIME PATER, *ſumma, qua par eſt, animi demiſſione offero ac nuncupo. Tuum, inquam, eſt Opus iſtud, quia veram ac genuinam complectitur doctrinam Scholæ Thomiſticæ, ex qua mille clypei pendent; omnis armatura fortium; quæque Te olim in ſuo ſinu fovit, aluit, inſtituit, educavit, & cujus nunc non modo Princeps ac caput es, verum etiam cui tantum decus conciliaſti, quantum ab nullo fuerat hactenus Summo Eccleſiæ Pontifice conſecuta.*

Gloriatur quippe, & æternum maximo honoris loco ducet Schola Thomiſtica, quod SANCTITAS TUA *in ſuo Pontificio Diplomate, his verbis incipiente:* DEMISSAS PRECES, *dato die* VI. *menſis Novembris Anni* MDCCXXIV. *diſerte declaraverit, Thomiſtas laudabili ſtudio gloriari, avitam de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem præviſionem meritorum doctrinam e limpidiſſimis Scripturæ Sacræ Fontibus, ex Sanctorum Patrum, præſertim* Auguſtini, & Thomæ, *Operibus, ex Summorum Pontificum oraculis, ex Conciliorum Decretis, & ex tota retro antiquitate hauſtam ac derivatam eſſe; quodque inſuper* SANCTITAS TUA *novum huic Pontificio Diplomati robur addiderit nupera Conſtitutione, quam* VII. *Kal. Junii anni* MDCCXXVII. *promulgavit, & quæ his verbis auſpicatur:* Pretioſus in conſpectu Domini Fratrum Prædicatorum inclytus Ordo*: Hæc duo* SANCTITATIS TUÆ *Diplomata tanto honore Scholam Thomiſticam cumularunt, ut pro tam ſingulari, & maximo poſt hominum memoriam ſibi collato beneficio, pares gratias agere vix poſſit, referre nequaquam.*

Digitized by Google

Præterea , *Tuum eſt* , BEATISSIME PATER , *iſtud Opus, quod Tibi offero , quia continet commendationem Dominicanæ Familiæ , de Eccleſia optime meritæ , cui* SANCTITAS TUA *nomen ſe dediſſe palam gloriatur , quamque patrocinio ſuo dignatur , fovet , tuetur , ampliſſimis ornat , & amplificat beneficiis , atque paternæ benevolentiæ vinculis illam ita ſibi addictam , ac devinctam habet , ut ambigi merito poſſit , utrum* SANCTITAS TUA *ſit ei charior, an illa* SANCTITATI TUÆ ?

Denique , opus iſtud , quod tuo Auguſtiſſimo Nomini inſcribo , tuum eſt , BEATISSIME PATER , *quia a capite ad calcem , Auctorem , ac patronum ſibi vindicat Sanctum* Thomam , *Scholæ Angelum ; cujus pietatem æmulatur* SANCTITAS TUA , *nec pietatem tantum , ſed etiam eruditionem .*

Verum enim vero , pietas Sancti Thomæ , *Doctoris Angelici , publica fuit ad exemplum , conſtans ad diuturnitatem , fortis ad impietatem debellandam . Pietas Tua , Beatiſſime Pater , publica eſt , & ad exemplum domi foriſque propoſita , gentibus omnibus , etiam alieniſſimis , apprime nota ; quam nec diſciplinæ auſteritas inflexit , nec longa dies inimica rebus optime conſtitutis , imminuit , nec ſupremi honores & dignitates infuſcarunt , nec ipſa rerum humanarum fatalis conditio , ut non ſint admodum diuturnæ , labefactare unquam potuit . Fortis itidem eſt pietas tua ad profligandam impietatem , & exterminanda vitia : ſicut Sole clarius probant complura illa , quæ hactenus celebraſti Concilia , cum Provincialia , tum Diæceſana , in quibus bellum erroribus , flagitiis , improbitati , lapſis in deteriora moribus , indixiſti; Diſciplinam Eccleſiæ ſeveritate legum ſanxiſti, veterem Eccleſiæ dignitatem ſartam tectam conſervaſti , & quæ temporum injuria obrepſerant vitia , ſaluberrimis ſanctionibus emendaſti .*

Eruditio Sancti Thomæ in conſcribendis innumeris pene libris maxime emicuit , quibus quamdiu ſuus conſtabit bonos (conſtabit autem , dum perſtabit Eccleſia , Religio , Veritas , Fides) tamdiu immortale Doctoris illius Angelici nomen vivet ; tamdiu ejus eruditionem laudabunt proſeminatæ per Chriſtianum Orbem Theologorum Scholæ , quæ Sancto Thomæ Aquinati , *quinto Eccleſiæ Doctori , aſſurgunt faſceſque ſubmittunt . Eruditionem Tuam Sanctiſſime Pater , produnt , & omni turba altius clamant , non tantum infinitæ propemodum Conciones , quas apud populum olim tanto cum plauſu habuiſti , & etiamnum habes , mirifica Spiritus Sancti unctione perfuſæ ; ſed etiam bene multi libri , quos ad publicam Eccleſiæ utilitatem in lucem emiſiſti , quique*

omni-

Digitized by Google

omnigena literatura, & locupletiſſimis Hiſtoriæ Sacræ, Evangelicæ, & Eccleſiaſticæ documentis, necnon diſciplinæ Eccleſiæ, atque Theologiæ Dogmaticæ, & Polemicæ monumentis, ſunt abunde referti; ex quorum lectione quilibet nullo negotio intelligere poteſt, SANCTITATEM TUAM *ſic eſſe excultam præclaris tum humaniorum, tum ſeveriorum literarum ſtudiis, ut in utriſque facile primas teneat.*

Sed hic, ut candide fatear, ſentio, me rerum dicendarum numero, & magnitudine obrui. Certe non is ego ſum, Beatiſſime Pater, qui operoſam provinciam in me ſuſcipere velim, aut poſſim, includendi in iſtius Epiſtolæ nuncupatoriæ anguſtias, res omnes, quas hactenus præclare geſſiſti, & quotidie geris, ſed potius, quaſi præſtrictis ad tantam lucem, & ad tot rerum præclare geſtarum ſplendorem oculis, hæreo defixus, & admirationi, ſacroque ſilentio indulgens, aliis dicendi Magiſtris, ſi qui ſunt fortaſſe audaciores, eo in campo excurrendi ampliſſimam poteſtatem permitto. Liceat, inquam, aliis diſertis Oratoribus lato elegantique calamo palam facere BENEDICTUM XIII. *cæterorum, qui Sedi Sancti* Petri, *Principis Apoſtolorum, præfuerunt olim, Summorum Pontificum dotes eximias in ſe uno colligere ac repræſentare; aliorum ſcilicet nobilitatem, generis claritate; eruditionem aliorum, præcellenti doctrina; iſtorum comitatem, humanitate morum admirabili, quæ illum ſibi ſemper conſtantem, & ſummis infimiſque acceptiſſimum reddit; omnium denique pietatem, incredibili ornandæ, & amplificandæ Religionis ſtudio, quod tanto ardore in eo fervet, ut apud omnes audiat Pauperum amantiſſimus Pater, Pupillorum & Viduarum Patronus munificentiſſimus, Paſtor ſine faſtu, & ſine ſupercilio, omnibuſque numeris ita abſolutus, ut ad Sapientiſſimi, & Vigilantiſſimi Pontificis diligentiam, pietatem & providentiam accedere nihil poſſit.*

Ego interim Clariſſimorum illorum Oratorum conatum, eloquentiam, & ſtudium, uti debeo, impenſe laudabo, & hoc unum, inſtar omnium, quamdiu mihi ſuppetent vires, alta voce prædicabo, videlicet BENEDICTUM XIII. *ea ſingulari benevolentia, quam nuperrime erga florentiſſimum Galliarum Regnum palam demonſtravit, in ſe ipſo quaſi redivivos nobis exhibere tres Familiæ Dominicanæ Summos Pontifices,* Innocentium V. *Beatum* Benedictum XI. & S. Pium V. *qui itidem nihil prius & antiquius habuerunt, quam ut ſibi chariſſimum Galliarum Regnum honoribus, gratiis, immenſiſque beneficiis ornarent, illuſtrarent, amplificarent. At enim,* Innocentium V. *natione Gallum, multas res præclare geſſiſſe, ex quibus in Galliarum Regnum innumera bona redundarunt, teſtantur Francorum Annales. Beatus* Benedictus XI. *gra-*

viſſi-

viſſimis diſſidiis Bonifacii VIII. *Pontificis Maximi* , & Philippi Pulchri , *Galliarum Regis* , *ortas tempeſtates compeſcuit* , *& antiquam Summorum Pontificum* , *& Galliarum Regum concordiam inſtauravit* . S. Pius V. *dum in Galliis longe lateque Calviniana Hæreſis graſſaretur* , *& in omnes Catholicos ferro flammaque ſæviret* , *copias proprio ſtipendio collegit* , *miſitque in Gallias* , *Reges Chriſtianiſſimos a perduellibus* , *& hæreticis vindicandi & defendendi cauſa* ; *atque ſub Sanctiſſimi illius Pontificis ſignis* , *auſpiciis* , *precibus* , *plures reportatæ ſunt victoriæ* , *ac tandem deletus & profligatus eſt Hæreticorum exercitus* . *Horum trium Familiæ Dominicanæ Summorum Pontificum eximiam in Galliarum Regnum benevolentiam non tantum æmulatur* , *ſed eam etiam vincit ac ſuperat*. *Quartus ejuſdem Familiæ Dominicanæ alumnus* BENEDICTUS XIII. *Quippe qui luctuoſa illa diſſidia* , *quæ in Galliis* , *heu nimium* ! *pacem Eccleſiæ perturbabant* , *& Gallorum animos varias in factiones diſtrahebant* , *nunc* , *ſuperis* , *hominibuſque plaudentibus* , *die* VIII. *menſis Novembris anni* MDCCXXVIII. *feliciter extinxit* , *optatam diu pacem poſtliminio revocavit* , *Eminentiſſimum Cardinalem Noaillium* , *Archiepiſcopum Pariſienſem* , *doctrina & pietate conſpicuum*, *atque ad amantiſſimi Patris amplexus recurrentem*, *adamantinis amoris vinculis ſibi arctius devinxit*; *denique*, *velut alter* Elias *Propheta*, convertit cor Patrum in Filios, & cor Filiorum ad Patres eorum. *Malach.c.4.6. Hoc ſane divinum eſt & immortale* BENEDICTI XIII. *Pontificis Maximi* , *facinus* , *quod antehac tentatum a ſuis ſanctiſſimis Deceſſoribus* , *ſed non perfectum*; *ab omnibus Catholicis fruſtra tamdiu flagitatum* , *hujus unius Summi Pontificis* BENEDICTI XIII. *precibus ac votis reſervatum* ; *unum cæteris ejus rebus præclare geſtis anteponendum* ; *quod certe ſuſpiciet vix habitura fidem poſteritas* , *quod conſequentium Sæculorum memoria* , *laus* , *veneratio complectetur* . *Faxit Deus Optimus Maximus* , *ut Sanctiſſimum Noſtrum Pontificem* BENEDICTUM XIII. *diu Eccleſiæ ſuæ* , *litteris* , *& Orbi* , *ſoſpitem & incolumem ſervet* , *quo* , *poſtquam naturæ* (*quod concordibus orationibus omnes ad unum poſtulant fideles*) *diu vixerit* , *ſero evolet in Cœlum* , *immortali gloriæ æternum victurus* . *Eo collimat votorum meorum Summa* , BEATISSIME PATER , *dum Sacris* BEATITUDINIS TUÆ *pedibus demiſſiſſime provolutus* , *Apoſtolicam Benedictionem obnixe efflagito* .

Fr. Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon Ord. Præd.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

CAuſa , quæ me , ut candide dicam , impulit ad edendas in lucem iſtas , quas ex tempore ad Amicum ſcripſi , Epiſtolas , hæc potiſſimum fuit , erudite Lector, quam te ſcire intereſt , & ex qua facili negotio intelliges , cur diuturnum illud ſilentium , quod , ut paci litarem , religioſe hactenus ſervaveram , tandem aliquando , volens nolens , abrumpere debuerim , ut impetitam undique Scholæ Thomiſticæ doctrinam pro aris ac focis propugnarem , vindicarem , & tela , in ipſam a nonnullis æmulis obtrectatoribus intorta , invictæ veritatis clypeo propulſarem . Significaverat mihi per litteras anno proxime elapſo nobilis quidam adoleſcens , bonarum litterarum cultor , ſpargi in Galliis , & in Belgio ſatyricos libellos , & inofficioſas procudi cenſuras , in quibus doctrinæ Thomiſticæ oſores privata ſua ſenſa , velut Fidei dogmata , arroganti ſupercilio obtrudebant , & , ut Thomiſtis , veris Sanctorum *Auguſtini* , & *Thomæ* diſcipulis , odium , & invidiam auriti populi conflarent , ſententiam Scholæ Thomiſticæ de *Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci* calumniis proſcindebant , eamque promiſcue cum Janſeniana Hæreſi , ſæpius ac jure optimo Vaticanis protrita fulminibus , confundebant . Indolui , fateor , & acerbo dolore perculit me , ac tantum non exanimavit infauſtus ille nuncius . Et certe , quì fieri poterat,

rat,

Digitized by Google

rat, ut non graviſſime dolerem , dum audivi , Scholam Thomiſticam , quæ , inſtar optimæ matris , me a teneris annis ſuo in ſinu blandiſſime fovit , lacteque aluit , patere tot calumniis hoſtium , qui in ejus perniciem certatim conjurant , claſſicum ubique canunt , & famoſis libellis , a capite uſque ad calcem luculentiſſimis mendaciis ſcatentibus , ipſius doctrinam infamare præſumunt .

Verum , id licet ægerrime ferrem, conſultius tamen duxi altum premere corde dolorem , quam in iſtos doctrinæ Scholæ Thomiſticæ oſores calamum acuere , crabrones intempeſtive irritare , oleumque camino addere . Quocirca , pacis amantiſſimus , actutum ad Amicum reſcripſi , me nullo pacto adduci poſſe , ut in arenam deſcenderem cum iſtis vitilitigatoribus , qui , incrudeſcente pugna , adeo excandeſcere ſolent , ut quidquid ad manum venerit , ſive ſcamnum ſit , ſive diſcus , in telum vertant . Ad hanc , inquam , gladiatorum palæſtram me nec appoſitum , nec exercitatum eſſe ingenue profeſſus ſum , utpotequi ſemper arcano quodam naturæ ſenſu abhorrui a pugnis , in neminem calami mei cuſpidem acui , meumque ſtylum incruentum hactenus ſervavi , & , propitio numine , ad ultimam uſque vitæ meæ periodum ſervaturum me confido . Semper etiam improbavi morem illorum Scriptorum , qui , dum vident opportuna ſatis ad defenſionem cauſæ , cui patrocinantur , non ſibi ſuppetere argumenta , vel eam inter ſcribendum ſtyli amaritudinem uſurpant , quæ rationum illis loco ſit , vel data opera rejectis quibuſdam certis documentis , unde veritatis lucem facile haurire , & controverſis quæſtionibus ultimam diem imponere poſſent , clauſis oculis , velato capite , Andabatarum more , ut ſuo duntaxat genio indulgeant , acrem pugnam committunt , res compertiſſimas prępoſtere in dubium vertunt , planas atque apertas in alienum ſenſum detorquent , omnia pro ſuo arbitrio & quaſi Dictatoria auctoritate interpretantur , eamdem incudem ſemper tundunt , monſtra fingunt , ſolem negant , tela rubigine exeſa recudunt , ac indeſinenter obtrudunt , vetereſque cantilenas novam in ſcenam inducunt , & eas ad ravim uſque inflatis tibiis decantant , ut ſin minus viris eruditis , & veritatis ſtudioſis , ſaltem aurito gregi & ſervo pecori fucum faciant , ſibique imaginarium accinant triumphum .

Præ-

Digitized by Google

Præterea dicebam, nihil periculi eſſe, quod ab his male natis, & conſarcinatis libellis Schola Thomiſtica pertimeſcere deberet, tum quia viri ſapientes, & veritatis amantes, qui ejuſmodi libellos lectitabunt, confeſtim intelligent, eos nihil nocuiſſe Thomiſtis, in quos tanto furore invehuntur, ſed tantum infamem calumniatorum notam ſuis Auctoribus, dolores & gemitus probis omnibus, ſcandala infirmis, & ſummum gaudium Hæreticis ac Infidelibus peperiſſe: Tum quia etiam, ejuſmodi dentatos libellos BENEDICTUS XIII. natalitiis tenebris damnavit Pontificio Diplomate dato die VI. menſis Novembris anni MDCCXXIV. in quo, veſtigiis prædeceſſorum ſuorum inſiſtens, diſerte declaravit, Scholam Thomiſticam e Sacris Litteris ex Summis Pontificibus, ex Sanctis Patribus, præſertim *Auguſtino* & *Thoma*, ex Conciliis, atque ex tota retro antiquitate doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem meritorum prævifionem, ſe hauſiſſe, & etiamnum eam illibatam ſervare merito gloriari: Quod ſane BENEDICTI XIII. Diploma Pontificium erit ære perennius, nec ullis unquam effugiis concuti, nec offuciis, quas in ſuis libellis adhibent inſectatores Scholæ Thomiſticæ, obſcurari, obliterarive poterit.

His, aliiſque id genus rationibus, quas adducebam, nolens me huic pugnæ, periculi aleæque plenæ, committere, acquievit quidem nobilis ille, multiſque nominibus mihi cariſſimus adoleſcens, rogavit tamen pro ea, quæ ei mecum intercedit, neceſſitudine, ut, cum nollem altercari cum nemine, ſaltem per Epiſtolas veram Scholæ Thomiſticæ doctrinam circa *Præmotionem Phyſicam*, ſeu *Gratiam ſe ipſa efficacem*, facili & expedita methodo ei explanare non gravarer; eique facultatem indulgerem omnia Dubia, quæ ipſi non nihil negotii faceſcebant, per litteras itidem proponendi. Ejus votis lubentiſſime annui, iſtaſque ad ipſum ſcripſi Epiſtolas, quas ita temperavi, ut nullam deprecer pœnam, ſi in his mihi exciderit quidpiam præter gravis Theologi officium; ſi gratis laceſſentibus adverſariis ſimilia repoſuerim; poſtremo ſi deflexerim à fine, quem mihi præſtitui, doctrinam videlicet Scholæ Thomiſticæ tutandi; accuſationes, quibus perperam inceſſitur, referendi; eaſque, ſepoſita omni acerbitate

Digitized by Google

verborum, ſolaque vi argumentorum refellendi.

Has tamen Epiſtolas ſchedis meis premere, & intra domeſticos parietes cohibere decreveram, ſed viri eruditi & de Schola Thomiſtica benè meriti, auctores mihi fuerunt, ut eas publica luce donarem, quia hac tempeſtate multi Scholæ Thomiſticæ adverſarii palam in libris provocant Thomiſtas, eosque maxime urgent, ut oſtendant quid diſcriminis interſit inter doctrinam, quam defendunt de *Gratia per ſe efficaci*, & doctrinam *Janſenii*, Epiſcopi Iprenſis, ab Eccleſia proſcriptam?

Inter varia Opera, quæ Scholæ Thomiſticæ adverſarii nuperrime ediderunt, & in quibus Thomiſtarum doctrinæ, per ſummam & à Sæculis inauditam calumniam, Janſeniſmi teterrimam notam inurunt, præſertim indicarunt mihi viri illi eruditi Epiſtolas, quas Pater *Daniel*, Societatis Jeſu, gallice ſcripſerat ad P. *Natalem Alexandrum*, Dominicanum, quæque poſtea, ut ab omnibus exteris nationibus legi poſſent, de induſtria latinè redditæ ſunt., & anno MDCC. Auguſtę Vindelicorum & Dilingæ typis excuſæ. Has Patris *Danielis* Epiſtolas, culto, elegantique idiomate gallico ſcriptas, ſed calamo in Thomiſtas felle tincto, perlegi attento animo, & in Epiſtola octava hæc offendi verba, quibus nuperus ille Scriptor Thomiſtas indiſcriminatim perſtringit, quæque hìc, juxta latinam Editionem inſeram: *Sed*, inquit, *cum aſſertiones veſtras* (ideſt, Thomiſtarum) *probavit Eccleſia*, *iſtas conſecutiones* (ſeu Janſenii) *e veſtris non fluere principiis nequaquam pronunciavit*. *Hæc diſtinctio ſummi ad rem noſtram eſt momenti*, *& ab omnibus annotanda diligenter eſt*. *Immo id a vobis* (Thomiſtis) *expectat Eccleſia & depoſcit*, *ut ejuſmodi conſecutiones e veſtris non effluere principiis oſtendatis*. *Hoc vobis onus bodie præſertim incumbit*, *ut ex animis bominum offenſionem & ſcrupulum*, *qui crebreſcit in dies*, *eximatis*. *Exeunt quotidie libri ab erroris Clientibus*, *& Patronis* (ſeu Janſeniſtis) *elaborati*, *ab Romanis Pontificibus & Epiſcopis nigro notati calculo*, *in quibus veſtra uſurpantur principia &c.* Deinde, paucis interjectis, ſic iterum in Thomiſtas invehitur idem Scriptor: *Quidam* (inquit) *e Tbeologis veſtris pleniſſimum fecerunt*, *D. Tbomam a Calviniſtis & Janſeniſtis toto diſtare cœlo*; *pleniſſime itidem Vos* (Thomiſtæ) *demonſtrate*, *non id conſequi e veſtris Decretis Prædeterminantibus*,

præce-

præcepta Dei eſſe, quando non implentur, impoſſibilia: iiſdem Decretis non deſtrui libertatem oppoſitam neceſſitati; Gratiæ per ſe efficaci reſiſti poſſe; Deum per phyſicam Prædeterminationem non fieri auctorem peccati. Quandiu de his capitibus mihi non ſatisfeceritis, tandiu magnum ſtatuam eſſe inter D. Thomæ, Thomiſtarumque doctrinam, diſcrimen, & profecto Diſcipulos a Magiſtro immane quantum abeſſe ſuſpicor. Denique, in eadem Epiſtola virus ſuum in Thomiſtas expectorat hic Scriptor, dicens: *Lutherani, Calviniſtæ, Janſenius & Janſeniſtæ doctrinam ſuam, veſtramque* (ſeu Thomiſticam) *ſi ſpectentur principia, unam & eamdem eſſe confitentur, quod illi poſtremi* (ideſt, Janſeniſtæ) *perſuaſere bene multis, quorum non bona ſane ratiocinatio fuit: Ita enim ſunt argumentati: Eodem Janſeniſtæ modo differunt ac Thomiſtæ, ergo Janſeniſtam eſſe fas eſt: Cum contra debuiſſent concludere: Ergo deliberandum eſt, an tutum ſit Thomiſtarum in materia de Gratia doctrinam & gregem conſequi; ergo probe ac diligenter eſt examinandum, an Thomiſtæ Divum Thomam in hac materia ſequantur? Janſenius, inquies, perperam ſibi Thomiſtæ nomen & decus arrogat; Fateor, ſi aſſertionum ratio habeatur, ſed iterum dico, ea de re non agitur: oſtendendum eſt certe, illum* (ſcilicet Janſenium) *male ratiocinari, cum e principiis, quæ ſunt veſtris ſimillima, ſuas concluſiones elicit. Hæc rei ſumma, hoc caput.*

P. *Danielis* veſtigia fideliter preſſit alter nuperrimus Soc. Jeſu Scriptor, qui ſub larvato *Liberii Gratiani* nomine latere voluit, ſed revera eſt *Livinus de Meyer*, Societatis Jeſu Theologus Belga, qui quatuor Diſſertationes edidit *De Mente Concilii Tridentini*, & in Diſſertatione 1. cap. 1. hoc de Gratia per ſe efficaci, ſicut in Schola Thomiſtica docetur, profert judicium: *Ego*, inquit, *nullo contentionis ſtudio, ſed ſolius amore veritatis, re hac diligenter examinata, exiſtimo gratiam a ſe ipſa efficacem novum eſſe Lutheri, Calvinique commentum*: Et ſub finem Diſſertationis ſecundę ait: *Cæterum, quid ad argumenta mea, quibus phyſice prædeterminantem gratiam ex Synodi Tridentinæ ſanctionibus in prima mea Diſſertatione aggreſſus ſum, reſpondere valeant Reginaldi Concellitæ, divinare promptum non eſt, quando ad hæc hactenus ſilent piſces mutiores.*

His duobus Societatis Jeſu Scriptoribus ſeſe comitem ac ſocium adjunxit *Franciſcus Maria Aſſermet*, Ordinis FF. Minorum Regularis obſervantiæ, Sacræ Facultatis Pariſienſis

Doctor, qui Pariſiis anno MDCCXV. *Tractatum Scholaſtico-poſitivum de Divina Gratia* in lucem emiſit, ubi a pagina 335. uſque ad paginam 344 doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice decantatis ſæpius argumentis impetit, & pagina 356. in hæc verba erumpit: *Quis ergo Gratiæ per ſe & ex natura ſuas efficacis quoad rem & quod nomen inventor? Calvinus. Quis primus phyſicæ Prædeterminationis quoad nomen exiſtit faber? Pater Dominicus Bagnes, vel alter ipſius ætati ſuppar*. Sic iſti moderni Scriptores doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice dilacerare, atroque carbone notare pro viribus nituntur.

Sed tantum abeſt, ut hæc, quibus utuntur, aculeata verba, eorumque ſtylus, quantumvis ſale & pipere aſperſus, mihi legenti ſtomachum moverint, ut potius animos addiderint ad vulgandas iſtas, quas ſcripſi, Epiſtolas. Sic enim tacitus dicebam Exſpectant Scholę Thomiſticę adverſarii, & expoſcunt a Thomiſtis, ut aperte oſtendant, principia doctrinę ſuę de Gratia ſe ipſa efficaci eſſe diverſa a principiis doctrinæ *Janſenii*; ab ipſis poſtulant, ut planiſſime evincant, erroneas *Janſenii* conſecutiones non effluere e principiis doctrinę Scholę Thomiſticę; petunt denique, ut demonſtrent Thomiſtę, non conſequi ex Decretis Dei prędeterminantibus, pręcepta Dei eſſe impoſſibilia; iiſdem Decretis non deſtrui libertatem oppoſitam neceſſitati; Gratię per ſe efficaci reſiſti poſſe; Deum per phyſicam Prędeterminationem non fieri anctorem peccati. Horum, inquam, claram explicationem a Schola Thomiſtica exſpectant, & flagitant ejus adverſarii, qua (ut inquiunt) ex animis hominum offenſionem, & ſcrupulum, qui in dies crebreſcit, poſſit eximere. Quæ res ſi ita ſe habeat (ajebam ipſe) non poterunt iſtę, quas concinnavi, Epiſtolę diſplicere, vel minimam creare moleſtiam adverſariis Scholę Thomiſticę, cum totus in his conſcribendis Epiſtolis in id incubuerim, ut eorum votis abunde facerem ſatis, & omnia Dubia, quę Thomiſtis circa doctrinam Gratię ſe ipſa efficacis dirimenda aut dilucidanda proponunt, pleniſſime (ni meus me fallit animus) diluerim. Habes nunc, Erudite Lector, cauſam, quę me ad has ſcribendas, publicique juris faciendas Epiſtolas impulit, quam certe te ęqui bonique conſulturum nullus dubito.

Cęterum, ut non confundantur ideę rerum, quę natura ſua

ſua ſunt abſtruſæ, multumque implicitæ; & ut etiam tam late patens de *Gratia per ſe efficaci*, materia, quam, juxta Scholæ Thomiſticæ principia, in hiſce Epiſtolis tractandi officium ſuſcepi, certo ordine & modo contineatur; in tres Claſſes diſtribuam omnes Epiſtolas, tuas eo de argumento ſcripſi. In prima Claſſe illas collocabo Epiſtolas, quæ vel ad aſtruendam, vel ad vindicandam doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, vel ad conciliandum liberum hominis arbitrium cum eadem Gratia, referuntur. In altera Claſſe locum obtinebunt hæ Epiſtolæ, in quibus teterrimam calumniam, qua Pater *de Meyer* doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci audet Calviniſmi inſimulare, depello, & data opera oppungo errores *Cornelii Janſenii*, Iprenſis Epiſcopi, variaque aſſigno diſcrimina, queis Thomiſtarum doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci longe lateque diſcrepat a doctrina *Janſenii*, quam damnavit Eccleſia. In poſtrema Claſſe has reponam Epiſtolas, in quibus refello Syſtema De Scientia Media, & De Gratia Congrua, quod novum eſſe, & germanæ Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina e diametro oppoſitum, multis, iiſque invictis, argumentis commonſtrabo.

Digitized by Google

NOS FRATER THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Profeſſor, totius Ordinis FF. Prædicatorum Magiſter Generalis & Servus.

T*Enore præſentium, Noſtrique authoritate Officii, licentiam facimus Tibi Rev. P. Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon, Provinciæ noſtræ Gallo-provinciæ, Conventus Arelatenſis Alumno, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctori, necnon Collegii Caſanatenſis in Urbe Theologo, & quantum in Nobis eſt, facultatem impertimur typis edendi opus a Te recens compoſitum, cui titulus :* Epiſtolæ ad Amicum Hiſtorico-Theologico Polemicæ, in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, prædeterminatrice, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem prævisionem meritorum, contra Adverſarios Scholæ Thomiſticæ aſſeritur ac vindicatur. *Dummodo prædictum Opus a duobus Ordinis Noſtri Theologiæ Magiſtris per Nos deſignatis cenſorio judicio fuerit approbatum, aliaque ſerventur de jure ſervanda. In cujus fidem his ſigillo noſtro munitis ſubſcripſimus Romæ in Conventu Noſtro S. Mariæ ſuper Minervam die ſecunda Julii 1728.*

Fr. Thomas Ripoll Magiſter Ordinis.

Loco ✠ Sigilli

Regiſt. fol. 91.

Fr. Joannes Sicard Magiſter & Socius.

Digitized by Google

APPROBATIO.

Epiſtolas ab Adam. Rev. Patre Magiſtro F. Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, & Collegii Caſanatenſis Theologo, Ordinis Prædicatorum, ad amicum ſcriptas Hiſtorico-Theologico-Polemicas, in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, prædeterminatrice, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem prævisionem meritorum, contra Adverſarios Scholæ Thomiſticæ aſſeritur & vindicatur, juſſu Reverendiſſimi Patris Fratris Thomæ Ripoll, ejuſdem Ordinis Prædicatorum Generalis Magiſtri, ſedulo & ſumma cum animi delectatione perlegi. Siquidem in illis nedum ſtyli candorem, ſummamque eruditiönem, prout in aliis bene multis Operibus ab eodem Authore ſapienter elaboratis, & in lucem editis, demiratus ſum: verum etiam in materia tanti momenti facilem, limpidam, atque compendioſam methodum, qua ad enodandas tot intricatiſſimas quæſtiones, quibus eruditiſſimorum Virorum torqueri ſolent ingenia, quiſque mirabiliter juvari poteſt, a laudato Authore adinventam non ſatis valui commendare. Quamobrem, eaſdem Epiſtolas, in quibus nihil, quod fidei regulæ, boniſque moribus non conſentiat, offendi, publica luce digniſſimas cenſeo, tanquam omnibus, qui, ſepoſito partium ſtudio, illas legerint, plurimum profuturas. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 18. Novembris 1728.

Fr. Dominicus Ponſi, Ordinis Prædic. Sac. Theologiæ Magiſter, & Sac. Congregationis Indulgentiarum, Reliquiarum Conſultor.

AP-

APPROBATIO.

EGregium plane Opus, ſuoque Clariſs. ac de Republica Literaria optime merito Authore vere dignum, cui titulus: *F. Ignatii Hiacynthi Amat de Graveſon, Sac. Facult. Pariſien. Doctoris, & Collegii Caſanat. Theologi, Ordinis Prædicatorum, Epiſtolæ, ad Amicum ſcriptæ, Hiſtorico-Theologico-Polemicæ, in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, Prædeterminatrice, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem prævifionem meritorum, contra Adverſarios Scholæ Thomiſticæ aſſeritur, & vindicatur*, mandante Reverendiſſ. Ord. Magiſtro, obſequens, lætuſque perlegi. Atque in eo non modo nihil contra Catholicam Fidem, bonoſque Mores offendi, verum & animadverti, quam ſolide Author demonſtret; erudite adornet, ac catholice contra quoſcumque Adverſarios tueatur, & vindicet *SS. Auguſtini, & Thomæ* inconcuſſa ac tutiſſima Dogmata, illa, quæ, ad dirimendas in dies gliſcentes controverſias, veluti doctrinæ ipſorum ſummam ac caput efficiunt. Eapropter, me judice, dignum quoque eſt, quod in rem diſcipulorum utriuſque Sancti Patris propediem publici juris fiat.

Ita ſentio ego Fr. Joannes Dominicus de Agnanis, S. T. M. ac Bibliothecarius Caſanatenſis, die XVII. *Menſis Movembris anni* MDCCXXVIII.

APPROBATIO.

REverendiſſimo P. F. Jo. *Benedicto Zuanelli*, Sac. Apoſt. Pal. Magiſtro, mandante, legi Primum Tomum Epiſtolarum, cui titulus eſt *F. Ignatii Hiacynthi Amat de Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, & Collegii Caſanatenſis Theologi, Ordinis Prædicatorum, Epiſtolæ ad Amicum ſcriptæ, Hiſtorico-Theologico-Polemicæ, in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci Prædeterminatrice, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem prævifionem meritorum contra Adverſarios Scholæ Thomiſticæ aſſeritur & vindicatur*; nihilque, quod aut Orthodoxis Dogmatibus, ſeu Regulis morum adverſetur, in eo inveni, ſed eruditionem multam in ſcribendo, claritatem in dicendo, ſubtilitatem in argumenta Adverſariorum confutando, atque argumentorum multiplicitatem, & efficaciam una cum veritate in aſſerendo ſum demiratus: Quare, publica luce dignum exiſtimo, ut Auctor, jam in Republica Litteraria meritis cumulatiſſimus, propter alia egregia Opera jam publico Juri data, magnum ſibi nomen ſemper acquirat. Ita.

Dabat Romæ in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria, 15. Novembris 1728.

Fr. Leo a S. Felice, Carmelita Excalceatus, Sac. Theologiæ Prælector, ac Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor.

Digitized by Google

APPROBATIO.

JUſſu Reverendiſſimi P. Fratris Joannis Benedicti Zuanelli, Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri, evolvi *Tomum primum primæ Claſſis Epiſtolarum ad Amicum Hiſtorico-Theologico-Polemicarum*, *in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, Prædeterminatrice, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam, ante omnem prævisionem meritorum, contra Adverſarios Scholæ Thomiſticæ aſſeritur, ac vindicatur*, a R.A.P.M. Fratre Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon, Sacri Ordinis Prædicatorum, Collegii Caſanatenſis Theologo, ac Sac. Facultatis Pariſienſis Doctore. Auctoris nomen eximia commendatio eſt Operis. Sed & Opus Auctori non modicam laudem pariturum opinor; agit enim egregie communem cauſam, non modo Scholæ, ſed & Eccleſiæ, cujus intereſt, lucem ſplendidiſſimam quam veri S. Thomæ diſcipuli a tanto Sole ingenue participant, palam proferre in confuſionem tenebrarum, ſincerarum mentium illuminationem, & Eccleſiæ ejuſdem ornamentum. Sinceras mentes eas modeſte appello, quas fides quidem tenet; ſed niſi ultra quod datum eſt hominibus lumen videant, lucernam illam ardentem in caliginoſo loco homines defecturam, formidare (& utinam non ultra) noſcuntur. Quieſcent, ſpero, dum animadvertent, & potentis Gratiæ virtutem, & indifferentis arbitrii poteſtatem ab Auctore feliciter oſtendi: concordiam inſuper graviſſimis rationum momentis ſtabiliri; quanquam ejus generis ſit, quod fide magis, quam intellectu diſcitur; ut enim Sanctus inquit Bernardus lib. 5. de Conſid. ad Eug. cap. 3. Nihil ſupererit ad beatitudinem, cum quæ certa ſunt nobis, erunt æque & nuda. Epiſtolas ergo nihil Catholicæ Fidei, aut Chriſtianis moribus adverſum continentes; immo & Fidei defenſioni, ac honeſtioris vitæ actionibus opportunas, luce publica digniſſimas cenſeo. Ex Conventu S. Adriani de Urbe Regalis Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum 18. Novemb. 1728.

F. Didacus Tellius Laſſo de la Vega S. T. M. Theologus votans Sac. Congreg. Viſitationis Apoſt. Sac. Congreg. Indicis Conſultor, S. Officii Supremæ, & Univerſalis Rom. Inquiſitionis Qualificator.

NOI RIFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Riviſione, ed Approbazione del Padre Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *R. P. Fr. Ignatii Hiacynthi Amat de Graveſon Epiſtolæ ad Amicum Scriptæ Theologico-Hiſtorico-Polemicæ*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Principi e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Recurti Stampadore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 4. Aprile 1729.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Riff.
(Andrea Soranzo Proc. Riffor.
(

Agoſtino Gadaldini Segr.

Digitized by Google

INDEX

PRIMÆ CLASSIS EPISTOLARUM,

Quæ vel ad ſtabiliendam, vel vindicandam Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Præmotione Phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, referuntur.

EPISTOLA PRIMA HISTORICO-THEOLOGICA,

In qua aperitur ſtatus Quæſtionis de efficacia Gratiæ; tria produntur Syſtemata, & amovetur vulgare præjudicium, quo deterrentur nonnulli ab amplectenda, & tenenda Doctrina de Gratia per ſe efficaci. 5

EPISTOLA SECUNDA PHILOSOPHICA,

In qua firmiſſima jaciuntur principia, & ſolida proponuntur argumenta, e ratione naturali petita, quibus Præmotionis phyſicæ, ad omnes & ſingulos naturales actus eliciendos neceſſitas comprobatur. 20

EPISTOLA TERTIA THEOLOGICA,

In qua omni argumentorum genere demonſtratur, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, ad eliciendos actus ſupernaturales, eſſe omnino neceſſariam. 41

EPISTOLA QUARTA THEOLOGICA,

In qua oſtenditur, Deum per Præmotionem phyſicam non fieri Auctorem peccati; & his, qui, ea deſtituti, violant legem Dei, juſte imputari peccatum. 57

EPISTOLA QUINTA THEOLOGICA.

In qua ſolvuntur argumenta, quibus P. Gabriel Daniel, *aliique Scholæ Molinianæ Theologi probandum ſuſcipiunt, per Præmotionem phyſicam Thomiſtarum, ſeu per Gratiam ſe ipſa efficacem, de medio penitus tolli liberum hominis arbitrium.* 73

EPISTOLA SEXTA POLEMICA,

In qua contra Janſenium probatur, ex peccato Adami non fuiſſe invectam peccandi neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ, nec deperditum liberum hominis arbitrium; tametſi fuerit per culpam Adami elevatum, ſauciatum ac debilitatum. 95

EPISTOLA SEPTIMA THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua germana mens Concilii Tridentini circa Gratiam per ſe efficacem, & liberum hominis arbitrium in optimo lumine collocatur. 111

EPISTOLA OCTAVA THEOLOGICA,

De eſſentia libertatis creatæ, & de modo eam cum Præmotione phyſica, ſeu cum Gratia per ſe-ipſam efficaci, conciliandi. 132

EPISTOLA NONA THEOLOGICA,

In qua probatur, Adamum in ſtatu innocentiæ, & Angelos adhuc in via exiſtentes, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, opus habuiſſe Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci. 150

EPISTOLA DECIMA THEOLOGICA,

In qua ſolvuntur argumenta Janſenii, & explicantur aliquot S. Auguſtini *teſtimonia, quibus Sanctus ille Doctor a ſtatu naturæ innocentis excludere videtur Gratias per ſe efficaces, & admittere duntaxat Gratias ſufficientes, verſatiles, & ſubditas libero Adami innocentis, & Angelorum viatorum arbitrio, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia.* 169

EPISTOLA UNDECIMA HISTORICO-CRITICA,

In qua referuntur præcipua Documenta, & Hiſtorica Monumenta, quæ confirmant veritatem Doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci; & oppoſitæ Adverſariorum ſententiæ patefaciunt falſitatem; veraque aperitur mens S. Thomæ *de Præmotione phyſica contra P. Danielem.* 193

CLASSIS PRIMA DOCUMENTORUM,

Seu Hiſtoricorum Monumentorum, quæ ſpectant novitatem, vel antiquitatem iſtius nominis PHYSICÆ PREDETERMINATIONIS, *ſeu* PRÆMOTIONIS PHYSICÆ. ibid.

CLASSIS ALTERA DOCUMENTORUM,

Quibus manifeſto oſtenditur, pervulgatam Thomiſtarum Doctrinam de Præmotione, ſeu Prædeterminatione phyſica, eſſe exactam ad genuinam Sancti Thomæ, Doctoris Angelici, mentem. 202

CLASSIS ULTIMA DOCUMENTORUM,

Seu Hiſtoricorum Monumentorum, quibus probatur, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem (ſicut nunc docetur in Schola Thomiſtica) fuiſſe Summis Pontificibus probatam, & ab ipſis maxime commendatam. 212

PRI-

Digitized by Google

PRIMA CLASSIS EPISTOLARUM,

QUÆ,

Vel ad ſtabiliendam, vel vindicandam

DOCTRINAM SCHOLÆ THOMISTICÆ

De Præmotione Phyſica, ſeu De Gratia per ſe efficaci, referuntur.

EPISTOLÆ, quæ in hac prima Claſſe exhibentur, ad ſequentia Capita revocantur. In prima aperitur ſtatus Quæſtionis de efficacia Gratiæ, tria produntur Syſtemata, & amovetur præjudicium vulgare, quo nonnulli Theologiæ candidati deterrentur ab amplectenda & tenenda doctrina de Gratia ſeipſa efficaci. In altera jaciuntur firmiſſima principia, & ſolida proponuntur argumenta e ratione naturali petita, quibus Præmotionis phyſicæ ad omnes & ſingulos naturales actus eliciendos neceſſitas compro-

 batur.

Digitized by Google

batur . In tertia omni argumentorum genere demonſtratur , Præmotionem phyſicam , ſeu Gratiam per ſe efficacem , ad omnes actus ſupernaturales eſſe omninò neceſſariam . In quarta oſtenditur , Deum per Præmotionem phyſicam non fieri Auctorem peccati, juſteque his , qui deſtituti Præmotione phyſica , ſeu Gratia per ſe efficaci , violant legem Dei , peccatum imputari . In quinta futilis confutabitur objectio illorum, qui effutiunt , Gratiam per ſe efficacem deſtruere liberum hominis arbitrium . In ſexta convellitur impium dogma Hæreticorum , qui aſſerunt , ex primigenia Protoparentis labe inductam eſſe neceſſitatem peccandi , planeque deperditum liberum hominis arbitrium . In ſeptima collocatur in bono lumine genuina mens Concilii Tridentini circà Gratiam efficacem , & liberum hominis arbitrium ; In Octava vera initur concordia Gratiæ per ſe efficacis cum libero hominis arbitrio ; In nona Adamum in ſtatu innocentiæ , & Angelos, adhuc in via exiſtentes , ſive ad agendum , ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia , opus habuiſſe Præmotione phyſica , ſeu Gratia per ſe efficaci , multis argumentis evincitur . In decima explicantur quædam teſtimonia Sancti *Auguſtini*, Summi Doctoris Gratiæ , quæ adducunt nonnulli , ut probent , Aquilinum illum Doctorem excluſiſſe à ſtatu innocentiæ Gratiam per ſe efficacem , eumque in illo ſtatu admiſiſſe tantùm gratiam verſatilem , indifferentem , ſubditam libero Adami innocentis , & Angelorum arbitrio ſive ad agendum , ſive ad perſeverandum. In ultima inſeruntur varia Documenta , & Hiſtorica Monumenta , quæ Thomiſtarum Doctrinæ de Præmotione phyſica , ſeu de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci , magnam lucem affundent , & oppoſitæ adverſariorum ſententiæ patefacient novitatem , ſubindeque falſitatem . Ibidem etiam evincam , hanc Præmotionis ideam , quam nuperrimus Scriptor *Gabriel Daniel* excogitavit , & de cujus inventione multum gloriatur , toto cœlo diſtare à vera & genuina mente Sancti *Thomæ* .

In his porrò dirimendis difficultatibus , quæ magnam , hac præſertim tempeſtate , ſuppeditant diſputandi materiam , ſequar ad amuſſim doctrinam Sancti *Thomæ* , qui (ſicut appoſitè ait noſter *Cajetanus* ſecunda ſecundæ , Quæſtione centeſima qua-

quadrageſima octava, Articulo quinto) *omnium Sacrorum Doctorum intellectum quodammodo ſortitus eſt*, *& illos ſummè fuit veneratus*, vel, ut eleganter ait Reverendus Pater *Labbeus*, Societatis Jeſu, in eo, quod de illo Sancto Doctore contexuit, elogio: Sanctus *Thomas in ſua Summa Theologica*, *quæ eſt Myſteriorum compendium*, *collegit quidquid doceri poteſt aut ſciri*. *Incluſit Hieronymos*, *Auguſtinos*, *Ambroſios*, *Gregorios*. *Epitomen fecit alienæ Sapientiæ*, *& Summam ſuæ*; *didicit omnes*, *qui Thomam intelligit*. His Sancti *Thomæ* Doctrinæ præconibus jure optimo ſuccinit modernus quidem, ſed eruditus juxtà ac elegans Scriptor, *Joannes Vincentius Gravina*, Juris Conſultus Archigymnaſii Sapientiæ Anteceſſor Romanus, qui in prima Oratione, quam habuit *De Inſtauratione Studiorum*, *ad Clementem Undecimum Pontificem Maximum*, hæc appoſitè ait: *Supereſt nunc ſupremus Sapientiæ Divinæ gradus*, *nempè Theologia*; *cujus tradendæ rationem*, *nemo alibi*, *quàm Romæ invenerit meliorem*, *poſtquàm eam Dominicanæ familiæ Patres depromere cœperunt è fonte ſuo*, *nempè de Divi Thomæ libris*. *Quorum prælectionem quotidianam proprio ſumptu Caſanata Cardinalis beneficentiſſimus*, *& vel hoc tantùm nomine optimè de Eccleſia meritus*, *inſtituit*; *ut ſtudioſos à garrulis*, *& perplexis vulgarium Doctorum Scriptis*, *ad ipſum deduceret Oraculum Sapientiæ Divinæ*, *Doctòremque juventuti redderet eum*, *quem non modò communis hominum admiratio*, *ſed ſuamet Chriſtus voce*, *fidum ac certum in Eccleſia præceptorem conſtituit omnis ævi*.

Huic itaque Sanctiſſimo Præceptori quidquid ipſe ſcio, totum acceptum refero, illoque, tanquàm Magiſtro meo, in cujus verba juravi, quamdiù quidquam ſpiritus calebit in corpore meo, gloriabor ac triumphabo, atque, ipſo Duce, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinabo, neque à regia via unquam deflectam. *Gaudio enim*, (utor verbis Sancti Auguſtini libro ſexto Operis contra *Julianum*, Pelagianum, capite vigeſimoprimo, *Gaudeo prorsùs in hac*, *quæ inter nos vertitur*, *quæſtione*, *me nihil à meo Præceptore differre* .... *longè ſum quidem impar meritis ejus*; *ſed confiteor & profiteor*, *me in hac cauſa nihil ab*

hoc meo Præceptore differre ; hæc de Sancto *Ambroſio* ajebat olim Sanctus *Auguſtinus*, quæ nunc ipſe de Sancto *Thoma Aquinate* , Præceptore meo , lubens grato ac ſincero animo profiteor.



EPISTO-

by Google

EPISTOLA PRIMA
HISTORICO-THEOLOGICA,

In qua aperitur ſtatus Quæſtionis de efficacia Gratiæ; tria produntur Syſtemata, & amovetur vulgare præjudicium, quo deterrentur nonnulli ab amplectenda & tenenda doctrina de Gratia per ſe efficaci.

ACcepi nudius tertius Epiſtolam tuam, in qua me etiam atque etiam rogas, ut primò ſtatum celebris iſtius quæſtionis de Præmotione phyſica, ſeu de efficacia Gratiæ aperiam, recenſendo videlicèt varia, quæ ſuper hac re circumferuntur, Syſtemata, ſimulque removendo à Theologiæ candidatis vulgare quoddam præjudicium, quod conſultò eorum mentibus ingerunt Scholæ Thomiſticæ adverſarii, qui muſſitare ac dictitare ſolent, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, & de Decretis Dei prædeterminantibus durum quid ſonare & aſperum, atque humanæ libertati inviſum; Contrà verò, ſententiam adverſariorum Scholæ Thomiſticæ de Scientia Media, & de Gratia verſatili, quæ ſuam efficaciam à libero hominis mutuatur arbitrio, arridere magis, ut potè viribus humanis multùm amicam, libertatis jura ac plenum dominium dilucidè adſtruentem, planeque conſentientem cum vivido illo & intimo ſenſu, quem certi ſumus nos habere, & per quem nobis conſcii ſumus, voluntatem noſtram ſeſe movere & determinare, noſque pro nutu & arbitrio agere quæ volumus. Hoc, inquis, vulgare præjudicium, quod animis auribuſque Theologiç Candidatorum continuò ingerere ac inſtillare ſtudent Scholæ Thomiſticæ adverſarii, benè multos à ſectanda ejuſdem Scholæ de Gratia ſe ipſa efficaci doctrina deterret, ſubindeque prudenter me mones, ut hoc præjudicium, quod adverſarii noſtri ſemper occinunt, penitùs amoveam, ſicque Candidatis Theologiæ faciliorem ad doctrinam Scholæ Thomiſticæ viam aditumque ſternam. Votis tuis ultrò morem geram, & primò in hac Epiſtola aperiam ſtatum hujus Quæſtionis. Tria potiſſimùm referam Syſtemata, quæ circà efficaciam Gratiæ occurrunt. Dein, Theologiæ Candidatos præmuniam contra illud præjudicium, quod jactant, & in immenſum augent Scholæ Thomiſticæ adverſarii, & clarè oſtendam, iſtud præjudicium patrocinari Doctrinæ Scholæ Thomiſticæ, nedùm ei officere, ſicut falsò ſibi, aliiſque perſuadere moliuntur hi, qui à Molinæ partibus ſtant.

Auſpicor itaque à primo capite, &, ut perſpectum habeas ſtatum hujus Quæſtionis de efficacia Gratiæ, id ſuppono, quod eſt in confeſſo apud omnes Theologos Catholicos, videlicet Deum movere voluntatem & liberum hominis arbitrium non tantùm per auxilia extrinſeca, putà per legem & doctrinam, per prædicationes & exempla bonorum (ſicut docebant Pelagiani hæretici) verùm etiam Deum movere liberum hominis arbitrium per auxilia intrinſeca. In hoc, inquam, Fidei dogmate conſentiunt omnes ad unum Orthodoxi Theologi, nec ulla inter eos ſuper hac re extat vel minima diſceptatio. At, cujus generis & virtutis ſint illa auxilia, quibus Deus movet interiùs liberum hominis arbitrium? non eſt una omnium ſententia, indeque varia prodierunt Syſtemata, quæ hìc breviter proferam & explanabo.

I. In primis, Theologi, qui *Con-*

gruiſtæ appellitantur, quòd amplectuntur Syſtema *de Gratia Congrua*, & *de Scientia Media* exploratrice futurorum conditionatorum, docent, Deum per illa auxilia intrinſeca movere duntaxat moraliter liberum hominis arbitrium; ita ut divina illa auxilia intrinſeca, quibus movetur liberum hominis arbitrium ad agendum, non ſint ex ſe ipſis efficacia, nec illud ſuapte virtute intrinſeca huc potiùs quàm illuc inflectant, ſed ſubdita ſint libero hominis arbitrio, & à conſenſu ac determinatione voluntatis humanæ ſuam hauriant & habeant efficaciam. Docent inſuper iſti Theologi, dicti *Congruiſtæ*, ideſt, *Gratiæ Congruæ* Aſſertores, Deum ab æterno per Scientiam Mediam prævidere, quid pro ſuo nutu & arbitrio voluntas humana, his auxiliis divinis intrinſecis verſatilibus, & moraliter tantùm moventibus, adjuta, factura ſit, ſeu in quam partem ſe inclinatura ſit, proindeque Deum, ſi prænoſcat iſtiuſmodi auxilia intrinſeca, quibus tantummodò moraliter voluntatem hominis movet, fore aliquandò efficacia, id non alia ratione prænoſcere, quàm quia per Scientiam Mediam prævidit & exploravit, voluntatem hominis his divinis intrinſecis auxiliis moraliter ſolùm moventibus conſenſuram, ſi modò in certa rerum, temporum, locorum, & circumſtantiarum conditione ei offerantur; qua præviſa bona determinatione, inflexione, & conſenſione voluntatis humanæ, ajunt *Congruiſtæ*, Deum decernere ac velle prædicta illa auxilia in tali rerum conditione offerre ac ſuppeditare voluntati humanæ, tuncque Deum certò cognoſcere, volunatem hominis infallibiliter benè operaturam. Non aliam ſanè infallibilem rerum futurarum cognitionem Deo adjudicant iſti Theologi *Congruiſtæ*, qui, exploſis omnibus divinis auxiliis intrinſecis per ſe efficacibus, aſſerunt, Deum per auxilia intrinſeca movere duntaxat moraliter voluntatem humanam, eaque eſſe incitamenta quædam, ſeu quaſdam illecebras, quibus Deus voluntatem hominis ad ſui ipſius determinationem invitat & allicit, ita ut, ſi humana voluntas ſe ſe ad benè agendum determinet, huic continuò Deus ſubminiſtret concurſum phyſicum, quem vocant *Concomitantem*.

In hoc potiſſimùm ſtat Theologorum *Congruiſtarum* Syſtema, quod nunc magis probatur celebrioribus Societatis Jeſu Theologis, qui, valere juſso Syſtemate de Gratia, procuſo à *Ludovico Molina*, in iſtud *Congruiſtarum* Syſtema, à *Suareſio* ejuſdem Societatis Theologo excogitatum, manibus pedibuſque deſcendunt, ſicut teſtatur Pater *Daniel*, nuperrimus illius Societatis Scriptor Gallus, qui in Epiſtola V. ad P. *Natalem Alexandrum* Dominicanum, hæc habet, juxta Verſionem Latinam, quam præ manibus teneo: *Itaque cùm in ea re ſuo unuſquiſque arbitratu ſe gerat inter Jeſuitas, non pauciores, qui Molinam impugnent, quàm qui propugnent, eſſe video. Documento ſunt Bellarminus, Suarez, aliique clariſſimi Societatis Theologi, qui aliam penitùs à Molina viam in explicanda Gratiæ efficacia ineunt...... Unum doctrinæ Molinæ caput adſciſcunt vulgò & amplectuntur Jeſuitæ, Scientiam Mediam: Hæc in Dominicanorum Schola junioribus Theologis tanquàm terriculum & larva deformis oſtenditur, quia ſtare nullo pacto poteſt cum Prædeterminatione phyſica Thomiſtarum.* Juxta hoc *Congruiſtarum* Theologorum Syſtema, Scientias & Decreta Dei ita, loco mox à me laudato, diſponit & ordinat P. *Daniel*, ut primo loco reponat in Deo Scientiam *ſimplicis intelligentiæ*, qua Deus cognoſcit res merè poſſibiles: Secundo loco reponat in Deo *Scientiam futurorum conditionatorum*, nimirùm *Scientiam Mediam*, qua Deus cognoſcit futura conditionata, ſeu quid actura eſſet talis cauſa libera ſi Deus daret illi talem gratiam, vel ſi poneret eam in talibus circumſtantiis: Tertio loco conſtituat in Deo Decretum abſolutum, quo decernit hanc tali cauſæ liberæ impertiri gratiam, aut illam ponere in talibus circumſtantiis: Ultimo tandem loco collocet in Deo *Scientiam Viſionis*, qua Deus hujus cauſę liberę actionem abſolutè futuram videt ac certiſſimè cognoſcit. Habes nunc Theologorum Congruiſtarum Syſtema, ſimul & ordinem, quo Scientias & Decreta ſuo modo digerunt & ordinant in Deo.

II. Ve-

Digitized by Google

II. Veniamus nunc ad Thomiſtarum Syſtema, quod à præcedenti Theologorum Congruiſtarum Syſtemate maximè diſcrepat. Docent quippè Thomiſtæ, intrinſeca illa auxilia, quibus Deus movet liberum hominis arbitrium, eſſe per ſe & ab intrinſeco efficacia, quæ per virtutem, ſibi ab omnipotentia divina inditam, efficiunt, ut voluntas hominis ad eliciendum hunc vel illum actum ſe ſe liberè inflectat, eaque inflexio talis ſit, ut hominis voluntas, remota non *coactione* modò, ſed *neceſſitate*, his divinis intrinſecis auxiliis per ſe & ab intrinſeco efficacibus impulſa ſe ſe determinet, ſuamque congenitam indifferentiam activam, ſeu potentiam agendi, vel non agendi, ſartam tectam conſervet. In hoc ſenſu Thomiſtæ admittunt Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, per quam intelligunt phyſicum & intrinſecum Dei auxilium, voluntatis hominis determinationi prævium, dans ei, ut liberè, & cum indifferentia activa, ſeu cum immunitate à coactione & à neceſſitate, ſe ſe determinet. Hujus antem Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem in præſenti ſtatu naturæ lapſæ probant Thomiſtæ ex Sacris Litteris, ex Traditione SS. Patrum, ex Summorum Pontificum, & Conciliorum definitionibus; ejuſdemque Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ ſe ipſa efficacis neceſſitatem dilatant Thomiſtæ ad ſtatum naturæ innocentis, ac cenſent Adamum innocentem, & Angelos in via adhùc exiſtentes, opus habuiſſe ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci; cum hoc tamen diſcrimine, quod Adamus innocens, & Angeli non indigerent Gratia per ſe efficaci, quæ eſſet *Medicinalis*, ſeu *Gratia Salvatoris*; ſed egerent duntaxat Gratia per ſe efficaci, quæ dicitur *Gratia Creatoris*, ſeu *Gratia Sanitatis*; at verò homo in ſtatu naturæ lapſæ tum ad agendum, tum ad perſeverandum indigeat Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, eaque *Medicinali*, quæ dicitur *Gratia Salvatoris*, quia natura hominis per peccatum Adami læſa & ſauciata ſanari non poteſt niſi per Gratiam medicinalem, ſeu per Gratiam JESU CHRISTI, Servatoris noſtri.

Quàm verò ſibi egregiè conſtet, & veritati conſonum ſit iſtud Thomiſtarum de Gratia Syſtema, quàm bene etiam apteque compoſitum, ſive ad magnificè de Deo ſentiendum, ſive ad retegendam radicitus naturæ lapſæ infirmitatem, & omnimodam creaturæ dependentiam à Deo, in quo vivimus, movemur, & ſumus, ex his, quas ad te deinceps ſcribam, Epiſtolis facilè intelliges. Obiter tantùm dicam, hoc Thomiſtarum Syſtemate collocari in optimo lumine doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia, quam Catholica Eccleſia in Decretis Summorum Pontificum, & in definitionibus Conciliorum omni ævo adoptavit; Scientiam Mediam de medio tolli; Gratiam verſatilem, & libero hominis ſubditam arbitrio, radicitùs convelli; Omnipotentiam Dei, ſupremum, quod obtinet, in creaturam dominium, divinæ voluntatis efficaciam ſolidè ſtabiliri; beneque conſuli libertati humanæ, quæ ſub quacumque Gratia efficaciſſima jugiter ſervat ſuam indifferentiam activam, ſeu potentiam agendi vel non agendi. Verbo dicam, homo per iſtud Thomiſtarum de Gratia Syſtema luculenter cognoſcit, quem in ſuis actionibus locum ſibi ſervare, quem verò locum tribuere debeat Deo, à quo, velut à ſupremo Domino, & primo omnium motore, ita pendet, ut in ſingulis ſuis actionibus impreſſa quodam modo gerat Dei prædeterminantis veſtigia. Porrò, Thomiſtæ, juxtà ſuum de Gratia Syſtema, ſic Scientias, & Decreta in Deo ordinant ac diſponunt, ut primo loco conſtituant *Scientiam ſimplicis intelligentiæ*, qua Deus poſſibilia cognoſcit: Secundo loco conſtituant *Decretum Dei*, quo Deus omnia, quæ futura ſunt, & actiones etiam liberas decernit: Tertio denique loco ponant *Scientiam Viſionis*, qua Deus proſpicit res omnes exiſtentes ac futuras vi Decreti ſui. En tibi Thomiſtarum de Gratia Syſtema.

III. Huic Thomiſtarum de Gratia

Digitized by Google

Syſtemati ſe adhærere mentiuntur Diſcipuli *Janſenii*, qui fuſiſſimè multis non ſolùm argumentis, ſed etiam libris teſtantur, ſe unà cum Schola Thomiſtica admittere in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam natura ſua & ab intrinſeco efficacem, ad omnes & ſingulos pietatis actus prorsùs neceſſariam, ſicque, quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt, ut fucum incautis faciant, ſe ſe Thomiſtarum pallio involvunt. Expedit itaque, ut *Janſenii* Diſcipulis, quorum errores aliis in Epiſtolis opportunius refellam, ſolitaque præcludam effugia, hanc larvam in præſentia detraham, tibique breviter oſtendam, Thomiſtarum Syſtema de Gratia, quod mox expoſui, & quantùm ad principia, & quantùm ad conſecutiones, plane diverſum eſſe à *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum in materia de Gratia virulentis principiis, & erroneis conſecutionibus.

At enim, primum doctrinæ *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum principium in hoc ſitum eſt, quòd velint, Gratiam in ſtatu naturæ lapſæ: quando ſuperior eſt gradibus cupiditatis, tunc eſſe per ſe, & ab intrinſeco efficacem, eamque neceſſariò per indeliberatam cæleſtem delectationem victricem determinare voluntatem humanam ad bonum; ſed, verſa vice, quandò terrena concupiſcentia, ſeu cupiditas, dominatur, & ſuperior eſt gradibus cæleſtis delectationis, tunc voluntatem hominis per victricem carnalis concupiſcentiæ delectationem neceſſariò determinari ad malum, ita ut in homine ſub motione Gratiæ per ſe efficacis, ſeu ſub motione indeliberatæ cæleſtis delectationis victricis, & gradibus cupiditatis ſuperioris, vera ſit, non quidem abſoluta, ſed relativa impotentia ad malè agendum, & ſimiliter in homine, ſub concupiſcentia dominante, & gradibus cæleſtis delectationis ſuperiore, ſit etiam vera impotentia non quidem abſoluta, ſed relativa eliciendi bonum, ſicque humana voluntas per illas delectationes indeliberatas, cæleſtem videlicet & terrenam, alternatim rapiatur neceſſariò ad bonum, vel ad malum. Ex quo doctrinæ *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum principio nemo eſt, qui ſtatim non intelligat, manifeſtò ſequi, voluntatem hominis in ſtatu naturæ lapſæ habere duntaxat potentiam & indifferentiam paſſivam recipiendi alternatim indeliberatas illas delectationes, cœleſtem videlicet & terrenam, ſed carere vera potentia activa agendi, vel non agendi, in qua tamen potentia & indifferentia ſitam eſſe eſſentiam & germanam libertatis humanæ rationem docent omnes Theologi. Hoc autem doctrinæ *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum principium repudiant ac deteſtantur Thomiſtæ, quippe qui intrinſecam Gratiæ efficaciam non repetunt ex indeliberata cæleſti delectatione, quæ ſit gradibus cupiditatis ſuperior, ſed eam petunt ex omnipotentia Dei, qui omnia fortiter & ſuaviter diſponit, quique per Gratiam ſe ipſa efficacem movendo hominis voluntatem, ne tantillum quidem lædit ejus potentiam & indifferentiam agendi, vel non agendi, ſed eam conſervat, fovet, & perficit, facitque ut voluntas hominis liberè prodeat in actionem cum ſuavi deliberata delectatione, quæ, tanquam effectus, ſequitur, & concomitatur gratiam per ſe efficacem.

Alterum principium, quod doctrinæ *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum, inſtar eſt proræ ac puppis, in hoc potiſſimùm ſiſtit, quòd doceant, Gratiam per ſe efficacem (quam, ut mox diximus, in cæleſti indeliberata delectatione, & gradibus terrenæ cupiditatis ſuperiore conſtituunt) ſe tenere ex parte potentiæ, ita ut Gratia per ſe efficax, ſeu indeliberata cæleſtis delectatio, gradibus cupiditatis ſuperior, non ſupponat in voluntate hominis veram, plenam, completam, & proximam poteſtatem agendi; ſed ejuſmodi potentiam voluntati conferri ab ipſa gratia per ſe efficaci, dùm illam per indeliberatam cæleſtem delectationem, gradibus cupiditatis ſuperiorem, determinat ad benè agendum. Ex hoc infeſto principio *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli, has erroneas deducunt conſecutiones, quæ cum peſtilenti illo principio doctrinæ ſuæ arctiſſimo vinculo ac nexu colligatæ cohærent. Ajunt enim, hominem in ſtatu naturæ lapſæ gratia per ſe efficaci deſtitutum, ſeu (ut loquuntur Janſeniſtæ) hominem

nem in ſtatu naturæ lapſæ privatum indeliberata cæleſti delectatione, gradibus cupiditatis ſuperiori, non habere veram, completam & proximam potentiam benè agendi; docent, omnes gratias in ſtatu naturæ lapſæ eſſe per ſe & ex natura ſua efficaces, & nullas in hoc ſtatu admittunt gratias ſufficientes, quibus verè reſiſti poſſit. Pertendunt mordicùs, præcepta Dei in ſtatu naturæ lapſæ his, quibus deeſt gratia per ſe efficax, (ſeu ut intelligunt Janſeniſtæ) his, quibus deeſt cæleſtis indeliberata delectatio, gradibus terrenæ delectationis concupiſcentiæ ſuperior; præcepta Dei eſſe impoſſibilia, & tamen illorum tranſgreſſionem eis juſtè imputari. Aſſerunt inſuper, libertatem hominis in ſtatu naturæ lapſæ ſtare cum neceſſitate, & ad merendum, vel demerendum non requiri libertatem à neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione. Denique *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli, ex hoc doctrinæ ſuæ principio inferunt, Deum non habere ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, nec eis ullo pacto præparare gratias ſufficientes, quibus poſſint ſalutem æternam adipiſci, nec Chriſtum Dominum mortuum eſſe & ſanguinem ſudiſſe pro ſalute reproborum, ſed tantùm pro ſalute æterna electorum ac prædeſtinatorum. Has erroneas conſecutiones ex his duobus mox à me adductis doctrinæ *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum, principiis ſponte fluere nemo negabit.

Tertium doctrinæ *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum principium ſpectat notionem & eſſentiam Gratię ſufficientis. Nam primò Gratia ſufficiens in ſtatu naturæ lapſæ *Janſeniſticè* intellecta, tantùm abeſt, ut homini completam tribuat non peccandi potentiam, ut potiùs ipſam præceptorum obſervandorum actualem impoſſibilitatem compatiatur. Contra verò Gratia ſufficiens *Thomiſticè*, non ſolo nomine, ſed & re ipſa ſufficiens eſt, quia dat homini veram, completam & proximam non peccandi, ſeu præceptum ſervandi potentiam; ſicut clarè demonſtrabo in his Epiſtolis, in quibus data opera *Janſenii* errores, ab Eccleſia confixos, refellam. Præterea Gratia *Janſeniſticè ſufficiens* non ex natura, ſeu ex eſſentia ſua, ſed merè accidentaliter diſcrepat à Gratia efficaci, ratione videlicet intenſioris, vel minùs intenſæ delectationis terrenæ indeliberatæ, concurrentis cum Gratia, ſeu cum cæleſti indeliberata delectatione. Erit enim Gratia tantùm *ſufficiens*, ſeu *inefficax*, in ſenſu *Janſenii*, & Janſeniſtarum, ſi major ac vehementior ingruat & exardeſcat terrenæ concupiſcentiæ indeliberata delectatio: eadem autem Gratia, quæ, juxtà *Janſenium*, & Janſeniſtas, eſt tantùm *ſufficiens*, & inefficax, propter conflictum majoris, ſuperioris, ac victricis indeliberatæ delectationis concupiſcentiæ terrenæ, evadit tamen efficax, ſi vel nulla terrena concupiſcentiæ delectatio emerſerit, ſeu occurrerit; vel ſi terrena concupiſcentiæ delectatio ſit tam invalida & gradibus inferior cæleſtis Gratiæ delectatione, ut eam vincere, ac ſuperare non poſſit.

Hæc eſt *Janſenii*, & Janſeniſtarum circà notionem & eſſentiam Gratiæ ſufficientis in ſtatu naturæ lapſæ doctrina. Aſt, Gratia *Thomiſticè* ſufficiens ità ex natura ſua eſſentialiter diſtinguitur à Gratia *Thomiſticè* efficaci, ut nunquàm, & in nullo caſu Gratia ſufficiens *Thomiſticè* evadere poſſit Gratia efficax *Thomiſticè*, nec unquàm ponatur actus ſecundus, niſi acceſſerit Gratia efficax *Thomiſticè* (ſeu Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax,) quæ potentiam completam, proximam & expeditam, quam homo jam habet per Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, applicat ad actu agendum, reducendo videlicet actum primum ad actum ſecundum.

Hæc eſt vera ac genuina mens Thomiſtarum, qui à tribus illis, mox à me explicatis, doctrinæ damnatæ *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum, principiis ſe abhorrere palàm profitentur. Docent enim primò, ut paulò ante diximus, Gratiam per ſe efficacem ſitam non eſſe in cæleſti indeliberata delectatione gradibus delectationis terrenæ cupiditatis ſuperiori, ſicut falsò contendunt *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli. Præterea, concors eſt omnium Thomiſtarum doctrina, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem,

non

Digitized by Google

non ſe tenere ex parte potentiæ, ut volunt *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli, ſed tantùm ſe tenere ex parte actus ſecundi, ideſt, ex parte actionis, ſive, ut clarius dicam, docent Thomiſtæ Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem non dare voluntati humanę veram & completam agendi potentiam, ſed hanc potentiam præſupponere jam voluntati humanæ datam à Gratia ſufficienti, illamque potentiam agendi applicari tantummodò à Præmotione phyſica, ſeu à Gratia per ſe efficaci ad actum ſecundum, ideſt, ad actu agendum.

Non me latet, fuiſſe olim, & etiamnum eſſe quoſdam celebres Thomiſtas, qui aſſerunt, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, tenere ſe ex parte actus primi. Sed vide, ſodes, quàm longè lateque iſti Thomiſtæ diſcrepent à proſcriptis *Janſenii* erroribus, & quàm mirificè in re ipſa conſentiant cum cæteris Thomiſtis, qui volunt, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem tenere ſe ex parte actus ſecundi. In primis, illi Thomiſtæ, qui exiſtimant, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, tenere ſe ex parte actus primi, conſtanter docent cum cæteris aliis Thomiſtis, Gratiam haurire intrinſecam ſuam efficaciam ex omnipotentiſſima Dei voluntate, & ex ſupremo, quod in omnes creaturas obtinet, dominio; ajuntque, Deum per Gratiam ſe ipſa efficacem ita præmovere, determinare, & applicare voluntatem creatam ad agendum, ut nullam ei imponat neceſſitatem, ſed potius perficiat ejus libertatem, indifferentiam activam, ac veram, propriamque potentiam, qua pollet, ad oppoſitum. Hanc conſtantem ac perpetuam eſſe omnium cùm antiquorum, tùm recentiorum Thomiſtarum ſententiam inviċtiſſimè demonſtrat perdoctus noſter *Alexander Sebille* in Opere, quod anno MDCLXXII. edidit, cuique titulus eſt: *D. Auguſtini & SS. Patrum De Libero Arbitrio Interpres Thomiſticus adverſus Cornelii Janſenii Doctrinam, prout defenſatam in Theriaca Vincentii Lenis*. Aſt, *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli efficaciam Gratiæ accerſunt ex indeliberata cæleſti delectatione, quæ, dum victrix eſt, ſeu ſuperior terrena delectatione, non liberè, ſed neceſſariò determinat voluntatem ad benè agendum, eique ſubinde adimit indifferentiam activam, & veram, ac propriam potentiam ad oppoſitum. Quem certè *Janſenii* errorem omnes tam veteres, quàm recentiores Thomiſtę unanimi conſenſu damnant, proſcribunt, & execrantur.

Prætereà, quidam Thomiſtæ ideò aſſerunt, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem tenere ſe ex parte actus primi, quia Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, eſt *complementum actus primi*, & potentiam conjungit cum actu. Actus quippè primus ex ſe tendit ad actum ſecundum, & ideò Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax poteſt jure optimo appellari in hoc ſenſu *complementum actus primi*, non tamen in hoc ſenſu, quòd, abſente Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci, vera ac propria non ſit in voluntate potentia, ſeu actus primus. *Janſenius* verò, ejuſque Diſcipuli pertendunt, Gratiam per ſe efficacem, quam ſitam eſſe volunt in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, ſeu ſuperiore delectatione terrena, ita conferre voluntati creatæ veram & propriam bene agendi potentiam, ut voluntas creata (abſente Gratia per ſe efficaci) careat vera & propria potentia bene operandi. Quem profectò *Janſenii* errorem omnes Thomiſtæ ſive antiqui, ſive recentiores, uno ore, uno ſenſu & animo explodunt, repudiant, ac deteſtantur.

Tertiò, certum eſt; illos Thomiſtas, qui docent, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, tenere ſe ex parte actus primi, admittere Gratiam ſufficientem, quæ (abſente Gratia per ſe efficaci) dat veram & propriam benè agendi potentiam. Contrà verò *Janſenius* lib. 3. *De Gratia Chriſti Salvatoris* cap. 3. Gratiam ſufficientem, quæ (abſente Gratia per ſe efficaci) veram & propriam voluntati creatæ ſuppeditat benè operandi potentiam, exſufflat, exſibilat, & rejicit tanquam horrendum monſtrum,

ſicut

ſicut opportunius in Epiſtolis, in quibus data opera errores *Janſenii* deinceps confutabo, plene planeque evincam. Poſtremò, omnes tam veteres, quam recentiores, Thomiſtæ diſertè profitentur, juſtos (licet aliquando Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, ad obſervanda præcepta Dei prorſus neceſſaria, deſtitutos) habere Gratiam ſufficientem, per quam verè ac propriè poſſunt vincere actualem concupiſcentiam, obſervare divinæ legis præcepta, emergentes ſuperare tentationes, & jam acceptam retinere juſtitiam. Id autem rotunde negat *Janſenius* lib. 3. *De Gratia Chriſti Salvatoris* cap. 13. ubi conceptis verbis aſſerit, *Juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, præcepta Dei eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque illis Gratiam, qua poſſibilia fiant.*

Quæ cum ita ſint, quis, amabò, non videt, omnes Thomiſtas; ſive illos, qui dicunt, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, tenere ſe ex parte actus primi, ſive eos, qui volunt, illam tenere ſe ex parte actus ſecundi, in hoc citra ullam diſcrepantiam conſpirare, quòd conſtanter doceant, voluntatem creatam (abſente Gratia per ſe efficaci) veram & propriam retinere potentiam bene agendi; eam eſſe in genere potentiæ completam, & conſtitutam in ratione principii effectivi in actu primo. Quò fit, ut iſta Thomiſtarum loquendi, ſcribendive varietas nihil aliud ſit, quàm pura putaque *Logomachia*, & mera quæſtio de nomine, cum re ipſa omnes ad unum Thomiſtæ conſentiant, ut nulla omnino ſit antiquos inter & recentiores Thomiſtas diſcordia, neque diſſidium, ſed perfectus conſenſus, communiſque concordia, ſicut, poſt noſtrum clariſſimum *Maſſoulieum*, nuperrimè oſtendit doctiſſimus noſter *Jacobus Hiacynthus Serry*, Doctor Sorbonicus, in ſuo *Auguſtino Conciliato* pag. 248. Editionis, quam ſecundis curis Patavii adornavit.

Quando igitur in meis Epiſtolis deinceps dicturus ſum, voluntatem creatam à Deo præmotam, ac prædeterminatam per Gratiam ſe ipſa efficacem ad aliquem actum, ſcilicet ad actum amoris, ſemper tamen ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis voluntatem creatam retinere potentiam proximam & expeditam, ſeu non ligatam, ponendi actum oppoſitum, ideſt, actum odii; id, inquam, intelligi volo de *potentia antecedenti*, non verò *de potentia conſequenti*. Voco autem *potentiam antecedentem*, tantùm illam, quæ eſt virtus proximè ſufficiens per modum actus primi reſpectu alicujus extremi, licet virtus illa proxime ſufficiens, nunquam ſit (ſtante Gratia per ſe efficaci, quæ determinat ad actum amoris) cum illo extremo conjungenda. Quo ſenſu Gratia ſufficiens, in Schola S. *Thomæ*, ſeorſim ſumpta à Gratia per ſe efficaci, dat potentiam proximam antecedentem reſpectu actus ſupernaturalis, quia licet virtus ſit ſufficiens ex parte actus primi, nunquam tamen (niſi præſto adſit Gratia ſe ipſa efficax) conjungenda eſt cum actu ſecundo. Voco verò *potentiam conſequentem*, illam, quæ inſuper eſt cum actu conjungenda; quo ſenſu in eadem Schola S. *Thomæ* voluntas creata, inſtructa gratia per ſe efficaci, poteſt potentia conſequenti elicere actum ſupernaturalem, quia, ope Gratię ſe ipſa efficacis, voluntas creata non ſolum poteſt operari, ſed etiam re ipſa operatur. Quando igitur dico, voluntatem creatam à Deo prę̨motam per Gratiam ſe ipſa efficacem ad aliquem actum, videlicet amoris, retinere ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis potentiam ponendi actum oppoſitum, id tantum intelligi volo de potentia antecedenti, & ſejuncta ab actu; non verò de potentia conſequenti & conjuncta cum actu. Similiter, quando dico, Gratiam per ſe efficacem non tenere ſe ex parte potentiæ, hoc unum duntaxat volo, nimirum Gratiam per ſe efficacem non tenere ſe ex parte potentię antecedentis proximæ & expeditę, quià ejuſmodi potentiam Gratia per ſe efficax (ſicut docent omnes Thomiſtę) non dat voluntati creatę, ſed potiùs illam jam voluntati creatę à Gratia ſufficienti collatam præſupponit; quamvis tamen verum ſit, Gratiam ſe ipſa efficacem tenere ſe ex parte potentiæ con-

ſe-

ſequentis, ſeu ex parte potentię conjunctæ cum actu, quia Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax (ut docent etiam omnes Thomiſtę) illam potentiam antecedentem proximam & expeditam, ſejunctam tamen ab actu, quam voluntati creatæ dat Gratia ſufficiens, hanc, inquam, potentiam Pręmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax applicat ad actum, facitque ut voluntas actu operetur. Quo in ſenſu intelligitur illud S. *Bernardi* cap. 12. libri de Libero arbitrio: *Deus voluntatem applicat operi*, nempè per Gratiam ſe ipſa efficacem, quę eſt ipſa applicatio.

In hac autem aſſerenda ac tuenda doctrina concordes omnino eſſe Thomiſtas, ſic breviter demonſtro: Supponamus voluntatem creatam in inſtanti, quo urget pręceptum ſupernaturale, non habere niſi gratiam ſufficientem, & deeſſe ipſi Gratiam per ſe efficacem, ad actualem illius pręcepti obſervationem prorſus neceſſariam; hac facta hypotheſi, docent omnes Thomiſtę, voluntatem creatam eo in caſu habere potentiam antecedentem proximam & expeditam, ſejunctam tamen ab actu, obſervandi tale pręceptum, tametſi voluntas creata, ut actu & re ipſa adimpleat illud pręceptum, indigeat ulteriori Gratia, ſeu Gratia per ſe efficaci, quę tenet ſe ex parte potentię conſequentis; quia potentiam illam antecedentem proximam & expeditam, ab actu tamen ſejunctam, quam per Gratiam ſufficientem habet voluntas creata, applicat Gratia per ſe efficax ad actum ſecundum; hoc eſt, illam potentiam conjungit cum actu, ad quem, velut ad ſui complementum, ſuapte natura tendit. In hoc conſentiunt omnes omninò Thomiſtæ, tametſi nonnulli inter illos dicant, voluntatem creatam, inſtructam licet Gratia ſufficienti, non habere potentiam completam, proximam, & expeditam agendi. Illi quippè Thomiſtæ hoc unum duntaxat volunt, videlicet voluntatem creatam, quæ tantùm eſt inſtructa Gratia ſufficienti, non habere potentiam completam, proximam, & expeditam in ſenſu Moliniſtarum, qui docent, voluntatem creatam, munitam Gratia merè ſufficienti, ita habere potentiam completam, proximam, & expeditam agendi, ut opus non habeat alia ex parte Dei Gratia, ſeu Gratia per ſe efficaci ad actu agendum, ſed tantummodò requiratur voluntatis creatæ conſenſus, qui Gratiam ſufficientem, ex ſe verſatilem & indifferentem reddat efficacem. Hunc ſenſum Molinianum à doctrina Scholæ Thomiſticæ penitùs alienum, jure optimo reprobant omnes Thomiſtæ. Cæterùm, nullus unquam Thomiſta inficias ivit, voluntatem creatam, inſtructam Gratia ſufficienti, *Thomiſticè* intellecta, habere eo in ſenſu veram, completam, proximam & expeditam potentiam; ita ut tamen, præter Gratiam ſufficientem, alia ex parte Dei indigeat ad actu agendum, Gratia, ſeu Gratia per ſe efficaci.

Ex hoc principio, quo tota fulcitur Scholę Thomiſticę doctrina, inferunt Thomiſtę, hominibus in ſtatu naturę lapſę, pręter gratias efficaces, dari gratias ſufficientes, quæ dant veram, completam & proximam potentiam agendi, & adimplendi pręcepta Dei, ſubindeque his, qui, deſtituti Gratia per ſe efficaci, peccant, & tranſgrediuntur legem Dei, juſtè imputari peccatum. Inferunt etiam Thomiſtæ, Gratiam per ſe efficacem non deſtruere liberum hominis arbitrium, ſed potiùs illud perficere. Poſtremò, Thomiſtæ profitentur, & Sole clariùs oſtendunt, omnes erroneas conſecutiones, quas *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli ex hæretico doctrinæ ſuæ de Gratia neceſſitante principio deducunt, non effluere ex principiis doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci, ſed potiùs illis è diametro eſſe oppoſitas. Quod quidem ut tibi clariùs innoteſcat; finge aliquem Scholæ Molinianæ Theologum, qui, ad impugnandam doctrinam de Gratia per ſe efficaci, hoc argumentum tam Thomiſtis, quàm Janſeniſtis proponat: *Si Gratia ſit ex natura ſua, ideſt, ſe ipſa, & ab intrinſeco efficax, ſitque ad quodlibet opus bonum neceſſaria; ergò nulla datur Gratia ſufficiens; ergò voluntas humana determinatur neceſſariò; nec habet poteſtatem completam & proximam ad oppoſitum; ergo ad liberta-*

ta-

tatem neceſſariò non requiritur indifferentia activa, ſeu immunitas à neceſſitate; ergo voluntas hominis neceſſitatem pati poteſt cum libertate: Atqui hæ conſecutiones ſunt erroneæ. ergo &c.

Ad hoc Moliniani Theologi argumentum Thomiſta, qui per Gratiam ſe ipſa efficacem intelligit prævium auxilium, quo Deus intrinſecè, phyſicè, & efficaciter, ſed tamen libere & citrà ullam impoſitam neceſſitatem movet voluntatem hominis ad agendum; Thomiſta, inquam, qui Gratiam per ſe efficacem in hoc ſenſu Catholico & Thomiſtico accipit, interpretatur & docet, ad iſtud Moliniani Theologi argumentum reſpondebit; Gratiam per ſe efficacem, in ſenſu Catholico & Thomiſtico ſic intellectam, neceſſariam omnino eſſe ad actu bene agendum; ſed negabit Thomiſta omnes erroneas conſecutiones, quas ex hoc principio Catholico perperam deducit Molinianus Theologus; videlicet negabit Thomiſta, ſequi ex iſto principio Catholico & Thomiſtico, tolli Gratiam ſufficientem, quæ dat homini veram & completiſſimam poteſtatem bene operandi; negabit Thomiſta, inde ſequi, humanam voluntatem a Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci neceſſario determinari; negabit itidem Thomiſta, inde ſequi, ad libertatem hominis in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem a neceſſitate, ſeu indifferentiam activam agendi vel non agendi. Hoc pacto Thomiſta, qui Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem in ſenſu Catholico & Thomiſtico, hoc eſt, juxta Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* ſenſum, accipit & propugnat, ſeſe confeſtim ab iſto Moliniani Theologi ſæpius decantato argumento expediet.

Aſt, *Janſenii* Diſcipulus, in iſto Moliniani Theologi diſſolvendo argumento, hærebit in luto, ſuæque hæreſeos virus occulere haud poterit. Cùm enim Diſcipulus *Janſenii* per Gratiam ſe ipſa efficacem intelligat indeliberatam cæleſtem & victricem delectationem, quæ ſuperior eſt terrena delectatione concupiſcentiæ, & quæ inſuper ſe tenet ex parte potentiæ, & adimit humanæ voluntati potentiam, non quidem abſolutam, ſed relativam ad oppoſitum, ſicut obiter anteà obſervavi, & in aliis, quas ad te deinceps ſcribam, Epiſtolis copioſius oſtendam: hoc, inquam, falſo & erroneo principio ductus *Janſenii* Diſcipulus, ultro admittet omnes conſecutiones, quas ex eo eliciet Theologus Molinianus; hoc eſt, fatebitur *Janſenii* Diſcipulus, nullas in ſtatu naturæ lapſæ dari Gratias vere ſufficientes, a Gratiis per ſe efficacibus diſtinctas, quæ dent homini veram, plenam, completam, proximam, expeditam, & relativam agendi potentiam. Fatebitur etiam *Janſenii* Diſcipulus, ſuo ſemel erroneo admiſſo principio, voluntatem hominis in ſtatu naturæ lapſæ neceſſario a Gratia ſe ipſa efficaci determinari ad agendum, & ſolum liberam eſſe a coactione, ſubindeque humanam libertatem in ſtatu naturæ lapſæ ſtare ſimul poſſe cum neceſſitate agendi. Poſtremò, *Janſenii* Diſcipulus, hoc ſuo jacto ſuæ doctrinæ infeſto principio, ultrò ac lubens concedet, Deum non habere ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, eiſque per voluntatem antecedentem Gratias ſufficientes præparandi ut æternam ſalutem adipiſci poſſint; Chriſtumque Dominum mortuum non eſſe & ſanguinem non fudiſſe pro ſalute reproborum.

Has autem conſecutiones, velint nolint, admittere debent *Janſenii* Diſcipuli, quia prædictæ conſecutiones ex doctrinæ principio, quod poſt *Janſenium* ſtatuunt, mordicuſque defendunt, nexu plane neceſſario ſequuntur. Docent enim *Janſenius*, ipſiuſque Diſcipuli, efficaciam Gratiæ peti duntaxat debere ex indeliberata cæleſti delectatione, quæ relative victrix eſt & ſuperior terrena delectatione concupiſcentiæ. Hoc, inquam, doctrinæ ſuæ principium, tanquam capitale ac fundamentale, ultrò agnoſcunt; illud oculorum pupilla carius habent, & in eo coſtanter retinendo unanimes ſunt *Janſenius*, ipſiuſque Diſcipuli; Atqui cum hoc principio neceſſariam & individuam connexionem habent quinque *Janſenii* Propoſitiones, jure optimo ab Eccleſia proſcriptæ; Iſtud quippe, quo tota continetur *Janſenii* doctrina, principium deſtruit omnino libertatem, & ine-

inevitabilem inducit neceſſitatem, ſicut in Epiſtolis, in quibus doctrinam *Janſenii* data opera impugnabo, copioſius, bene favente Deo, ſum oſtenſurus; idque nunc breviter iſto argumento evinco: Major delectatio neceſſario vincit minorem, potentior debiliorem, ſuperior inferiorem, præſertim ubi virtus agendi ex delectatione repetitur. Quemadmodum enim, ſi in bilance duo fuerint pondera inæqualia, neceſſe prorſus eſt, eam bilancis partem deprimi, in qua majus eſt pondus; nec ullo pacto fieri poteſt, ut majus pondus a minori inclinetur, quando quidem inter ea duo nulla eſt proportio: ita non abſimili ratione ſi indeliberata cæleſtis delectatio ſit relativè victrix, hoc eſt ſi ſit major, ac ſuperior terrena delectatione concupiſcentiæ, tum neceſſe erit, juxta doctrinam *Janſenii*, ut voluntas hominis bene operetur; ſed ſi, verſa vice indeliberata concupiſcentiæ delectatio relative victrix ſit, ideſt, ſi ſuperior ſit & major cæleſti delectatione, tunc, juxta ejuſdem *Janſenii* doctrinam, neceſſe prorſus erit, ut hominis voluntas male operetur. Hoc igitur doctrinæ *Janſenii* principium de indeliberata, ſive cæleſti, ſive terrena delectatione, quæ relativè victrix eſt, exterminat omninò liberum hominis arbitrium, & invehit inevitabilem neceſſitatem, ſubindeque cum illo *Janſenii* principio neceſſariam connexionem habent quinque famoſæ Propoſitiones, quæ, ſicut conſecutiones, neceſſario fluxu ex illo conſequuntur. Oportet itaque, ut iſtud infeſtum *Janſenii* doctrinæ principium penitus repudietur, aut iſtæ admittantur conſecutiones; alioquì, ſi quis retento principio, illas negaret, ſimilis eſſet illi, qui truncum & radicem arboris ſervaret, & ramos inde pullulare nollet, quod ſane abſurdum & ridiculum eſſet.

Vide ergo, ſodes, quam perperam Janſeniſtæ eodem luto, quo ſordent, audeant Thomiſtas conſpurcare, & paſſim aſſerere, ſe non niſi ob doctrinam, ſibi cum Thomiſtis communem, hæreſeos labe conſpergi; cùm tamen impias & hæreticas conſecutiones, perinde ac erronea principia, ex quibus illas *Janſenii* Diſcipuli deducunt, deteſtentur omnes Thomiſtæ. Quò fit, ut calumniæ notam effugere haud poſſint nonnulli recentiores; qui, ut Scholæ Thomiſticæ Theologos tanquam Janſenianos, apud rudem plebem traducere & infamare valeant, non verentur aſſerere, principia doctrinæ Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci eſſe ſimillima principiis doctrinæ *Janſenii*, proindeque omnes hæreticas conſecutiones, quas e ſuis principiis deducit *Janſenius*, effluere itidem e principiis doctrinæ Thomiſtarum de Gratia ſe ipſa efficaci. Quam putidam calumniam, quamvis eam hic retuliſſe abunde confutaſſe ſit, opportuniori tamen loco invictis momentis pleniſſime confutabo. Dicam tantum obiter recentiores illos Scriptores, qui audent hanc illiberalem Janſeniſmi notam Thomiſtis impingere, vel ne leviter quidem delibaſſe peritorum Scholæ Thomiſticæ Theologorum Opera, vel præjudiciis affectos illorum doctrinam non percepiſſe, vel denique, eos de induſtria, peſſimoque artificio diſſimulaſſe bene multa, quæ doctrinam Thomiſticam inter & *Janſenii* errores, ab Eccleſia proſcriptos, interſunt diſcrimina, quæ ipſe ſuo loco in aperto ſole ponam.

Hæc tria igitur præcipua circa Gratiæ efficaciam Syſtemata, quorum intelligentia ad aperiendum ſtatum hujus quæſtionis omnino videtur eſſe neceſſaria, breviter hic explanaſſe, ſat ſuperque ſufficiat. Supervacaneum quippe eſſet diutiùs hic immorari in referendis Hæreticorum, præſertim *Lutheri* & *Calvini* circa efficaciam Gratiæ erroribus, ex quibus *Janſenius* ſuum ab Eccleſia proſcriptum compegit ac conflavit Syſtema, vel in volvendis latiùs ac diſcutiendis quibuſdam, quæ circa efficaciam Gratiæ Theologorum circumferuntur, opinionibus, quæ facile ad unum ex his tribus, quæ mox expoſui, Syſtema revocari poſſunt. Quocirca, ne otio tuo abuti videar, de his plura in præſentia dicere ſuperſedebo.

IV. Supereſt modo, ut ſub finem iſtius Epiſtolæ non nihil dicam de iſto præjudicio, quo bene multi (ſicut mihi per Epiſtolam ſignificaſti) a ſtudio & defenſione doctrinæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci

ficaci deterrentur, dictitantes nimirum, Syſtema de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, & de Decretis Divinis prædeterminantibus, durum quid ſonare & humanæ libertati inimicum; ſed, verſa vice, Syſtema de Scientia Media, & de Gratia verſatili, libero hominis ſubdita arbitrio magis arridere, ut pote intellectu facilius, & ad ſervanda defendendaque humanæ libertatis jura multo magis accommodatum. Ad hoc amovendum præjudicium tria hìc duntaxat (ne longior ſim) ſingulari obſervatione digna, inſeram, plura in ſequentibus noſtris Epiſtolis commodius dicturus. In primis, libens fateor; inter difficultates, quæ non paucæ in Divinis Litteris occurrunt, vix nullum inexplicabiliorem offendi labyrinthum, quam concordiam Divinæ Gratiæ cum libero hominis arbitrio. Hæc ſiquidem intricata admodum materia jam olim Sanctorum Patrum, dein, Theologorum, cum veterum, tum recentiorum vehementer torſit, ac mirum in modum hactenus exercuit ingenia: *Illa quæſtio ubi de arbitrio voluntatis, & Dei Gratia diſputatur* (inquit S. *Auguſtinus* lib. De Gratia & Libero Arbitrio cap. 47.) *ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei Gratia, liberum arbitrium putetur auferri*, quibus paria ſcribit S. ille Doctor lib. De *Prædeſtinatione* cap. 14. lib. 2. *De peccatorum Meritis, & Remiſſione* cap. 19. & Epiſt. 46. & 47. ad *Valentinum*, Abbatem. Crevit poſtea, ac mire implicata evaſit hujuſce Diſputationis obſcuritas, tum ex variis & e diametro oppoſitis erroribus, quos hic recenſere longum nimis & operoſum eſſet; tum etiam ex Concertationibus inter Catholicos ſubortis, ex quibus tenebras in hanc Diſputationem derivari, ejuſque aditum impediri quodammodo neceſſe fuit, indeque factum eſt, ut Theologi, qui maxime quærunt hujus nodi ſolutionem, ſudent æſtuentque ſatis.

His erroribus, & diverſis, quæ circumferuntur, opinionibus, ortum omni procul dubio dederunt tum præpoſterus novitatis amor, quo titillati nonnulli, relicta regia via, & neglectis Majorum documentis, deſultoriæ imaginationi plus æquo indulſerunt; tum etiam præjudiciorum vitia, quibus pleroſque homines laborare quotidiana, heu nimium! experientia docet; tùm denique altitudo hujus de Divina Gratia Myſterii; in quod Deus noluit nos altius penetrare, ut ſic agnoſceremus, & divinæ Sapientiæ majeſtatem imperveſtigabilem, & imbecillitatem humanæ mentis; quæ, dum ſibi nimium confiſa, hoc abſtruſum Myſterium penetrare conatur, quò fuerit altiùs ingreſſa, hoc magis ac magis, tanquam noctua ad ſolem, caligat, & ſæpiùs in errorem prorumpit. Quanto conſultius juxta ac religioſius, mea quidem ſententia, eſſet, clamare cum Apoſtolo *Paulo* cap. 11. Epiſt. ad Romanos: *O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Et cum Propheta *Iſaia* cap. 40. *Quis audivit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* quam definire quod humanæ mentis excedit modum. Multa enim ſervari debent ei tempori, cum jam non videbimus per ſpeculum & in ænigmate, ſed, revelata facie, Domini gloriam contemplabimur.

Iſtud itaque vulgare præjudicium, quo nonnulli a doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci deterrentur, tantùm abeſt, ut ejus veritati officiat, ut eam potius manifeſtò confirmet. Si enim Myſteria Prædeſtinationis & Divinæ Gratiæ poſſent claro aliquo & facili Syſtemate (ſicut volunt aſſertores Gratiæ verſatilis & ſubditæ libero hominis arbitrio) explicari, tum profecto ceſſarent eſſe Myſteria, utpotè rationi humanæ pervia. Fruſtra etiam Apoſtolus *Paulus* in mox citata Epiſtola ad Romanos de Divinis illis Myſteriis diſſerens, difficultate oppreſſus, confugiſſet ad incomprehenſibilia judicia Dei & imperveſtigabiles vias ejus. Fruſtra itidem hìc Apoſtolus, poſtquam in eadem Epiſtola præmiſiſſet multa, quæ ſpectant omnipotentiam Dei, abſolutum ejus in omnes creaturas do-

Digitized by Google

dominium, gratuitam hominum electionem ad gloriam, efficaciam Gratiæ; & aliunde prævidens, hominem, ſuperbia tumidum, & propriç excellentię ac libertatis ſuę peramantem, & (ſupra quam dici poteſt) ſtudioſiſſimum, non libenter hanc doctrinam auditurum; fruſtra, inquam, Apoſtolus *Paulus* hominem ſuperbum, querulum, & obtrepentem his verbis compeſcuiſſet: *Homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Sane ſi Apoſtolus *Paulus* Scientiam Mediam agnoviſſet, ſi gratiam verſatilem, ſubditam libero hominis arbitrio, admiſiſſet, non his verbis ſuperbum hominem argutantem repreſſiſſet, ſed facile expoſuiſſet dogmata de Prędeſtinatione, de Gratia, & de libertate humana, quę prima ſpecie difficultatis habere plurimum videntur; tamque clare, nodum hunc expediviſſet, ut nullus homo, quantumvis ſuperbus, ejus doctrinæ refragari potuiſſet. Quod cùm non prę ſtiterit Apoſtolus *Paulus*, ſed aliam inierit viam, colligere inde debemus, Syſtema illud, quod Dogmata de Prædeſtinatione & de Gratia clare, & argumentis ab humana ratione ductis conciliat cum libertate humana; novum eſſe & à doctrina Apoſtoli *Pauli* alienum; aliud verò Syſtema, quod in Schola Thomiſtica docetur, quodque nobis exhibet Deum, tanquam ſupremum rerum dominatorem, & corda hominum ſummo per Gratiam ſe ipſa efficacem imperio regentem, indeque agnoſcit arduum ac difficile eſſe humanam cum divina gratia conciliare libertatem; eſſe antiquum ac verum Eccleſiæ de Prędeſtinatione & Gratia Dei Syſtema, doctrinæque Apoſtoli *Pauli* apprimè conſentaneum. Sed de doctrina & mente Apoſtoli *Pauli* circa Prædeſtinationem & Gratiam plura, juvante Deo, alia in Epiſtola dicemus.

V. Præterea, vulgare iſtud præjudicium, quo Syſtema de Prædeſtinatione gratuita & de Gratia ſe ipſa efficaci traducitur à nonnullis tanquàm durum, & humanæ libertati inimicum, non deterruit Sanctos Patres, & antiquos omnes fermè Theologos a defendenda Prædeſtinationis gratuitæ & Gratiæ per ſe efficacis doctrina, quam perpetua, ſibique ſemper conſtanti traditione fultam, tuetur etiamnum Schola Thomiſtica, ſicut tute facile intelliges, ſi ante annos circiter centum oculos revocare volueris, & ad illud temporis punctum redire, cùm necdum exorta eſſent hodierna de Prædeſtinatione & Gratia diſſidia. Age enim, & Eccleſiam, qua late tum temporis patebat, oculis perluſtra, ſingulos hujus ævi Doctores & inſignes Theologos enumera, tùm quotquot de præſenti argumento in ſuperioribus ſæculis ſcripta ſunt Opera accurate revolve, illico ſenties, doctrinam, quam de Prædeſtinatione & Gratia totis viribus Schola Thomiſtica, poſt Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam*, propugnat, paſſim in omnibus Eccleſiæ ſæculis obtinuiſſe, & communi hominum uſu receptam, atque ubique fuiſſe pervulgatam.

Legeſis (ſi tibi per otium liceat) proloquium, quod Eminentiſſimus Cardinalis *Laurentius Brancatus de Lauræa*, Ordinis S. *Franciſci*, præfixit fronti Editionis trium, quæ edidit: *De Deo quoad opera Prædeſtinationis, Reprobationis, & Gratiæ actualis*, Opuſculorum. In hoc quippe proloquio doctiſſimus ille Cardinalis luculenter oſtendit, doctrinam Sancti *Auguſtini* de Prædeſtinatione gratuita, & de Gratia ſe ipſa efficaci fuiſſe à multis Summis Pontificibus tam antiquis, quam recentioribus, approbatam, necnon à pluribus Conciliis, à Doctoribus Eccleſię, à Scholarum Principibus, & à celebrioribus Academiis, pręſertim Pariſienſi, Salmanticenſi, Lovanienſi, & Duacenſi. Idem repetit laudatus ille Cardinalis in Opuſculo tertio, quod eſt *De Gratia actuali*, ubi pag. 395. conceptis verbis ait, *quòd doctrina S. Auguſtini de Gratia ſe ipſa efficaci per duodecim ſæcula fuit ſemper judicata ſana; quòd & Sancti Patres, & Doctores, & Romani Pontifices, & Concilia hanc doctrinam, ut ab Auguſtino traditam, approbarunt, & ſi in ea aliquam difficultatem invenerunt, de ea non curarunt, ſed cum ipſo Sancto Doctore, immò cum Apoſtolo Paulo ad altitudinem Sapientiæ & Scientiæ Dei, &*

& incomprehenſibilitatem judiciorum ejus recurrerunt, nec plus ſapere, quam oportet ſapere voluerunt.

Quæ cum ita ſint; quæro nunc, an tot viri, tantæ eruditionis commendatione ſpectabiles, potuiſſent iſtud præjudicium, & omnes, quæ in negotio Gratiæ ſe ipſa efficacis occurrunt, graviſſimas difficultates ſuperare; niſi compertum ac exploratum habuiſſent, eamdem doctrinam firmiſſimis nixam eſſe momentis, & inconcuſſis ſuffultam fundamentis!, a quibus diſcedere non oportebat? Cùr autem opinio de Scientia Media, & de Gratia verſatili, omnibus promiſcuè data, & libero hominis ſubdita arbitrio, magis nunc multis placeat, quam antiquum de Gratia per ſe efficaci Syſtema? Certe mirari non debes. Opinio ſiquidem vulgaribus contentiens præjudiciis, quæ hominum libertati, eorumque ſenſibus favent (qualis eſt opinio de Scientia Media, & de Gratia verſatili) opinio, inquam, quæ vulgaribus conſentit ac nititur præjudiciis, multorum palato magis ſapere & patrocinio gaudere ſolet; at, quod doctrina, quæ vulgaribus hominum mentis & voluntatis præjudiciis apparet inimica (qualem nonnulli eſſe volunt doctrinam de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia ſe ipſa efficaci (conſentientes habeat Apoſtolum *Paulum*, Sanctos Patres, Summos Pontifices, plures Synodos, celebriores Academias, & Scholas, communique hominum uſu receptiſſima ſit: id profectò contingere haud potuit, niſi quia hæc doctrina ſolidiſſimis ſtabilitur principiis, quorum veritas ad idem ſentiendum impulit tot ac tantos viros, eoſque in diverſis adeo rerum conditionibus, locis, ac temporibus poſitos.

Inſuper, iſtud vulgare de exciſa & exterminata humana libertate per Gratiam efficacem præjudicium, quod P. *Gabriel Daniel*, aliique Scholæ Molinianæ Theologi ſolent frequenter Thomiſtis opponere, a Pelagianis, & Semipelagianis fuiſſe S. *Auguſtino* itidem objectum docent nos non tantum Sanctus ille Doctor, ejuſque Diſcipuli *Proſper*, *Fulgentius*, & *Hilarius*; ſed etiam Pater *Gabriel Daniel*, qui tamen, ſibi parum conſtans,iiſdem jam fractisPelagianorum & Semipelagianorum armis utitur, dum in Thomiſtas, acerrimos doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam, defenſores, calamum acuit. Verba illius nuperrimi Scriptoris Moliniani hìc exſcribam, quia ad rem noſtram apposite faciunt, eaque leguntur in Epiſtola nona, quam laudatus Pater *Daniel* ſcripſit ad noſtrum *Natalem Alexandrum*: *Cum Pelagiani* (inquit Pater *Gabriel Daniel*) *Auguſtinum ejuſque de Gratia Theologiam inſectabantur, quod eam favere Manichæis dictitarent, quo tandem fundamento nitebantur? Illo videlicet Decreto abſoluto & efficaci Prædeſtinationis* (Propoſitum *Paulus vocat*) *quo Deus nullo meritorum reſpectu, præparat ac deſtinat electis, ſive prædeſtinatis, ut vocamus, certam auxiliorum ſeriem, quæ ipſos certiſſime ad ſalutem perducit, & quam aliis non præparat. Divus Auguſtinus, auctore Paulo, nullam hujus Decreti cauſam affert, præter Dei voluntatem & miſericordiam, ſimulque hanc divinorum judiciorum, ut Paulus idem loquitur, altitudinem ſcrutari nos vetat. Ibi vociferabantur Pelagiani, introduci ab Auguſtino fatum & inexpugnabilem neceſſitatem, quæ homines ad deſperationem adigeret. Huic Dei Decreto, quod eſſet abſolutum, & nullam voluntatis humanæ rationem haberet aut reſpectum, reſiſti non poſſe: eodem fieri Deum acceptorem (ut aiebant) perſonarum, qui hos eligeret, illos negligeret. Ipſi contra, Decretum Prædeſtinationis non tantum ad Gloriam, ſed etiam ad Gratiam, volebant a nobis pendere, ac divinæ hujus electionis cauſam in libero poſitam eſſe arbitrio cenſebant: præire ſaltem oportere (aiebant) in libero arbitrio credendi deſiderium, ut quiſpiam vocationis ad Fidem gratiam promereretur, quo deſiderio moveretur Deus ad beneficium hoc illi potius, quam alteri conferendum ..... Semipelagiani gratiæ neceſſitatem ad omnia bona, quæ diſtingebant ab ipſa Fide, ſubinde agnoverunt, affirmabant, ſi Fides ipſa in poteſtate ac viribus liberi arbi-*

Digitized by Google

trii negaretur, ipſum plane convelli. Ex iis etiam nonnulli poſtmodum remiſerunt aliquid ac relaxarunt; cùm faterentur, gratiam quidem eſſe neceſſariam vel ad ipſammet Fidem, at certè negari non poſſe dicerent libero arbitrio (niſi funditùs tolleretur) eam facultatem, ut affectus quoſdam pios & deſideria eliceret, verbi gratia; deſiderium credendi, ut ea ſaltem Deo cauſa foret ſecernendi, quos eligeret, ab iis, quos in perditionis maſſa relictos eſſe pateretur. Hanc germanam fuiſſe mentem Pelagianorum & Semipelagianorum, hanc doctrinam ſexcentis Auguſtini locis probare negotii nihil eſſet, niſi res ipſa per ſe loqueretur, & id æquè mecum ac multò etiam meliùs noſſes. Liberum arbitrium putabant nullum, ſi nullus ipſi daretur in Prædeſtinatione locus, & abſoluto Prædeſtinationis Decreto ſubjiceretur; ſi negaretur ipſi ſaltem initium, & quaſi primus catenæ felicis annulus, quæ auxilia ſalutis inter ſe connexa continet, lauſque promerendi primo aliquo motu ſeriem illarum Gratiarum, quas ipſi Deus præparaſſet. Docetis (ita illi cum Doctoribus Catholicis diſputabant) nullam ſuppetere libero arbitrio poteſtatem, ut per ſe vel deſiderium ſalutis progignat, ut boni ac ſalutaris operis quidpiam per ſe producat, ut ſuæ in colenda virtute perſeverantiæ certam à ſe fidem & pignus ullum habeat. Quid id eſt, niſi liberum de medio tollere eſt? Ad hæc ſubjicitur Decreto efficaci & abſoluto Prædeſtinationis, cujus nullo modo eſt conſcium ac particeps, quodque irritum eſſe nequit. Prætereà, per Adami peccatum homo peccati jugo ſubditur, nulla ipſi ad bonum libertas relicta jactatur. Actum igitur eſt de libertate, ſi Epiſcopi Hypponenſis doctrinam omnem amplectimur. Ita ratiocinabantur, ita concludebant. Hæc nimirùm Pelagiani & Semipelagiani objiciebant, hunc in modum extingui delerique liberum prædicabant arbitrium per Decretum Prædeſtinationis, & Gratiam vi ejuſdem Decreti datam.

Hactenus peroravit P. *Gabriel Daniel*, quem propriis ſuis verbis medium & illaqueatum teneo. Sic enim primò argumentor: Doctrinæ S. *Auguſtini* de Gratia, quam ſemper Catholica Eccleſia approbavit, objiciebant olim (fatente ipſomet Patre *Daniele*) Pelagiani & Semipelagiani, quod tolleret liberum hominis arbitrium, atqui doctrinæ Scholę Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci, quam multi Summi Pontifices, & nuperrimè Sanctiſſimus BENEDICTUS XIII. approbarunt, objectare ſolent Moliniſtę, quod extinguat ac perimat liberum hominis arbitrium, ergo doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci eſt ipſiſſima Sancti *Auguſtini* doctrina. Pręterea doctrinæ Sancti *Auguſtini* de Gratia objecerunt olim Pelagiani, & Semipelagiani, quod planè everteret liberum hominis arbitrium; ſed nullus unquam fuit, qui Scholæ Molinianæ doctrinæ de Gratia, objecerit, quòd homini adimat liberum arbitrium, ſed potiùs Scholæ Molinianæ vitio vertitur, quòd nimiùm prędicet & extollat liberum hominis arbitrium, ergo Scholæ Molinianæ doctrinâ de Gratia diſcrepat à doctrina Sancti *Auguſtini*.

Demùm, Pelagiani & Semipelagiani, tametſi hoc vulgare libertatis præjudicium ſæpiùs Sancto *Auguſtino*, divinæ Gratiæ intrinſecam efficaciam ſtabilienti, objecerint, nunquàm tamen Sanctum illum Doctorem deterrere potuerunt ab omnipotenti divinæ Gratię efficacia propugnanda. Perſtitit Sanctus *Auguſtinus* uſque ad ultimam vitæ ſuæ periodum in defenſione Gratiæ per ſe efficacis, eamque cum libero hominis arbitrio optimè conciliavit. Sancti illius Doctoris veſtigia preſſerunt ejus Diſcipuli, doctrina & pietate conſpicui, *Proſper*, *Fulgentius*, *Hilarius*, multi Romani Pontifices, S. *Bernardus*, S *Thomas*, Doctor Angelicus, & omnes Thomiſtæ, qui hanc illibatam Auguſtino-Thomiſticam de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci doctrinam hactenùs invictè & intrepidè, perpetua, ſibique ſemper conſtanti ſęculorum traditione ſuiri, plaudentibus & approbantibus Summis Pontificibus, atque ſecundis & gratis celebriorum totius Orbis Academiarum, & clariſſimorum Ordinum religioſorum acclamationibus, ſuffragiis, & plauſibus excitati, tutati ſunt, & etiamnùm totis viribus tuentur, mul-

tiſque

tiſque efficaciſſimis argumentis demonſtrant, hanc Auguſtino-Thomiſticam de Gratia per ſe efficaci doctrinam perficere liberum hominis arbitrium, nedum el officere, vel minimum inferre nocumentum. Hoc igitur vulgare libertatis præjudicium, quod velut terriculamentum plenis buccis jactare, & Scholæ Thomiſticæ opponere ſolent Scholæ Molinianæ Theologi, neminem, veritatis amantem, deterrere debet ab amplectenda, tenenda, & docenda Gratię per ſe efficacis doctrina, ſicut docetur in Schola Thomiſtica.

Poſtremo, iſtud vulgare præjudicium, quod Syſtemati de Gratia per ſe efficaci objectant Adverſarii, humanæ libertatis inimicum, ſuam originem habere videtur ex ſuperbia hominis poſt primigenium Adami peccatum. Quamvis enim quotidiana liberi arbitrii, poſt culpam Adami, coaſcientia clamet nos agere, & voluntatem noſtram eſſe ſuorum actuum dominam, ſupremo tamen Dei dominio ſubditam; animus hominis arrogantior, fræni impatiens, & alterius in ſe imperium pertinaciter detrectans, ſibi facile perſuadet, voluntatem prædicari ſupremam ſui dominam, ſubindeque ſuæ libertati nocere divina Decreta prædeterminantia. Quaſi verò Deus, qui noſtram condidit libertatem, eam motione & Gratia ſua ſartam tectam conſervare haud poſſit! Proh! quantùm valet hominis ad decipiendum ſuperbia, & quam facile ementita rationis larva ſucum facere, falſiſque cupiditatis ſuggeſtionibus ſpeciem veri peſſimo artificio affingere poteſt!

VI. Vides itaque, neminem ſe ſe facile credere & addicere debere doctrinæ, quæ humanæ libertati nimium favet, præſertim in his, quæ ſpectant Myſteria Fidei, & normam morum. Alioqui doctrinam de Gratia, quam propugnabant Semipelagiani, præferre deberemus doctrinæ S. *Auguſtini*; cum certum ſit, doctrinam Semipelagianorum longe magis in ſpeciem favere humanæ libertati, quam doctrinam S. *Auguſtini*. Quod ſane nullus dicere audeat. Debemus etiam calculo noſtro approbare doctrinam, quam quidam non ita pridem laxiores Caſuiſtæ invexerant, dictitantes, in concurſu duarum opinionum, quarum una probabilior eſt & ſtat pro lege, altera verò minùs probabilis eſt, & favet libertati, licitum eſſe ſequi, ſalva & inculpata conſcientia, opinionem minus probabilem, quæ blanditur libertati. Quod nullus (ut mihi videtur) exactioris Moralis doctrinæ cultor, unquam dicet. Tantum igitur abeſt, ut vulgare illud præjudicium, quod Thomiſtis ad nauſeam uſque objicere ſolent Adverſarii, te, tuique ſimiles à ſtudio Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ ſe ipſa efficacis, avocare debeat, ut potiùs in tuenda antiquæ illius doctrinæ veritate magis ac magis te animare atque ſtimulare oporteat. Præterquamquod, certo tibi polliceor, oſtenſurum me pluribus argumentis, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, humanæ libertati non officere, ſed potiùs eam conſervare, ſovere ac perficere; adeoque vulgare iſtud præjudicium (quod inflatis tibiis adverſus doctrinam Scholæ Thomiſticæ nonnulli jactare ſolent) eſſe oppidò falſum. Hanc fidem, qua me in præſentia obſtringo, in aliis, quas ad te ſcribam, Epiſtolis liberabo, & tua omnibus, quibus potero, rationibus ſtudia juvare, & promovere ſatagam. Vale.

Digitized by Google

ALTERA EPISTOLA
PHILOSOPHICA,

In qua firmiſſima jaciuntur principia, & ſolida proponuntur argumenta, e ratione naturali petita, quibus Præmotionis phyſicæ, ad omnes & ſingulos naturales actus eliciendos neceſſitas comprobatur.

PRæmotionis phyſicæ ad ſingulas actiones cum ſupernaturales, tum naturales neceſſitatem defendunt quidem omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi, ſed cum eo tamen diſcrimine, quòd velint, doctrinam de neceſſitate Præmotionis phyſicæ ad actiones ſupernaturales eſſe connexam cum Fide, ſeu cum Sacris Literis, cum traditione Sanctorum Patrum, cum Decretis Summorum Pontificum, & definitionibus Conciliorum; doctrinam verò de neceſſitate Præmotionis phyſicæ ad actus naturales pertinere duntaxat ad Philoſophiam aſſerant Thomiſtæ, eamque validiſſimis quidem argumentis, ſed è penu Philoſophiæ tantùm depromptis probari poſſe, ultrò profiteantur.

Id, inter cæteros Thomiſtas, unus inſtar omnium *Thomas de Lemos* (tametſi Præmotionis phyſicæ ad ſingulos naturales actus neceſſitatis acerrimus vindex) in Congregatione de Auxiliis Divinis habita coram *Paulo V.* die X. menſis Januarii anni MDCVI. diſertè teſtatur his verbis: *Ad tertium*, inquit, *dicendum, nullo modo ex doctrina de phyſica Prædeterminatione ſequi, quòd Deus ſit cauſa peccati, vel quòd peccatum phyſicè prædeterminet. Primò, quia poteſt optimè quis defendere phyſicam Prædeterminationem pro actibus ſupernaturalibus, & ex iſto capite non coarctatur ad illam defendendam pro actibus aliis facillimis naturalis ordinis, & pro actionibus peccatorum. Et ratio eſt, quia reſpectu actuum ſupernaturalium eſt peculiaris ratio, præter illam generalem ſubordinationem cauſæ ſecundæ ad primam, ob quam ſpecialem rationem (quidquid ſit de illa ſubordinatione generali) eſt conſtituenda phyſica prædeterminatio in voluntate, qua Deus faciet illam benè operari ſupernaturales actiones, quia reſpectu hujuſmodi ſupernaturalium operationum, cum ſint elevatiſſimæ, & ſupra voluntatem, illam omninò excedentes, oportet quòd Deus immutet & determinet voluntatem ad illas, quia illa nunquam ſe determinabit ad id, quod ſupra ipſam eſt, niſi ad id immutetur & determinetur à Deo: quod evidentius patet in voluntate peccatoris. Quomodò enim, cum ſit averſa à Deo, ipſa ſe convertet & determinabit ad Deum, niſi Deus prius illam ad ſe convertat, & verè faciat quod ſe determinet ad bonum? Præter hanc ergo ſpecialem rationem, etiamſi quis teneret, voluntatem in actionibus, quæ in peccatis ſunt, non determinari à Deo, etiam quatenus entitates & actiones ſunt facillimæ, ad quas voluntas poſſit ſe determinare, tamen in actionibus ſupernaturalibus aſtringeretur fateri phyſicam determinationem ad ſupernaturalia opera exercenda &c.*

Hactenus doctiſſimus noſter *Thomas de Lemos*, cui ſuccinit noſter eruditus juxta ac pius *Vincentius Contenſonus*, qui lib. VIII. *Theologiæ Mentis & Cordis*, Diſſertatione 2. Speculatione 3. hæc habet: *Generalem Prædeterminationem admittunt duntaxat Thomiſtæ, ut probabilem ſecundùm rationem naturalem, & non ut neceſſariò cum Fide Catholica connexam. Gratiam verò per ſe efficacem tenent ut concluſionem Theologicam, ab Auguſtino, & Aquinate certiſſimè traditam, &, poſt*

anti-

articulos Fidei, omni exceptione majorem, in proxima ac veluti ultima diſpoſitione definibilem. Unde, etiamſi nulla ad actus merè naturales & morales phyſica prædeterminatio admitteretur, eam tamen in ordine ſupernaturali ad rectè Chriſtianeque vivendum admittendam contendimus. Generalem Præmotionem ideò ſolùm adſtruimus, ut per eam ad Gratiam per ſe efficacem uberius fortiuſque ſtabiliendam, viam muniamus; ad eamque propugnandam ſerviat etiam Philoſophia. Quare, Gratiæ per ſe efficacis aſſertionem unicè quærimus, unicè intendimus. Undè, ut optime Alvarez lib. 3. De Auxiliis Diſputatione 24 obſervat, Thomiſtarum nonnulli Deum promovere ad actum peccati, etiam ut actus eſt, inficiati ſunt, quamvis ad unum omnes Gratiæ victricis & per ſe efficacis omnipotentiſſimam poteſtatem, à prævifione Scientiæ Mediæ independentem, conſtantiſſimè aſſeverent. Et de illa proceſſit olim coram Clemente VIII. & Paulo V. & durat adhuc Patres Societatis inter & Dominicanos diſputatio. Hæc obſervare operæ pretium in hujus Diſſertationis coronide duxi; quia quamplurimos adverti adverſarios, hac arte Thomiſticæ de Gratia ſententiæ invidiam accerſere, quod noſtra ſententia Deum malorum actuum faciat præmotorem.

I. Verum, omnes Thomiſtæ, tametſi Præmotionem phyſicam ad omnes & ſingulos actus naturales neceſſariam propugnent tanquam probabilem duntaxat ſecundum rationem naturalem, & non ut neceſſario cum Fide Catholica connexam; hanc tamen ſententiam probant validiſſimis argumentis è Philoſophia deſumptis, quorum præcipuum, (ne longior ſim) in hac Epiſtola tantummodo proponam; quod ſi, ut par eſt, quiſque, abdicatis præjudiciis, & ſemoto omnium partium ſtudio, perpendere velit; nullus dubito, quin actutum in doctrinam de Præmotione phyſica, ad omnes actus naturales exerendos neceſſaria, manibus pedibuſque deſcendat. Porrò, iſtud præcipuum Thomiſtarum argumentum petitur è ratione entis, quod ſolus Deus, tanquàm univerſaliſſima rerum omnium cauſa efficiens, per prævium, realem & phyſicum influxum producere poteſt.

Ut autem iſtius Thomiſtarum argumenti vim facilius percipere poſſis, illud, juxta morem Scholæ, cui aſſuetus es, in formam Syllogiſmi redactum, hic breviter propono: Præmotio phyſica, ſicut docent omnes Thomiſtæ, nihil aliud eſt, quam actuale intrinſecum & prævium Dei auxilium, quod per modum cauſæ realis & effectricis influit in actionem creaturæ rationalis, efficitque ut voluntas creata ſe ſe determinet ad agendum, & reapſe prorumpat in actionem: Atqui admittendum eſt tale Dei auxilium, ergo admittenda eſt Præmotio phyſica. Probatur minor propoſitio: Illud Dei auxilium, quo indiget creatura rationalis ad agendum, vel determinatur à voluntate creata, vel efficit, ut voluntas creata ſe determinet ad agendum (inter hæc quippè duo nullum ſanè poteſt dari medium. Quod enim concordi ſemper actione operentur Deus & creatura, id certè non fit caſu fortuito, ſubindeque ex his duabus cauſis unam ab altera determinari neceſsum eſt.) Atqui auxilium Dei non determinatur à creatura, ergo admittendum eſt Dei auxilium, quod ſua intrinſeca virtute efficit, ut voluntas creata ſe ſe determinet ad agendum. Probatur minor propoſitio: Si creatura rationalis determinaret Dei auxilium, quo opus habet ad agendum; foret aliqua determinatio quam ſibi creatura rationalis tribueret, per ſe ſolam, ea nempe determinatio, per quam creatura rationalis determinaret auxilium Dei. Nam primam illam determinationem, per quam creatura rationalis auxilium Dei determinaret, vel ſibi ſola tribueret creatura rationalis, vel eam acciperet ab auxilio Dei; ſed hanc primam determinationem, per quam creatura rationalis determinaret auxilium Dei, non acciperet ab auxilio Dei, quia, ut ſupponitur, ipſamet creatura rationalis auxilium Dei determinaret. Quod enim, exempli gratia, determinatur a te, ab hoc certe non determinaberis. Præterquam quod, hi, qui Præmotionem phyſicam negant, indubitan-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ter ſupponunt, creaturam rationalem a Deo non determinari, igitur juxta Præmotionis phyſicæ oſores; prædictam determinationem voluntas creata non reciperet ab auxilio Dei, ac proinde voluntas creata ſola hanc ſibi determinationem tribueret: Atqui nullam determinationem per ſe ſolam voluntas creata ſibi dare poteſt, ergo voluntas creata non determinat auxilium Dei, ſed, verſa vice, auxilium Dei ſua intrinſeca virtute efficit, ut voluntas creata ſe ſe determinet.

Hanc ultimam minorem propoſitionem, in qua volvitur totius difficultatis cardo; quod videlicet voluntas creata nullam per ſe ſolam ſibi determinationem tribuere poſſit, tribus invictis momentis oſtendo. Primo, quia ſi auxilium Dei non determinaret voluntatem creatam, ſed, vice verſa, voluntas creata determinaret auxilium Dei, omni procul dubio voluntas creata hanc determinationem, cujus ipſa ſola cauſa eſſet, adjiceret ſupra auxilium Dei, proindeque adjiceret realitatem quamdam (hęc ſiquidem determinatio realitas quædam eſt, nam quantumvis elevetur & extenuetur, dici non poteſt, eam eſſe nihil, cum potius ſit reale quidpiam additum potentiæ, quam habet voluntas creata ſe ſe determinandi, & agendi.) Quod ſi dicant adverſarii, voluntatem creatam adjicere reverà ſupra auxilium Dei aliquam realitatem, ſeu aliquem gradum entis; ergo, juxta adverſarios, ipſa ſola voluntas creata poterit augere ſui ipſius ens, & una realitate amplificare. Porrò falſum eſt creaturam rationalem poſſe ex ſe ſola producere aliquam realitatem, ſeu modum, & gradum entis, vel primordium aliquod tenuiſſimum determinationis, vel nutum quemlibet voluntatis, vel leviſſimum, ut ità dicam, fulgorem voluntatis, quæ omnia habent rationem entis. Si enim ceatura rationalis poſſet ex ſe ſola producere aliquem modum, ſeu gradum entis, poſset itidem ex ſe ſola producere entia in infinitum. Superata namque, quę ſola negotium faceſsere poteſt difficultate, quæ in hoc ſita eſt, an habeat creatura rationalis ex ſe ſola vim producendi aliquem gradum entis, ſeu an creatura rationalis poſſit per ſolam ſui virtutem dare exiſtentiam alicui rei, quæ in rerum natura necdum exiſtit, & efficere, ut ex non exiſtere tranſeat ad eſſe? Hac, inquam, ſemel ſuperata difficultate, & admiſsa hypotheſi, quod creatura rationalis poſſit ex ſe ſola producere aliquam entitatem, ſeu aliquem gradum, vel modum entis, jam nihilo plus negotii erit in duobus aut tribus, immò in mille entibus producendis, quam in uno. Et certe, ſi creatura rationalis poſſit ſola producere hunc gradum entis, quorſum & alium entis gradum producere non poterit? Dato igitur ſemel quod tanta ſit creaturæ rationalis virtus, ut, ſe ſola producat aliquem gradum entis, nullus tandem aſſignari poterit finis entium, quæ a creatura rationali produci non valeant.

Præterea, ut determinatio creaturæ rationalis determinaret auxilium Dei, neceſſe eſſet ut determinatio creaturæ rationalis anteverteret determinationem auxilii Dei (cauſa enim efficiens omnis præcedit effectum ſuum) atqui nulla ratione dici poteſt, determinationem creaturæ rationalis præire determinationi auxilii Dei, alioquì Deus non eſſet cauſa efficiens omnis entis. Deum autem eſse cauſam primam, univerſaliſſimam, & efficaciſſimam omnis entis, & omnium modorum & differentiarum entis, ſeu contingentiæ & neceſſitatis rerum, docet diſertiſsime *S. Thomas* 1. Part. Quæſt. cv. Art. 5. Quæſt. 3. de Potentia Art. 7. & lib. 3. contra Gentes cap. 64. 65. & 66. Nec dicere poſsunt Adverſarii, hanc creaturæ rationalis determinationem fieri ab auxilio Dei tanquam a cauſa efficiente, cum ipſimet doceant & velint, iſtud auxilium Dei determinari a creatura, & expectare ejus determinationem, nec prius influere in actionem creaturæ, quam creatura rationalis ſeſe determinaverit.

Denique, ſi creatura rationalis produceret ex ſe ſola determinationem auxilii Divini, eſset ſubinde in hac ſua determinatione independens a Deo, haberetque rationem primi principii, quod omnino falſum eſse aperte probat

S. *Tho-*

S. Thomas in 2. lib. Sententiarum Diſtinct. 37. Quæſt. 2. Art. 2. ubi hæc habet: *Hoc eſt de ratione primi principii, ut agere poſſit ſine aliquo auxilio prioris agentis & influentiæ ejus: unde ſi voluntas humana actionem aliquam poteſt producere, cujus auctor Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principii haberet. Et qamvis hoc ſolvere nitantur dicentes, quod voluntas etſi per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis, non tamen eſſe a ſe, ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principii. Sed hoc videtur inconveniens, ut qui a ſe non habet eſſe, a ſe agere poſſit, cum etiam per ſe durare non poteſt, quod a ſe non eſt. Omnis etiam virtus ab eſſentia procedit, & operatio a virtute; unde cujus eſſentia ab alio eſt oportet quod virtus & operatio ab alio ſit. Et propterea, quamvis per hanc reſponſionem evitaretur, quod creatura non eſſet primum ens ſimpliciter, non tamen poſſet vitari, quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur ſicut in cauſam.*

Poſsem hic referre Iliadem teſtimoniorum S. *Thomæ*, ex quibus certiſsimè conſtat, nullam entitatem vel minimam a creatura rationali produci, quin prius a Deo, tanquam a cauſa prima efficiente, & in eam phyſice influente, producatur; ſubindeque creaturam rationalem non poſse per ſe ſolam producere aliquam determinationem, cum omnis determinatio ſit aliqua entitas, ſeu reale quidpiam a nuda potentia ſe ſe determinandi & agendi diſtinctum. Nemo quippe a nuda & ſolitaria potentia ſe determinandi & agendi tranſire poteſt ad actionem & ad determinationem vel tenuiſsimam, niſi aliquid novi acquiſiverit; quia determinatio realis non poteſt advenire ei, quod erat adhuc indeterminarum, ideſt, quod carebat determinatione, quin ei adjiciatur gradus entis & realitatis (voces, ſi velis, entitatulam) cujus beneficio determinatum evadat. Si ergo aliqua determinatio a ſola creatura rationali prodiret, palam ſequeretur, aliquem entis gradum a ſola creatura rationali produci.

Hoc invictum ad adſtruendam præmotionem phyſicam e ratione entis petitum ratiocinium appoſita obſervatione illuſtrare ac confirmare non pigebit. Velim itaque obſerves, eum, qui habet potentiam agendi & ſe determinandi, non continuò habere actionem ipſam & determinationem cenſendum eſſe, quia determinatio & actio, juxta doctrinam S. *Thomæ*, reale quiddam eſt, ſimplici potentiæ agendi & ſe determinandi additum. Quò fit, ut inter ſe diſcrepent hæc duo, habere quidquid neceſſarium eſt ut poſſis agere, & habere quidquid neceſſum eſt ut agas re ipſa. Alterum pertinet ad potentiam, ut potentiam; alterum ſpectat actionem, prout aliquid reale addit potentiæ; inde eſt, quod reverà differant inter ſe homines duo, quorum unus poteſt quidem agere, nec tamen agit, alter verò poteſt agere & re ipſa agit. Id totum dilucido familiari iſto exemplo: Sit mens aliqua creata, quæ habeat proximam & expeditam potentiam ſe determinandi & agendi, ipſam verò determinationem necdum habeat; huic profectò menti creatæ ſuppetent omnia, quæ erunt neceſſaria ut poſſit exire in actionem, nondum tamen erit inſtructa aliquo requiſito ex parte actus ſecundi, & neceſſario ad actu eliciendam determinationem & actionem, quæ important aliquem realem entis gradum, à pura potentia ſe ſe determinandi diſtinctum. Igitur hæc mens creata remanebit indifferens & pendula hærebit, nec priùs fiet, ut ſe determinet & actu agat, quàm realitatem iſtam acceperit ab aliquo: à quo verò, niſi à Deo? Qui per Præmotionem phyſicam, ſeu per auxilium ſuum phyſicum, & actioni creaturæ rationalis prævium, applicat & determinat mentem creatam, per modum cauſæ effectricis ad agendum.

Sed, ut iſtud ratiocinium ab ente petitum, quo ſæpius S. *Thomas* probat Præmotionis phyſicæ neceſſitatem ad eliciendos actus, qui aliquam realitatem, ſeu entitatem habent, in optimo lumine collocetur, & à cavillationibus, quibus adverſarii illud impetunt, vindicetur; præſtat ut ſeduló obſerves, ſin-

Digitized by Google

ſingulas intellectus & voluntatis creaturæ rationalis actiones, determinationes, cognitiones perceptiones,] volitiones inclinationes, amores, deliberationes affectiones &c. eſse entitates reales, diſtinctas ab intellectu & voluntate, ſubindeque illas entitates produci a Deo, qui eſt fons & plenitudo totius entis, ſeu prima & univerſaliſſima cauſa profundens totum ens & omnes differentias entis, ſicut millies in ſuis Operibus docet & inculcat Sanctus *Thomas*. At, utrum ejuſmodi entitates producat Deus in intellectu & voluntate creaturæ rationalis per actionem *creatricem*, vel per actionem, quam Theologi appellant *eductivam*? Paucis hic explicare neceſſe eſt.

Dico itaque, Deum non producere in intellectu & voluntate creaturæ rationalis tales entitates per creationem. Primò. Quia creatio, ſicut docent omnes Theologi, eſt actio, qua Deus producit aliquid ex nihilo, ſive ex nullo præſuppoſito ſubjecto: atqui Deus illas entitates non producit ex nihilo, ſeu ex nullo præſuppoſito ſubjecto, cum certum ſit, Deum producere ejuſmodi entitates ex aliquo præjacente ſubjecto, videlicet intellectu & voluntate creaturæ rationalis, in quibus eas producit.

Secundò, docent Thomiſtæ, cognitiones & perceptiones intellectus, ſicut determinationes, volitiones, amores, & affectiones voluntatis, quatenus realitates & entitates ſunt, præcontineri in intellectu & voluntate creaturæ rationalis non quidem actu, ſed in potentia: quia omnis cauſa efficiens debet præcontinere in potentia effectus, quos producit; alioquì non eſſet cauſa efficiens: Atquì intellectus & voluntas creaturæ rationalis ſunt cauſæ efficientes ſuarum actionum, ideſt, cognitionum, perceptionum, volitionum, determinationum, amorum, affectionum &c. igitur intellectus & voluntas creaturæ rationalis actiones ſuas, cognitiones, perceptiones, determinationes, volitiones, amores, quatenus realitates & entitates ſunt, præcontinent non quidem actu & formaliter, ſed in potentia, proindeque tales entitates non producuntur a Deo per creationem, quia (ut mox dixi) creatio eſt productio rei ex nihilo tam ſui, quam ſubjecti, ſeu eſt productio rei, quæ nec actu, neque in potentia præcontinetur in ſubjecto. Cum igitur intellectus & voluntas, tanquam cauſæ efficientes, præcontineant non quidem actu & formaliter, ſed in potentia, ſuas actiones; plane conſequitur, actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, quatenus realitates & entitates ſunt, non produci a Deo per creationem.

Tertio, ſi actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, quatenus realitates & entitates ſunt ab intellectu & voluntate diſtinctæ, producerentur a Deo per creationem, ſequeretur, fore ut illæ entitates, a Deo creatæ, quando deſinerent eſſe in intellectu & voluntate, annihilarentur, hoc eſt, relaberentur in nihilum tam ſui, quam ſubjecti. Quemadmodum enim creatio eſt productio rei ex nihilo tam ſui, quam ſubjecti, ita ſimiliter, quando res, a Deo creata, deſinit eſſe, annihilatur, & denuò relabitur in nihilum tam ſui, quam ſubjecti: Atquì docent Thomiſtæ, cognitiones & perceptiones intellectus, ſicut, & determinationes & actiones voluntatis, quæ entitates ſunt, non annihilari, quando in intellectu & voluntate eſse deſinunt, quia licet ejuſmodi entitates, quando deſinunt eſse, non ſint amplius in intellectu & voluntate quantum ad actualitatem, ſeu exiſtentiam, eas tamen intellectus & voluntas ſemper præcontinent in potentia, quia ſunt cauſæ activæ, & effectrices omnium ſuarum operationum, veramque illas producendi retinent poteſtatem. Igitur actiones cùm intellectus tum voluntatis, quando deſinunt eſse, non annihilantur, ſeu non relabuntur in nihilum tam ſui, quam ſubjecti, ſubindeque non ſunt entitates a Deo creatæ.

Quartò, S. *Thomas* 1. Part. Quæſt. 45. Art. 4. docet, *creari* propriè convenire ſoli ſubſtantiæ, ſeu formæ per ſe ſubſiſtenti, non verò formę inhærenti, ſeu accidenti inhærenti ſubjecto, ſine quo exiſtere haud poteſt: Atqui omnes actio-

actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis non ſunt (juxtà doctrinam S. *Thomæ*) ſubſtantiæ, ſeu formæ per ſe ſubſiſtentes, ſed ſunt formæ inhærentes, ſeu entitates reales, quæ, inſtar accidentium, adveniunt & inhærent ſubjecto, ergo omnes actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, quatenus ſunt realitates, ſeu entitates, ſuccreſcentes, advenientes, & inhærentes ſubjecto, ſcilicet intellectui, & voluntati creaturæ rationalis, non producuntur à Deo per creationem.

Quintò, ſi omnes actiones intellectus & voluntatis, quatenus ſunt reales entitates, crearentur à Deo; ſolus Deus ita eſſet omnium actionum intellectus & voluntatis creaturæ rationalis cauſa efficiens, ut intellectus & voluntas non eſſent ampliùs cauſæ activæ & effectrices ſuarum operationum, immò, ad earum productionem nullo pacto concurrere poſſent. Docent quippe (poſt S. *Tomam* 1. Part. Quæſt. 45 Art 5) omnes Theologi, nullam creaturam poſse eſſe cauſam, ſive principalem, ſive inſtrumentalem creationis, tum quia nulla creatura poteſt dare eſſe nihilo, ſeu non poteſt agere in nihilum, ſed tantummodò in aliquod præjacens ſubjectum: Tum quia etiam virtus infinita eſt omninò neceſſaria ad creandum, ſeu ad producendum aliquid ex nihilo, cum inter *ens* & *nihilum* infinita reperiatur diſtantia; omnem autem creaturam pollere duntaxat finita & limitata virtute nemo inficias ire poteſt. Si igitur omnes actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, quatenus reales entitates ſunt, creentur à Deo, quis, amabo, ſtatim non videat, non tantum impoſſibile eſſe, ut intellectus & voluntas creaturæ rationalis ſint cauſę activę & effectrices ſuarum actionum, ſed etiàm nulla prorſus ratione fieri poſſe, ut intellectus & voluntas aliquo modo concurrant ad ſuarum actionum productionem, quia, juxta doctrinam S. *Thomæ*, quam ſectantur omnes Theologi, nulla creatura poteſt eſſe cauſa ſive principalis, ſive inſtrumentalis creationis, nec ullo pacto concurrere ad productionem rei, quæ creatur à Deo.

Non clam me eſt, Patrem *Malebranche*, Congregationis Oratorii Presbyterum, aliosque modernos Philoſophos, fateri quidem, nullam creaturam poſſe eſſe cauſam ſive principalem, ſive inſtrumentalem propriè dictam creationis, docere tamen, creaturam poſſe eſſe *occaſionem*, ſeu *cauſam occaſionalem* creationis, quatenus nimirum poteſt creatura determinare Deum ad creandum, tanquàm *occaſio*. Verùm iſtud Patris *Malebranche*, & aliorum modernorum Philoſophorum nuperum Syſtema jure optimo ab univerſa Schola Thomiſtica rejicitur eo potiſſimùm nomine, quòd ſi ſemel (uti docet P. *Malebranche*) quęlibet creatura eſſet duntaxat cauſa occaſionalis determinans Deum ad creandum quidquid in ea producitur; ſequeretur nullam in rerum natura fore creaturam, quæ eſſet cauſa activa & effectrix ſuarum operationum, quæque ad illarum productionem aliquo modo concurreret; ſed ſolum Deum omnes cujuslibet creaturæ effectus & operationes immediatè producturum per creationem, cujus actionis creatricis cum prorſùs incapax ſit quælibet creatura, etiam excellentiſſima, nihil profectò, in Syſtemate Patris *Malebranche*, quęlibet creatura operaretur; immò, ad nullas operationes, quas Deus in ipſa produceret, ullo modo concurrere poſſet, cum certum ſit apud omnes Theologos, in productione rei, quæ creatur à Deo, nullum plane intervenire poſſe influxum, vel qualemcumque concurſum creaturæ. Porrò, creaturam rationalem eſſe cauſam effectricem & liberam ſuarum operationum, & ad earum etiam actionum, quæ negotium ſalutis ſpectant, productionem liberè concurrere, disertè aſſerit Scriptura Sacra: *Convertimini ad me in toto corde veſtro*, Joelis cap. 2. *Si pænitentiam non egeritis, omnes ſimul peribitis*, Lucæ cap. 13.

Manet itaque ſat ſuperque probatum contra Patrem *Malebranche*, & alios modernos Philoſophos, omnes actiones intellectus, & voluntatis creaturæ rationalis eſſe realitates, ſeu entitates, easque non produci à Deo per creatio-

tio-

tionem. Nunc breviter oſtendo, omnes actiones intellectus & voluntatis, quatenus ſunt reales entitates, produci à Deo per actionem, quam Thomiſtæ appellant *eductivam*. At enim, ea actio dicitur *eductiva*, quæ ſupponit ſubjectum, & per quam agens efficit, ut res quæ erat in ſubjecto duntaxat in potentia, actu exiſtat; atqui Deus, qui eſt ſuprema & univerſaliſſima cauſa totius entis, efficit per ſuum prævium & phyſicum influxum, ut omnes intellectus & voluntatis actiones, quas utraque crearuræ rationalis facultas præcontinebat tantum in potentia, actu exiſtant; ergo Deus omnes intellectus & voluntatis actiones, quę ſunr entitates reales, producit per actionem non creativam, ſed eductivam. Intellectus etiam & voluntas crearuræ rationalis ſuas itidem operationes, quas præcontinent in potentia, re ipſa producunt tanquam cauſę ſecundæ, activę, liberę, & Deo, qui eſt prima effectrix rerum omnium cauſa, ſubordinatę, atque in virtute, à Deo ipſis per Pręmotionem phyſicam impreſsa, attingunt per propriam actionem effectum cauſę primę, nimirum rationem entis, quam tamen nulla creatura, ſe ſola, poreſt per naturalem & congenitam ſuam virtutem producere, nam *excluſa ſuperiori virtute* (ſcilicet Dei) *virtus inferior operationem non habet* inquit S. *Thomas* Quęſt. 3. de Potentia Art 7. ad quintum ſibi propoſitum argumentum. Quibus verbis apertè docet S. *Thomas*, quòd licet cauſa ſecunda per ſe ſolam, hoc eſt, per ſolam ſuam naturalem & congenitam virtutem nunquam ſuas producat actiones, quatenus realitates, entitates, & actualitares ſunt, attamen per virtutem ipſi à Deo ſuperadditam & impreſſam producit tanquam cauſa activa omnes ſuas actiones, quatenus realitates, entitates, & actualitates ſunt.

Hanc eſſe germanam Sancti Doctoris mentem evidenter colligo ex Articulo quinto Primæ Partis Quæſt. 105. ubi inquirit: *utrum Deus operetur in omni operante?* Cui Quæſtioni ſic reſpondet Sanctus Præceptor: *Dicendum*, inquit, *quòd Deum operari in quolibet operante*, *aliqui ſic intellexerunt, quòd nulla virtus creata aliquid operaretur; putà quòd ignis non calefaceret, ſed Deus in igne* (quo in errore verſantur etiamnùm moderni quidam Philoſophi, *Carteſiani*, *Gaſſendiſtæ*, *Malebranchiſtæ*, quibus conſtitutum eſt vererem, ſi poſſent, evertere Philoſophiam, novumque Syſtema, ac novum ordinem, quo Mundus regatur, inducere.) Hunc autem Philoſophorum errorem Doctor Angelicus ibidem refellit his verbis: *Hoc autem eſt impoſſibile. Primo quidem, quia ſic ſubtraheretur ordo cauſæ & cauſati a rebus creatis, quod pertinet ad impotentiam creantis: ex virtute enim agentis eſt, quòd ſuo effectui det virtutem agendi. Secundo, quia virtutes operativæ, quæ in rebus inveniuntur, fruſtra eſſent rebus attributæ, ſi per eas nihil operarentur: quin immo omnes res creatæ viderentur quodammodo eſſe fruſtra, ſi propria operatione deſtituerentur, cum omnes res ſint propter ſuam operationem; ſemper enim imperfectum eſt propter perfectius. Sicut igitur materia eſt propter formam, ita forma, quæ eſt actus primus, eſt propter ſuam operationem, quæ eſt actus ſecundus, & ſic operatio eſt finis rei creatæ. Sic igitur intelligendum eſt, Deum operari in rebus, quòd tamen ipſæ res propriam habent operationem.* Idem docer S. *Thomas* cap. 66. libri 3. contra Gentiles, ubi probar, *nullum agens creatum poſſe dare eſſe*, ideſt, poſſe producere ens. *niſi in quantum agit virtute divina*. Id autem eodem in capite ſæpius reperit: *Ex hoc autem manifeſtum eſt*, ait Angelicus Doctor, *quòd omnia inferiora agentia non dant eſſe niſi in quantum agunt virtute divina*. Rurſum: *Cum igitur eſſe ſit communis effectus omnium agentium, (nam omne agens facit eſſe actu:) oportet quod hunc effectum producant in quantùm ordinantur ſub primo agente, & agunt in virtute ipſius*. Iterum: *Eſt igitur ESSE proprius effectus primi agentis, ſcilicet Dei, & omnia quæ dant eſſe, hoc habent, in quantum agunt in virtute Dei*. Denique, S *Thomas* ibidem ait: *Quod autem eſt in omnibus agentibus perfectiſſimum, eſt ESSE: quælibet enim natu-*

Digitized by Google

tura vel forma perficitur per hoc quòd eſt actu, & comparatur ad eſſe in actu, ſicut potentia ad actum: ipſum igitur ESSE, eſt quod agentia ſecunda agunt in virtute primi agentis.

Ex hac autem conſtanti S. *Thomæ* doctrina quatuor colligo Corollaria, quę ratiocinio ab ente petito, quo ad probandam neceſſitatem Pręmotionis phyſicæ ſæpiſſime utitur Angelicus Doctor, maximam lucem affundent. Primum Corollarium iſtud eſt: Nulla creatura, ſicut docet S. *Thomas*, per ſe ſolam, ideſt, per ſolitariam ſuam naturalem & congenitam virtutem producit ens, ergo ex Sancto *Thoma* intellectus & voluntas creaturæ rationalis nunquàm per ſolam ſuam & congenitam virtutem producunt ſuas actiones, quatenus realitates & entitates ſunt. Alterum Corollarium iſtud eſt: Agens creatum, ut docet S. *Thomas*, in virtute, ſibi a primo agente, videlicet à Deo, ſuperaddita & impreſſa, producit ens, ergo ex S. *Thoma* intellectus & voluntas creaturæ rationalis in virtute, quam recipiunt a primo agente, ſeu à Deo, dum illas per ſuum prævium & phyſicum influxum determinat ad agendum, reapſe, tanquam cauſæ ſecundę activę, producunt ſuas actiones, quatenus realitates & entitates ſunt. Tertium Corollarium hoc eſt: Intellectus & voluntas creaturæ rationalis in virtute primi agentis, ſcilicet Dei, producunt, ut docet S. *Thomas*, actiones ſuas, quatenus realitates & entitates ſunt, ergo ex S. *Thoma* Deus non producit per creationem actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis; alioqui ſi Deus eas per creationem produceret, nullo pacto intellectus & voluntas creaturæ rationalis ſuas actiones producerent, immo, nec ad illarum productionem ullo modo concurrere poſſent; quia (ſicut ſuperius obſervavi) Sanctus *Thomas* diſerte docet, nullam creaturam poſſe eſſe cauſam ſive principalem, ſive inſtrumentalem creationis, nec ad productionem rerum, quę creantur à Deo, ullo pacto concurrere poſſe. Ultimum Corollarium iſtud eſt: Actiones intellectus & voluntatis, quatenus reales, & entitates ſunt, non creantur à Deo, ut docet S. *Thomas*, ſed educuntur e potentia præjacentis ſubjecti.

Ergo inani labore ſe ſe torquet Pater *Gabriel Daniel*, qui in libro, gallice a ſe ſcripto, & Bruxellis anno MDCCXVI. edito, cui titulus eſt: *Le Philoſophe extravagant*, ſeu *Philoſophus delirans*, multa ad impugnandam Præmotionem phyſicam congerit argumenta, quibus probat, actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis non produci a Deo per creationem: Vano, inquam, Pater *Daniel* ſe ſe torquet labore, quia nullus S. *Thomæ* verus Diſcipulus docuit unquam, actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis produci per creationem. Afferunt quippe primo omnes Thomiſtæ, actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, non eſſe *ſubſtantias*, ſeu *formas per ſe ſubſiſtentes*, ſed eſſe formas accidentales inhærentes ſubjecto, atqui, juxta doctrinam S. *Thomæ*, creari non convenit formis accidentalibus ſubjecto inhærentibus, ſed ſoli ſubſtantiæ, quæ ens eſt per ſe ſubſiſtens, ergo omnes Thomiſtæ docent poſt S. *Thomam*, actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, quatenus realitates & entitates ſunt, non produci à Deo per creationem. Secundo, profitentur omnes Thomiſtæ, actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, quatenus ſunt realitates & entitates, ſeu quatenus ſunt formæ accidentales, inhærentes ſubjecto, educi è potentia ſubjecti. Si enim, inquiunt Thomiſtæ, ſint formæ accidentales naturales advenientes ſubjecto, educuntur è potentia naturali ſubjecti, ſicut, exempli gratia, dum ignis producit calorem in manu, talis calor educitur de potentia naturali manus; nam manus naturaliter eſt in potentia ut tranſmutetur à frigiditate in caliditatem. Quod ſi verò ſint formæ accidentales ſupernaturales advenientes ſubjecto, ſicut ſunt Gratia, charitas, & aliæ qualitates ſupernaturales, tunc, inquiunt Thomiſtæ, formæ illæ accidentales producuntur à Deo, & fiunt per eductionem de potentia *obedientiali* animæ rationalis. Sicut enim manus naturaliter eſt in potentia ad calorem, ita quoque anima rationalis

lis eſt in potentia obedientiali ad gratiam aliaſque formas accidentales ſupernaturales recipiendas. Hinc docet S. *Thomas* Quæſt. *De Virtutibus in communi* art 20. ad 3. & Quæſt. 27. *De Veritate* art. 3. ad 9. habitus ſupernaturales non produci à Deo per creationem, ſed per eductionem è potentia obedientiali ſubjecti, ideſt, animæ rationalis. Cum igitur nullus S. *Thomæ*, verus Diſcipulus docuerit unquam, actiones intellectus & voluntatis creaturæ rationalis, quatenus realitates & entitates ſunt, ſeu formæ inhærentes ſubjecto, produci à Deo per creationem, planum ac expeditum eſſe debet, omnia argumenta, quæ libro mox à me laudato congerit Pater *Gabriel Daniel*, in auras fumumque evaneſcere, eaque ne leviter quidem ferire ſolidiſſimum iſtud principium ab *ente* petitum, quod S. *Thomas*, ad probandam Præmotionis phyſicæ ad omnes & ſingulos actus tam naturales, quam ſupernaturales exerendos neceſſitatem, paſſim in ſuis Operibus inculcat.

His poſitis Corollariis, nunc facili negotio facio ſatis argumento, quod Pater *Daniel*, libro mox à me laudato, proponit ad probandum, creaturam rationalem, in Sententia Thomiſtarum de neceſſitate Præmotionis phyſicæ, non fore liberam, quia facta illa hypotheſi, creatura rationalis careret potentia ſe ſe determinandi, ſuaſque actiones eliciendi. Sic autem arguit P. *Daniel*: Creatura non poteſt ſibi dare quod non habet, atqui fatentur omnes Thomiſtę, nullam creaturam, etiam rationalem, habere, ſeu continere in ſe ſuas determinationes & actiones, ergo, admiſſa ſemel ſententia de neceſſitate Præmotionis phyſicæ, creatura rationalis non habet potentiam ſe ſe determinandi, & ſuas actiones eliciendi, ſubindeque non eſt libera.

Ad iſtud Patris *Danielis* argumentum bifariam reſpondeo. Primo ſic: Nulla creatura poteſt dare quod non habet tam in actu, quam in potentia concedo; nulla creatura poteſt dare quod non habet in actu, habet tamen in potentia nego. Similiter diſtinguo minorem propoſitionem: Sed nulla creatura, etiam rationalis, habet, ſeu præcontinet in ſe ſuas determinationes & actiones actu, concedo; non illas habet & præcontinet in potentia, nego. Ergo creatura rationalis, admiſſa ſententia de Præmotione phyſica caret potentia ſe ſe determinandi, ſuaſque eliciendi actiones, diſtinguo conſequentiam: Ergo creatura rationalis, deſtituta Præmotione phyſica, caret potentia ſe ſe determinandi, ſuaſque actiones eliciendi, ideſt, caret potentia conjuncta cum actu, concedo: caret potentia ſejuncta ab actu, nego. Secundo, reſpondeo: Nulla creatura ſe ſola, dat quod non habet actu, concedo: Nulla creatura per auxilium alterius dat quod non habet actu, nego, Sed nulla creatura, etiam rationalis, habet, ſeu in ſe præcontinet ſuas actiones ac determinationes, concedo minorem propoſitionem; ergo creatura rationalis, nunquam, ſe ſola, determinabit ſe, ſuaſque actiones producet, concedo conſequentiam: Ergo creatura rationalis in virtute ſibi à Deo per Præmotionem phyſicam impreſſa, nunquam, ut cauſa ſecunda & ſubordinata Deo, ſuas determinationes & actiones producet, nego conſequentiam. Utraque iſta reſponſio optimè cohæret cum his, quæ ſuperius dixi, illamque in ſequentibus meis Epiſtolis dilucidare ſatagam.

II. Hoc jacto ſemel inconcuſſo principio, quo firmiſſime ſtabilitur Præmotionis phyſicæ ad actu agendum neceſſitas, præſtat nunc, ut omnia præcludam effugia, ad quæ Adverſarii, ut ſe ſe ab hoc Thomiſtarum argumento expedire ac extricare valeant, recurrere ſolent.

In primis ajunt, determinationem voluntatis humanæ non è ſola prodire voluntate humana, ſed eam tam ab auxilio Dei, quam a voluntate humana, tanquam a duabus cauſis, ſimul, hoc eſt, per concurſum ſimultaneum, produci.

Verum, quam falſa ſit hæc reſponſio triplici momento breviter demonſtro. Primo, quia in ſententia eorum, qui Phyſicam Præmotionem non admittunt, determinatio voluntatis creatæ ab auxilio Dei non producitur. Volunt quippe,

auxi-

auxilium Dei eſſe ex ſe indifferens & indeterminatum, illudque à voluntate humana determinari debere. Quod autem ex ſe indifferens, vagum & indeterminatum eſt, nullo pacto determinat voluntatem humanam, quandoquidem, juxta pervulgatum Philoſophorum effatum: *Nemo dat quod non habet*. Præterea, qua ratione, quæſo, in opinione Moliniſtarum auxilium Dei produceret determinationem voluntatis humanæ, cum ipſimet velint, auxilium Dei ſuam à voluntate creata determinationem accipere debere? At enim, unam eamdemque rem eſſe ſimul effectum & cauſam, ſub eodem reſpectu fieri omnino non poteſt; ſed auxilium Dei in adverſariorum hypotheſi ſuam determinationem expectare & accipere debet à voluntate creata, non tribuit igitur auxilium Dei voluntati humanæ determinationem, ſubindeque determinatio voluntatis creatæ, in quantum determinatio eſt, fit à ſola voluntate creata. Poſtremo, Adverſarii Scholæ Thomiſticæ ideo dicunt, rejiciendam eſſe Præmotionem phyſicam, ſeu non eſſe admittendum auxilium Dei determinationi voluntatis creatæ prævium, efficiens ut voluntas creata ſe ſe determinet ad agendum, quia, inquiunt, ſi daretur ejuſmodi auxilium Dei, eſſet cauſa determinationis voluntatis creatæ, adeoque libertatem ei adimeret. Pertendunt itaque Præmotionis phyſicæ adverſarii, auxilium Dei non dare voluntati creatæ determinationem, ſed potiùs hanc determinationem fieri a ſola voluntate creata.

III. Hoc ſemel Adverſariorum Scholæ Thomiſticæ intercluſo primo effugio, ad aliud nunc devenio, quod ipſis pari facilitate occludam. Dicunt enim, determinationem, qua voluntas creata ſe ſe ad hanc vel illam partem, ſeu ad hoc vel illud agendum libere flectit, eſſe quidem aliquid reale, exinde tamen non ſequi, voluntatem creatam, dum novam incipit habere determinationem, quam antehac non habebat, accipere novum aliquem gradum entis, quo antea carebat, ſicut falſo ſibi, aliiſque perſuadere volunt Thomiſtæ. Id ut probent Scholæ Thomiſticæ adverſarii, utuntur exemplis è rebus corporeis petitis. Quamvis enim, inquiunt, eſſe vas in honorem, aut in contumeliam ſit verè aliquid reale, remanet tamen ſemper eadem entitas luti, nec novo aliquo augetur entis gradu, ſive lutum uſui honeſto deputetur, ſive inhoneſto; neque idcircò lutum ullam ſui patitur imminutionem aut accretionem. Similiter, inquiunt, tametſi directio navis, quæ fit modò in hanc, modò in iſtam littoris partem, ſit aliquid reale, nullum tamen novum ens advenit navi propter iſta varia directionum diſcrimina. Ergo, inquiunt Scholæ Thomiſticæ Adverſarii, voluntas creata, dum per ſuam determinationem flectit & inclinat ſe ad hanc vel illam partem, ſeu ad hoc vel iſto modo agendum, nullum planè novum per hanc determinationem recipit entis gradum, qui immutet voluntatem creatam, quique à Deo, tanquàm à cauſa prima rerum omnium efficiente, producatur.

Verùm, facile eſt hoc alterum adverſariis Scholæ Thomiſticæ præcludere effugium. Primò, quia non ſolum Thomiſtarum, ſed & Moliniſtarum, aliæque celebres Scholæ rejiciunt mechanicam *Carteſii*, & *Gaſſendi* Philoſophiam, ex Ethnicorum impiorum *Democriti* & *Epicuri* principiis, cum Fide Catholica non cohærentibus, hauſtam; docentque poſt Sanctum *Thomam*, reales determinationes, ſeu reales determinationum diſcrepantias, quæ rebus corporeis & ſenſibilibus accidunt, eaſque intrinſecè immutant, novam illis addere entitatem, qua anteà carebant. Præterea, etiamſi adverſariis Scholæ Thomiſticæ darem reales determinationes, quæ rebus corporeis & ſenſibilibus accidunt, nullam eis novam addere entitatem realem; nego tamen ac pernego, eamdem eſſe rationem de realibus determinationibus mentis & voluntatis humanæ, ac de realibus determinationibus, quæ accidunt rebus corporeis & ſenſibilibus. Longum ſiquidem latumque intereſt

diſcri-

Digitized by Google

diſcrimen , in hoc præſertim ſitum , quod in rebus corporeis & materialibus fiunt novæ mutationes, & reales determinationes, ſeu reales determinationum diſcrepantiæ ex ſola corporis partium , quæ realiter diverſæ ſunt , diverſa diſpoſitione, quæ tamen materiæ,ſeu corpori nullam (ut docent recentiores Philoſophi) addit novam entitatem, ſeu novum aliquem entis gradum ; At in rebus ſpiritualibus , cujuſmodi ſunt mens & voluntas hominis, quæ ſimpliciſſimæ ſunt, & partium concretione carent , ſi qua fiat mutatio realis , ſeu nova realis determinatio, hæc certiſſimè ex varia partium textura (ſicut rebus corporeis accidit) proficiſci nequit , quia , ut fatentur omnes cum antiqui , tum recentiores Philoſophi , realitas mutationum, & determinationum mentis & voluntatis nullo pacto oriri poteſt ex varia reali diſpoſitione partium , quibus illæ facultates, in ſe ſimpliciſſimæ, omninò carent.

Id totum dilucido his duobus exemplis , quibus utuntur Adverſarii noſtri. Si enim lutum in duas partes diviſeris, & alteram partem à dextris repoſueris, alteram verò à ſiniſtris, ſingulaſque pro libito ſeparaveris : Item , ſi navim, admoto clavo , nunc huc, nunc illuc inflexeris , procul dubio ex varia illa partium navis diſpoſitione, ordinatione, & inflexione totidem exurgent realia diſcrimina, ſeu reales determinationes & in luto & in navi, quæ, juxta *Carteſii*, *Gaſſendi*, aliorumque recentiorum Philoſophiam , nullam ſive luto , ſive navi novam addent entitatem . Sed è diverſo, reales mutationes , ſeu determinationes quæ fiunt in mente & in voluntate hominis , prodire haud poſsunt ex vari a reali partium diviſione, diſpoſitione & ordinatione , cum iſtæ facultates ſint ſpirituales, & partium penitùs expertes ; neceſſe igitur eſt , ut mutationes & determinationes reales , quæ fiunt in mente & in voluntate humana , addant eis aliquem novum entis gradum , quem antè non habebant , cum certum ſit , nullam poſſe intelligi realem determinationem , ſeu mutationem , niſi quæ alterutro , ex his duobus modis perficiatur , vel propter diverſarum partium compoſitiones, ſeu diſpoſitiones realiter diverſas , vel propter novum advenientem aliquem gradum entis realiter diverſum . Quamvis igitur verum eſſet (quod tamen ipſe falſum eſſe exiſtimo) reales mutationes & determinationes, quæ fiunt in rebus corporeis ex diverſa partium reali diſpoſitione , novam non addere rebus corporeis entitatem , ſicut , poſt *Carteſium* , & *Gaſſendum* , docent recentiores Philoſophi ; falſum tamen eſt , reales mutationes & determinationes fieri poſſe in mente & in voluntate hominis , quæ ſunt facultates ſpirituales , niſi per additionem novæ alicujus entitatis , ſeu novi alicujus entis gradus, quo anteà prædictæ facultates carebant.

Reales itaque mutationes & determinationes, quæ accidunt menti & voluntati hominis, addunt utrique facultati novam entitatem , ſeu novum aliquem entis gradum , quem anteà non habebant ; quia ejuſmodi reales determinationes mentem & voluntatem hominis intrinſecè mutant , efficiendo nimirum ut prædictæ facultates à dolore ad voluptatem, ab indifferentia ad amorem , ab uno gradu amoris ad alium intenſiorem, à leviori cognitione ad aliam perfectiorem , tranſitum faciant . Quæ ſanè fieri minimè poſſunt citrà intrinſecam mentis & voluntatis hominis mutationem. Ecquid verò eſt hæc intrinſeca mutatio, niſi nova entitas, ſeu novus aliquis gradus entis, quo utraque facultas antehac carebat ?

Addo etiam , experientia conſtare , fieri in mente & in voluntate hominis accretiones entitatis . Nobis quippe ſatis conſcii ſumus , mutari identidem in nobis cogitationes, delectationes & amores. Fides quoque docet , amorem Dei accendi & accreſcere in cordibus noſtris . Iſtæ, porrò cogitationes novæ , novique amoris gradus, qui antea menti & voluntati humanæ non inerant , dum eis adveniunt , aliquam eis novam addunt entitatem, ſeu novum aliquem entis gradum , quem ambæ illæ facultates prius non habebant . Voluntas enim creata , dum à nuda & ſimpli-

pli-

plici, quam habet, potentia amandi Deum tranſit ad actualem dilectionem Dei, vel ab initiali & remiſſo Dei amore tranſit ad gradum amoris Dei intenſiorem ac perfectiorem, revera mutatur intrinſece, novamque recipit entitatem, quam certe non habebat; dum ſimplex inerat ei potentia amandi Deum. Nemo ſiquidem inficias ire poteſt, amare Deum actu, eſſe aliquid majus ac perfectius, quam ſimpliciter poſſe amare Deum. Item, nemo negare poteſt, amare Deum intenſe: eſſe aliquid majus & excellentius, quàm illum diligere remiſſe: Atqui determinatio voluntatis humanæ efficit ut hæc facultas à nuda & ſimplici, quam habet, potentia amandi Deum, vel perfectiorem conſequendi gradum amoris Dei, tranſeat ad actualem dilectionem Dei, & ad intenſiorem gradum amoris Dei. Nulla igitur ratione dici poteſt, hanc determinationem voluntatis humanæ eſſe nihil & meram chymæram, ſed potius hæc determinatio voluntatis humanæ addere debet novum aliquem entis gradum, quem prædicta facultas non habebat, dum ei duntaxat inerat ſimplex potentia amandi Deum, aut perfectiorem eliciendi gradum amoris; ſubindeque hæc realis voluntatis determinatio, quæ novam ſecum importat entitatem, ſeu quæ novum voluntati humanæ adjicit gradum entis, debet per concurſum prævium & phyſicum produci a Deo, qui eſt prima & univerſalis cauſa efficiens rerum omnium, quia (ut inquit S. *Thomas* cap. 66. lib. 3. contra Gentiles) *eſſe eſt proprius effectus primi agentis, ſeu Dei, & omnia, quæ dant eſſe, hæc habent in quantum agunt in virtute Dei*. Et ibidem ait: *Cum igitur eſſe ſit communis effectus omnium agentium (nam omne agens facit eſſe actu) oportet quòd hunc effectum producant in quantum ordinantur ſub primo agente & agunt in virtute ipſius*.

IV. Tertium effugium, quo Adverſarii Scholæ Thomiſticæ putant, ſe elabi poſſe ex argumento, quod ab ente petitum propoſui, in hoc maximè ſitum eſt, quod dicant, hanc determinationem, per quam voluntas hominis auxilium Dei, quod de ſe indifferens eſt, determinat, & ſe ſe ad hoc vel illo modo agendum pro ſuo nutu & arbitrio flectit, eſſe adeò exilem entitatulam, ut quaſi pro nihilo reputari debeat, ſubindeque mirum non eſſe ſi hæc voluntatis humanæ determinatio non producatur à Deo, ſed tantum a voluntate humana, quæ per hanc ſui determinationem reducit ad actum illam, quam a Deo potentiam accepit. Addunt etiam, quod ſi Deus per concurſum prævium & phyſicum omnes determinationes & actiones voluntatis hominis produceret, ſolus Deus in natura & voluntate hominis operaretur, nullusque ſubinde homini quidpiam operandi relinqueretur locus, quod certè nemo Catholicus dixerit.

Sed, ut candidè dicam, hoc effugium inane eſt, nihilque planè roboris habet. Quæro enim ab Adverſariis, num illa determinatio, qua creatura rationalis, juxta illorum Syſtema, auxilium Dei, quod eſt ex ſe indifferens determinat, ſeque proprio nutu flectit ad hoc vel illo modo agendum, ſit aliquid reale, vel merum nihil? Si fateantur eſſe aliquid reale, ergo debet produci a Deo, tanquam a cauſa efficiente, cum quidquid reale eſt, habeat rationem entis, omne vero ens, ſingulaſque entis modificationes & differentias, a Deo qui eſt cauſa univerſaliſſima totius entis produci, conſtans eſt Sancti *Thomæ* & Theologorum ſententia.

Si vero Scholæ Thomiſticæ Adverſarii dicant, hanc voluntatis humanæ determinationem eſſe purum nihilum, contra eos ita arguam. Si hæc determinatio, qua voluntas hominis auxilium Dei, quod eſt ex ſe indifferens, determinat, non eſt aliquid reale, ſed merum nihilum, ſequitur, juxta illorum doctrinam, ſupervacaneum omnino eſſe exercere virtutum actus, quippe qui nec nos meliores, nec perfectiores effecturi ſunt. Bonitas enim & perfectio ſunt attributa entis cum ente reciproca, quæque augeri nequeunt, quin ſimul augeatur ens. Præterea, ſi hæc voluntatis determinatio ſit purum nihil, uti volunt Adverſarii, nihil quoque erit, determinare ſe ſe ad amandum Deum, aut creaturam, ad ſectandam juſtitiam aut iniqui-

quitatem; ad ſerviendum Chriſto, aut Belial; quo certè nihil, mea quidem ſententia, abſurdius excogitari poteſt. Tertiò, docent omnes ad unum Philoſophi & Theologi, voluntatem, quæ eſt determinata ad agendum, majori pollere perfectionis gradu, quam dum caret illa determinatione, & meram, ſeu nudam duntaxat, habet potentiam agendi, ergo determinatio illa, per quam voluntas majorem acquirit perfectionem, eſt verè aliquid reale; impoſſibile enim eſt, ut nihilum det, vel addat voluntati hominis aliquem perfectionis gradum. Poſtremò, id quod realiter & intrinſece mutat hominis voluntatem, debet eſſe aliquid ei realiter additum; atqui hæc voluntatis humanæ determinatio mutat realiter & intrinſece voluntatem hominis, quia voluntas habet duntaxat ex ſe ſimplicem potentiam determinandi ſe ſe; Ergo, dum incipit habere determinationem, intrinſece mutatur, tranſeundo videlicet ab illa nuda & ſolitaria, quam habet, potentia ſe determinandi, ad actualem determinationem, quam priùs non habebat; proindeque humana voluntas quoties novam incipit habere determinationem, toties novum aliquem accipit entis gradum, ſeu novam acquirit entitatem, per quam intrinſece mutatur, ſicut patet ex iſto, quod hic ſubjicio, clariſſimo exemplo. In mente hominis dormientis exiſtit, omni procul dubio, potentia agendi & ſe determinandi, nulla tamen exiſtit actualis determinatio, ſeu actus aliquis deliberatus; ergo actualis deliberatio, ſeu determinatio eſt aliquid reale additum nudæ & ſimplici potentiæ ſe determinandi. Nam cum hæc potentia agendi & ſe determinandi exiſtat in mente, quæ necdum eſt determinata, neceſſe prorsùs eſt, ut, præter hanc nudam & ſolitariam ſe ſe determinandi potentiam, inſit menti hominis aliquid aliud reale, cujus beneficio ſe actu determinet, nempe realitas aliqua actualis, diſtincta à potentia, quam habet mens hominis, ſe determinandi. Alias nihil planè diſcriminis foret potentiam inter & actum, neque realiter diſcreparent hæc duo; potentiam habere ſimpliciter nec ea tamen uti, & potentiam habere ſimul & uti potentia; quæ tamen duo, potentiam videlicet & actum, quæ ſunt in ordine phyſico, realiter diſtingui docent communiter poſt S. *Thomam* tam Theologi, quàm Philoſophi.

Sed, inquiunt Adverſarii: Si Deus produceret omnes mentis & voluntatis creatæ determinationes & actiones, non ampliùs mens & voluntas hominis eſſent facultates activæ; nihilque omninò ageret creatura rationalis. Sicut enim creatura rationalis ſuam non efficit ſubſtantiam, nec potentiam agendi, quia tam ſubſtantiam ſuam, quam potentiam agendi accepit à Deo; ita ſimiliter creatura rationalis ſuas non efficiet determinationes & actiones, ſi illas a Deo, tanquam a cauſa efficiente, accipiat.

At, frivola eſt hæc Adverſariorum objectio. Ideò enim creatura rationalis nec ſuam ſubſtantiam, nec eam, quam habet, efficit agendi potentiam, quia Deus tam ſubſtantiam, quam agendi potentiam producit in nobis ſine nobis. Quo fit, ut verè dicatur, creaturam rationalem non efficere & ſuam ſubſtantiam, & eam, quam habet, agendi potentiam. Contra verò, Deus determinationes & actiones noſtras, cum mentis, tum voluntatis, non operatur in nobis ſine nobis, ſed illas producit mediante virtute activa, ſeu mediante ipſa, quæ extat in nobis, agendi potentia, ideſt, facit Deus omnipotenti ſua virtute, ut creatura rationalis, ab ipſo per Præmotionem phyſicam determinata & applicata ad actu agendum, ſe ſe libere determinet, ſuaſque exerat actiones, ſicut cauſa ſecunda, quæ Deo, primæ rerum omnium cauſæ, ſubordinatur, ut luculentiſſime docet S. *Thomas* 1. Part. Quæſt. 105. Art. 5. ubi hæc habet: *Secundò conſiderandum eſt, quod ſi ſint multa agentia ordinata, ſemper ſecundum agens agit in virtute primi agentis. Nam primum agens movet ſecundum ad agendum, & ſecundùm hoc, omnia agunt in virtute ipſius Dei, & ita ipſe eſt cauſa omnium actionum agentium.* Idem etiam inculcat, & latè explicat Angelicus ille Doctor in lib. 1. Sent.

Di-

Diſtinct. 37. Quæſt. 1. Art. 1. ad quartam ſibi propoſitam objectionem, ubi reſponſionem, quam ad ſolvendam prædictam objectionem adhibet, claudit his verbis: *Et ita patet, quod cum Deus ſit prima cauſa omnium, ſua virtus eſt immediatiſſima omnibus, quamvis ſingulæ res proprias operationes habeant, quibus producunt ſuos effectus*.

Id inſuper confirmo duobus locupletiſſimis S. *Thomæ* teſtimoniis, quorum primum petitur ex Quæſt. 24. de Veritate Art 1. ad 5. ubi hæc habet Angelicus ille Doctor: *Ad quintum dicendum, quod inſtrumentum dupliciter dicitur. Uno modo propriè, quando ſcilicet aliquid ita ab altero movetur, quod non confertur ei a movente aliquod principium talis motus; ſicut ſerra movetur a carpentario; & tale inſtrumentum eſt expers libertatis. Alio modo dicitur inſtrumentum magis communiter quidquid eſt movens ab alio motum, ſive ſit in ipſo principium ſui motus, ſive non; & ſic ab inſtrumento non oportet, quod omninò excludatur ratio libertatis, quia aliquid poteſt eſſe ab alio motum, quod tamen ſe ipſum movet, & ita eſt de mente humana*. Aliud S. *Thomæ* teſtimonium colligo ex 2. 2. Quæſt. 23. Art 2. ubi ait: *Similiter etiam non poteſt dici, quod ſic moveat Spiritus Sanctus voluntatem ad actum diligendi, ſicut movetur inſtrumentum, quod etſi ſit principium actus, non tamen eſt in ipſo agere vel non agere: Sic enim tolleretur ratio voluntatis, & excluderetur ratio meriti, cum tamen ſupra habitum ſit, quod dilectio charitatis eſt radix merendi; ſed oportet, quod ſic voluntas moveatur a Spiritu Sancto ad diligendum, quod etiam ipſa ſit efficiens actum*. His gemina habet Doctor Angelicus 1. 2. Quæſt. 105. Art. 4. ad 3. & 4. ubi docet, quod licet voluntas creata moveatur a Deo, ipſa tamen a ſe, tanquam a principio intrinſeco, movetur; aſſeritque, quod ſic moveri ex ſe, non repugnat ei, quod eſt ab alio moveri, quia, inquit, ſi voluntas, a Deo mota, non moveretur ex ſe ipſa, propria ipſius opera ipſi ad meritum, vel demeritum non reputarentur. Idem repetit S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 68. Art. 3. ad 2. ubi cum ſibi objeciſſet, hominem a Spiritu Sancto ſicut inſtrumentum moveri & agi, reſpondet: *Dicendum: quod illa ratio procedit de inſtrumento, cujus non eſt agere, ſed agi: tale autem inſtrumentum non eſt homo, ſed ſic agitur à Spiritu Sancto, quod etiam agit, in quantum eſt liberi arbitrii*. Conſule, ſi plura ea de re ſcire deſideres doctiſſimum noſtrum *Thomam de Lemos* Tom. 1. *Panopliæ Divinæ Gratiæ*, Tract. 6. cap. 1. & Tomis 3. & 4 ejuſdem *Panopliæ*, ubi lato calamo ea de re tractat.

Ex quibus perſpicuis S. *Thomæ* teſtimoniis liquet, quamlibet determinationem & actionem voluntatis & mentis creatæ totam produci a Deo, tanquam a prima cauſa rerum omnium efficiente; & totam etiam fieri a mente & voluntate creata, tanquam a cauſa ſecunda efficienti ſubordinata Deo. Jam vero cauſa ſubordinata ea dicitur, quæ in tantum agit & ſe movet, in quantum agitur & movetur a ſuperiori cauſa, cui ſubordinatur, ideſt, in quantum cauſa ſuperior efficit per ſuum influxum prævium & phyſicum ut cauſa inferior ſe moveat & prodeat in operationem. Igitur creatura rationalis, quæ eſt cauſa ſubordinata Deo, nec ſe movet, nec actu agit, niſi Deus, qui eſt cauſa prima efficiens rerum omnium, efficiat ut creatura rationalis ſe ſe moveat, determinet, & agat. Abſit enim, ut Deum menti & voluntati creatæ præpoſtere ſubordinemus, & non potius mentem & voluntatem creatam Deo. Quod ſi ſemel fateantur Adverſarii, Deum efficere ut mens, vel voluntas creata ſe ſe determinet & actu operetur, oportebit, ut eadem itidem opera fateantur, quamlibet determinationem, ſeu actionem creaturæ rationalis præcedi ab actione Dei, qui per concurſum ſuum prævium & phyſicum ſeu per Præmotionem phyſicam, determinat & applicat creaturam rationalem ad agendum, ita ut tamen creatura rationalis in virtute illius divini, prævii & phyſici influxus omnes ſuas determinationes & ſingulas actiones, tanquam cauſa ſecunda efficiens ſubordinata Deo, producat.

Digitized by Google

Id totum illuſtrare juvat exemplo, quod quotidie experimur. Suadet quidem experientia, mentem creatam non tantum ſuas elicere cogitationes, ſed eas aliquandiu in ſe conſervare: Atqui tamen mens creata in conſervatione illarum cogitationum, quas, tanquam cauſa ſecunda ſubordinata Deo, producit, pendet omnino à prævio & phyſico influxu Dei, ſeu ab eadem actione, qua Deus, velut prima cauſa, & mentem creatam, & omnes illius cogitationes primum produxit, quia conſervatio rerum in hoc mundo (ſicut docent omnes Theologi) nihil aliud eſt, quam continua & perſeverans eadem actio, ſeu idem prævius & phyſicus influxus, quo Deus res omnes primum creavit, & ſine quo omnia relaberentur in nihilum. Secluſo quippe ſemel prævio influxu divino, qui lucem rebus, vitam & exiſtentiam continenter tribuit, cæca & mortua plane eſſent univerſa. Quemadmodum igitur docet experientia, mentem creatam ſuas, tanquam cauſam ſecundam, conſervare aliquandiu cogitationes, tametſi ad illas conſervandas pendeat ab illo prævio & phyſico influxu, quo Deus res omnes in hoc mundo conſervat; ita certiſſime dici debet, mentem revera ſuas omnes producere cogitationes, & creaturam rationalem ſuas pariter ſingulas determinationes, tanquam cauſam ſecundam, exerere, quamvis Deus, qui eſt prima cauſa rerum omnium efficiens, eas producat, videlicet in eas per actionem ſuam præviam & phyſicam influendo, quam ideo Thomiſtæ jure optimo appellant *Præmotionem phyſicam*.

Sed quorſum in iſta Adverſariorum ſolvenda objectione diutius hic immoror, cum eam S *Thomas* ſibi propoſuerit, eique pleniſſime fecerit ſatis in Quæſtione 3. de potentia, Art. 7. ubi inquirit, *utrum Deus operetur in operatione naturæ?* & inter plures, quas ibidem diluit, objectiones, hanc ultimo loco proponit, his verbis conceptam: *Poſita cauſa ſufficienter operante, ſuperfluum eſt alterius cauſæ operationem ponere; ſed conſtat, ſi Deus operetur in natura & voluntate, quod ſufficienter operatur, Dei enim ſunt perfecta opera, ergo ſuperflueret omnis operatio naturæ & voluntatis. Cum ergo in natura nihil ſit ſuperfluum, nec natura, nec voluntas aliquid operaretur, ſed ſolus Deus.* Huic objectioni, quam etiamnum plenis buccis decantant Adverſarii Scholæ Thomiſticæ, ſic reſpondet Doctor Angelicus: *Ad decimum ſextum dicendum, quod Deus perfecte operatur, ut cauſa prima: requiritur tamen operatio naturæ, ut cauſæ ſecundæ. Poſſet tamen Deus effectum naturæ etiam ſine creatura facere, vult tamen facere mediante natura, ut ſervetur ordo naturæ.* Tantum igitur abeſt, ut prævius & phyſicus Dei influxus impediat, ne creatura rationalis ſuas omnes determinationes & actiones, tanquam cauſa ſecunda, efficiat (ſicut falſo ſibi perſuadent Scholæ Thomiſticæ Adverſarii) ut potius ille prævius & phyſicus Dei influxus faciat ut creatura rationalis omnes ſuas determinationes & actiones, tanquam cauſa ſecunda, producat, & in eas verum habeat dominium, ſupremo tamen, ut par eſt, ſubditum Dei dominio.

V. Ultimum ſupereſt Adverſariorum Scholæ Thomiſticæ precludendum effugium, quod nuperrimè excogitavit P. *Daniel*, Societatis Jeſu Theologus, in Epiſtola decima, quam ſcripſit ad P. *Natalem Alexandrum*, Ord. Præd. In ea quippe Epiſtola laudatus Scriptor candide fatetur, Præmotionem Phyſicam (juxta germanam S. *Thomæ* mentem, quam ibidem late expedit) non eſſe concurſum ſimultaneum Dei cum creatura, neque Decretum Dei, neque virtutem & potentiam agendi cauſis ſecundis a Deo collatam, neque inſitum quidpiam & permanens, ſed eſſe aliquid ab his omnibus diſtinctum, ſeu eſſe concurſum prævium, *per quem* (verba ſunt illius Scriptoris) *Deus eſt cauſa cujuslibet rei naturalis, & operatur in operatione creaturæ illam determinando, ſive applicando ad agendum; ita ut vere affirmari poſſit, voluntatem creatam, quæ eſt cauſa ſecunda, nunquam movere ſe, quin ante moveatur à prima cauſa.* Hæc, inquam, P. *Daniel*, poſtquam faſſus eſt, novam informat Præmotionis phy-

phyſicæ ideam, quam vult, ſi ſuperis placet, perfecte exprimere ac repræſentare genuinam Sancti *Thomæ* doctrinam.

Ait enim negari haud poſſe, S. *Thomam* admiſiſſe Præmotionem phyſicam, per quam Deus, ut prima rerum omnium cauſa, applicat & determinat voluntatem hominis ad agendum in genere; docet tamen ibidem, voluntatem humanam ad agendum hoc vel illud in particulari, nec determinari per Præmotionem phyſicam, ſeu per intrinſecum Dei auxilium determinationi voluntatis humanæ prævium, & phyſice in eam influens, ſed duntaxat voluntatem humanam ad hoc vel illud in particulari agendum, a ſe ſola determinari & applicari. Sic enim mentem ſuam in eadem Epiſtola aperit modernus ille Scriptor: *Quod verò*, inquit, *cauſas liberas ſpectat; ſic eas Deus ad agendum determinat, ut actionis determinationem voluntati permittat. Voluntas, inſtructa Præmotione, aget quidem, ſed ipſa ſuam determinabit actionem, ſive ad objectam rem amplectendam, ſive ad reſpuendam. Ea Præmotione nequaquam huc potius quam illuc proclinabitur.... Dum Deus voluntatem Præmotionis ope ciet, eique motum ad agendum affert, neceſſe omnino eſt ut agat, cum ſemel hanc Præmotionem a Deo accepit, ſed, quem a Deo hauſit motum, ipſa determinat, agit, motum continuat, ſed hoc vel illo modo, ut ipſi collibitum eſt, in eoque conſiſtit libertatis uſus*. Et, poſt pauca interjecta, ſubdit: *Etſi enim per ejuſmodi Præmotionem, qualem ex Sancti Thomæ mente ideæ que informo, determinetur homo ad agendum, integra tamen eſt poteſtas voluntati, ut hoc vel illo modo agat, ut ad rem ſibi propoſitam amando accedat, vel ab ea recedat averſando. Conjuncta eſt hæc Præmotio cognatione neceſſaria & nexu cum aliqua voluntatis actione, nec tenere ſe voluntas ſic præmota poteſt, quin agat; ſed nullo cum certa quapiam & determinatione nexu neceſſario juncta eſt, relinquiturque voluntatis arbitrio, ut actionem hanc aut illam eligat. Inchoat hunc motum Deus, quem imprimit voluntati, at hunc motum voluntas determinat in hanc vel illam partem*. Denique, idem Auctor, quaſi veritatem in puteo *Democriti* latentem inveniſſet, & in hac effingenda Præmotionis idea veram Sancti *Thomæ* mentem fuiſſet aſſecutus; omnes Thomiſtas, tanquam in doctrina S. *Thomæ* cæcos traducit his verbis: *Hæc eſt*, inquit, *germana mens Divi Thomæ, a Thomiſtarum mente & ſententia in eo maximè diſcrepans, quod velint Thomiſtæ, per Prædeterminationem imprimi voluntati non tantum ut agat, ſed etiam ut determinetur ad agendum tali modo, verbi gratia ad amandum quod ipſi proponitur ab intellectu; contra verò, ut cenſet D. Thomas, detur voluntati Prædeterminatio ut agat, ſed non ut agat tali modo, datur ipſi ad agendum, hoc eſt, ut amet vel reſpuat quod ipſi proponitur ab intellectu, prout ipſa ſe ſe determinabit*.

At, quam falſa, & a germana S. *Thomæ* mente aliena ſit hæc, quam procudit P. *Daniel*, nova Præmotionis idea, ſole clarius demonſtrat propoſitum ſuperius a nobis argumentum ab ente petitum, quod innumeris in locis inculcat Angelicus Doctor. Nulla quippe creatura (juxta Sanctum illum Doctorem) poteſt ſe ſola producere aliquam entitatem, ſeu realitatem, nec unquam ſe movere, quin antea moveatur a Deo, qui eſt prima cauſa efficiens rerum omnium; Atqui tam determinatio voluntatis ad agendum, quam determinatio ejuſdem voluntatis ad hoc vel illo modo agendum, eſt aliquis motus & aliqua entitas ſeu realitas, igitur tam determinatio voluntatis ad agendum, quam determinatio ejuſdem voluntatis ad hoc vel illo modo agendum, debet produci à Deo, qui eſt prima cauſa efficiens rerum omnium, phyſice influens in productionem omnis entis & omnium modorum ac differentiarum entis, per ſuum concurſum prævium, qui, inſtar cauſæ effectricis, producit determinationem, qua voluntas creata ſe ſe flectit ad hanc vel illam partem. Et ſane, ut obiter dicam, P. *Daniel* in ea, quam informare voluit, Præmotionis idea ſibi minimè conſtat, & in apertam impingit contradictionem.

Nam primò fatetur, Deum, ut habeat

beat rationem primæ cauſæ rerum omnium efficientis, *operari* (juxta doctrinam S. *Thomæ*) per ſuum concurſum prævium & phyſicum in operatione creaturæ, *illam determinando, ſive applicando ad agendum, ita ut verè affirmari poſſit, voluntatem creatam quæ eſt cauſa ſecunda, nunquam movere ſe, quin moveatur a prima cauſa* (ſunt ipſiſſima verba P. *Danielis*) & tamen poſtea, ſolidiſſimi illius doctrinæ S. *Thomæ* principii, quod paulò ante ſtabilierat, penitùs oblitus, negat, Deum per concurſum ſuum prævium determinare, & applicare voluntatem creatam ad agendum hoc vel illo modo, vultque, hanc determinationem, qua voluntas creata ſe flectit ad hanc vel illam partem, ſeu ad hoc vel iſto modo agendum, non fieri ab auxilio & motu, quo Deus movet voluntatem creatam, ſed produci duntaxat a voluntate creata, & in hoc ſtare ejus libertatis uſum.

Ex qua malè conſarcinata Patris *Danielis* doctrina peremptorium conficio argumentum, quo nova hæc & peregrina, quam effinxit, Præmotionis idea abibit in fumum: Deus, ratione, quam obtinet, primæ cauſæ rerum omnium efficientis, debet (fatente P. *Daniele*) *operari in operatione creaturæ, illam determinando, ſive applicando ad agendum*; atqui, juxta Syſtema ejuſdem P. *Danielis*, Deus nec determinat, nec applicat voluntatem creatam ad hoc vel illo modo agendum, ſed verſa vice determinatur Deus à voluntate creata, ergo in Syſtemate P. *Danielis*, Deus non eſt cauſa efficiens illius determinationis, qua voluntas creata pro ſuo nutu & arbitrio flectit ſe ad hoc vel illo modo agendnm, ergo voluntas creata producit ſe ſola hanc determinationem, ſubindeque aliquam entitatem & realitatem, cum illa determinatio voluntatis creatæ ad hoc vel alio modo agendum, non ſit nihil & mera chymæra (ſicut jam oſtendimus) ſed vera ſit entitas, ſeu realitas addita potentiæ agendi; ergo, juxta Syſtema Patris *Danielis*, datur aliqua entitas, ſeu realitas, quæ non producitur a Deo, tanquam a cauſa efficienti, ſed a ſola voluntate creata, quod tamen ſuperiùs argumento è ratione entis petito, quod S. *Thomas* ſexcentis in locis proponit, prorsùs impoſſibile eſſe, invictè me probaſſe exiſtimo.

Sed, ut evidentiùs conſtet, falſam ac plane commentitiam eſſe hanc, quam Præmotionis effinxit ideam Pater *Daniel*; totam molem, cui ſuum Syſtema ſuperſtruxit, duplici ratiocinio hìc evertam. Primum ratiocinium iſtud eſt: Si voluntas creata determinaret Deum ad hoc vel illo modo agendum, ſicut pertendit P. *Daniel*, deberet eſſe aliquid in voluntate creata quod determinaret Deum ad concurrendum cum illa concurſu ſimultaneo ad hoc vel illud agendum; Atqui nihil omninò eſt in voluntate creata, quod poſſit determinare Deum ad concurrendum cum ea concurſu ſimultaneo ad hoc vel illo modo agendum; Ergo falſo ſupponit P. *Daniel*, Deum determinari a voluntate creata ad concurrendum cum ipſa ad hoc vel illo modo agendum. Probatur minor propoſitio: Si quid eſſet in voluntate creata, quod Deum determinare poſſet ad concurrendum cum illa concurſu ſimultaneo ad hoc vel illo modo agendum, vel illud eſſet facultas, ſeu potentia agendi, quam habet voluntas creata, vel eſſet ipſa actio voluntatis creatæ; Atqui Deus nec a facultate ſeu potentia agendi quam habet voluntas creata, nec ab ipſa voluntatis creatæ actione determinari poteſt ad concurrendum cum ipſa concurſu ſimultaneo ad hoc vel illo modo agendum; Ergo nihil omnino eſt in voluntate creata, quod Deum determinare poſſit ad concurrendum cum ipſa ad hoc vel illo modo operandum. Probatur minor propoſitio quoad utramque partem. Et primò quidem, facultas, ſeu potentia agendi, quam habet voluntas creata, nequit determinare Deum ad concurrendum cum illa concurſu ſimultaneo ad hoc vel illo modo agendum. Ratio in promptu eſt. Hæc enim facultas, ſeu potentia agendi, quam habet voluntas creata, eſt de ſe indifferens & indeterminata ad hanc vel illam actionem; Atqui ab eo, quod eſt indifferens, & indeterminatum in voluntate creata, quandiù perſtabit indeterminatum, de-

ter-

Digitized by Google

terminari non poterit Deus ad concurrendum cum voluntate creata concurſu ſimultaneo ad hoc vel illo modo agendum; ergo facultas, ſeu potentia agendi, quam habet voluntas creata, non poteſt determinare Deum ad concurrendum cum ipſa concurſu ſimultaneo ad hoc vel illo modo agendum. Probatur altera pars minoris propoſitionis, videlicet Deum, ad concurrendum cum voluntate creata concurſu ſimultaneo, non poſſe etiam determinari ab actione ejuſdem voluntatis creatæ. At enim, antequam Deus ſe ſe determinaverit ad concurrendum concurſu ſimultaneo cum voluntate creata ad hoc vel illo modo agendum, nulla eſt in voluntate actio, & nequidem ullius actionis umbra: immo, antequam Deus ſe determinaverit ad concurrendum cum voluntate creata ad hoc vel illo modo agendum, intuendo voluntatem creatam, nullam in ea cernit actionem, per quam poſſit determinari ad concurrendum cum illa concurſu ſimultaneo ad hoc vel illud agendum, quia, dum ſupponitur, Deum necdum decreviſſe concurrere cum voluntate creata ad hoc vel illo modo agendum, nullus in ea hypotheſi poteſt eſſe concurſus Dei ſimultaneus; atqui P. *Daniel* cum omnibus Scholæ Molinianæ Theologis ultro fatetur, nullam eſſe voluntatis creatæ actionem abſque concurſu Dei ſimultaneo; conſequens igitur eſt, nullam voluntatis creatæ actionem cognoſci a Deo antequam ſe ſe determinaverit ad concurrendum cum ea ad agendum hoc vel illo modo. Quod enim neque eſt, nec eſſe poteſt, certe a Deo cognoſci haud poteſt. Unde ſic argumentor: Si qua foret voluntatis creatæ actio, per quam Deus ad concurrendum cum illa determinaretur ad hoc vel illo modo agendum (ſicut pertendit P. *Daniel*) deberet illa voluntatis creatæ actio antevertere concurſum Dei, quippe quæ Deum ad concurrendum cum ipſa determinaret; atqui facta illa hypotheſi, ea creatæ voluntatis actio produceretur a ſola voluntate creata abſque concurſu ſimultaneo Dei, quandoquidem ſupponeretur Deus necdum determinatus ad concurrendum, immo ſupponeretur ab actione voluntatis creatæ adhuc determinandus; cum igitur (fatente P. *Daniele* cum tota Schola Moliniana) nulla actio voluntatis creatæ præire poſſit concurſu ſimultaneo Dei, & abſque illo fieri, manifeſto ſequitur, Deum non poſſe, propter cognitam creatæ voluntatis actionem, determinari ad concurrendum cum voluntate creata ad hoc vel illo modo agendum.

Alterum ratiocinium contra novum Patris *Danielis* de Præmotione Syſtema hunc in modum propono: Certum eſt, quamlibet actionem voluntatis creatæ totam produci a Deo ſimul & a voluntate creata, tanquam a duabus cauſis totalibus; & nullus eſt Catholicus, qui cogitare, nedum aſſerere audeat, aliquam eſse voluntatis creatæ actionis partem, quæ ſit independens a Deo; igitur quælibet determinatio ſeu actio voluntatis creatæ, tota quanta eſt, producitur a Deo, tanquam a cauſa prima rerum omnium efficienti, & tota etiam fit a voluntate creata, tanquam a cauſa efficienti ſubordinata Deo; atqui cauſa ſubordinata dicitur illa, quæ in tantum agit & ſe movet, in quantum movetur a cauſa, cui ſubordinatur, ideſt, in quantum cauſa ſuperior efficit, ut cauſa inferior agat & ſe moveat, ut docet S. *Thomas*, 1. Partis, Quæſt. 105. Art. 5. igitur voluntas creata, quæ eſt cauſa ſubordinata Deo, non agit hoc vel illo modo, niſi quia a Deo, qui eſt prima cauſa rerum omnium, efficitur, ut ſe determinet, ut agat, & hoc vel illo modo agat. Quod ſi vero efficit Deus ut voluntas creata, quæ eſt cauſa ei ſubordinata, ſe ſe determinet, moveat, & agat, oportet ut quamlibet determinationem & actionem voluntatis creatæ præcedat determinatio ſeu actio Dei, qui per concurſum prævium & phyſicum, ſeu per Præmotionem phyſicam, applicat & determinat voluntatem creatam non tantum ad agendum, ſed ad hoc vel illo modo agendum.

VI. Hactenus ſat ſuperque confutatum manet nuperum illud Syſtema de Præmotione, quod excogitavit P. *Daniel*, putans, ſe per hanc novam & falſam,

quam efformavit, Præmotionis ideam, facilius declinaturum vim argumenti ab ente petiti, quod ad ſtabiliendam neceſſitatem Præmotionis phyſicæ ad actus naturales, ſuperius, poſt Sanctum *Thomam* propoſui, & quo Thomiſtæ probant, Deum non fore cauſam efficientem omnis entis, ſi per ſuum prævium & phyſicum concurſum, ſeu per Præmotionem phyſicam, non determinaret & applicaret voluntatem creatam ad agendum; a quo certe argumento tantum abeſt, ut P. *Daniel* per illam, quam finxit, Præmotionis ideam, ſe ſe expedierit; ut potius majorem, ut oſtendi vim ac lucem ei conciliaverit. Verum, quia prædictus ille Scriptor in ſuis ad P. *Natalem Alexandrum*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem, Ordinis Prædicatorum, Epiſtolis de Schola Thomiſtica peſſime meritus eſt, rem tibi haud ingratam facturum me eſſe exiſtimo, ſi hic breviter oſtendam, quis fuerit iſte P. *Daniel*? Et quid in ſuis ad noſtrum *Natalem Alexandrum* literis propugnandum impugnandumve ſuſceperit? Quid vero noſter *Natalis Alexander*, ab eodem Scriptore provocatus & laceſſitus, ei reſponderit?

Fuit Pater *Daniel* Societatis Jeſu Religioſus Sacerdos, natione Gallus, linguæ Gallicæ cultor elegantiſſimus, ut videre eſt in multis, quæ edidit, Opuſculis, ſed præſertim in Hiſtoria, quam concinnavit, Regum Francorum, quatuor Tomis comprehenſa. Literariam concertationem de Probabilitate, & de divina Gratia habuit cum P. *Natali Alexandro*, ad quem nonnullas ſcripſit Epiſtolas, in quibus parallelum inſtituit doctrinæ Dominicanorum, & Jeſuitarum circa Probabilitatem & Gratiam. In quatuor Epiſtolis doctrinam de Probabilitate acerrime propugnavit P. *Daniel*. In aliis vero quinque, quas vulgavit ac miſſitavit, Epiſtolis Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem aggreditur; Scientiæ Mediæ novum robur addere pertentat; *Suareſii* doctrinam de *Gratia congrua* tutatur; Gratiam per ſe efficacem data opera, velut libertatis inimicam impugnat; Decreta Dei prædeterminantia ſugillat, quaſi fatalem neceſſitatem imponentia; Quæſtionem de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam, inter Thomiſtas & Jeſuitas controverſam, quæſtionem eſſe de mero nomine confidenter aſſerit; doctrinam Thomiſticam de Gratia per ſe efficaci Novatoribus, ſeu Janſeniſtis, favere pertendit; Scientiam Mediam fuiſſe a S. *Auguſtino* approbatam, eamque cum Dogmatibus Catholicis de Gratia plane conſentire; denique, totus in id incumbit P. *Daniel*, ut perſuadeat, ex Gratiæ per ſe efficacis aſſertione ſequi, præcepta Dei hominibus, illa deſtitutis, eſſe impoſſibilia, liberum hominis perimi arbitrium, & Deum eſſe auctorem pecati.

His *Danielis* Epiſtolis reſpondit *Natalis Alexander*, ſexque edidit Epiſtolas, Patribus Jeſuitis inſcriptas. Tribus prioribus Epiſtolis Parallelum doctrinæ Thomiſtarum cum doctrina Jeſuitarum circa Probabilitatem refellit; Scholæ Thomiſticæ doctrinam contra vagum Probabilitatis uſum tuetur, hancque celebrem Scholam a Probabiliſmo penitus abhorrere demonſtrat. In tribus aliis ſequentibus Epiſtolis palam oſtendit *Natalis Alexander*, Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe efficaci Janſenianis non favere, ſed potius ab Eccleſia fuiſſe approbatam; detegit ac confutat argutias & paralogiſmos, quibus Thomiſtarum doctrinam impetit Pater *Daniel*. Jam decima *Danielis* Epiſtola (in qua, ut anteà dicebam, falſam Præmotionis effinxit ideam) prodierat in lucem, cum Galliarum Regis Cancellarius nomine *Ludovici XIV*. Regis Chriſtianiſſimi, literarias ejuſmodi lites & Epiſtolas incidi juſſit, & utrique Scriptori altum ſilentium indixit. Quo factum eſt, ut illa *Danielis* decima Epiſtola, quæ poſt ſignificationem Regiorum Mandatorum vulgata eſt, ſine Reſponſo dimiſſa ſit a *Natali Alexandro*, tum quia Edicto Regis, ut poſtulat officium, obtemperare voluit; tum quia etiam exiſtimavit, nullam ex eo indicto ſervatoque ſilentio veritatis jacturam ſequi, quia pluſquam ſexcenti clariſſimi Prædicatorum Ordinis Theologi, & præſertim doctiſſimus *Antonius Maſſoulié* in ſuo Opere (quod inſcribitur: *Divus*

Thomas

Thomas ſui Interpres, quodque Romæ ſub auſpiciis *Innocentii XII.* Pontificis Maximi, editum fuit) ſole clarius demonſtrarunt, Præmotionem phyſicam, quæ in Schola Thomiſtica docetur, eſſe omninò conſonam principiis doctrinæ S. *Thomæ*; idque ultrò fatentur celebres Societatis Jeſu Scriptores *Molina*, *Suareſius*, *Bellarminus*, necnon illi Theologi, qui Romæ anno MDLXXXVI. nomine Societatis Jeſu libellum *De ratione Studiorum Societatis Jeſu* ediderunt, quem in Conventu noſtro Tholoſano S. *Thomæ Aquinatis* aſſervari, illumque præ manibus ſæpius habuiſſe ac legiſſe teſtatur jam laudatus P. *Maſſoulié* Tom. 1. ſui jam citati Operis, Quæſt. 1. Art. 1. Hæc, inquam, cum probè comperta ac explorata haberet *Natalis Alexander*, Regio edicto parens, paci ſilentio religioſo litavit, & hanc decimam Epiſtolam, in qua P. *Daniel* novam & a ſeculis inauditam effinxit Præmotionis ideam, nullo Reſponſo dignatus eſt. Hæc, Amice, te præmonere neceſſarium duxi, ut ſcires, quis fuerit iſte Pater *Daniel*, qui fucata oratione, planeque deformata & atro carbone notata Scholæ Thomiſticæ doctrina, aliquem Moliniano Syſtemati de Gratia veri colorem adſpergere conatus eſt. Sed fruſtrà jecit rete ante oculos pennatorum.

VII. Habes nunc firmiſſima principia, quibus Thomiſtæ fulciunt ac defendunt neceſſitatem Præmotionis phyſicæ non ſolùm contra Molinianæ Scholæ Theologos, ſed etiam adversùs *Cornelium Janſenium*, Iprenſem Epiſcopum, ejuſque Diſcipulos. *Janſenius* ſiquidem, contrarium Scholæ Thomiſticæ meditatus Syſtema, non veritus eſt aſſerere cap. 2. libri 8. *De Gratia Chriſti Salvatoris*, doctrinam de Præmotione phyſica deſtruere totum fundamentum gratiæ medicinalis Chriſti, & Scripturam ſubnervare: *Totum*, inquit, *fundamentum gratiæ medicinalis Chriſti ſubvertitur, & Scriptura ſubnervatur, dum Gratiæ neceſſitas non ex vulnere voluntatis, ſed naturali ejus indifferentia, vel omnium cauſarum ſubordinatione ſuſpenditur .... Qui gratiam medicinalem Chriſti ſic defendere conantur, ut eam in Prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum lapſorum & innocentium, ex vi cauſæ primæ, & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profectò Ariſtotelici ſunt, quàm Auguſtiniani*. Quibus verbis palam profitetur *Janſenius*, ſe prorsùs alienum eſſe a doctrina de Præmotione phyſica, cujus neceſſitatem repetunt Thomiſtæ è flexibilitate, ſeu indifferentia voluntatis humanæ, & ex ſubordinatione omnium cauſarum, earumque neceſſaria dependentia a Deo, qui eſt cauſa prima efficiens rerum omnium. Quocirca, cum *Janſenius*, ejuſque Sectarii in rejicienda Præmotione phyſica conſentiant cum *Molina*, ejuſque Diſcipulis, debent ſubinde *Janſenius*, ejuſque Aſſeclæ iiſdem convinci argumentis, quæ ex vi cauſæ primæ, ex naturali voluntatis humanæ flexibilitate, ſeu indifferentia, ex ſubordinatione & dependentia omnium cauſarum a Deo, ac denique è ratione entis petita propoſui tibi in hac Epiſtola, juxta tutiſſima & inconcuſſa D. *Thomæ* Dogmata.

Faceſſant ergo *Janſenii* Diſcipuli, qui, a Schola Sancti *Thomæ* extorres, jactare ſolent, S. *Thomam*, ejuſque Diſcipulos, Præmotionis phyſicæ aſſertores, dum Gratiam per ſe efficacem ad omnes humanæ naturæ ſtatus dilatarunt, procul ab *Auguſtino*, ſummo Divinæ Gratiæ Doctore, abſceſſiſſe, totoque a Sanctiſſimi illius Magiſtri germana mente atque ſententia oſtio aberraſſe. Hoc ſanè tam putidum convicium, quo *Janſenii* Diſcipuli onerare audent S *Thomam*, ejuſque Diſcipulos, faciillimè diſpungitur & confutatur. Nam primò, ſi Sanctus *Thomas* in adſtruenda Gratia per ſe efficaci, eaque ad omnes humanæ naturæ ſtatus dilatanda, germanam S. *Auguſtini* mentem non eſt aſſecutus, ſicut *Janſenii* ſectarios aſſerere non pudet, quorſum igitur *Janſenius*, eorum Magiſter, cap. 22. lib. 2. Proœmialis appellat Sanctum *Thomam Aquinatem*, honoris cauſa, *Auguſtinum Contractum*? Ut quid etiam ibidem *Janſenius* eumdem Doctorem Angelicum iſto proſequitur elogio? *Quidquid verò Theologiæ in Scholaſtica S Thomæ continetur, uſque ad ipſorum Articulorum fundamenta, ex Auguſtino mutua-*

tum eſt, ut quemadmodum novum Teſtamentum nihil eſt aliud niſi vetus revelatum, & Auguſtini de Gratia Dei doctrina nihil præter Fidei principia, in ſuas deducta concluſiones; ita Sancti Thomæ Summa, ubi Theologiam tractat, pro magna parte nihil ſit aliud, niſi Auguſtinus Contractus, certaque proportione naturalibus principiis alligatus. Itane, quæſo, Diſcipuli *Janſenii* perfricta fronte dicere audent, S. *Thomam* in ſtabilienda Gratia per ſe efficaci, eaque ad omnes naturæ humanæ ſtatus dilatanda, non fuiſſe genuinam S. *Auguſtini* mentem aſſecutum? Dum tamen *Janſenius*, quo Magiſtro gloriantur, diſertè aſſerit, Angelicum illum Doctorem redegiſſe totius doctrinæ S. *Auguſtini* principia in ſuas concluſiones; & ad Scholæ uſum ea digeſſiſſe.

Præterea, ſi præjudiciis rem expendi & peragi placeret, innumera mihi ſuppeterent, eaque graviſſima momenta, quæ illud *Janſenii* Diſcipulorum atrox convicium arguerent præfractæ audaciæ & ſacrilegę temeritatis. Non adhibebo familiæ Dominicanæ ſuffragia Theologorum, qui diù S. *Auguſtini* Opera de Divina Gratia detriverunt, quique S. *Thomam* unà cum S. *Auguſtino* mente & voce de Gratia loquentem inducunt ubique & interpretantur. Laudabo hìc duntaxat duos extraneos Theologos, *Guillelmum Eſtium*, Univerſitatis Duacenſis eximium Doctorem & Cancellarium, pari Sanctorum Patrum, & Theologiæ Scholaſticæ peritia celeberrimum, & *Leonardum Coquæum*, non minus affectù, ſtudio, & commentariis in libros S. *Auguſtini* de Civitate Dei erditiſſimis quam religioſa profeſſione Auguſtinianum, qui in materia de Gratia per ſe efficaci, ad omnes hominis ſtatus, etiam ad ſtatum innocentiæ, dilatata, concordes putant, & ſequuntur Sanctos *Auguſtinum* & *Thomam*.

At, ſi ſuffragiis horumce virorum eruditorum, qui ſunt omni exceptione majores, fidem pertinaciter abrogent *Janſenii* Diſcipuli, fidem ipſe in aliis, quas ad te mittam, Epiſtolis planè conficiam, multiſque evincam argumentis, duo illa Eccleſiæ columina, *Auguſtinum* videlicet & *Thomam*, Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis in ſenſu Scholæ Thomiſticæ neceſſitatem ad omnes & ſingulos actus ſive naturales, ſive ſupernaturales, & ad omnes ſtatus naturæ humanæ cùm innocentis, tum lapſæ, dilataſſe, ex quibus nullo negotio intelliges, doctrinam S. *Thomæ*, cui tota adhæret Schola Thomiſtica, eſſe quidem omninò contrariam doctrinæ *Auguſtini Iprenſis*, ſeu *Auguſtini*, quem nobis exhibuit *Cornelius Janſenius*, Iprenſis Epiſcopus, ab Eccleſia proſcriptus; ſed eam perfectè conſentire, & amice conjurare cum doctrina veri *Auguſtini*, Epiſcopi Hipponenſis, quam omni ęvo approbavit & adoptavit Catholica Eccleſia. Vale, & mei in tuis precibus jugiter memor, litteris, & pietatis operibus, ut decet virum Deo ſacrum, graviter incumbe.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA TERTIA
THEOLOGICA,

In qua omni argumentorum genere demonſtratur, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, ad eliciendos actus ſupernaturales eſſe omnino neceſſariam.

GAudeo impenſe, quod in tua Epiſtola, quam poſtridie accepi, ſumma cum animi mei oblectatione perlegi, mihi ſignifices, tibi vehementer arridere Philoſophicam illam rationem, ab ente petitam, qua in ſuperiori mea Epiſtola probavi, Deum non fore primam cauſam efficientem totius entis, quod in rerum natura producitur, ſi ſemel Deus (ut docent Scholæ Molinianæ Theologi) per ſuum prævium & phyſicum influxum non efficeret omnes determinationes & actiones voluntatis creatæ, quæ revera ſunt entitates & realitates plane diſtinctæ à potentia, quam habet voluntas creata, ſe ſe determinandi, & actiones ſuas eliciendi. At enim, ut ais, facta hac Molinianæ Scholæ hypotheſi, quod Deus per auxilium prævium & phyſicum non determinet voluntatem creatam ad agendum, ſed ei tantum offerat auxilium verſatile de ſe indifferens, & à voluntate creata determinandum. ſequitur primo: Totum negotium determinandi hoc divinum auxilium, quod ex ſe vagum eſt & indifferens, eſſe penes ſolam voluntatem creatam, eamque integram poteſtatem habere rebus concedendi aut denegandi exitum, & ſingulos eventus pro ſuo arbitrio diſponendi. Quę conſecutio (ſicut optime advertis) eo maximè tendit, ut nutriat ac foveat hominis ſuperbiam, eique ſubminiſtret fiduciam in ſuis viribus, & non in Domino collocandi. Prӕterea, inquis, ex hac Molinianę Scholę hypotheſi manifeſto ſequitur: Deum non eſſe primam cauſam efficientem rerum omnium, eaſque determinantem ad agendum, ſed duntaxat eſſe cauſam de ſe indifferentem, quę creaturę rationalis motibus ac determinationibus faſces ſubmittere, ſeu obtemperare tenetur, dicto voluntatis humanæ obedire, & in id unice intenta eſt, ut ad modulum noſtrarum determinationum ſe ſe inflectat ac componat. Quæ conſecutio, ut appoſite in tua Epiſtola obſervas, adimit Deo rationem primæ cauſæ efficientis rerum omnium, & ſupremum dominium, quod in animos, voluntateſque hominum obtinet, haud parum decurtat.

Ab his duabus conſecutionibus quæ ex Scholæ Molinianæ doctrina deducuntur, te vehementer abhorrere declaras; jamque tuo calculo incipis approbare doctrinam de Præmotione phyſica, quia (ut ſcribis) in hac Thomiſtarum doctrina non auxilium Dei verſatile, indifferens, & ſubtremulum, non actionem Dei creaturis præpoſtere famulantem & ſubordinatam, conſpicis, ſed potius Deum contueris ac recognoſcis ubique & apud voluntatem, & apud intellectum, & in omnibus noſtris actionibus & determinationibus per ſuum concurſum prævium & phyſicum determinantem, corda hominum ſummo regentem imperio, ſingulos greſſus noſtros dirigentem, & operantem ut Deum, ideſt, tanquam ſupremum rerum omnium dominatorem. Hæc ſunt in ſumma, quibus mentem tuam circa Præmotionem phyſicam expreſſiſti in poſtrema, quam ad me ſcripſiſti, Epiſtola; quæque me eam in ſpem erigunt, fore ut hanc Scholæ Thomiſticæ doctrinam

magno

magno deinceps animi æſtu propugnes; ſi alias ſummi momenti rationes, quas, ad probandam Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, ad eliciendos actus ſupernaturales, neceſſitatem, in Iſta Epiſtola afferam, & in optima luce collocare ſatagam, ea, qua par eſt, animi attentione legere, æqua lance librare, & alte memoriæ tuæ infigere non te pigeat.

I. Primum argumentum, quo probatur, Præmotionem phyſicam eſſe omnino neceſſariam, ad eliciendos actus ſupernaturales, iſtud eſt: Ideo negant Scholæ Molinianæ Theologi, Præmotionem Phyſicam eſſe neceſſariam ad actus ſupernaturales eliciendos, quia docent, voluntatem creatam non determinari ad agendum ab auxilio Dei, ſed, verſa vice, auxilium Dei, quod ex ſe eſt indifferens & verſatile, determinari à voluntate creata; Atqui auxilium Dei non determinatur à voluntate creata, ſed illam determinat ad agendum; Ergo Præmotio phyſica ad exerendos actus ſupernaturales eſt prorſus neceſſaria. Probatur minor propoſitio: poſſe bene agere, minus perfectum eſt, quam ipſum bene agere; quia, ut creatura rationalis poſſit bene agere, ſufficit ut ſit conſtituta in ratione principii habitualis bene agendi; at, ut actu bene agat, neceſſe omnino eſt, ut ſit conſtituta in ratione principii actualis bene operandi: nemine autem refragante, majorem perfectionem obtinet creatura rationalis, dum eſt conſtituta in ratione principii actualiter operandi, quam dum ſimpliciter conſtituta eſt in ratione principii habitualiter duntaxat operandi: Atqui, ſi creatura rationalis determinaret auxilium Dei, conſtitueret ſe per ſuam determinationem in ratione principii actualiter bene operandi (ſupponunt quippe Adverſarii, voluntatem creatam non determinari ab auxilio Dei, ſed determinationem auxilii divini ſtare penes voluntatem creatam). Igitur auxilium Dei non conſtitueret creaturam rationalem in ratione principii actualiter bene operandi, ſed creatura rationalis per ſuam determinationem conſtitueret ſe ſe in ratione principii actualiter bene agendi, ſicque homo perfectior fieret per ſe ipſum, ſeu per determinationem ſuam, quam per Deum. Deus enim per auxilium indifferens, quod homini offerret, daret quidem illi *poſſe bene agere*, ſed homo, determinando auxilium Dei, daret ſibi *bene agere*, quod eſt longe perfectius, ſicque collatis ſimul his, quæ à Deo, & ab homine, intra hominem, fiunt, perfectius opere Dei futurum eſſet opus hominis; & quod perfectius ac magis præcipuum eſt in negotio noſtræ ſalutis non eſſet à Deo, ſed ab homine, qui ſubinde non in Gratia Dei, quæ eſſet indifferens & verſatilis, ſed in ſe ipſo, qui Gratiam Dei ad bene agendum determinaret, ſpem ſalutis ſuæ ac fiduciam collocaret. Quam doctrinam S. *Auguſtinus* pluribus in locis reprobat, ſed præſertim Enarratione in Pſalmum 58 ubi ſic Deum affatur: *Feciſti ut eſſem, & non tu feciſti ut bonus eſſem? Dediſti mihi ut ſim, & potuit mihi alius dare, ut bonus ſim? Si tu mihi dediſti ut ſim, & alius mihi dedit ut bonus ſim, melior eſt ille, qui mihi dedit ut bonus ſim, quam ille, qui mihi dedit ut ſim.* Et lib. *de Gratia & libero Arbitrio* cap. 4. hæc habet Aquilinus ille Doctor: *Metuendum eſt, ne audeat homo ſpem recte vivendi in ſe ipſo ponere, ut ſequatur eum maledictum Jeremiæ Prophetæ, dicentis, Maledictus homo, qui ſpem habet in homine, & firmat carnem brachii ſui, & à Domino diſcedit cor ejus.... Brachium, pro potentia poſuit operandi; in nomine autem carnis intelligenda eſt humana fragilitas.*

II. Alterum argumentum ſic propono: Si auxilium Dei non determinet voluntatem creatam ad agendum, ſed voluntas creata illud determinet (ſicut docent Præmotionis phyſicæ oſores) ſequitur ſupervacaneum eſſe Deum orare, ſeu ab ipſo petere, ut bene agamus. Si enim bonus uſus Gratiæ (ut ajunt Scholæ Molinianæ Theologi) a nobis ſit, ſeu pendens è ſola voluntatis noſtræ determinatione, per quam Dei Gratia verſatilis redditur efficax & determinatur ad bene agendum; quorſum, amabò, poſtulabimus à Deo, quod ab ipſo

non

non ſumus accepturi, ſed à ſola voluntatis noſtræ determinatione pendet, & continuò eſt in noſtra poteſtate? *Quid enim ſtultius* (ait S. Auguſtinus lib. *De Natura & Gratia* cap. 18.) *quàm orare ut facias, quod habes in tua poteſtate?* Et cap. 9. ad *Bonifacium* ait idem ſummus ille Divinæ Gratiæ Doctor: *Inaniter & perfunctoriè potius, quam veraciter Deo fundimus preces, ſi ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias voluntates. Prorſus non oramus, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum credimus facere quod oramus; ſi petimus quod in noſtra credimus poſitum poteſtate.*

Iſtud argumentum duobus ſequentibus exemplis breviter illuſtro: Sit Ex. G. homo aliquis, quem actu urgeat implendi cujuſdam præcepti neceſſitas. Quæſo te, quidnam eſt quod poſtulaturus ſit à Deo homo iſte? An Gratiam ſufficientem, quæ dat potentiam agendi? Atqui ſupponitur, eam à Deo ei datam fuiſſe, nemo autem poſtulat quod jam habet; & nemini contigit uſpiam poſtulare corpus à Deo, aut mentem, aut voluntatem, aut intellectum. Rogabitne iſte homo Deum, ut det illi bonum uſum Gratiæ, videlicet determinationem? Atqui hanc determinationem, ſeu bonum uſum Gratiæ dare creatæ voluntatis eſt, non Dei, ut contendunt Adverſarii, qui voluntatem creatam non determinari à Gratia Dei, quæ eſt indifferens, ſed Gratiam Dei de ſe verſatilem, & indifferentem, à voluntate creata determinari dictitant. Porrò, ſi huic homini neque Gratiam ſufficientem, neque bonum uſum Gratiæ petere debeat à Deo, quid tandem huic homini remanebit à Deo poſtulandum? Nihil profectò in Syſtemate Moliniſtarum de Gratia verſatili, indifferenti, & quantum ad ſui determinationem libero hominis ſubdita arbitrio; ſicque, juxta Moliniſtarum Syſtema, actum eſſe videtur de neceſſitate orandi Deum ut benè agamus.

Aliud ſubjicio exemplum: Sit infidelis quiſpiam auxilio verſatili Moliniſtarum adjutus ad credendum, qui tamen non credat: Sit etiam Juſtus aliquis eodem verſatili auxilio præditus ad perſeverandum, qui non perſeverat. Hac facta hypotheſi, vide, ſodes, quid indè ſequatur? Certum eſt, Eccleſiam nihil poſtulare à Deo, quàm quod ipſe Deus facit: Atqui in hoc infideli, & in illo Juſto, nihil, juxta Moliniſtarum Syſtema, reſiduum eſt, quod faciat Deus, quia (ut docent illi Theologi) jam Deus utrique dedit auxilium verſatile, quod tribuit homini quæcumque ad agendum ſunt neceſſaria, adeò ut ad actu agendum nullum aliud ex parte Dei deſideretur auxilium, ſed tantum ex parte hominis requiratur conſenſus, per quem voluntas creata determinet auxilium Dei verſatile & indifferens, illudque hac determinatione reddat efficax. Nihil ergo eſſet, quod Eccleſia pro illo infideli, & pro iſto juſto poſtularet à Deo: Atqui tamen Eccleſia pro Infidelium, Judæorum, Hæreticorum & peccatorum emendatione orare non deſinit, donec fuerint reipſa corde mutari & converſi. Pro juſtis poſtulat à Deo Eccleſia magnum perſeverantiæ donum, cujus beneficio perſtent conſtantes in accepta juſtitia. Pro nobis peccatoribus Deum jugiter rogat Eccleſia, ut det nobis Gratiam, quæ activè immutet corda noſtra, quæ rebelles noſtras ad ſe compellat ire voluntates, & ex nolentibus faciat volentes ac conſentientes; quæ applicet conoſtrum bonis operibus, quæ nos convertat, auferendo cor lapideum, & dando nobis cor carneum, ſeu docile. Poſtremò, pro Infidelibus & Judæis petit Eccleſia, ut Deus eorum mentem incredulam adaperiat verbo vitæ, corda illorum transferendo è tenebris in admirabile lumen ſuum. Quæ certè omnia nullo pacto fieri poſſunt à motione morali, ſeu à Gratia Moliniſtarum verſatili & indifferenti; quippe quę nec activè immutat corda noſtra, nec bonam inferit voluntatem, nec nos transfert à malo ad bonum, nec facit nos ex nolentibus volentes; ſed ſolum ſuadet, invitat, & incitamentis moralibus allicit voluntatem hominis, ſine cujus prævia determinatione remanebit prędicta Moliniſtarum Gratia iners, paralytica, & abſque ullo effectu.

Non ergo hanc Moliniſtarum Gratiam ver-

verſatilem & indifferentem Eccleſia in ſuis precibus & orationibus poſtulat à Deo pro nobis, ſed ab illo petit Gratiam per ſe efficacem, quæ per phyſicum & prævium influxum determinet & applicet voluntates noſtras ut benè operemur, ut convertamur, ut amemus illum, & præcepta ejus obſervemus, ut nobis placeant quæ antehac averſabamur, & ut liberrimè velimus, quæ priùs facere detrectabamus. Ex quibus argumentationem conficio quam maximè efficacem: Non rogatur Deus, niſi eo fine ut id, quod rogatur, faciat ac concedat. Fac igitur, Deum id, quod rogatur, concedere, conſequens eſt, illud itidem facere. Rogatur Deus, ut hominem hunc peccatorem convertat, & reverà per ſuam Gratiam ab intrinſeco efficacem convertit & immutat. Rogatur Deus, ut juſtum è tentatione eripiat; & illum reapſe eripit. Rogatur Deus, ut hanc voluntatem rebellem vincat; & actutum vincit. Rogatur: Deus, ut velle & perficere operetur in nobis; & re ipſa operatur. Igitur precibus quotidianis Eccleſiæ, auxiliorum per ſe efficacium atque prædeterminantium ad benè agendum doctrina Thomiſtica plane adſtruitur. Illud enim auxilium per ſe & ab intrinſeco efficax eſt, quod ubique & propria vi effectum producit: Atqui ubicumque conceſſerit Deus, id quod rogatus erit à nobis, procul dubio & convertet nos, inclinabit & inflectet quomodò voluerit, idque per ſuam omnipotentiam, per virtutem quamdam voluntatis rebellis domitricem, per Gratiam ſe ipſa efficacem humanæ voluntatis contumaciæ victricem & liberum ipſius conſenſum inſerentem; ergo auxilia, quæ Deus, a nobis rogatus, ad benè operandum, & ad actus pietatis exercendos concedit, ſunt ſemper per ſe & ab intrinſeco efficacia, atque prædeterminantia.

At contrà, ex ſententia Scholæ Molinianę Theologorum, qui negant, Deum per influxum ſuum prævium & phyſicum determinare voluntatem creatam ad benè agendum; aſſeruntque, auxilium Dei eſſe ex ſe verſatile & indifferens, illudque ad benè agendum determinari à voluntate creata; ex ea, inquam, Molinianæ Scholæ Theologorum ſententia palam ſequitur; bonas humanę voluntatis actiones non eſſe adſcribendas auxilio Dei, quod illi Theologi ſupponunt eſſe indifferens, ſed tribuendas eſſe ſoli voluntati creatæ, quæ determinat auxilium Dei, illudque pro ſuo nutu & arbitrio inclinat & flectit. Quod ſi ita ſit, orationes Eccleſiæ redduntur penitus inutiles. Si enim (ut mox dicebamus) nihil poſtulatur à Deo, niſi quod facit Deus; ut quid, quæſo, à nobis rogabitur Deus, ut rebelles ad ſe propitius compellere velit voluntates, inflectere, edomare, & ad bonum applicare, operando in nobis velle & perficere, operando in nobis omnia opera noſtra, omneſque determinationes, attribuendo menti virtutem, robur, efficaciam internam, denique infundendo intra nos Gratiam, pervicacię cordium noſtrorum victricem, ut quid, inquam, rogabimus Deum, ut hæc omnia nobis concedat, ſi reverà Deus illa non efficiat, ſed tantùm hæc omnia operetur, ſibique det voluntas creata; quæ ſola (ut docent Moliniſtæ) prævie determinat auxilium Dei, quod de ſe eſt omninò indifferens, vagum & indeterminatum? Profectò, ut inquit S. *Auguſtinus* loco ſuperius à me laudato, *prorſus non oramus, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum, ſeu Deum, credimus facere, quod oramus*. Et in Epiſtola 217. ad *Vitalem*, Semipelagianum, ſic eum alloquitur Sanctus ille Doctor: *Exſere*, inquit, *contra orationes Eccleſiæ diſputationes tuas, & quandò audis Sacerdotem Dei exhortantem ad altare populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad Fidem, & pro Cathecumenis, ut eis deſiderium regenerationis inſpiret, & pro fidelibus, ut in eo, quod eſſe cæperunt, ejus munere perſeverent; ſubſanna pias voces, & dic, te non facere quod hortatur, ideſt, Deum pro infidelibus, ut eos fideles faciat, non rogare, eo quod non ſint iſta divinæ miſerationis beneficia, ſed humanæ officia voluntatis*. Legeſis ejuſdem S. Doctoris, lib. *De Dono Perſeverantiæ* cap. 23.

III. Tertium argumentum, quo Thomiſtæ Præmotionis phyſicæ, ſeu Gra-

tiæ

Digitized by Google

tiæ per ſe efficacis, ad bene agendum neceſſitatem probant, petitur ex gratiarum actione, quam Deo pro acceptis beneficiis rependere debemus. At enim, inquiunt Thomiſtæ, ſi Deus per influxum prævium & phyſicum non determinet hominem ad agendum, ſed homo auxilium Dei, quod de ſe eſt indifferens, determinet ad actionem; planum eſt, hominem non debere pro bona illa determinatione, quam ſibi dat, & non recipit à Deo, gratias agere Deo, ſed ſibi ſoli gratias agere debere, quia illius bonę determinationis ſolus ipſe auctor eſt, ut luculenter conſtat ex iſto exemplo, quod hic, majoris claritatis ergo, ſubjicio.

Ponamus enim quod Scholæ Mollnianæ Theologorum, (quibus cum in præſentia res mihi eſt) Syſtema admittit: duos ſcilicet homines eadem verſatili & indifferenti gratia Dei donatos, unum vero ex illis gratia hac verſatili aſſenſu & determinatione liberi ſui arbitrii bene uti, eamque efficacem reddidiſſe ut bene ageret; alterum autem hominem eadem gratia verſatili male uſum eſſe, eamque reddidiſſe inefficacem ut male ageret. Hac facta ſemel hypotheſi, majores gratias referre non deberet homo ille, qui aſſenſu ſuo ac determinatione gratiam verſatilem reddit efficacem, quam alter homo, qui eam reddit inefficacem; de his ſiquidem tantum beneficiis Deo grates agimus; quæ ab illo vere accepimus: Atqui in ea Molinianæ Scholæ Theologorum hypotheſi, nihil plus beneficii a Deo percepiſſet homo ille, qui ſuo aſſenſu & bona determinatione gratia verſatili bene uſus fuiſſet, eamque reddidiſſet efficacem, quam alius homo, qui ea male uſus fuiſſet, eamque reddidiſſet inefficacem; quia eamdem perinde gratiam verſatilem & indifferentem ambo illi homines accepiſſent a Deo & unus ex his, citra alterius novæ gratiæ à Deo datæ acceſſionem, conſenſum ſuum, ſeu bonam voluntatis ſuæ determinationem ex ſe ipſo addidiſſet; quem conſenſum cum a gratia Dei verſatili & indifferenti non accepiſſet, ſed ſibi ex ipſo naturæ penu tribuiſſet, Deo acceptum referre haud poſſet, ſubindeque Deo non poſſet de hoc à ſe præſtito conſenſu gratias agere, ſicut pluribus in locis docet & inculcat Sanctus *Auguſtinus*, potiſſimum in Epiſt. 217. ad *Vitalem*, ubi hæc habet: *Prorſus non Deo gratias agimus, ſed nos agere fingimus, ſi unde illi gratias agimus, ipſum facere non putamus*. Et cap. 19. libri *De Prædeſtinatione Sanctorum* ait: *Si quis homini gratias ageret pro eo, quod illum vel putaret non præſtitiſſe vel noſſet; adulatio vel irriſio verius, quam gratiarum actio diceretur*.

Quocirca, ſi cum Mollniſtis dicas, Deum non dare homini actionem, ſed nudam potentiam agendi; neceſſe eſt ut dicas, hominem de omnibus ſuis actionibus Deo gratias agere non debere. Si vero hominis actionem Deo adſcribas, ſed bonam hominis determinationem ſoli voluntati hominis tribuas; fateri debes, non oportere ut homo de bonis ſuis determinationibus, ſeu de bono uſu gratiæ Deo grates rependat. Denique, niſi plane ſentias, Deum operari in nobis & poſſe, & agere, & omnes actiones & determinationes noſtras, proindeque divinum influxum in voluntatem creatam prævium, phyſicum, ac prædeterminantem agnoſcas, nunquam Deo de omnibus bonis, quæ habes, gratias agere valebis, nec veraciter coram Deo, (ut par eſt) confiteri, *omnia*, ut inquit Scriptura Sacra, *eſſe ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, eique ſoli gloriam & honorem tribuendum*.

IV. Quartum argumentum, quo Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, ad ſingulos pietatis actus neceſſitas evincitur, ſuppeditat Apoſtolus *Paulus* cap 4. Epiſtolæ 1. ad Corinthios, ubi hominem alloquendo hæc habet: *Quis te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Et cap. 10. Epiſt. 2. ad Corinthios: *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur*. Ex quibus Apoſtoli verbis hoc argumentum conficio: Si Deus per auxilium prævium & phyſicum non determinaret voluntatem creatam ad bene agendum, ſed e diverſo voluntas creata auxilium Dei de ſe indifferens & verſatile determinaret, redderetque efficax,

ut volunt Moliniſtæ; ſequeretur, hominem poſſe gloriari in ſemetipſo, ſeque de ſuo naturę penu poſſe diſcernere à quocumque alio: Atqui id apertè negat Apoſtolus *Paulus*, ergo homo non determinat auxilium Dei, quod Adverſarii noſtri ſupponunt eſſe ex ſe indifferens, verſatile, ſubditum libero hominis arbitrio, & promiſcue omnibus datum Probatur ſequela majoris propoſitionis exemplo duorum hominum, qui unam eamdemque habeant gratiam verſatilem indifferentem, cujus ope rectè operandi & in bono perſeverandi potentiam recipiant. Hac facta hypoteſi, ſit unus ex his duobus, qui per conſenſum & determinationem ſuam benè utatur gratia illa verſatili, & rectè agat, non item alter; perſeveret ille, non iſte; certè id diſcriminis orietur ex eo, quod ille ſuæ voluntatis aſſenſu verſatilem & indifferentem Dei gratiam reddidit efficacem; iſte verò homo eamdem gratiam verſatilem & indifferentem ſuo diſſenſu irritam & inutilem fecit. Undè ſequitur, unum ex iſtis duobus hominibus ſe ſe & ex ſuo diſcernere ab alio, & non ex gratia, quæ in utroque homine ſupponitur eadem, & æqualis, atque perindè utriuſque libero ſubdita arbitrio! *Gratia enim*, (inquit S. *Auguſtinus* lib. *De Nuptiis & Concupiſcentia* cap. 3. & lib. *De Præd. Sanctorum* cap. 5.) *quæ eſt communis bonis & malis, non diſtinguit bonos à malis*.

Quod ſi ſemel aliquis homo poſſit ex ſuo ſe diſcernere ab alio in negotio ſalutis ſuæ, poterit itidem gloriari de ſuo & in negotio ſalutis ſuæ ſuperbire, quod videlicet per conſenſum, quem daret gratiæ Dei verſatili & indifferenti, & per bonam determinationem ſuam, ex ſua tantum voluntate profectam, ſibi dediſſet actu benè agere, ſicque funditus rueret ſolidum omnium Chriſtianarum virtutum fundamentum, ſcilicet humilitas. Nam ſi ſemel creatura rationalis daret ſibi per ſuam determinationem actu benè agere, ut volunt gratiæ verſatilis defenſores, inde procul omni dubio ſuperbiendi, & de ſua bona determinatione, quam a ſe, & non a Deo accepiſſet, gloriandi anſam, & occaſionem facilè arriperet.

Jam ergo vides, quantum Moliniſtarum de gratia verſatili & indifferenti Syſtema favere videatur & cupiditati & ingenitæ hominis ſuperbiæ; quæ duo ſatis preſtò ſunt ad hominem ſeducendum; quantaque in eo Syſtemate immineant pericula a prava naturæ corruptæ propenſione ad malum. Quæ certè pericula te a Moliniſtarum doctrina, quam longiſſimè remotum tenere debent. Valdè enim pertimeſcendum videtur, ne, eam doctrinam ſectantes, dum omnipotentiæ Dei fines præſcribimus, ſupremi Numinis læſi crimen incurramus, ne ſanctiora ipſius jura nobis inſolentius arrogemus, dum benè agendi principatum nobis ipſis vindicamus; ne inſuper rebellemus contrà Deum, dum ab ipſo pendere volumus ad menſuram; ne quidquid boni habemus ei acceptum referre nolentes, eripiamus ei laudem quidquid boni facimus operandi in nobis; ne rationem primæ & univerſaliſſimæ cauſæ efficientis, & in cæteras alias creatas ſibi ſubordinatas cauſas prævie & phyſicè influentis, ei eximamus; ne cæci planè & inertes jaceamus, propterea quòd Deum, patrem luminum, a quo, teſte Apoſtolo *Jacobo*, deſcendit omne bonum, nolimus recognoſcere; ne Deo nos potentiores judicemus, dum illius auxilia determinare & efficacia reddere pręſumimus; ne ingrati prorſus & acceprorum beneficiorum immemores evadamus; dum noſtram ab impiis diſcretionem nobis tribuimus; ne ſpem noſtram collocemus non in Deo, ſed in homine, dum expectamus ab homine, ſeu à determinatione voluntatis creatæ, efficaciam Gratiæ, ne orationes noſtras, & gratiarum actiones planè irriſorias reddamus, dum ab eo petimus bonum gratiæ verſatilis uſum, vel de eodem bono uſu ei gratias agimus, quem tamen credimus è ſola noſtra prodire voluntate; ne denique pares nos faciamus Deo, dum omnipotentiſſimæ virtuti Divinę Gratię dominari noſmetipſi affectamus. His certiſſimè periculis ſe ſe exponere videntur hi Theologi, qui excellentiora quędam jura, eis omninò indebita, ſibi arrogant; qui de-

determinandi auxilii divini auctoritatem uſurpant, cum tamen penes Deum ſit efficere ut voluntas creata ſe determinet & bene operetur, qui ſibi tribuunt quod debetur Deo, ei ſurripiunt quod illius eſt, atque, quod caput eſt, in ejus locum ſe ſe in re capitali ſufficiunt. Ne igitur in hæc graviſſima pericula temere te conjicias quam maxime cavere debes.

Non clam me eſt, Scholæ Molinianæ Theologos reſpondere ſolitos eſſe, hominem non ſine gratia Dei verſatili perfectiorem evadere, ſubindeque omnia illa conſectaria & pericula, quæ Thomiſtæ eis objiciunt; nullo pacto effluere ex ipſorum doctrinæ principiis.

Verum, hæc Moliniſtarum Reſponſio facile confutatur. Quia homo, tametſi non ſine gratia verſatili perfectior evadat; majorem tamen, in Moliniſtarum ſententia, accipit a ſe ipſo perfectionem, quam a gratia verſatili recipiat. Siquidem quam habere nequit a gratia verſatili determinationem bonam, hanc habet a ſe ipſo; gratia enim verſatilis, ut docent Moliniſtæ, dat tantum homini *poſſe bene agere*, ſed homo per bonam ſuam determinationem dat ſibi ipſum *bene agere*, quod (ut fatentur onmes) eſt perfectius quam poſſe *bene agere*. Perfectio quippe hominis non in eo ſita eſt, quod *poſſit agere*, ſed conſiſtit in eo, quod *poſſit bene agere*, & reipſa *actu bene agat*. Quo fit, ut in homine dignior ac perfectior ſit voluntatis determinatio, quam id, quod eſt indifferens, vagum, ac indeterminatum; quia non niſi penes bonam determinationem differt homo juſtus ab injuſto, cum diſcrepare inter ſe ambo nequeant per auxilia Dei indifferentia & indiſcreta, quæ (juxta Scholæ Molinianæ Theologos) utrique homini, juſto ſcilicet & injuſto, ſunt ex æquo communia. Homo itaque per ſuam bonam determinationem, quam a gratia verſatili utpotè indifferenti, minime ſortiretur, ſed duntaxat haberet a ſe ipſo, perfectior, quam antehac eſſet, evaderet; utpotè qui a gratia verſatili acciperet duntaxat *poſſe bene agere*, ſed ſibi per bonam ſuam determinationem tribueret *actu bene agere* ſicque pejorem & imperfectiorem partem relinqueret Deo, dum ſibi vindicaret partem potiorem, & in perfectionis negotio præcipuam.

Ex quo evidenter in Syſtemate Moliniſtarum ſequitur, hominem aliquid ſupra gratiam verſatilem & indifferentem de ſuo addere; perfectiorem ſe ipſum reddere, quam illum reddat gratia verſatilis ſubindeque efficere, *ut per ſe ipſum bonus ſit homo, non per Deum, aut certe melior ſit per ſe ipſum, quam per Deum*; inquit S. *Auguſtinus* lib. 5. *Operis imperfecti* contra *Julianum*. Idem docet Sanctus ille Pater lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 2. ubi hæc habet: *Quaſi componit homo cum Deo, ut partem Fidei ſibi vindicet; atque illi partem relinquat; & quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi; & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.* Enim vero ut obiter dicam, ſi Scholæ Molinianæ Theologos audiamus, procedit a nobis primitus id, quod totius noſtræ juſtitiæ caput, atque in actibus noſtris plane decretorium eſt, illa nimirum bona determinatio princeps, per quam creata voluntas determinat gratiam Dei verſatilem & indifferentem. Motiones enim duntaxat morales, quales admittunt Moliniſtæ tantam habere haud poſſunt efficaciam, ut voluntatem creatam valeant per ipſas infallibiliter inclinare ac determinare. Quod ſi bona voluntatis creatæ determinatio ab homine ſolo procedit reliquum eſt, ut per bonam illam suæ voluntatis determinationem homo ſe ab alio diſcernat, ſitque ſolus ſuæ majoris perfectionis auctor.

V. Quintum nunc propono argumentum perinde efficax, deſumptum ex omnipotentia Dei, quam omnes fideles credere in Symbolo Apoſtolorum profitentur: Si Deus per concurſum ſuum prævium & phyſicum non determinaret voluntatem creatam ad agendum, ſed, verſa vice, voluntas creata determinaret gratiam Dei verſatilem & indifferentem, ſequeretur, Deum non fore omnipotentem; atqui id citra hæreſim dici non poteſt, ergo Deus prævie & phyſice determinat voluntatem creatam ad agen-

agendum. Probatur ſequela majoris propoſitionis: Volunt enim Scholæ Thomiſticæ Adverſarii, Deum per ſuum concurſum prævium & phyſicum non determinare voluntatem creatam ad agendum, ſed tantummodo Deum voluntati creatæ offerre auxilium indifferens & indeterminatum, quod ajunt determinari, reddique efficax a voluntate creata. Ex quo intimo Molinianæ doctrinæ principio manifeſta conſecutione deducitur, Deum non poſſe per illum influxum, ſeu per auxilium indifferens & indeterminatum (quod, juxta Moliniſtas, offert creaturæ rationali) efficere ut creatura rationalis conſentiat. cum potiùs hunc conſenſum expectare debeat a voluntate creatæ determinatione, ſine qua, fatentibus Moliniſtis, auxilium Dei ſemper Indifferens, vagum, pendulum, ac indeterminatum remanebit. Porrò, hanc doctrinam, pluribus in locis reprobat S. Auguſtinus, ſed præſertim lib. *De Gratia & libero Arbitrio* cap. 21. ubi hæc habet. *Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per hos agat quidquid ipſe agere voluerit*. Et cap. 9. libri *De novo* Cantico ait: *Deo volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit arbitrium; ita quippe velle & nolle in volentis & nolentis eſt poteſtate. ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem*. Docet etiam alibi S. *Auguſtinus* li cap. 14. *De Corrept. & Gratia*, quod *Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi ſuas*. Ex qua S. *Auguſtini* doctrina quæ ſpectat conſequentem Dei voluntatem, ſic ipſe argumentor: Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi homines ſuas; Atqui homines citra ullum ſuæ propriæ libertatis periculum ſe ſe determinant ad agendum, quidni igitur poterit Deus voluntatem hominis, ſalva & incolumi manente ejus libertate, determinare ad agendum? Præterquamquod, ſi, juxta Syſtema Moliniſtarum, creatura rationalis determinans auxilium Dei, quod dicunt eſſe de ſe indifferens & indeterminatum, non tollit libertatem Dei, ut aſſerunt itidem Moliniſtæ, quanto potiori jure, Deus voluntatem creatam, quæ ab illo omnino dependet, ſua actione determinans ad benè agendum, ejus libertatem non lædet?

VI. Sextum argumentum, quo Thomiſtæ Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis ad bene agendum neceſſitatem adſtruunt, ſumitur e ſupremo dominio, ſeu abſoluto imperio, quod Deus obtinet in omnes creaturas. At enim, ſi auxilium Dei eſſet de ſe indifferens, vagum & indeterminatum; atque a voluntate creata determinaretur, ut docent Scholæ Molinianæ Theologi, ſequeretur, Deum non habere ſupremum in creaturam rationalem dominium. Qui etenim ſupremo & abſoluto in aliquam rem pollet dominio, poteſt ea pro ſuo arbitrio uti quando vult, quotieſcumque vult, & quomodocumque vult: Atqui ſi Deus per ſuum prævium & phyſicum influxum non determinet voluntatem creatam ad bene agendum, ſed, verſa vice, voluntas creata (ut volunt Moliniſtæ) determinet auxilium Dei, quod ſupponunt eſſe indifferens & indeterminatum; non poterit. Deus uti creata voluntate, ſeu illam applicare ad ſuas operationes, quando volet, quotieſcumque volet, & quomodocumque volet, ſed debebit, antequam quidpiam futurum abſolute decernat, explorare quid voluntas creata pro ſuo nutu & arbitrio factura ſit, & quam in partem determinatura ſit auxilium illud indifferens & verſatile, quod ei offert; proindeque Deus non haberet dominium & imperium abſolutum in voluntatem creatam, ſed duntaxat dominium mere politicum; cum tamen Scriptura Sacra dominium abſolutum in creaturam rationalem Deo diſerte tribuat cap. 21. libri, *Proverbiorum*, dicens: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*. Hac ratione pluribus in locis utitur S. *Auguſtinus*, & cap. 14. libri *De Correptione & Gratia* ait, *Deum de ipſis hominum voluntatibus*, in quas habet deſpoticum, ſeu abſolutum, dominium, *facere quod vult*.

VII. His argumentis, quæ hactenus ad ſtabiliendam Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, ad bene agendum neceſſitatem, in medium produxi;

Digitized by Google

duxi; tres adjungere placet non minoris ponderis rationes, quarum duæ priores ad vitam juxta officia Chriſtianæ Religionis peragendam, ad negotium ſalutis noſtræ in timore & tremore operandum, & ad pœnitentiam peccatorum noſtrorum ad ultimam vitæ noſtræ periodum non procraſtinandam, viam parant tutiſſimam, juxta principia Thomiſtarum doctrinæ de Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, ad bene agendum neceſſitate, contra vero, Moliniſtarum doctrinam de Gratia verſatili & ſubdita libero hominis arbitrio, nimium peccatoribus indulgere, eoſque, ut mihi videtur, inducere ad ſecurius & frequentius peccandum, ac tandem illos in finalem impœnitentiam præcipitare, planiſſime duæ illæ priores, quas hic inſeram, rationes demonſtrant. Tertia vero ratio, quam ultimo loco ponam, oſtendet, quantum ad Hæreticorum hujus temporis, Lutheranorum & Calviniſtarum converſionem, ſeu ad illos in gremium Eccleſiæ Catholicæ revocandos conducere ac juvare poſſit doctrina Thomiſtarum de Gratiæ per ſe efficacis ad bene agendum neceſſitate; quantum vero prædictorum Hæreticorum converſioni officiat hæc Moliniſtarum de Gratia verſatili, & ſubdita voluntatis humanæ determinationi, ſententia.

Sed, ut facilius penetrare poſſis vim duarum priorum rationum, quas hic mox ſubnectam, non abs re erit, ſi dixerim cum doctiſſimo noſtro *Vincentio Contenſono*, videri mihi, pleraſque morum laxitates & deſultoria quævis benigniorum Caſuiſtarum Reſponſa ex eo potiſſimum capite promanaſſe, quod falſis circa Gratiam opinationibus imbuti nonnulli Theologi, licita paſſim pronuncient quæcumque vetare nimis durum videretur & grave naturæ hominis in ſtatu naturæ lapſæ, nec ipſius viribus ſatis accommodatum. Hinc ad emolliendam legem Dei, quæ eis dura nimis videbatur, & ad eam debilitatis hominis lapſi viribus attemperandam, ſubtiliter excogitarunt novam de probabilitate opinionum doctrinam, quæ (ut mihi videtur) plurimarum Ethices Chriſtianæ laxitatum fons eſt, & cauſa multorum errorum, quos Sedes Apoſtolica proſcripſit: & quæ pro ſinceris bene vivendi legibus ſapientiſſime præſcriptis, fallaciæ regulas invehit, & totum vitæ Chriſtianæ officiorum convellit ædificium: quæ denique Divinarum, & Eccleſiaſticarum legum vigorem eludit, elevat, infirmatque. Vide ea, quæ ſuper hac re in prima parte octavi Tomi *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, quam Romæ nuperrime in lucem edidi, late diſſerui, a pag. 204. uſque ad pag. 210. Hujus etenim loci & inſtituti mei non eſt, omnia mala & damna, quæ Ethices Chriſtianæ doctrinæ principiis, meo judicio, intulit doctrina de vaga & exlege probabilitate recenſere, maxime cum doctiſſimi Theologi ea provincia jam egregie perfuncti fuerint.

Obiter tantum dicam, laxiores olim Caſuiſtas hac potiſſimum ratione adductos fuiſſe ad emolliendam mille laxitatibus legem, quod exiſtimaverint, legem, attentis hominis per primigeniam Adami culpam debilitatis viribus, nimis duram eſſe; adeoque aliquo indigere temperamento, ut ad fractas hominis vires magis accommodata poſſet facilius obſervari. Sed illa laxiorum Caſuiſtarum ratio, tametſi eſſet utcumque tolerabilis, ſi non aliæ homini lapſo ſuppeterent vires, quam quæ ſunt a natura, aut a gratia Dei verſatili, indifferenti, & libero hominis ſubdita arbitrio, ſicut docent Molinianæ Scholæ Theologi; hæc tamen laxiorum Caſuiſtarum ratio, in Syſtemate Thomiſtarum, qui Gratiæ per ſe efficacis ad bene agendum neceſſitatem poſt Sanctos *Auguſtinum* & *Thomam* propugnant, tanquam omnino falſa, & ad infinitas corruptelas & laxitates patentiſſimum oſtium aperiens, explodi ac repudiari debet; quia licet hominis lapſi vires (inquiunt Thomiſtæ) ſint per peccatum originale fractæ, ſauciatæ ac debilitatæ, attamen homo ille, quem ſublevabit manus omnipotentis Dei, qui per gratiam ſe ipſa efficacem ſuaviter ac fortiter omnia diſponit, ille, inquam, homo ope gratiæ ſe ipſa efficacis habebit vires ad bene operandum, efficaciſſimas,

Digitized by Google

nulla re gravabitur, nihil in lege Dei, & Eccleſiæ præceptis auſterum inveniet, amarum nihil in obſervatione præceptorum offendet, quia beneficio gratiæ per ſe efficacis, quæ ei inſeret legis amorem, omnes vincet ac ſuperabit obſiſtentes difficultates, atque cum Regio Vate Pſalm. 118. dicet: *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, vel cum Apoſtolo Paulo: ***Omnia poſſum in eo, qui me confortat***; experietur demum cum Sancto ***Auguſtino***, quod ***ubi amatur, ibi non laboratur, & , ſi laboratur, labor ipſe amatur***. Vides itaque, tam arctis & intimis vinculis dogmata Divinæ Gratiæ cohærere & colligari cum Ethices Chriſtianæ principiis, ut quotidiano uſu compertum ac exploratum ſit, ex Syſtemate Thomiſtarum, Gratiæ per ſe efficacis defenſorum, reſultare conſectaria quæ ad correctionem morum, & ad puritatem Chriſtianæ Moralis doctrinæ illibatam conſervandam unice tendunt; contra vero e Syſtemate Moliniſtarum de Gratia verſatili, & ſubdita libero hominis arbitrio, pullulare (meo judicio) corruptelas & laxitates, quæ Moralis Chriſtianæ doctrinam penitus inficiunt, & a Summis Pontificibus fuerunt vaticanis protritæ fulminibus.

Hujus doctrinæ veritatem tuis oculis ſubjicient duæ priores, quas hic ſubnecto, rationes, & quarum prima hæc eſt: Si homo, præſertim in ſtatu naturæ lapſæ, opus non haberet Gratia per ſe efficaci ad bene agendum & ad vincendas tentationes, ſed ei ſufficeret gratia verſatilis & indifferens, quam homo, ut docent Moliniſtæ, pro ſua congenita libertate determinaret, quotieſcumque vult, ad bene agendum, & ad ſuperandas tentationes ingruentes etiam graviores; fruſtra Sancti Patres tanquam omnino neceſſariam commendarent piam illam ſollicitudinem & mentis vigilantiam, quam homo, poſt acceptam gratiam, habere debet ne amittat gratiam, ſeduloque in id invigilet. At enim, ſi Syſtema Moliniſtarum de gratia verſatili ſequaris; quid eſt, amabò te, cur metuas, ne acceptam ſemel gratiam ſanctificantem peccando amittas, cum certus ſis, te ſemper præ manibus gratiam verſatilem habiturum, & nunquam peccaturum, modo ea gratia verſatili & indifferenti velis per conſenſum & determinationem tuam bene uti? Porro, determinare te ipſum, tuum eſt, non Dei opus. Quorſum igitur metues, ne acceptam Dei gratiam peccando amittas? Ut quid ad Deum noctu diuque clamabis? Eccur dices, te vigilaturum fruſtra, niſi cuſtodierit & adjuverit te Dominus? Quaſi vero oblata tibi ſemel gratia verſatili partes ſuas non impleverit Deus, tuumque non ſit proprio jam labore & induſtria, ſeu proprio conſenſu gratiam de ſe verſatilem & indifferentem determinare, eamque in bonum uſum convertere. Vides itaque, iſtud Moliniſtarum de gratia verſatili Syſtema exterminare penitus, ut mihi videtur, ſanctum illum timorem, quo fideles jugiter concuti debent, ne acceptam gratiam ſanctificantem amittant, ſubindeque iſtud Syſtema videri recta fronte oppoſitum Apoſtolo *Paulo*, & Sanctis Patribus cum Græcis, tum Latinis, qui in ſuis Operibus frequenter adhortantur fideles, ut ſibi caveant ab illa ſecuritate, quæ nata eſt generare ſuperbiam; ſed potius in timore & tremore ſalutem ſuam operentur, quia in hoc ſancto timore totius modeſtiæ, ſeu humilitatis Chriſtianæ ſiſtit fundamentum, ſinceræ pænitentiæ fructus, omniumque bonorum operum & Chriſtianorum virtutum exercitium.

Huic Sacrarum Litterarum & Sanctorum Patrum doctrinæ indivulſe adhæret Thomiſtica Schola, quippe quæ docet, ut perſeveremus in accepta gratia, juſtitiamque non amittamus peccando, opus eſſe nobis gratia per ſe efficaci, quam Deus, propter multorum negligentiam, denegat, vel largitur prout vult; proindeque ſemper nobis timendum eſſe, ne acceptam gratiam, culpa noſtra, deperdamus; & in ſolo Deo nobis confidendum eſſe, atque omni fiducia ſperandum, fore ut qui cæpit in nobis opus bonum, ipſe perficiat. Hujus ſancti timoris, & piæ ſollicitudinis ac vigilantiæ, quam jugiter habere debemus, ne acceptæ gratiæ jacturam faciamus,

Digitized by Google

mus, neceſſitatem eo magis inculcant Thomiſtæ, gratiæ per ſe efficacis defenſores, quod certo ſciant, hominem in ſtatu naturæ lapſæ immenſa malorum mole opprimi, ad vitium inclinari, & ſuæ concupiſcentiæ pondere ad terrena deſideria deprimi. Quam in rem appoſite S. *Cyprianus* apud S. *Auguſtinum* lib. 2. contra *Julianum* cap. 8. ait: *Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt; cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſæcularibus aſſidua & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & undique Diaboli infeſtationibus vallata vix reſiſtit.* Circumſtant nos poteſtates tenebrarum, &, tanquam leones rugientes, quæritant qua parte nos invadere ac devorare poſſint. Verbo dicam, diluvio quodam malorum obruitur animus hominis, qui perverſis aliorum dogmatibus facile corrumpitur, exemplis abripitur, terretur minis, blandimentis frangitur; ei inſidiantur præjudicatæ opiniones; illum in errorem agit ignorantia, dejicit vanus timor, gaudia puerilia efferunt, negotia diſtrahunt, enervant voluptates, proſpera inflant, ſtimulant adverſa; denique, nullam partem habet homo, quæ careat infirmitate & tentatione, quæ deceptione vacet & periculo. Nihil non ejus animum ad peccandum ſollicitat, nihil non mentem ejus lædit, ejuſque vita nihil aliud eſt, quam circulus quidam cupiditatum, vanitatum, afflictionum, & aliarum miſeriarum, quas ſi ſingulas hic commemorare vellem, infinitus eſſem.

Ad hanc itaque multitudinem tot ærumnarum & mentis infirmitatum, quibus in ſtatu naturæ lapſæ exagitatur homo, ſi animum tantiſper adverteris; ultro fateberis, hominem ſemper timere debere ne acceptam amittat gratiam, nec ullo pacto oportere ut viribus ſuis confidat, ſed potius infirmitatis ſuæ probe conſcius recurrat tanquam ægrotus, ad Chriſtum Redemptorem, Liberatorem & Medicum noſtrum, in illum oculos convertat, in eo ſolo totius ſpei ac fiduciæ ſuæ ſacram anchoram figat, ab eo inſtanter poſtulet Gratiam per ſe efficacem, quo illius beneficio, ſi juſtus ſit, gratiam acceptam non amittat, ſed in ea conſtanter perſeveret, ſi vero peccator ſit, ut reſipiſcat, & e peccato redeat; atque frequenter in ore habeat hanc orationem, quam Eccleſia ad implorandam Dei miſericordiam uſurpat, dicens: *Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos, pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere; da nobis ſalutem mentis & corporis; ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adjuvante, vincamus.*

VIII. Altera ratio, quæ evidenter probat, Scholæ Thomiſticæ doctrinam de Gratia per ſe efficaci debere, juxta ſanæ Moralis Chriſtianæ principia, longe præferri doctrinæ Scholę Molinianæ de Gratia verſatili, & libero hominis ſubdita arbitrio, in hanc formam reduci poteſt: Si voluntas creata determinaret pro ſuo nutu & arbitrio gratiam Dei, quam Moliniſtæ ſupponunt eſſe verſatilem, indifferentem, & a voluntate creata reddi efficacem; ſequeretur (ut mihi videtur) poſſe impium, citra vel minimum ſalutis ſuæ diſpendium & periculum, procraſtinare converſionem ſuam uſque ad ultimam vitæ ſuæ periodum. Enim vero, ſi ſemel peccator perſuaſum habeat, ſibi nunquam defuturam gratiam verſatilem, ſuo ſubditam libero arbitrio, ſeque ea, quando volet, bene uſurum; facile, inſtigante cupiditate; ſuum in animum inducet, æternam ſalutem ita eſſe in manibus ſuis, ut, quotieſcumque volet, etiam ſub finem vitæ ſuæ, eam ſit conſecuturus, determinando videlicet gratiam verſatilem, qua Deus illum nunquam privabit, & qua, quotieſcumque volet, pro ſua congenita libertate bene utetur, etiam ultimo vitæ diſcrimine. Quod certe palam adverſatur Oraculo Chriſti Domini, dicentis: *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Opponitur etiam hæc ſententia doctrinæ omnium Sanctorum Patrum, qui unanimi conſenſu docent, pœnitentiam, quæ procraſtinatur uſque ad mortem, eſſe valde dubiam, & incertam; periculumque imminere maximum, ne prætenſa illa dilata pænitentia cum *moriente moriatur*, & peccator in finalem impœnitentiam, juſto Dei judicio præcipitetur.

D 2 Re-

Reponere autem non poſſunt Adverſarii ; peccatorem , qui de induſtria ſuam converſionem & pœnitentiam differt uſque ad mortem , non recepturum amplius a Deo gratias verſatiles ; vel , ſi eas recipiat , non iis bene uſurum propter inveteratam , quam contraxit , peccandi conſuetudinem , & propter æſtuantes paſſiones , quæ longo temporis tractu altas in eo radices egerunt .

Id , inquam , reponere haud poſſunt Adverſarii , ſi ſuis principiis ſtare , ſibique conſtare velint . Primo , negare non poſſunt Moliniſtæ , peccatorem , etiam in extremo mortis diſcrimine conſtitutum , eſſe liberum ad bene vel male agendum : Porro , juxta Molinianæ doctrinæ principia , ut homo cenſeatur liber , duo neceſſario requiruntur . Primum eſt , ut ſemper paratam & oblatam habeat Dei gratiam verſatilem . Alterum eſt , ut homo , quotieſcumque volet , retineat jus hanc gratiam verſatilem pro ſuo nutu & arbitrio determinandi , eaque bene utendi . Hinc inferre ſolent Moliniſtæ , quod ſi homines impii , qui dicuntur obdurati & excæcati , careant gratiis verſatilibus , non peccant . Cum igitur doceant Moliniſtæ , deploratum licet peccatorem , qui ſciens & volens , ſuam converſionem & pœnitentiam procraſtinat uſque ad mortem , eſſe liberum ; debent ſubinde , juxta doctrinæ ſuę principia fateri , peccatorem , dum etiam de vita periclitatur , & propediem mori tutus eſt , præſentes habere gratias Dei verſatiles , juſque ei in illa hora , e qua pendet æternitas , competere determinandi illas gratias verſatiles , iiſque bene utendi , ſicque revera pœnitentiam agendi in morte , & ad Deum ſe convertendi .

Secundo , Molinianæ Scholæ Theologi pertendunt ; naturam , ſeu eſſentiam humanæ libertatis ſitam eſſe in æquilibrio ; ideſt , docent humanam voluntatem habere ſemper vires pares & ęquales ad vincendas vehementiſſimas tentationes , ita ut voluntas hominis a gratia verſatili , & a concupiſcentia ęqua lance libretur , nec una alteri præponderet ac dominetur , ſed ſemper ad merendum vel demerendum profecto gaudeat æquilibrio . Hac autem ſemel facta Moliniſtarum de æquilibrio hypotheſi (quam opportunius in aliis Epiſtolis copioſe confutabo) quid erit , quæſo , quod peccator timeat , ſi converſionem & pęnitentiam differat uſque ad mortem ? Creſcent quidem progreſſu temporis tentationes , paſſiones etiam , æſtuante cupiditate , vires acquirent eundo , fateor ; at Deus , juxta Moliniſtarum doctrinam , ad ſartum tectumque conſervandum iſtud ęquilibrium , quo voluntas hominis ſemper gratiam inter & concupiſcentiam gaudere debet ; dum creſcent tentationum vires , augebit itidem per gratias verſatiles humanæ voluntatis vires , eaſque reddet pares omnino & ęquales viribus cupiditatis ſeu concupiſcentię ; ſicque homo , quantumvis ſceleſtiſſimus peccator , creſcentibus ſimul & ſuę voluntatis , & tentationis viribus , non majori conatu tentationem , vehementiſſimam ſuperabit , quam leviſſimam .

Do exemplum , quod rem totam illuſtrabit . Sit V. G. aliqua ſtatera , cujus in una parte libram unam reponas ; oportebit , ad conſervandum iſtius ſtaterę æquilibrium , ut Deus libram quoque in altera ejuſdem ſtateræ parte imponat ; alioqui actum foret de ſtateræ æquilibrio . Adde etiam , ſi velis , eidem ſtateræ libram alteram , adde viginti , vel centum libras ; debebit quoque Deus , ut perſtet ſtaterę ęquilibrium , addere totidem libras, quibus omnia , utrinque ſtaterę pondera paria & ęqualia erunt . Præterea , ſit eadem ſtatera in æquilibrio poſita propter duo æquipondia unius libræ . Sequitur , facta hac hypotheſi , tenellum infantem hanc ſtateram in æquilibrio poſitam , admoto digito , quò volet inclinaturum . Sit denique eadem ſtatera duobus æquipondiis centum librarum hinc inde æqualiter librata , hanc pari facilitate inflectet prædictus infans ; immo , hanc ſtateram nullo negotio , nullaque mora deprimet ſcrupulus , ſeu granulum quoddam , leviſſimumque quodlibet pondiuſculum , ſive duabus tantum libris , ſive ducentis , vel trecentis , hæc ſtatera fuerit onerata .

Nunc

Nunc iſtius ſtateræ in æquilibrio poſitæ exemplum ad rem noſtram accommodemus. Si ſuum ſemper humanæ voluntati, ſicut docent Moliniſtæ, ſervetur in qualibet tentatione, etiam imminente morte, æquilibrium; profectò, ut mihi videtur, voluntas hominis peccatoris, ſive juvenis, ſive ſenis, ſive ſani, ſive propediem morituri, eamdem prorſus ad ſuperandam omnem tentationem vel levem, vel gravem experietur facilitatem, alacritatem & promptitudinem.

Quid eſt igitur, quod peccator metuat, ſi, cupiditati ſuæ, dum æſtu paſſionum in adoleſcentia abripitur, indulgere & fræna laxare velit; converſionem ſuam ac pœnitentiam differat uſque ad ſenectutem & ad mortem? Ut quid etiam tantoperè ſibi cavere debet homo, ne, recens à peccato reverſus, iterum in peccatum relabatur? Quin potius beneficio æquilibrii, quod, ſemper (ſponſoribus Moliniſtis) etiam imminente morte, habebit; tutus, impavidus ac ſecurus eat, redeat in pericula, excuſſo omni timore conſuetas frequentet peccandi occaſiones, ocius tradat ſe mundanis cogitationibus, delitiis, honoribus, voluptatibus, vividioribus licet & omnium maxime exitialibus, uno verbo, nihil timeat, quia, æquilibrio ſemper comite, tentationum pondus vel oneroſiſſimum, ſive ſanus ſit, ſive ſenex & morti proximus, quaſi feſtucam, excutiet, ſi velit; hujus, inquam, Moliniſtarum æquilibrii beneficio, peccator, ſive cum hominibus verſetur, ſive ſolitarius vivat, ſive bonis operibus vacet, ſive ludis & choreis det operam, ſive carnem affligat, ſive affluat deliciis; perinde expeditus erit & paratus ad omne opus bonum aut faciendum ex arbitrio, aut pro nutu omittendum.

Hoc itaque Scholæ Molinianæ de Gratia verſatili Syſtema facit, ſicut mihi videtur, & objici ſolet, ut flagitioſi homines peccando meticuloſam mentem abjiciant, &, in cæno libidinum ſe ſe volutantes, dormiant, uſque ad mortem, in utramque aurem, illoſque ſecuros reddat conſtans hæc nec unquam defutura æquilibrii perpetuitas, quam eis liberaliter tribuit ac vindicat Schola Moliniana; dum peccatores certos facit, vires voluntatis illorum ſimul cum difficultatibus & vehementia tentationum creſcituras, eo quod alias, ſive ſublato æquilibrio, nullum foret peccatum, ſicut docet eadem Moliniana Schola.

Ab hac doctrina longe lateque diſcrepat Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci ſententia. Nam licet Thomiſtæ doceant primo, Deum conſerre, vel ſaltem offerre omnibus hominibus Gratias ſufficientes, quarum ope juſti perſeverare poſſint, & peccatores ſe ſe convertere ac pœnitentiam agere valeant; attamen, quia in ſententia Thomiſtarum, præter illas Gratias ſufficientes, quæ dant veram juſtis potentiam in accepta juſtitia perſeverandi, & peccatoribus pænitentiam agendi; requiruntur inſuper Gratiæ per ſe efficaces, quę juſtis ad actu perſeverandum, & peccatoribus ad pænitentiam agendam, & ad graves ſuperandas tentationes omnino neceſſariæ ſunt; inde Thomiſtæ, poſt omnes Sanctos Patres, docent, ſemper timere debere juſtum, ne, ſi tentationi ſe ſe ultro offerat, vel periculo peccandi ſe incaute exponat, Gratiæ ſanctificantis jacturam faciat, & dono perſeverantiæ, quod Deus, quibus vult, ex pura miſericordia largitur, juſto judicio privetur; ſubindeque juſtum in timore & tremore ſalutem ſuam operari debere, & juſtitiam, quam a Deo accepit, pervigili cuſtodia, caſtigatione ſenſuum, vitæ ſolitudine, periculorum fuga, & bonorum operum exercitio jugiter conſervare; quia (ut ait Scriptura Sacra) *Qui ſtat, videat ne cadat*, & ut dicit Apoſtolus Paulus: *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*.

Secundo docent Thomiſtæ: Deum impertiri quidem, aut ſaltem offerre ſingulis peccatoribus, etiam illis, qui pœnitentiam differunt uſque ad mortem, Gratias ſufficientes, quibus vere pœnitentiam agere poſſunt; ſed quia obſtinati & projectæ conſcientiæ peccatores his gratiis ſufficientibus, ſibi a Deo collatis, vel oblatis, propria malitia

reſiſtunt, & diuturna peccandi conſuetudine, in qua callum obduxerunt, detenti, Deo (ut ait Scriptura Sacra dicunt : *Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*, ideò prædicti peccatores in pænam præcedentium peccatorum privantur in morte Gratia per ſe efficaci, ad agendam pænitentiam omninò neceſſaria. Quo fit, ut in peccato ſuo, hoc eſt, in finali impænitentia, juſto Dei judicio, moriantur, & tanquam miraculi loco (juxta Sanctos Patres) haberi debeat converſio peccatoris, qui, per totum vitæ ſuæ curriculum vitiis deditus, pænitentiam uſque ad mortem differt; quia Deus ejuſmodi peccatores obſtinatos plane deſerit in illorum morte, ſicut ipſemet teſtatur cap. 1. libri Proverbiorum, dicens : *Vocavi, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret : Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo; cum vobis id, quod timebatis advenerit; cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit; quandò venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc invocabunt me & non exaudiam; manè conſurgent, & non invenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam & timorem Domini non ſuſceperint &c.* Terribilis ſanè Divini judicii Sententia! Cujus incurrendæ evidenti periculo ſe ſe exponunt hi, qui peregrina de perpetuitate in libero hominis arbitrio æquilibrii deluſi ſententia, converſionem ſuam ac pænitentiam uſque ad mortem intempeſtive procraſtinare non verentur.

IX. Tertia denique ratio, quæ probat ſententiæ de Gratia verſatili & ſubdita libero hominis arbitrio, quam totis viribus propugnant Scholæ Molinianæ Theologi, præferendam eſſe doctrinam Sholę Thomiſticę de Gratia per ſe efficaci, petitur ex ſumma utilitate, quam hæc Scholæ Thomiſticæ doctrina afferre poteſt Catholicæ Eccleſiæ ad hæreticos Lutheranos & Calviniſtas in ipſius gremium reducendos. Verum enim vero, inter doctiſſimos Theologos, qui diu cum illis hæreticis Polemicas Diſputationes habuerunt, multi ſunt, qui disertè teſtantur, Lutheranos & Calviniſtas, emollitis, immò penitùs exploſis Magiſtrorum ſuorum priſtinis aberrationibus, tandem aliquandò ad Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de Prædeſtinatione, de Gratia & libero Arbitrio propius acceſſiſſe, eoſque ultrò fateri, Gratiam, quantumvis ſe ipſa efficacem, non tollere conſenſum, & liberi Arbitrii cooperationem.

Illuſtriſſimi Epiſcopi ac fatres germani, *Adrianus, & Petrus de Valenburch* Tomo 2. Controverſiarum Tractatu 1. capite quinquageſimo ſeptimo, cui hunc titulum præfixerunt : *Appropinquatio Proteſtantium ad doctrinam Catholicam*, poſt adducta præcipuorum Sectæ Calvinianæ Miniſtrorum ſuper hac de Gratia quæſtione teſtimonia, ſic ſcribunt : *Atque hæc ſententia nunc eſt inter Reformatos communiſſima. Neque hoc tempore dicunt, Gratiam ita eſſe a ſe ipſa efficacem, ut excludant motionem moralem, quæ eſt per conſilia & ſuaſiones. Similiter hoc tempore non docent, Deum ita efficaciter movere voluntatem, ut poſteà non ſit noſtræ electionis, motioni ejus aut obtemperare, aut refragari; tenent enim facultatem diſſentiendi conſiſtere cum Gratia efficaci, & id ipſum tradunt quod Thomiſtæ. Libenter etiam fatentur, Deum per Gratiam, vel motionem, ita operari in nobis velle, & nos ad ſe ipſum convertere, ut Gratię prævenienti noſtrum arbitrium pediſſequa voluntate obſequatur liberè. Non igitur eſt neceſſe indagare, quid Calvinus, quid alii antehac ſenſerint? Sufficit eos nunc cum Catholicis Doctoribus ſentire & loqui.* Idem confirmant hi duo doctiſſimi Præſules capite ſexageſimo ejuſdem Tractatus.

Cardinalis *De Richelieu* lib. 3 Tractatus *De Libero Arbitrio*, quem Gallice pro Hæreticorum converſione edidit, hæc habet : *Recentiores Hæretici Majorum ſuorum doctrinam de Prædeſtinatione, Gratia, & Libero Arbitrio ita emollierunt ac temperarunt, ut vix ullum iis in capitibus (ſi accurate loqui velimus) eos inter & nos diſſidium eſſet.*

Illuſtriſſimus *Jacobus Benignus Boſſuet*, Meldenſium Epiſcopus, & Hæretico-

ticorum noſtri temporis triumphator eximius, data opera lib. 8. *Hiſtoriæ Variationum Eccleſiarum Proteſtantium* oſtendit, recentiores Hæreticos, exploſis Magiſtrorum ſuorum erroribus, nunc ultro profiteri liberi Arbitrii cum Gratia per ſe efficaci cooperationem. Et capite quinquageſimo ejuſdem libri, totam hujuſce Controverſiæ narrationem his verbis concludit: *Modo bona fide, & concordi conſilio res agatur, ne levem quidem inter nos diſſidii umbram experior, quoad illam de liberi Arbitrii cooperatione controverſiam*. Idem aſſerit eruditiſſimus & omni laude ſuperior Meldenſium Epiſcopus in aureo Opere *De Expoſitione Fidei* cap. 7. ubi agit de Gratia & libero Arbitrio in negotio juſtificationis.

His doctiſſimis Præſulibus quatuor alios adjungam Scriptores Polemicos, perinde eruditos, videlicet Dominum *Le Fevre*, Theologum Pariſienſem, in libro, cui titulum præfixit: *Momenta invicta ad convincendos falſi nominis Eccleſiæ Reformatæ Rectores*: Auctorem libri, cui titulus eſt: *Juſta adversùs Calvinianos præjudicia* cap. XI. *Vincentium Baronium*, Ord. Præd. in libro, cui titulus eſt: *Hæreſis devicta*: Denique Patrem *Veronium*, Societatis Jeſu, tertia parte Controverſiarum cap. 2. Hi, inquam, quatuor doctiſſimi & Catholici Scriptores Polemici conteſtantur, modernos Hæreticos ad ſaniora conſilia rediiſſe, & ad doctrinam Eccleſiæ Catholicæ de Gratia per ſe efficaci & cooperatione liberi Arbitrii, relictis tandem aliquando ſuorum Majorum erroribus, propiùs acceſſiſſe. Quæ cum ita ſint, quis non videt, Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe efficaci & de prædeſtinatione gratuita, multis nominibus, ſed præſertim quia ad Hæreticos in ſinum Eccleſiæ revocandos faciliem ſternit viam, præponendam eſſe Molinianæ ſententiæ de Gratia verſatili, quæ nova eſt, totque ſolidis, quæ hac in Epiſtola adduxi, confutatur argumentis?

Id certe bene noverat Sereniſſimus juxta ac doctiſſimus Princeps *Armandus De Conty*, qui in Literaria Concertatione, quam habuit cum P. *Stephano De Champs*, inſigni Societatis Jeſu Theologiæ Profeſſore qui ei contra Calvinianos ſcribendi conſilium dederat, modeſtiſſime reſpondit, conſultius eſſe, ut prædictus Pater *De Champs* (quem ipſe in decurrendo Theologiæ ſtadio Magiſtrum habuerat) hanc provinciam contra Calvinianos ſcribendi in ſe ſuſciperet, ea tamen lege, ut inter diſputandum cum illis Hæreticis non Molinianam doctrinam de Gratia eis proponeret, ſed duntaxat doctrinam Thomiſticam revocandis ad Fidem Calviniſtarum animis magis opportunam. Cenſebat quippe ille Princeps, nihil publicæ cauſæ minus accommodatum vel deterius accidere poſſe, quam ſi Theologi Polemiſtæ, contra Calviniſtas de Gratia ſcribentes eis *Molinæ* doctrinam uti Romanæ communionis ſenſum, venditare velint. Ipſiſſima ejuſdem Sereniſſimi Principis verba, quæ leguntur in Epiſtola nona, quam ſcripſit ad prælaudatum Patrem *De Champs*, e gallico idiomate fideliter latine reddita, hic exſcribere non pigebit: *Plus ſcribendis edendiſque libris aſſuevit Paternitas veſtra* (inquit Sereniſſimus ille Princeps) *quam ego ipſe aſſueverim. Quare rogo, ut hunc ipſum laborem in ſe ſumat, quem a me ſumi optabat; Calvinianos ſcilicet editis libris exagitandi? Id unum mearum partium eſſe puto, ut prudens identidem aliquod conſilium offeram, ſi huic forte operi manum admoveat Paternitas veſtra. Exempli cauſa, ne Calvinianis privatas Molinæ ſententias pro Eccleſiæ dogmatibus venditet, quoties in illos calamum acuet*. Hoc ſuo conſilio ſat ſuperque innuit Sereniſſimus iſte Princeps, doctrinam *Ludovici Molinæ* de Gratia, reducendis ad ſinum Eccleſiæ Catholicæ Calviniſtarum animis opportunam non eſſe; ſed potius omnes Orthodoxos Polemicos Theologos, qui Calviniſtarum errores de Gratia impugnandos ſuſcipiunt, debere ipſis proponere doctrinam Thomiſticam, ad quam tandem eruditiores Calviniſtas, repudiatis ſuper hac re *Calvini* erroribus, propius acceſſiſſe, diſertiſſime teſtantur hi, quos mox citavi, Orthodoxi

Theologi Polemici , qui cum illis Heterodoxis in arenam deſcenderunt , diuque cum illis collato veluti pede certarunt.

Aliis invictis momentis , quæ ad probandam Gratiæ per ſe efficacis ad omnes pietatis actus neceſſitatem , Thomiſtæ depromere ſolent e Sacris Literis , e Traditione Sanctorum Patrum , potiſſimum *Auguſtini* & *Thomæ* , ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum , ex definitionibus Conciliorum , maxime Concilii Tridentini ; his , inquam , momentis (ne longius , quam par ſit , excurrat hæc Epiſtola) referendis in præſentia ſuperſedeo ; eaque in aliis , quas ad te ſcribam , Epiſtolis opportunius proponam , & omnes tenebras , quas Moliniſtæ eis offundere moliuntur , objecta veritatis luce , diſſipabo . Vale , dilectiſſime Diſcipule , & ſi quas patiaris difficultates circa Thomiſtarum doctrinam , tot ſolidis argumentis a me jam ſtabilitam , eas in proximis tuis Literis aperias , ut eas explanare , tuiſque votis poſſim omni ex parte facere ſatis.

EPI-

EPISTOLA QUARTA
THEOLOGICA,

In qua oſtenditur, Deum per Præmotionem phyſicam non fieri Auctorem peccati; & his, qui, ea deſtituti, violant legem Dei, juſtè imputari peccatum.

I. LEgiſti, ſicut me in Litteris tuis mones, Epiſtolas quas P. *Daniel*, Soc. Jeſu, ſcripſit ad P. *Natalem Alexandrum*, aiſque, omnia argumenta, quæ Molinianus ille Scriptor contra Præmotionem phyſicam proponit, ad iſthæc tria potiſſimùm capita poſſe revocari. In primis, pertendit Pater *Daniel*, Deum per Præmotionem phyſicam fieri auctorem peccati, ſubindeque ei, qui legem Dei tranſgreditur, peccatum imputari non debere. Præterea, aſſerit, liberum hominis arbitrium ſtare non poſſe cum Præmotione phyſica. Poſtremo, probandum ſuſcipit, Præmotionem phyſicam eſſe contrariam menti Concilii Tridentini. Singula argumenta, quæ, ad oppugnandam Præmotionem phyſicam, magno, ſed inani ſtudio congerit P. *Daniel*, poſtquam in Epiſtola tua accurate propoſuiſti; me etiam atque etiam rogas, ut omnem curam induſtriamque meam in his ſolvendis ponam, & omnes illos nodos exolvam, non quo more ſolet in Schola is, qui theſim propugnat, cui ſatis eſt, ſi contortulis reſponſionibus & præſtigiis elabatur adverſario, vel ejus impetum remoretur; ſed ita, ut in reſponſis, quæ adhibebo, animus tuus acquieſcat, planeque perſpiciat, Deum per Præmotionem phyſicam non fieri auctorem peccati.

Conditionem, quam mihi imponis, lubens in me ſuſcipio; ſed quia nimis longum eſſet omnia argumenta, quibus P. *Daniel* impetit Præmotionem phyſicam, in hac Epiſtola diſcutere, hiſque ſingillatim reſpondere; hærebo hic in illis duntaxat diluendis argumentis, quibus prædictus Scriptor utitur, ad probandum, Deum per Præmotionem phyſicam fieri auctorem peccati; cætera vero ejuſdem Patris *Danielis* contra Præmotionem phyſicam argumenta, quæ in tua Epiſtola inſeruiſti, opportunius refellam in aliis, quas ad te proxime ſcripturus ſum, Epiſtolis, in quibus, ſole clarius (ut confido) demonſtrabo, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, non tollere liberum hominis arbitrium, ſed illud potius perficere; & doctrinam de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci fuiſſe in Œcumenico Concilio Tridentino probatam, tantum abeſt, ut in eo fuerit damnata, ſicut perperam ajunt Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis oſores.

II. Excutiamus itaque Achylleum iſtud, ſi ſuperis placet, argumentum; quod, licet millies jam a Thomiſtis eliſum ſit, ac cribratum; novis tamen tibiis decantat Pater *Daniel*, eoque invicte probari putat, Deum per Præmotionem phyſicam fieri auctorem peccati. Hoc autem Patris *Danielis* argumentum proponis in tua Epiſtola his verbis conceptum: Ille vere cenſeri debet auctor peccati, qui hominem præmovet, determinat & applicat ad actiones malas; atqui, juxta Aſſertores Præmotionis phyſicæ, Deus hominem præmovet, applicat & determinat ad actiones malas; ergo Deus eſt auctor, ſeu cauſa peccati. Hoc argumentum confirmas ipſiſſimis verbis Patris *Danielis*, qui in Epiſtola octava, quam ſcripſit ad P. *Natalem Alexandrum*, hæc habet; *Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ videt*

inſi-

Digitized by Google

infinitam phyſicarum Prædeterminationum multitudinem, quibus quempiam varias ad actiones determinare poſſit. Videt, exempli cauſa, illum per talem Prædeterminationem ad homicidium determinari poſſe; Videt etiam hanc eſſe naturam hujus Prædeterminationis, ut eumdem ad homicidium determinatura ſit. Ea Deus ubi cognovit, Decretum facit de hac illi Prædeterminatione danda: mox in eo Decreto, cujus hæc Prædeterminatio vel terminus, vel effectus eſt, fore videt, ut homicidium ab hoc homine admittatur. Nihil hic dico, quod ſponte non concedant & fateantur Thomiſtę. Hæc doctrina, aliis tetrum & immane quiddam præ ſe ferens, Thomiſtis proba & ſincera videtur eſſe. Ego vero in eo vehementer laboro, in quo vos itidem laborare ac ſudare decet, qui fieri poſſit, ut Deus hujus homicidii non perinde auctor eſſe intelligatur, atque eſt auctor, verbi gratia, actus Fidei: videntur enim omnia utrobique paria, Homo ad actum Fidei & ad homicidium eſt indifferens. Phyſicam Prædeterminationem & efficacem ad utrumque poteſt accipere. Deus ſua ſponte in hodiernum diem illi deſtinat Prædeterminationem phyſicam ad actum Fidei; in craſtinum Prædeterminationem ad homicidium. Hæc poſterior phyſica ad homicidium Prædeterminatio tam neceſſariam cum iſto ſcelere conjunctionem habet. quam altera prior cum actu Fidei. Deus Decretum de hac illi danda, ſimiliter ac de illa, facit. Movet eumdem, ac determinat ad agendum, per utramque. Cedo, niſi moleſtum eſt, quid interſit diſcriminis? cur Deum dicas auctorem eſſe actus Fidei, eſſe auctorem homicidii neges? Hoc eſt Patris *Danielis* argumentum, quod in tua Epiſtola proponis.

Audi nunc quid ad hanc lacrymabilem argumentationem ipſe reſpondeam. In primis dico, P *Danielem* in iſto, quod male conſarcinavit, argumento, nec cælum nec terram tangere, aperta ſe implicare antilogia, & teterrimam Scholæ Thomiſticæ impingere calumniam. Ait enim primo, Thomiſtas docere, quod *Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ videt infinitam phyſicarum Prædeterminationum multitudinem*. Id autem negant omnes ad unum Thomiſtæ, quippe qui aſſerunt cum aliis Theologis, Scientiam *ſimplicis Intelligentiæ* in Deo nullum habere annexum Dei Decretum. Qui igitur fieri poteſt, ut Thomiſtæ doceant, quòd Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcat infinitam phyſicarum Prædeterminationum multitudinem, cùm tamen uno ore dicant Thomiſtæ (idque fatetur ipſemet Pater *Daniel*) Prædeterminationem phyſicam *eſſe effectum, vel terminum Decreti, in quo Deus illam videt*. Male itaque Pater *Daniel* explicat Syſtema Thomiſtarum, ſeque manifeſta involvit contradictione.

Præterea, ait Pater *Daniel*, Thomiſtas docere, quod Deus prædeterminet hominem ad homicidium, ſeu (ſicut lectoribus ſuis fucum facere voluit) ad *formale*, ideſt, ad malitiam peccati hominem Deus applicet & phyſice præmoveat; Quod ſane injurioſa ſuppoſitio eſt, qua lectores ſuos conſulto ludere voluit P. *Daniel*, eiſque, (quod indignius eſt) terriculum iſtud & deformem larvam objecit, ut horrorem illis incuteret, illoſque, per ſpeciem oppugnandæ blaſphemiæ, a defenſione doctrinæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci procul averteret, ſicut ex his, quæ mox dicturus ſum, liquido patebit.

Sed, ſi tantiſper mecum hanc Patris *Danielis* objectionem expendere non te pigeat; fateberis ultro, eam non eſſe novam, ſed crambem recoctam redolere; jamque eſſe rubigine exeſam, utpote a Semipelagianis hæreticis contra doctrinam S. *Auguſtini* de Prædeſtinatione Divina non ſemel propoſitam, ſicut fidem facit S. *Proſper* in Reſponſione ad XI. objectionem *Vincentii*, ubi ſolvens quod hic Semipelagianus ei objecerat, dicens, teterrimorum ſcelerum ac flagitiorum cauſam eſſe Prædeſtinationem Divinam, ſic reſpondet: *Si Diabolo objiceretur, quod talium facinorum ipſe auctor, ipſe eſſet inventor; puto quod aliqua ratione exonerare ſe hac poſſet invidia, & talium ſcelerum patratores de ipſorum voluntate convinceret:*

quia

Digitized by Google

quia, eſſi(Diabolus) delectatus eſt furore peccatorum, probaret tamen, ſe non intuliſſe vim criminum. Qua ergo inſipientia, quave dementia definitur, ad Dei referendum eſſe conſilium, quod nec Diabolo in totum adſcribi poteſt, qui in peccantium flagitiis illecebrarum adjutor, non voluntatum credendus eſt generator.

Hic conſultò S. *Proſperum*, acerrimum doctrinæ S. *Auguſtini* deſenſorem, citavi ob tria potiſſimum momenta, quæ velim ut ſedulo obſerves. Primo quia plenam & integram fidem habere debes auctoritati Sancti *Proſperi*, juxta illam Artis Critices Regulam, omnium virorum eruditorum calculo probatam, quæ præſcribit, mentem alicujus Scriptoris (ac ſubinde S. *Auguſtini*) nulla re certius dignoſci poſſe, quam audito eius diſipulo, præſertim ſi eximius ille ſit, & pietate ac doctrina commendabilis; ſi in iiſdem verſatus regionibus; ſi coætaneus; ſi Magiſtri ſenſu plenus, eiuſque doctrinam apprimè calluerit; ſi in ea ipſa re, quæ controvertitur, Scriptoris ſententias, locutiones & methodum imitatus ſit, qualem fuiſſe S. *Proſperum* erga doctrinam S. *Auguſtini*, nemo eſt, qui inficias ire audeat. Cum igitur hæretici Semipelagiani (teſte S. *Proſpero*) eamdem Sancto *Auguſtino* propoſuerint obiectionem, quam Pater *Daniel* ad nauſeam uſque opponit Thomiſtis, jure optimo hic cum doctiſſimo noſtro *Vincentio Contenſono* lib. 2. Diſſert. 4 cap. 2. *Theologiæ Mentis & Cordis*, dicere poſſum: : *Quam grandis conſolatio opinioni Thomiſtarum nullis ſe argumentis pulſari, quibus impetita non fuerit Auguſtini ſententia! Quam deploranda deſolatio, & parum tuta eorum ſors, qui non alia in Thomiſticam ſententiam tela vibrant, quam quæ in Auguſtinum Adverſarii olim ſui jaculati ſunt. Næ eadem Auguſtini & Thomiſtarum theſis, ſi eadem contra utramque militent argumenta.*

Deinde, ex eo locupletiſſimo S. *Proſperi* teſtimonio advertere debes, Diabolum multis quidem propoſitis illecebris cupiditatem accendere poſſe, & quemadmodum iniquitate delectatur ſpiritus ille nequiſſimus, ita illum, totis, quibus pollet, viribus ad iniquitatem homines incitare, quæcumque in peccatum impellere poſſunt mentibus hominum immittendo ſuo ipſius nomine, & iniquiſſimo ad malum propenſionis affectu.

Unde ſequitur, Diabolum quidem ſuaſorem & incentorem eſſe malorum, ſeu peccatorum; ſed non eſſe cauſam effectricem peccatorum propter duplicem rationem. Primo quia (ut pluribus in locis docet S. *Thomas*) in mentes noſtras immediate agere Diabolus non poteſt, neque alteri quam Deo immediate ſubjectus & obediens eſt animus noſter, neque (ut iam in præcedentibus meis Epiſtolis te docui) ex omnibus cauſis alia eſt, præter Deum, quæ phyſice & immediate in mentes & voluntates noſtras influat, atque in his operetur. Diabolus itaque, ita permittente Deo, accendendæ cupiditatis non ſolum per oculos, aures, cæteroſque ſenſus obiectis ſpeciebus, ſed etiam per quoſdam cibos, nimium æſtum & impetum in ſanguine excitantes, poteſtatem obtinet homines ad peccatum ſollicitandi; non ſecus ac Diabolus, ita permittente Deo, poteſtatem habet ingerendi corporibus hominum dolores & ægritudines, ſicut, teſte Scriptura Sacra, contigit Sancto viro *Jobo*, & mulieri huic Evangelicæ, ſpiritu infirmitatis oppreſſæ, aliiſque permultis, qui, permittente Deo, fuerunt a Diabolo vexati.

Legeſis, ſi tibi per otium liceat, eruditum noſtrum *Antonium Reginaldum* cap. xv. Partis 1. egregii, quod edidit, Operis *De Mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem*, ubi copioſe varias explicat artes, quibus diabolus, permittente Deo, nocet & inſidias ſtruit hominibus tam circa res externas, ſeu ſenſibiles & ſublunares, dum videlicet pro ſua verſutia & malignitate Diabolus elementa, ſenſuumque exteriorum obiecta immutat, detorquet, diſſipat, ſubvertit, aerem turbando, nubes, tonitrua, pluvias, grandines, peſtilentias, alioſque morbos ſive in ipſis hominibus, ſive etiam in pecoribus, aliiſque id genus, uſui hominum deputatis, concitando: Tum etiam circa res, quæ homini ſunt intrinſecæ, videlicet circa ſenſus hominis internos, voluntatem etiam & intel-

Digitized by Google

intellectum, in quibus ſunt habitus virtutum ac vitiorum, quas hominis facultates internas Diabolus variis objectis ſpeciebus ad peccatum provocat, vaniſque inescando promiſſis, ſeducere tentat, ita ut tamen nullam nobis imponere poſſit neceſſitatem peccandi, ſed ſit tantum ſuaſor & incentor malorum; noſtra vero voluntas, quæ proprio aſsenſu tentationibus ſuccumbit, ſit ſola & unica cauſa peccati. Quapropter, ut obiter dicam, illi, qui contra ingruentes Diaboli tentationes ſe ſe, ut par eſt, munire cupiunt, velis remiſque ſugere debent peccandi occaſiones, ſpectacula, ludos, Mundi illecebras, inordinatas ſenſuum voluptates, mulierum conſortia; & eſſe ſemper vigiles in ſuorum ſenſuum cuſtodia, & in contemptu delicatioris victus.

Altera ratio, quæ probat, Diabolum non eſſe cauſam effectricem malorum, ſeu peccatorum, quæ patrantur in Mundo, petitur ex definitione Eccleſiæ, quæ *Michaelem Molinos*, ejuſque Sectarios, dictos *Quietiſtas*, tanquam hæreticos damnavit, quod dicerent: fornicationem & alios obſcænæ libidinis actus non eſſe peccata: quia ei, qui graviter tentatus, illos carnales actus exercet, diabolus vim inſert. Hos, inquam, ſpurios Myſticos damnavit Eccleſia; quia Diabolus, licet ſit malorum incentor ac ſuaſor, vim tamen nullam inſert hominis voluntati, nec ei adimit reſiſtendi potentiam, nec illam adigit ad aſſenſum; ſed potius voluntas manet ſemper ſuæ libertatis compos, pravaſque ejuſmodi Diaboli tentationes vincere ac repudiare poteſt; quod ſi non faciat, ei vitio ac culpæ jure ac merito verti debet. Hinc S. *Petrus* cap. ult. 1. ſuæ Epiſtolæ ait. *Adverſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui reſiſtite fortes in Fide &c.* Et Apoſtolus *Jacobus* in Epiſtola ſua cap. 4. *Reſiſtite*, inquit, *Diabolo, & fugiet a vobis*.

Denique, ex eo ſuperius a me laudato S. *Proſperi* teſtimonio obſervare ac colligere debes, quod, ſi Diabolus, quamvis multis illecebris, milleque nocendi artibus accendat cupiditatem noſtram, non eſt tamen auctor & cauſa effectrix peccatorum; quantò magis hanc blaſphemam opinationem averſari debemus, Deum eſſe cauſam & authorem peccatorum, quæ fiunt in Mundo? Impoſſibile eſt enim, ut Deus tentet nos & impellat ad peccatum, alioqui negaret ſe ipſum, ſi ad id faciendum ſollicitaret nos quod ſua lege prohibuit: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat, unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus*, ita ſcribit S. *Jacobus* Apoſtolus, cap. 1. ſuæ Epiſtolæ Chatholicæ.

III. Syſtema autem Thomiſtarum de Præmotione phyſica, Deum non facere auctorem peccati, quinque momentis hìc breviter oſtendo. Primo, quia Thomiſtæ docent, formale peccati, ſeu malitiam ejus, non eſſe aliquod ens, ſed defectum, ſeu privationem boni; ſubindeque Deum non poſſe auctorem eſſe, ſeu cauſam efficientem malitiæ peccati, in qua (ut mox commonſtrabo) nulla plane relucet ratio entis.

Secundo, docent Thomiſtæ, voluntatem creatam ſe ipſam determinare ad malitiam peccati, non vero a Deo determinari, cum Sanctiſſima Dei natura ab omni deformitate & peccati malitia penitus abhorreat.

Tertio, docent omnes Thomiſtæ, impium eſſe aſſerere, Deum ſuadere, vel pravis ſuggeſtionibus ſollicitare ad peccata; ajuntque, pravas illas ſuaſiones; & ſollicitationes interiores ad peccandum, quas nunc in ſtatu naturæ lapſæ experimur, & a quibus prothoparentes noſtri in ſtatu innocentiæ liberi erant, non immitti a Deo ſumme bono; ſed illas eſſe appendices, ſeu malos fructus peccati originalis, vel eas excitari à Diabolo, qui (ſicut mox dixi) eſt ſuaſor & incentor omnium malorum; vel denique illas pullulare ex concupiſcentia; quæ peccatis noſtris creſcit, quia pravis illis ſuaſionibus non reſiſtimus; ſed, illiciente cupiditate, ſcientes ac volentes, præbemus aſſenſum.

Quarto, docent Thomiſtæ, Deum non eſſe auctorem peccati, quia Deus omnibus confert, vel offert gratiam ſufficientem, quæ dat veram potentiam reſiſten-

di

di tentationibus. Quod ſi vero contingat, homines his tentationibus ſuccumbere; certe Deus in culpa non eſt; ſed totum iſtud negotium perambulans in tenebris iis tribui debet, qui, nulla habita ratione Gratiæ ſufficientis, cujus beneficio poterant ſuperare tentationes, ſuadente concupiſcentia, tentationibus aſſentiuntur; ita ut Deus peccatori vere dicere poſſit: *Perditio tua ex te*.

Denique docent Thomiſtæ, tantum abeſſe, ut Deus ſit cauſa peccati, ut potius, juxta Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, Sacris Codicibus & Sanctorum Patrum traditione cofirmatam, ad nos mittat bonos Angelos, qui ſaluti noſtræ invigilent; & Diabolum, ne contrarios cieat motus, prohibeant, cupiditatis impetum ſiſtant, aut, opportunis ingeſtis impreſſionibus, imminuant; atque hac demum ratione in mentibus ac voluntatibus noſtris, tentationum procellis agitatis, viam adirumque aperiant, qua cæleſtem illuſtrationem & operationem Dei intra ſe admittant. Quamvis enim certum ſit, Jeſum Chriſtum per ſe ipſum producere gratiam, remiſſionem peccatorum, juſtitiam, & idcirco ſolum Jeſum Chriſtum eſse Principem & inviſibile Caput Eccleſiæ; quamvis etiam Angelorum poteſtati ſubjectus non ſit ordo Gratiæ; indubitatum tamen eſt, Angelos in ordine Gratiæ, ſeu in rebus ad Gratiæ æconomiam pertinentibus, aliquod exercere miniſterium. Ait enim Apoſtolus *Paulus* cap.1.v.14.Epiſt. ad Hebræos, loquens de Angelis: *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?* Deum etiam in negotio noſtræ ſalutis uti miniſterio Angelorum docent Sancti Patres, quos inter (ne longior ſim) unum, inſtar omnium, laudabo S. *Auguſtinum*, qui Sermone 4. in Pſalmum 103. hæc habet: *Sunt Angeli, qui illudunt Draconi* (ſeu Diabolo) *ne tibi noceat; præpoſiti enim ſunt Angeli Cælorum ſuper poteſtates aereas* Et Concione 19. in Pſalmum 118. quid in rebus, ad Gratiam, ſeu ad ſalutis noſtræ negotium, attinentibus efficiat in nobis bonorum Angelorum miniſterium egregie explicat idem S. Doctor his verbis: *Deus itaque per ſe ipſum, quia lux eſt, illuminat pias mentes, ut ea, quæ divina dicuntur, vel oſtenduntur, intelligant. Sed ſi ad hoc miniſtro utitur Angelo, poteſt quidem aliquid agere Angelus in mente hominis, ut capiat lucem Dei & per hanc intelligat; ſed ita dicitur intellectum dare homini, & quaſi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quiſquam dicitur lumen dare domui, vel illuminare domum, cui feneſtram facit, cum eam non ſua luce penetret & illuſtret, ſed tantummodo aditum, quo penetretur & illuſtretur aperit*. Quibus verbis diſerte docet S. *Auguſtinus*, quod licet Angeli boni nec ſanctas cogitationes menti, nec charitatem cordi infundere valeant (hoc etenim in unius Dei poteſtate eſt) attamen Sancti Angeli, quos ad cuſtodiam noſtram adverſus Diaboli inſidias deputat clemenriſſimus Deus, nos a Diaboli incurſionibus protegunt, viamque in mentibus & volunratibus noſtris aperiunt, qua illuſtrationes & operationes Dei in ſe recipiant.

Prætermittere hic non poſſum aliud locupletiſſimum S. *Auguſtini* teſtimonium ex libro 50. Homiliarum, ex homilia 12. petitum, quod ad rem perquam appoſite facit: *Cum per Dei adjutorium in poteſtate tua ſit, ut non conſentias Diabolo* (inquit Aquilinus ille Doctor) *quare non magis Deo, quam ipſi obtemperare deliberas? Si enim ſolus Diabolus daret conſilium, & Deus taceret, haberes quo excuſari poſſes. Cum vero Chriſtus tibi conſcientia tua contradicat, & per Scripturas Divinas audias in Eccleſia, quod non debeas facere malum, quare eligis mortem & deſeris vitam; & magis vis ſequi Diabolum ad luxuriam, quam obtemperare Chriſto, qui te invitat ad vitam æternam? Rogo ergo vos, fratres chariſſimi, quare Satanas ſeducit ad peccandum, cum Deus poſuerit homini in poteſtate non conſentire Satanæ? Eſt enim a dextris quodammodo præcipiens Deus. a ſiniſtris ſeducens Satanas, homo in medio conſtitutus. Cor, quod inclinatur ad Diabolum, quare non potius erigitur ad Deum? Non enim Diabolus cogendo,*

ſed

Digitized by Google

ſed ſuadendo nocet, nec extorquet à nobis conſenſum, ſed petit. Nos Diabolum non adjuvemus, & vincimus. Dat quidem ille conſilium, ſed, Deo auxiliante, noſtrum eſt vel eligere, vel repudiare quod ſuggerit.

Cum igitur omnes Thomiſtæ, Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, defenſores, doceant, Deum nullo pacto eſſe ſuaſorem & incentorem pravarum ſuggeſtionum, ſollicitationum, & tentationum ad peccatum, ſed potiùs illum peccatoribus largiri, vel offerre Gratiam ſufficientem, per quam habent veram potentiam vincendi pravas illas ſuggeſtiones, tentationes, & ſollicitationes ad peccatum, Deumque inſuper, præter Gratiam ſufficientem, quam peccatoribus ſuppeditat, deputare ad eorum cuſtodiam bonos Angelos, qui ſingulari cura illos ab infeſtationibus Dæmonum ac tentationibus protegant; cùm hæc, inquam, omnia à Thomiſtis, Præmotionis phyſicæ aſſertoribus, palàm doceri & propugnari lippis ac tonſoribus notiſſimum ſit; mirari profectò ſubit, quo pacto Pater *Daniel*, aliique Thomiſtarum doctrinæ adverſarii audeant tam atrocem illis intentare calumniam, ut dicant, Præmotionem phyſicam derogare Sanctitati Dei, & facere Deum auctorem peccati.

IV Sed video te fortaſſe dicturum, Deum, in ſententia Thomiſtarum de Præmotione phyſica, non eſſe quidem ſuaſorem, & incentorem peccatorum; ex illorum tamen ſententia poſſe maniſeſta conſecutione deduci, Deum eſſe cauſam effectricem peccati. Enim verò (ſicut ait Pater *Daniel*) quemadmodum Deus prædeterminat hominem ad actum Fidei, ita, ſecundùm Thomiſtas, Deus prædeterminat hominem ad homicidium; ergo, ſicut Deus, per illam Prædeterminationem ad actum Fidei, eſt cauſa efficiens actus Fidei, ut docent Thomiſtæ, ita Deum, per illam Prædeterminationem ad homicidium, eſſe cauſam efficientem peccati fateri itidem debent Thomiſtæ.

Hoc Patris *Danielis* argumentum eſſe purum ſophiſma, & paralogiſmum, facilè intelliges; ſi duo, quæ in peccato occurrunt, accuratè velis cum omnibus Theologis ſecernere, *materiale* videlicèt peccati, & *formale*, ſeu malitiam peccati. Fatentur Thomiſtæ, Deum per Præmotionem phyſicam eſſe cauſam efficientem hujus, quod Theologi appellant *materiale peccati*; quia id, quod dicitur *materiale peccati*, habet rationem entis, ut docent omnes Theologi; porrò, omne ens debet produci à Deo per prævium & phyſicum influxum, ſicut multis argumentis evici in ſecunda, quam ad te ſcripſi, Epiſtola; idque late probat S. *Thomas* Art. 2. Quæſt. 3. *De Malo*, & in 2. lib. Sent. Diſtinct. 37. Quæſt. 2. Art. 2. At, negant Thomiſtæ, Deum eſſe cauſam hujus, quod Theologi appellitare ſolent *formale peccati*, in quo tota ejus conſtituitur malitia. Hoc enim *formale*, ſeu malitia peccati, non eſt aliquod ens, nec pertinet ad genus phyſicum; ſed merum nihilum eſt, ſeu defectus, & privatio tantùm rectitudinis in actu libero. Peccare ſiquidem (ut docent omnes Theologi) non eſt *efficere*, ſed *deficere*; ad defectum verò, nemine refragante, nullus requiritur concurſus Dei. Quò fit, ut ſi quis diceret, Deum eſſe cauſam defectuum, idem prorſus eſſet ac ſi quis diceret, Solem eſſe cauſam tenebrarum. Eſt enim Deus per ſuum prævium & phyſicum influxum cauſa univerſalis totius entis, non ſecus ac Sol eſt fons & cauſa efficiens totius luminis; ſed quemadmodum Sol non eſt cauſa efficiens tenebrarum, quæ nihil lucis habent; ita Deus non poteſt eſſe cauſa defectuum & privationum, quippe quæ nullam habent rationem entis: *Nemo*, inquit S. *Auguſtinus* lib. 12. de Civitate Dei cap 7 & 8. *quærat cauſam efficientem malæ voluntatis: non enim eſt efficiens, ſed deficiens . . . . Cauſas porrò defectionum iſtarum, cùm efficientes non ſint, ut dixi, ſed deficientes, velle invenire, tale eſt, ac ſi quiſquam velit videre tenebras, vel audire ſilentium.*

Huic doctrinæ S. *Auguſtini* aperte ſuffragatur Doctor Angelicus lib. 2. Sent. ad *Annibaldum* Quæſtione 1 Art. 2. ad 1. ubi hæc habet: *Malum, in quantum hujuſmodi, non habet eſſe, nec eſt*

res

ver aliqua; ſed magis eſt privatio alicujus perfectio:is in re, unde non habet cauſam efficientem ſed deficientem, & hujuſmodi ſunt cauſæ Mediæ propter hoc, quod ſunt ex nihilo Quibus verbis aperte innuit S. *Thomas* cauſas ſecundas, quas appellat *Medias*, & inter quas cenſetur creatura rationalis, ideò defectibiles eſſe, quia ex nihilo ſunt, & ſuapte natura in nihilum tendunt; Deus autem cauſa non eſt cur cauſæ ſecundæ in nihilum tendant; ſed hoc habent a ſe ipſis, adeoque defectibilitas eis competit ex ſe ipſis. Radix itaque & primordialis ratio omnis defectibilitatis, ſubindeque peccati, eſt ipſum nihilum, quod non eſt a Deo, ſed eſt peculium creaturæ, quæ (ut poſt Sanctos Patres docent omnes Theologi) eſt prima cauſa in genere deficientium, ſeu malorum, ſicut Deus eſt prima cauſa univerſalis in genere efficientium, ſeu omnium entium & bonorum operum: *Ideo* (inquit S. *Fulgentius* cap. 3. libri *de Fide ad Petrum*) *naturæ a Deo factæ proficere poſſunt, quia eſſe cæperunt; ideo deficere, quia ex nihilo factæ ſunt; ad defectum eas ducit conditio originis, ad profectum vero provehit operatio Creatoris*. Hinc noſtræ infirmitatis ac defectibilitatis conſcii, debemus ea, qua par eſt, humilitate profiteri, nos nihil boni habere ex nobis, ſed quidquid boni habemus aut facimus, nos accipere a Deo per Præmotionem phyſicam in ordine naturali, vel per Gratiam ſe ipſa efficacem in ordine ſupernaturali.

Jam vero cur cauſis ſecundis, quas Sanctus *Thomas* appellat *Medias*, & *Deficientes*, tribui debeat malitia peccati, non vero Deo, qui eſt prima omnium cauſa? Duobus clariſſimis exemplis probat S. *Thomas* 1. Part. ſuæ Summæ Quęſt. 79. Art. 2. Primum exemplum petit S. *Thomas* ex anima, quæ licet cauſa ſit omnium motuum; qui fiunt in corpore hominis, non eſt tamen cauſa cur tibia male moveatur, & claudicet; ſed iſte claudicationis defectus non in animam, ſed in tibiam, quæ eſt cauſa media deficiens, unice refunditur. Alterum exemplum accerſit S. *Thomas* ex perito Scriptore, qui aptando calamum ad ſcribendum, eſt cauſa bonæ diſpoſitionis calami, non tamen defectuum, quibus ſubjicitur calamus; nec peritus itidem Scriptor cauſa eſt defectuum, in quos Diſcipulus, cujus manum regit, labitur inter ſcribendum; ſed illorum defectuum cauſa eſt ipſemet Diſcipulus, qui, dum ſcribit, ſe a directione Magiſtri ſubtrahit. Sicut ergo anima, quæ eſt cauſa motus tibiæ curvæ, non eſt tamen cauſa cur defectus claudicationis reperiatur in tali motu: Sicut etiam peritus Scriptor eſt cauſa cur calamus pingat, ſed non eſt cauſa cur male pingat; nec pariter cauſa eſt defectuum, in quos Diſcipulus inter ſcribendum labitur; ita quoque defectus actionum hominis non debent adſcribi Deo, ſed ipſi homini, quamvis Deus, cum ſit cauſa univerſaliſſima, producat per ſuum prævium & phyſicum influxum quidquid in ſingulis actionibus hominis habet rationem entis.

Inde pateſcit ratio cur Deus moveat hominem ad actiones cum malitia conjunctas. Cum enim Deus ſit cauſa prima efficiens univerſaliſſima omnium entium, & unumquodque juxta ejus conditionem, moveat, cauſas nimirum neceſſarias, modo neceſſario; liberas vero, modo libero; cumque liberum hominis arbitrium, poſt primigeniam Adami culpam, magnam contraxerit ad malum pronitatem; ordo communis Divinæ Providentiæ exigit, ut quando voluntas rationalis pro ſua defectibilitate peccare vult, Deus, qui nullam humanæ libertati vim infert (ſed, tanquam Proviſor univerſalis, permittit peccata, quæ fiunt) producere debeat actionem peccati; quæ, in ſe præciſe ſumpta, bona eſt, utpote quæ pertinet ad genus phyſicum, & habet rationem entis; voluntas vero humana, quæ eſt prima cauſa ſe ſe determinans in genere defectibilium, attingat malitiam, quæ conjuncta eſt cum actione peccati; quæ malitia cum nihil ſit, nec pertineat ad ordinem phyſicum, ſed duntaxat ad ordinem moralem, non habet cauſam efficientem, ſed tantum deficientem, videlicet voluntatem humanam, cujus defectebilitas eſt vera radix & cauſa omnium peccatorum.

Quod ſi dicas, poſſe Deum corrigere hanc humanæ voluntatis defectibilitatem,

tem, movendo duntaxat voluntatem humanam ad actiones bonas, non vero ad actiones cum malitia conjunctas; quod ſi Deus id poſſit, quare ergo non facit?

Actutum Reſpondebo ipſe: quod ſi Deus ita corrigeret hanc humanæ voluntatis defectibilitatem, ut illam tantum moveret ad actiones, quæ cum bonitate ſunt conjunctæ, non autem ad illas actiones, quæ adjunctam habent malitiam; ſequeretur, voluntatem creatam ſemper bene acturam, nec unquam, male operando, uſuram libertate, quam habet, peccandi. Cum enim (ſicut in ſecunda, quam ad te miſi, Epiſtola late probavi) nulla creatura vel minimum ens producere poſſit, vel aliquam exerere actionem, quæ à Deo, ſuprema & univerſaliſſima omnium entium cauſa, per prævium & phyſicum influxum non producatur; quis non videt, quod, ſi ſemel Deus moveret duntaxat voluntatem humanam ad actiones, quæ ſunt cum bonitate conjunctæ, nunquam voluntas humana eliceret actiones, quæ malitiam habent annexam, quia nulla creatura (juxta invictum doctrinę S. *Thomæ* principium) poteſt ex ſe ſola, & abſque prævio & phyſico Dei influxu aliquod vel minimum ens, proindeque ullam actionem, quæ in ſe habet rationem entis, producere; cum igitur actiones, quę conjunctę ſunt cum malitia, ſi ſecundum ſe preciſe ſpectentur, bonæ ſint & habeant rationem entis; conſequens eſt, voluntatem creatam non poſſe ex ſe ſola, & citra prævium & phyſicum Dei influxum illas producere. Facta itaque ſemel hypotheſi, quod Deus non moveret influxu ſuo pręvio & phyſico voluntatem creatam ad illas actiones, quæ licet cum defectu & malitia ſint conjunctæ, in ſe tamen præciſe conſideratæ ſunt bonæ & habent rationem entis, voluntas creata nunquam eliceret actiones, quibus conjuncta eſt malitia, ideſt, nunquam peccaret. Ne igitur lædatur libertas, quam habet voluntas humana producendi actiones vel cum bonitate, vel cum malitia conjunctas; debet Deus, qui eſt cauſa univerſalis totius entis, movere voluntatem humanam prævio & phyſico influxu ad illas actiones, quæ, etſi cum defectu & malitia ſint conjunctæ, ſunt tamen, in ſe ipſis ſpectatæ, bonę, & tantum per malam determinationem voluntatis humanæ, quæ (ſicut docent Thomiſtæ) eſt prima cauſa in genere defectibilium, evadunt malę ac vitioſæ.

Quocirca, dum Deus, tanquam cauſa univerſalis totius entis prævie & phyſice influit in ejuſmodi actiones, peccatoribus vere dicere poſſit: *Servire me feciſtis iniquitatibus veſtris*. Non enim ideo peccat voluntas creata, quia Deus, velut cauſa univerſalis, in ejus actionem, cui annexa eſt malitia, prævie & phyſice influit, (ſicut P. *Daniel* cum ſua Schola Moliniana falſo aſſerit) ſed ideo peccat voluntas creata, quia, cum ſit prima cauſa in genere defectibilium, ſe determinat ad peccandum, & hac mala ſua determinatione Deum inducit, ut, tanquam cauſa univerſalis efficiens omnis actionis, & totius entis, prævie & phyſice influat in ejus actionem, quę in ſe bona eſt, ſed mala determinatione voluntatis redditur vitioſa.

Summa igitur injuria Thomiſtas offendit Pater *Daniel*, dum aſſerit; quod ſicut Deus, in Sententia Thomiſtarum, determinat hominem ad actum Fidei, ita hominem determinat ad homicidium. Quam blaſphemiam, execrantur omnes Thomiſtę, qui docent, Deum per ſuum concurſum prævium & phyſicum nullo pacto attingere malitiam peccati; ſed illum, tanquam Proviſorem univerſalem, permittere tantum ut peccata fiant; tum ut detur locus libertati humanæ, quę, cum libera, defectibilis, & peccabilis ſit; concupiſcentiæ illecebris, & pravis Diaboli ſuaſionibus decepta, ſe ſe ipſam inclinat & determinat ad peccandum. Tum etiam, ut Deus ex iſtis malis, ſeu peccatis, quę permittit, aliqua bona eliciat, ſicut S. *Auguſtinus* cap. XI. libri *Enchiridion* ait: *Deus non fineret aliquod malum eſſe in ſuis Operibus, niſi uſque adeo eſſet omnipotens, ut etiam benefaceret de malo*. Sic, Exempli cauſa, Deus permittit perſecutiones Tyrannorum, ut

Digitized by Google

ut inde eluceſcat magis ac magis patientia Martyrum. Sic Deus permiſit, ut *Semei* malediceret, ſeu imprecaretur *Davidi* Regi, ut ille Rex, quem filius *Abſalon* occulto, ſed juſto Dei judicio, perſequebatur, peccatorum ſuorum veniam poſtularet, ageretque pœnitentiam. Sic denique Deus permittit, ut Juſti & Prædeſtinati in peccata venialia, & aliquando lethalia labantur; indeque ſuam agnoſcentes infirmitatem, cautiores ſint, humiliores, ac vigilantiores, ſicut pluribus in locis docet S. *Auguſtinus*.

V. Sed dicis in ea (quam ad me ſcripſiſti) Epiſtola, id ſaltem commodi habere Scholam Molinianam, quæ Præmotionem phyſicam rejicit; ut ei objici haud poſſit, quod Deum faciat auctorem peccati; licet prædicta Schola doceat, Deum, tanquam cauſam univerſalem, concurrere cum voluntate creata concurſu ſimultaneo ad actionem peccati. Sic enim (inquis) Scholæ Molinianæ Sententiam dilucide explicat Pater *Daniel* in ſua octava ad P. *Natalem Alexandrum* Epiſtola, ubi hæc habet: *Deus eſt univerſalis cauſa, ſine qua nulla ſingularis agere cauſa poteſt. Hanc igitur ſibi legem Deus impoſuit, ut cum ſingulis cauſis congruenter ipſarum naturæ, ageret, atque ita concurreret cum liberis, ut ne ipſarum violaret libertatem. Hac lege conſtituta, qua ſe Deus obſtringere voluit, ac porro debuit, ſi Mundum, uti noſter eſt, conderet: Si lex, inquam, iſta intelligatur eſſe poſita, in quam uno ore Theologi, Pilosophique omnes conſentiunt, Dei concurſus liberis omnibus cauſis paratus ſemper & promptus adeſt, in ipſarum eſt poteſtate & arbitrio ipſum ad hanc illamve actionem determinare, & illarum quidem vitio ac damno fit, cùm ad pravas eum detorquent, ac determinant actiones, verbi gratia, ad enſem in pectus alterius diſtringendum. Ad hunc motum edendum adjuvat, ut cauſa univerſalis, Deus, cum maxime interminatur homicidæ, ac vetat, ne id ſceleris admittat; meritoque his Prophetæ verbis cum ſcelerato conqueritur: Servire me feciſti iniquitatibus tuis. Tota hujus actionis improbitas in peccantem confertur, nullatenus in Deum, quia facinoroſus, dum peccat, ſua libertate, qua perperam utitur, cauſam univerſalem, ſcilicet Deum, ad agendum ſecum determinat.* Hactenus (inquis) Scholæ Molinianæ Sententiam luculenter Pater *Daniel* expoſuit.

At, vide nunc, ſodes, quomodo idem Scriptor Molinianus Sententiam Scholæ Thomiſticæ, atris coloribus depictam, oculis lectoris ſubjiciat: Sic enim alloquitur Thomiſtas: *Sed in veſtro Syſtemate aliter ſe res habet. Hic homo, verbi gratia, ad patrandum homicidium, aut ad condonandam injuriam per ſe ſe eſt indifferens. An hic homo determinat Deum ad homicidium? minimè gentium. Sed Deus ipſe, in Thomiſtarum Sententia, indita huic homini Prædeterminatione phyſica ad hoc ſcelus, ad illud idem eum determinat, imprimendo in ejus voluntate qualitatem cum iſto facinore neceſſario vinculo conjunctam.* Hæc Patris *Danielis* verba poſtquam in tua Epiſtola deſcripſiſti, immediatè ſubdis, mihi icumbere neceſſitatem iſtius Moliniani Scriptoris retundendi ſuppoſitionem; maxime, cum idem Scriptor audacter provocet quemcumque Thomiſtam, ad ſolvendum iſtud, quod propoſuit, argumentum: *Hoc ni facis*, inquis Pater Daniel, *erunt permulti, quos doctrina veſtra, antea illis ignota, nunc diductis per me velis ſub divum prolata, offendet, ac percellet.*

Hanc Patris *Danielis* argumentationem proclive eſt confutare. Primò, quia ſupponit Molinianus ille Scriptor, Deum eſſe cauſam univerſalem in eo duntaxat ſenſu, quòd influxus Dei in cauſas ſecundas ſit ex ſe indifferens, & à voluntate creata ad bonam vel malam actionem pro ſuo nutu & arbitrio flectatur, inclinetur, & determinetur; id autem quam falſum ſit, in meis, quas jam ad te ſcripſi, Litteris ſat ſuperque oſtendi; multis probando argumentis, Deum, juxta doctrinam Scholæ Thomiſticæ, eſſe cauſam univerſalem omnium entium, actionum, & determinationum in eo ſenſu, ut per ſuum prævium & phyſicum influxum determinet & applicet cauſas liberas, ad ſe determinandum & agendum, illæſa tamen

manente ipſarum libertate.

Præterea, ſupponit P. *Daniel*, Deum juxta Thomiſtarum doctrinam, determinare & applicare voluntatem creatam ad *formale*, ſeu ad malitiam peccati; quod tamen, ut jam ſæpius dixi, pernegant omnes Thomiſtæ, qui docent, ideo totam peccati malitiam in ſolam hominis voluntatem, & non in Deum, eſſe refundendam; quia voluntas hominis eſt prima cauſa in genere defectibilium ſe ſe determinans ad peccandum.

Tertio, ideo, juxta Patrem *Danielem*, Deus non eſt cauſa peccati, quia, cum liberum hominis arbitrium duplicis determinationis capax ſit, in bonum ſcilicet & malum; Deus neutram determinationem vult, ne uſum libertatis humanæ impediat, ſed libero hominis permittit arbitrio, ut in quamcumqe velit partem, ſe ſe determinet, & ad utrumque ipſe offert homini concurſum, vagum, verſatilem & indifferentem, ipſam enim determinationem Deus (in Syſtemate P. *Danielis*, & omnium Moliniſtarum) non dat ne humanam libertatem lædat; ergo ex hoc P. *Danielis*, cæterorumque Moliniſtarum Syſtemate palam ſequitur, Deum nec boni actus eſſe cauſam proprie & per ſe, vel ſi ex ſuo concurſu verſatili ſit cauſa boni actus, perinde illum fore cauſam mali (cum in Sententia P. *Danielis*, totiuſque Scholæ Moliniſticæ) concurſus, quem Deus homini offert, ſit ex ſe verſatilis & indifferens ad bonum & malum, & penes hominem ſit, hunc Dei indifferentem concurſum in quamcumque voluerit partem, ideſt, ad bonum vel malum, pro ſuo nutu & arbitrio flectere ac determinare; quod certe non video quo pacto cohærere & conciliari valeat cum definitione Concilii Tridentini Seſſione 6. canone ſexto: *Si quis dixerit, mala opera; ita ut bona, Deum operari, non permiſſivè ſolum, ſed proprie & per ſe, Anathema ſit*.

Quarto, ex hac P. *Danielis* & Scholæ Molinianæ Sententia ſequi videtur, Deum eſſe cooperatorem peccati, quia licet doceant Moliniſtæ, Deum eſſe cauſam univerſalem, quæ ad hanc vel bonam, vel malam actionem determinatur a voluntate creata, contendunt attamen, Deum, ſi fuerit a voluntate creata determinatus ad actionem quæ conjuncta eſt cum malitia peccati, ſimul concurrere cum voluntate creata ad producendam hanc actionem quæ annexam habet malitiam peccati; ex quo ſequi videtur, Deum, juxta Scholæ Molinianæ doctrinam, eſſe cooperatorem peccati.

Imo, magis urget Patrem *Danielem* iſtud argumentum quam Thomiſtas. Docet etenim P. *Daniel* cum *Suareſio*, & aliis Molinianæ Scholæ Theologis, quos vocant *Congruiſtas*, Deum, poſtquam formavit ſuum Decretum abſolutum, quo vult aliquos reprobare, iiſque denegare gloriam, ejuſmodi peccatores reprobos in his collocare circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam, futurorum conditionatorum exploratricem, certo & infallibiliter peccaturos prævidit, & poſtea cum illis ſimultanee concurrere ad producendam actionem, quæ conjuncta eſt cum malitia peccati. Hac autem ſemel facta hypotheſi, quis, amabò, non videt, Deum eſſe cooperatorem, & cauſam moralem peccati? At enim, ſicut ille qui aliquem peregrinum viatorem per viam tutam non duceret, ſed data opera illum conſtitueret in via, quam certiſſime ſciret eſſe a graſſatoribus infeſtatam, cenſeretur omni procul dubio cauſa moralis mortis hujus viatoris; ſicut etiam, ſi aliquis paterfamilias collocaret filium ſuum in his circumſtantiis, in quibus certo & infallibiliter prævideret, filium ſuum in fornicationem lapſurum, & ſimul cum ipſo ad illam actionem concurreret, diceretur jure merito cooperator & cauſa moralis fornicationis, quam committeret filius, ita à pari, ſi Deus, ut docent Scholæ Molinianæ Theologi Congruiſtæ, hominem ponat in his circumſtantiis, in quibus certo & infallibiliter noſcit eum peccaturum, & ſimul cum eo concurrat ad actionem, quæ conjuncta eſt cum malitia peccati, ut aſſerunt iidem Theologi, ſequitur, Deum eſſe cooperatorem, & & cauſam moralem illius peccati. Viden,

iſtud

Digitized by Google

iſtud argumentum, quod Pater *Daniel*, & Scholæ Molinianæ Theologi Congruiſtæ objiciunt Thomiſtis, facilè in eos retorqueri poſſe! Quam ergo huic argumento ſolutionem dabunt Scholæ Molinianæ Theologi Congruiſtæ, eadem potiori jure uti poterunt Scholæ Thomiſticæ Theologi, Præmotionis phyſicæ defenſores, eamque huic propoſitæ difficultati accommodare.

Denique, ut intelligas, quam ſubleſta & jejuna ſit hæc Patris *Danielis* objectio, in memoriam tuam revocare debes ea, quæ, poſt *Thomam de Lemos*, & *Vincentium Contenſonum*, obſervavi in ſecunda, quam ad te ſcripſi, Epiſtola; videlicet ſententiam de neceſſitate Præmotionis phyſicæ ad actus naturales, & ad materiale peccati a Thomiſtis defendi rationibus quidem validiſſimis, ſed e Philoſophia tantùm petitis; at doctrinam de neceſſitate Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, ad actus ſupernaturales propugnari à Thomiſtis tanquàm connexam cum Fide, cum Sacris Litteris, cum definitionibus Summorum Pontificum & Conciliorum, & cum traditione SS. Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*. In hoc præſertim capite totius diſputationis de Gratia cardinem verti affirmant Thomiſtæ, in eo potiſſimum hærent, & præcipuum cauſæ ſuæ firmamentum locant; ajuntque, quòd etiamſi non eſſet neceſſaria Præmotio phyſica ad actus naturales, & ad materiale peccati, eſſet tamen ſemper neceſſaria ad eliciendos ſingulos actus ſupernaturales, & ad producendas omnes pietatis actiones.

Quæ cùm ita ſint, facili negotio intelligere potes, Patrem *Danielem*, alioſque Scholæ Molinianæ Theologos, ſive dum ſcribunt, ſive dum diſputant contra Thomiſtas, laterem lavare, oleumque & operam perdere; quippe qui, cum deberent præcipuum ferire caput e quo Thomiſtæ repetunt Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe ipſam efficacis neceſſitatem, in eo ſitum, quod velint Thomiſtæ, neceſſariam omnino eſſe Præmotionem phyſicam ad edendos ſupernaturales pietatis actus, ſicut diſertè probant è Sacris Litteris, & definitionibus Summorum Pontificum, ex Canonibus Conciliorum, & ex perpetua ſibique ſemper conſtanti Sanctorum Patrum traditione; hoc tamen miſſo Theologicæ Diſputationis capite, quod Thomiſtis inſtar proræ ac puppis eſt, Adverſarii Scholæ Thomiſticæ impugnant duntaxat alterum minus principale & quaſi acceſſorium caput, ex quo Thomiſtæ ſententiam de neceſſitate Premotionis phyſicæ ad ſingulos actus naturales, & ad materiale peccati ſolidis quidem, ſed philoſophicis rationibus, probant. Quam ſententiam licet jure optimo propugnent Thomiſtæ, eamque, ut mox oſtendi, vindicent ab illo terriculamento, quod Scholæ Molinianæ Theologi objiciunt, dictitantes, Deum per Præmotionem phyſicam fieri auctorem peccati; fatentur tamen ultro Scholæ Thomiſticæ Theologi, quod etiamſi Præmotio phyſica non eſſet neceſſaria ad actus naturales & ad materiale peccati, ſemper tamen eſſet neceſſaria ad actus ſupernaturales; in hoc, inquam, capite totius rei, ſeu Diſputationis Theologicæ de Præmotione phyſica, hoc eſt, de Gratia per ſe efficaci, Summam reponunt Thomiſtæ.

VI. Sub finem Epiſtolæ tuæ proponis difficultatem, cui, cùm præcedenti (quam jam dilui) objectioni vim aliquam addere videatur, neceſſe eſt ut hinc abunde faciam ſatis. Sic enim diſcurris: *Si Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, ad eliciendos actus ſupernaturales, & ad obſervanda, atque adimplenda Dei precepta omnino eſt neceſſaria, ut docent Thomiſtæ, non poterit peccatum imputari homini, qui, carens Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, præceptum Dei tranſgreditur; quia niſi adſit Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, quæ hominem moveat, determinet & impellat, ſemper homo iners ac pendulus remanebit; ſubindeque præcepta divina adimplere minime poterit. Tranſgreſſio itaque præcepti huic homini deſtituto Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, imputari non debebit, ſed ſoli Deo, qui Premotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, ad implendum Dei præceptum penitus neceſſariam,*

Digitized by Google

huic homini ſubtraxit. Hæc eſt, inquis, *graviſſima difficultas, quæ in Syſtemate Thomiſtarum ſolvenda occurrit, & quæ locum non babet in ſententia Patris Danielis, & aliorum Scholæ Molinianæ Theologorum, qui docent, hominibus qui violant Dei præcepta, juſtè imputari peccatum quia Deus omnibus promiſcuè hominibus ſuppeditat Gratiam verſatilem, indifferentem, & ſubditam eorum libero arbitrio, quam, dùm pro libertate ſua, qua abutuntur, determinant ad malam actionem, eaque malè utuntur, verè ſe præbent in tranſgreſſione Divini præcepti culpabiles; eo quod nihil plane ex parte Dei eis deſit, quod ad præcepti Divini obſervationem ſit neceſſarium; & penes illos ſit Gratiam verſatilem & indifferentem, ſibi à Deo oblatam reddere efficacem, vel vacuam & ſterilem, ideſt, inefficacem.* Huic, quam proponis, difficultati, triplicem in præſentia adhibebo Reſponſionem, tuo permittens arbitrio eam, quæ tibi magis arriſerit, eligendi.

Et primo dico: his qui carent Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, ad implenda Dei præcepta omnino neceſſaria, æquiſſime vitio verti, & in culpam imputari tranſgreſſionem præceptorum Dei; quia, licet deſtituti ſint Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, habent tamen (ut docent omnes Thomiſtæ) Gratiam ſufficientem, quæ dat eis potentiam adimplendi præcepta Dei completam, proximam, & expeditam; ita ut nihil eis deſit ex parte potentiæ. Quod ſi vero non habeant Præmotionem phyſicam, ideſt, Gratiam per ſe efficacem, ad implenda Dei præcepta neceſſariam; in culpa ipſorum eſt, quippè qui proprio ſuo vitio reſiſtunt Gratiæ ſufficienti, & aditum præcludunt Præmotioni phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficaci, ad quam Gratia ſufficiens tàm ex natura ſua, quam ex voluntate Dei antecedenti tendit & ordinatur. Gratia etenim ſufficiens (ſicut in aliis Epiſtolis contra *Janſenium* oſtendam) viam ſternit ad Gratiam per ſe efficacem, & ad illam recta tendit & ordinatur; adeo ut homini, qui habet Gratiam ſufficientem, Deus non deneget Gratiam per ſe efficacem, ad obſervationem præceptorum Dei neceſſariam, niſi quia homo, præditus Gratia ſufficienti, propria ſua malitia reſiſtit Gratiæ ſufficienti, ſiſtendo ejus curſum, & impediendo, ne ulterius ordinetur. Quo fit, ut, ſi homo ille non obſervet præcepta Dei, in culpa illius ſit, cum verè illa obſervare poſſit ope Gratiæ ſufficientis, qua Deus illum donavit; ſibique imputare debeat; quod reſiſtendo Gratiæ ſufficienti, non obtinuerit a Deo auxilium per ſe efficax, ad implenda Dei præcepta neceſſarium. Deus enim (ut mox dixi) Gratiam ſufficientem homini confert & impertitur; ut illum ulteriùs promoveat, eumque diſponat ad recipiendam Gratiam per ſe efficacem, quam re ipſa Deus homini largiretur, niſi hunc Divinæ Gratiæ ſufficientis influxum propria malitia ſiſteret & impediret homo.

Hanc Reſponſionem conceptis verbis tradit S. *Thomas* lib. 3. contra Gentes cap. 159. ubi hæc habet: *Non immeritò imputatur in culpam ei, qui impedimentum præſtat Gratiæ receptioni. Deus enim quantum in ſe eſt, paratus eſt dare Gratiam omnibus (vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur Epiſt. 1. ad Timotheum cap. 2.) ſed illi ſoli Gratia privantur, qui in ſe ipſis Gratiæ impedimentum præſtant, ſicut, Sole Mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, ſi ex hoc malum ſequatur; licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.* Hi itaque, qui Gratiæ ſufficienti, quam Deus illis confert, reſiſtendo, impedimentum ponunt receptioni Gratiæ per ſe efficacis, quam Deus, quantùm in ſe eſt, paratus eſt illis dare, reapſe culpabiles ſunt, dùm violant Legem Dei, quia ipſi ſunt, ut inquit Scriptura Sacra, *rebelles lumini*, qui dicunt Deo: *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*, ſicut legitur cap. 21. v. 14. libri *Job*.

Alteram Reſponſionem ſuppeditat mihi Apoſtolus *Paulus*, qui cap. 9. Epiſtolæ ad Romanos eamdem proponit ac ſolvit difficultatem, quæ tibi faceſſit negotium. Cum enim Apoſtolus eo

loci

loci hanc veritatem ſtatuiſſet : *Ergo Deus cujus vult miſeretur, & quem vult, indurat*, ſtatim objicit ſibi : *Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur? Voluntati enim ejus* (ſeu Dei) *quis reſiſtit*? Quaſi Apoſtolus hæc ſibi objiceret : *Dicis itaque mihi : inique arguor quod non reſipuerim, & non objecerim peccatum; hoc enim mihi imputandum non eſt, cui defuit Gratia Dei efficax, ſine qua nemo emergit è peccato, & præcepta Dei obſervat. Voluntati autem Dei quis reſiſtit?* En ipſiſſimam, quam proponis, difficultatem.

Vide nunc, ſi placet, quid reſpondeat Apoſtolus? Aitne, hominem, qui tranſgreditur præcepta Dei, ideo juſte argui, eique peccatum imputari, quia Deus omnibus promiſcue hominibus gratiam verſatilem & indifferentem largitur, quam quiſque ex innata libertate determinat, & reddit efficacem, aut inefficacem; cumque peccator, dum tranſgreditur præcepta Dei, hanc Dei gratiam verſatilem & indifferentem reddat propria ſua culpa inefficacem, juſta de cauſa ei imputari peccatum? Nihil ſane horum hic inſinuat Apoſtolus, ac ne per umbram quidem gratiam illam Dei verſatilem ſubditam libero hominis arbitrio indicat; ſed potius ſic argutantem hominem carpit ac reprehendit his verbis: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* recurrit ad inſcrutabilia judicia Dei; hominemque ſuperbum ac querulum deterret a tanta ſublimis hujus & incomprehenſibilis Myſterii profunditate ſcrutanda, quæ tamen tanta non fuiſſet, ſi Apoſtolus *Paulus* doctrinam de Gratia verſatili, & ſubdita libero hominis arbitrio compertam ac exploratam habuiſſet. Quis enim ſtatim, facile non intelligit, homini juſte imputari peccatum, ſi ſemel (ut volunt Moliniſtæ) ad obſervanda Dei præcepta homo non indigeat Gratia per ſe efficaci, ſed opus duntaxat habeat Gratia verſatili, indifferenti, & ſubdita libero ejus arbitrio, quam ſicut aſſenſu ſuo reddit efficacem, & bene operatur, ita diſſenſu ſuo reddidit inefficacem, & male operatur? Tam facili & expedita Reſponſione propoſitam ſibi difficultatem e veſtigio ſolviſſet Apoſtolus; ut quid ergo ab hac Reſponſione, quæ ad iſtum gordium nodum diſſecandum perquam appoſita erat, omnino abſtinuit? Numquid Apoſtolus *Paulus* (ſi audiamus nonnullos) reus erit detentæ & oppreſſæ veritatis, & prævaricationis cauſæ Dei, quam cum potuiſſet tam facili & prompta Reſponſione tutari adverſus impios, quorum ſibi objectionem proponit; hanc tamen Reſponſionem reticendo paſſus eſt illos in grave ſcandalum incurrere? Numquid etiam dicemus, Sanctum *Auguſtinum*, veſtigiis Apoſtoli *Pauli* inſiſtentem, ejuſdem criminis conſcium eſſe, quippe qui in ſuis Operibus, ſed præſertim toto libro *De Correptione & Gratia*, docet, peccatores juſte corripi debere, tametſi, dum propria malitia tranſgrediuntur legem Dei, careant juſto Dei judicio Gratia per ſe efficaci, quæ ſuapte natura facit, ut peccatores ad meliorem frugem convertantur, & obſervent mandata Dei? Abſit, ut de Apoſtolo *Paulo*, & de Sancto *Auguſtino* tam iniquum feramus judicium; ſed potius illorum doctrinæ indivulſe adhærentes, ad hanc objectionem diluendam utimur eadem Reſponſione, quam ipſimet adhibuerunt: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Prono capite adoramus inſcrutabilia judicia Dei; profitemur, Deum ex pura miſericordia Gratiam per ſe efficacem, quibus vult, elargiri; &, quibus vult juſto judicio denegare; ſubindeque injuſtam eſſe hominis querimoniam, quia Deus nemini tenetur dare Gratiam per ſe efficacem.

Poſtremo: Reſpondemus cum *S. Thoma* 2. 2. Quæſt. 2. Art. 5. ad argumentum ſibi primo loco objectum: *Dicendum* (inquit Angelicus ille Doctor) *quod ſi in poteſtate hominis eſſe dicatur aliquid excluſo auxilio Gratiæ; ſic ad multa tenetur homo, ad quæ non poteſt ſine Gratia reparante; ſicut ad diligendum Deum & proximum. & ſimiliter ad credendum articulos Fidei: Sed tamen hoc poteſt cum auxilio Gratiæ, quod quidem auxilium quibuſque divinitus datur, miſericorditer datur; quibus autem non* da-

datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, aut ſaltem originalis peccati, ut ait S. Auguſtinus in libro De Correptione & Gratia.

Huic Apoſtoli *Pauli*, & Sanctorum Eccleſiæ Doctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* Reſponſioni, tanquam ſacræ anchoræ adhærent Thomiſtæ. Advertere tamen debes, quod, dum Apoſtolus *Paulus* loco mox a me laudato ait, *Deum indurare quem vult*, hoc non eſt ita accipiendum, ut Deus quemquam induret impartiendo malitiam, ſed in hoc ſenſu eſt intelligendum, ut, Deo ſubtrahente Gratiam ſuam in pœnam præcedentium peccatorum, fiant homines obdurati, & occæcati; vel Deo ſubtrahente Gratiam ſe ipſa efficacem, qua peccatores, reſiſtendo Gratię ſufficienti, ſe indignos præſtant; tentationibus, prava illiciente cupiditate, ſuccumbant. Cæterum docet Apoſtolus *Paulus*, Deum non denegare peccatoribus, qui non ſunt adhuc obdurati & occæcati, Gratiam, per quam vincere poſſint tentationes, ait enim cap. x. v. 13. Epiſt. 1. ad Corinthios: *Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*: Verum, quamvis peccatores hujuſmodi recipiant a Deo gratias ſufficientes, quarum ope poſſunt tentationes ſuperare; aliquando tamen, dum his Gratiis ſufficientibus obſiſtunt; Deus juſto judicio illis denegat Gratias per ſe efficaces, quæ ad ſuperandas tentationes ſunt neceſſariæ. Quo fit, ut illi, Gratia per ſe efficaci deſtituti, ſuæque infirmitati ac malitiæ a Deo permiſſi, in peccatum prolabantur, ſicut antea dixi, idque copioſius deinceps explanabo.

Denique dico, te vehementer falli, dum putas, hanc, (quam contra Thomiſtas proponis) objectionem, locum non habere in ſententia Patris *Danielis*, & aliorum Scholæ Molinianæ Theologorum, qui Præmotionem Phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem explodunt; falleris, inquam, quia hæc objectio communis eſt tam Thomiſtis, quam Patri *Danieli*, & aliis Scholæ Molinianæ Theologis, qui doctrinam *de Gratia Congrua* defendunt, quam ſententiam nunc apud Societatis Theologos communiorem eſſe fatetur ipſemet P. *Daniel*. Docent enim iſti Moliniani Theologi, Gratiæ congruæ aſſertores, præter Gratiam verſatilem, ſubditam libero hominis arbitrio, quæ dat potentiam adimplendi præcepta Dei, aliam Gratiam ad obſervanda precepta Dei neceſſario eſſe admittendam, ſcilicet *Gratiam congruam*, quam ſic appellant; quia temperata eſt naturæ, genio, temperamento, & inclinationi hominis; eamque Gratiam à Deo dari aſſerunt eo loco, tempore, & in his opportunis circumſtantiis, in quibus certo prævidit, hominem Gratiæ verſatili conſenſurum; & per Gratiam congruam Divina præcepta infallibiliter adimpleturum.

Hac porro admiſſa ſemel Patris *Danielis*, & aliorum Scholæ Molinianę Theologorum Congruiſtarum ſententia, ſic argumentor: Quoties homo (in ſententia iſtorum Scholæ Molinianæ Theologorum) pręcepta Dei non adimplet, conſtans eſt, ei deeſſe ex parte Dei Gratiam congruam, quæ (juxta eoſdem Theologos) major eſt, in ratione beneficii, Gratia verſatili ſubdita libero hominis arbitrio; ſi enim hanc Gratiam congruam homo acciperet à Deo, omni procul dubio præcepta Dei impleret. Sequitur ergo ex hac Congruiſtarum Theologorum ſententia, homini qui, Gratia congrua deſtitutus tranſgreditur præcepta Dei, imputari non debere hanc tranſgreſſionem; quia non poteſt non eſſe huic homini impoſſibilis iſta tranſgreſſio, quamdiu caret Gratia congrua, quæ ad obſervanda Dei præcepta eſt omnino neceſſaria. Vides itaque eamdem difficultatem, idemque argumentum, quod Thomiſticæ Scholæ objicis, recurrere itidem in Syſtemate Patris *Danielis*, & aliorum Scholæ Molinianæ Theologorum Congruiſtarum.

Quod ſi ad hanc ſolvendam objectionem reſpondeant Theologi iſti Moliniani Congruiſtæ, homini qui caret Gratia congrua ad Dei implendum præceptum neceſſaria, juſte imputari tranſgreſſionem præcepti Divini; quia ei non deeſt Gratia ſufficiens, qua poſſit implere præ-

præceptum, etſi illud non impleat; Reſpondebunt pariter Thomiſtæ, homini, qui urgente obligatione præcepti, privatur Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, æquiſſime imputari tranſgreſſionem præcepti, quia non deeſt ei Gratia ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quæ dat veram potentiam adimplendi præceptum; & quia etiam Deus ex ſe paratus eſt dare Gratiam per ſe efficacem, quæ ad actualem præcepti obſervationem neceſſaria eſt, niſi homo Gratiæ ſufficienti reſiſtens, ejus curſum ſiſteret, ſeque receptione Gratiæ per ſe efficacis indignum redderet.

Denique, ſicut Thomiſtę docent, Deum, mera liberalitate impulſum, dare quibu ſcumque vult Gratiam per ſe efficacem, ſive ad habendam Fidem, ſive ad obſervanda præcepta neceſſariam, & tamen tranſgreſſionem præcepti juſte imputari illis, quibus Deus occulto ſuo judicio hanc Gratiam per ſe efficacem denegat; ita Pater *Daniel*, aliique Scholæ Molinianæ Theologi Congruiſtæ aſſerunt, Deum e pura miſericordia impartire quibuſcumque vult Gratiam efficacem, quam *Congruam* vocant, quæque ſive ad Fidem ſive ad præceptorum obſervantiam eſt omnino neceſſaria, & tamen illis, quibus Deus hanc Gratiam congruam denegat, quique ſubinde non convertuntur ad Fidem, & non obſervant Dei mandata, juſte imputari peccatum, nec ullam excuſandi ſe ſe, aut de Deo conquerendi rationem eos prætexere ac cauſari poſſe.

Sed præſtat auſcultare P. *Danielem*, qui, in Epiſtola VI. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* explicando Scholæ Molinianæ Theologorum Congruiſtarum Syſtema, aperte oſtendit, eamdem difficultatem quæ Thomiſtis Gratiæ per ſe efficacis aſſertoribus objicitur, recurrere etiam in Syſtemate Congruiſtarum Scholæ Molinianæ Theologorum. Sic enim habet nuperus ille Societatis Scriptor: *Quid intelligimus, cum gratuitam prædeſtinationem ad Gratiam dicimus? Quænam huic voci ſubjecta notio vera & ſententia eſt? Hæc, ut opinor, Decretum Dei eſt, quo ſtatuit efficaci Gratia* (ideſt, *Congrua*, juxta illius Moliniani Scriptoris mentem) *prævenire hominem, neutiquam id, ut ſunt ejus delicta, promerentem, eumque ab errore ad veritatem, à vitio ad virtutem convertere, atque ita illum prævenire, nullam ut in hoc eodem homine cauſam reperiat, qua moveatur ad ejuſmodi beneficium illi tribuendum, quod in eum proinde mera liberalitate impulſus & miſericordia Deus conferat, dum illud idem non tribuit innumeris aliis, juxta atque ille, indignis quidem, at ſæpè minus indignis, quia paucioribus minoribuſque flagitiis contaminati ſunt. Atqui in Syſtemate Scientiæ Mediæ & Gratię Congruę ita ſe res habet: Ethnicus, qui veram ad Religionem efficaci Gratia vocatur à Deo, ſceleribus eſt coopertus, adulteriis & homicidiis inquinatus, nequam, & impius, & ſexcentis aliis multo nequior, qui eodem auxilio beneficioque, ſi quidem ipſis donetur, non ſecius, quam ille, uterentur; nihil in eo Deus videt, niſi cur eumdem oderit, deſerat, damnet; igitur Decretum, quo Deus illum ad Gratiam* (ſcilicet Congruam) *prædeſtinat, tam eſt gratuitum, quam poteſt eſſe, quàm in Thomiſtarum Syſtemate eſt. In hoc Syſtemate* (ſeu Molinianæ Scholæ Theologorum Congruiſtarum) *conſtat ſua decantatis Pauli, & Auguſtini Effatis veritas, & quidem ad verbum, nec tantum ad ſententiam acceptis. Quod hæc homini Gratia*, nempe *Congrua* (pergit idem Scriptor) *tribuatur, nulla in bonis ipſius operibus ratio & cauſa ſubeſt, quia (ut inquiunt cum Paulo Jeſuitæ)* Si autem Gratia, jam non ex operibus, alioqui Gratia non eſt Gratia, Epiſt. ad Rom. cap. XI. *Quod ſi quis Jeſuitas, ut olim Auguſtinum, interroget, cur beneficium hoc Deus in hos conferat, non item in alios? Reſpondent è ſuis, nec non ejuſdem Auguſtini principiis*: Quare illos potius quam iſtos? *Iterum atque iterum dicimus, nec nos piget*: O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?

Quibus verbis aperte profitetur Pater *Daniel*, in Syſtemate de Gratia congrua (cui ipſe utroque pollice ſubſcribit) eamdem recurrere difficultatem, quam Scholæ Molinianæ Theologi objectare ſolent Thomiſtis; ſubindeque, quocum-

que res cadat, & ſe ſe tandem vertat humana ratiocinatio, neceſſe eſſe, ut illud Apoſtoli *Pauli* audiat: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Et, *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei!* Et ſane, cur Deus hanc Gratiam efficacem *congruam*, ut docent Scholæ Molinianę Theologi Congruiſtæ; vel cur Deus hanc Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, ſicut cenſent Thomiſtæ, tribuat uni, qui convertatur ad Fidem, vel adimpleat præcepta, alteri vero non tribuat? Altitudo eſt Divinæ Sapientiæ, & imperſcrutabilis Divinorum judiciorum abyſsus. Poſſet utique Deus, ſi vellet, huic alteri homini dare Gratiam vel *congruam*, ut docent Moliniſtæ, vel per ſe & ab intrinſeco efficacem, ut docent Thomiſtæ; ut quid ergo ejuſmodi Gratiam huic alteri non concedit? Non alia certe in utroque tam Congruiſtarum, quam Thomiſtarum Syſtemate ratio reddenda ſuppetit, niſi iſta: quia talem Gratiam nemini Deus tenetur dare, *& quibuſcumque hæc Gratia divinitus datur, ex miſericordia datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, ſaltem originalis*, ſicut poſt S. *Auguſtinum* conceptis verbis docet S. *Thomas* loco mox a me laudato.

Eamdem rationem pluribus in locis inculcat S *Auguſtinus*, præſtantiſſimus Divinæ Gratiæ Doctor, ſed præcipue cap. 33. libri *De Spiritu & Littera*, dicens: *Si quis me interroget, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non; duo ſolùm occurrunt, quæ reſpondere placeat*; O altitudo divitiarum! &, numquid iniquitas apud Deum? *Cui hæc reſponſio non placet, quærat doctiores; ſed caveat, ne inveniat præſumptiores*. Et cap. 20. lib. 1. ad *Bonifacium* contra duas Epiſtolas Pelagianorum ſic effatur: *jam quomodò iſta diſpenſet* (Deus) *faciens alios ſecundum meritum vaſa iræ, alios ſecundum Gratiam vaſa miſericordiæ*: Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? *Si ergo ad honorem Gratiæ pertinemus, non ſimus ingrati, tribuendo nobis quod accepimus. Quid enim habemus, quod non accepimus?*

Plura huic primæ diluendæ objectioni, quam poſt Patrem *Danielem* contra Thomiſtarum doctrinam de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, proponis, non adjiciam; &, ne longius, quam par ſit, hæc excurrat Epiſtola, ſcribendi finem hìc facio; in altera Epiſtola, quam ad te per proximum curſorem miſsurus ſum, lato calamo oſtendam Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, non tollere hominis liberum arbitrium, ſed illud potius perficere, quidquid contra obſtrepant Scholæ Molinianæ Theologi, quibus Scholæ Thomiſticæ talem calumniam placet impingere. Interim in calce hujus meæ Epiſtolæ uſurpabo ipſiſſima verba, quæ Auctor librorum *De Vocatione Gentium* poſuit initio Operis ſui: *Dudum inter defenſores liberi arbitrii & Prædicatores Gratiæ Dei, magna & difficilis vertitur quæſtio. De hac igitur compugnantia opinionum, qua menſura & temperantia ſentiendum ſit, quantum Dominus adjuverit, annitar inquirere; exercens atque diſcutiens modulum facultatis meæ, in his, quæ cordi meo, quantum arbitror, inhæſerunt*. Vale, dilectiſſime Diſcipule, meaſque frequenter Epiſtolas lege, quo doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci perfecte callere, & tela, quibus Adverſarii eam impetere ſolent, facilius retundere & repellere poſſis.

EPI-

EPISTOLA QUINTA
THEOLOGICA,

In qua ſolvuntur argumenta, quibus P. Gabriel Daniel, *aliique Scholæ Molinianæ Theologi probandum ſuſcipiunt, per Præmotionem phyſicam Thomiſtarum, ſeu per Gratiam ſe ipſa efficacem, de medio penitus tolli liberum hominis arbitrium.*

FIDEM meam, quam tibi obſtrinxi, liberabo tam in iſtis, quam in aliis ſequentibus (quas ad te deinceps ſcribam) litteris, pleniſſimeque diluam omnes objectiones, quas Pater *Gabriel Daniel* e ſua Schola Moliniana mutuatus, crambis inſtar recoctæ, obtrudit, prædicat, & extollit; quodque magis feſtivum ac lepidum eſt, poſtquam Molinianus ille Scriptor eamdem cantilenam occinens, & ſæpius decantata ſuæ Scholæ, & a Thomiſtis pluſquam ſexcentis Scriptoribus confutata argumenta propoſuit, tandem, quaſi rem plane confeciſſet, confidenter ſibi triumphum accinit, & ad ſingulas (quas in ſua Epiſtola octava ad P. *Natalem Alexandrum* adducit) argumentationes, ſumma jactantia exclamat: *Hæc argumentatio brevis eſt, nitida, conſtans propoſitionibus ſimpliciſſimis, quas nemo non intelligit; e quibus nullam video, cui refragari, quamve infringere valeas.* Sed, ut candide dicam, hujus Moliniani Scriptoris *an rideam vanitatem, an exprobrem cæcitatem* (verba ſunt *Tertulliani* cap. 12. lib. 2. ad Nationes dubius hæreo. Ecquis, amabò, non rideat vanitatem hujus Scriptoris, qui, dum Molinianæ ſuæ Scholæ argumenta in Thomiſtas intorquet, tot fulmina in eos ſe vibraſſe autumat? Sed quis eidem Scriptori non exprobret cæcitatem, dum ipſemet fatetur, ſe Thomiſtarum, ad Moliniana hæc quæ ingerit argumenta, ſolutiones nullo pacto mente aſſequi poſſe? Sic enim in eadem Epiſtola ait: *Scio, Theologos veſtros* (ideſt Thomiſtas) *in eo vim omnem ingenii ſui & induſtriæ ſingularis exprompſiſſe, ut ſolutiones excogitarent perquam ſubtiles; ſed quas (fatebor enim) non intelligo.* Profecto, in Patrem *Danielem* recte quadrant hæc verba, quæ apud S. *Auguſtinum* lib. 2. contra *Julianum* cap. 141. leguntur: *Non laboras ut nos intelligas, quod faciliime potes; ſed laboras ut nos refellas, quod non potes.* At, ut obiter dicam ſi ſolutiones, quas Moliniſtarum argumentis adhibere ſolent Thomiſtæ, pro ſuæ mentis modulo capere ac intelligere minime poſſet Pater *Daniel*; ut quid ergo Thomiſtarum doctrinam, in qua ſe omnino peregrinum & hoſpitem prodit, oppugnandi provinciam in ſe ſuſcepit? Ut quid virium ſuarum probe conſcius, videnſque in ſua arena non verſari, a cæpto non deſtitit? Aut receptui canendo, Martis aleam, quæ certe ei male ceſſit, ſubire non detrectavit? Numquid juſte pertimeſcere poterat Pater *Daniel*, ne quis illum eadem irriſione exciperet, qua Chriſtus Dominus capite 3. Evangelii S. *Joannis* faſtum *Nicodemi* repreſſit, dicens: *Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Non tam igitur ratione confutanda, quam riſu excipienda eſſent, omnia quæ Pater *Daniel* contra Scholæ Thomiſticæ doctrinam congerit obſoleta, jamque vetuſtate edentula argumenta; *multa* enim (ut ſcite ait *Tertullianus* cap. 6. lib. adverſus *Valentinum*, hæreticum) *ſunt, ſic digna revinci, ne gravitate adorentur; vanitati propriè feſtivitas cedit. Congruit, & veritati ridere,* quia

quia læta; *de æmulis ſuis ludere*, *quia ſecura eſt*.

Verum, quia tu ipſe per Epiſtolam me monuiſti, quod ille qui Litteras Patris *Danielis* Gallice ſcriptas nuperrime latine vertit, & publica luce donavit, ſub finem, quam præmiſit Præfationis ad Lectorem ſignificet, ab omnibus maxime poſtulari, ut aliquis Thomiſta argumentis, quæ Pater *Daniel* in octava Epiſtola ad Patrem *Natalem Alexandrum* propoſuit, *reſpondeat perſpicue*, *neque novos implicet nodos*, *dum objectos nititur explicare*; rem tibi pergratam facturum me eſſe duxi, ſi ejuſmodi Patris *Danielis* argumenta hic ad criſim revocarem, eademque opera oſtenderem, ea nihil ponderis habere; ſed eſſe meros paralogiſmos, & pura putaque ſophiſmata, ad invidiam Scholæ Thomiſticæ conflandam de induſtria ab illo auctore procuſa.

I. Rem ipſam aggredior, & primum excutiendum ſuſcipio argumentum, quod P. *Daniel* contra Thomiſtarum Syſtema de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia ſeipſa efficaci, his verbis proponit:

Ut ſarta tectaque libertas maneat, inquit P. *Daniel*, *neceſſe eſt*, *ut ſua quoque veritas illi judicio conſtet*, *quod Deus*, *primo loco gratiæ naturam intuens*, *hunc in modum facit*: Et eſt hujus gratiæ natura, ut poſſit non convertere. *Rurſus*, *quo certiſſimum & cum eventu ſine ulla dubitatione conjunctum ſit Decretum Dei*; *oportet etiam*, *ut huic alteri Dei judicio ſua conſtet veritas*: Ea eſt hujus gratiæ natura, ut certiſſime converſura ſit. *Enim vero efficacibus per ſe gratiis duplicem ineſſe vim ac dotem cernit Deus*; *unam*, *quod poſſint non efficere*, *ut homo ſe recipiat ad bonam frugem*: *alteram quod idipſum re ipſa certiſſimè effecturæ ſint*. *Deus itaque has gratiarum dotes ac proprietates intuens*, *pronunciat iſta duo judicia de aliqua una*, *quam exempli cauſa pono*, *gratia*: *Primum quidem*: Gratia hæc Ethnicum poteſt non convertere ab errore ad amplectendam veram Fidem. *Alterum verò*: Certiſſime futurum eſt, ut hæc gratia Ethnicum convertat, ſi Decretum de illa ipſi danda fecero. *Atqui fieri non poteſt in veſtro Syſtemate* ſeu Thomiſtarum, *ut ſtet gemina hæc veritas*; *ſic probo*: *judicium hoc*, Ea eſt hujus gratiæ natura, ut poſſit non convertere, *excludit ab ejuſdem gratiæ natura omnem neceſſariam cum converſione connexionem*. *Contrà*, *judicium alterum*: Ea eſt hujus gratiæ natura, ut certiſſime converſura ſit, *neceſſario conjunctam hujus gratiæ naturam cum ipſa converſione ſignificat*. *Igitur geminum hoc judicium ſimul ſtare nequit*. *Fatemini* (pergit idem Pater *Daniel*, alloquendo Thomiſtas) *ejuſmodi eſſe primum judicium*, *ut omnem neceſſariam cum converſione conjunctionem a natura gratiæ penitus excludat*. *Niſi enim res ita ſe haberet*; *perſpicuum eſt*, *fore ut neceſſario converteret*, *nulluſque libertati jam eſſet locus*. *Alteram propoſitionem probo*.

Cognitio qualibet certiſſima fertur in rem, *aliquo modo neceſſariam*; *ita ut cognitio*, *quæ falli non poteſt*, *neceſſitate nitatur*, *& alio niti fundamento nequeat*. *Cum igitur Deus ita judicat*: Ea gratiæ hujus natura eſt, ut certiſſime ſit converſura, *oportet*, *ut ſtatuatur intercedere vinculum neceſſarium inter gratiæ naturam & converſionem*. *Si hæc neceſſitas & connexio a libertatis uſu non pendere cognoſcitur à Deo*, *& revera in veſtro Syſtemate cognoſcitur*; *a libertate non pendet*, *& ejus uſum antecedit*, *eſtque*, *ut loquuntur Theologi*, neceſſitas antecedens: *non* (*ut in oppoſito Syſtemate* ſeu Moliniſtarum) neceſſitas concomitans, aut conſequens, *quæ aut includat uſum libertatis*, *aut ſequatur*. *Si libertatem antecedit*; *ut procul dubio antecedit*, *eamdem*, *id quod omnis Theologia docet*, *evertit*, *igitur in veſtro Syſtemate Decretum Dei*, *hoc ipſo nomine*, *quod erroris expers dicitur ac certiſſimum*, *conciliari cum humana libertate nequit*.

Hoc eſt peremptorium, ſi ſuperis placet, Patris *Danielis* argumentum, quod tamen merum eſſe ſophiſma facile ex genuina S. *Thomæ*, ejuſque Scholæ, doctrina demonſtro. Verum enim vero, quando Deus per gratiam ſe ipſa efficacem vult vocare aliquem Ethnicum ad Fidem,

Digitized by Google

dem , vel peccatorem ad meliorem frugem ; cognoſcit hanc eſſe Gratiæ per ſe efficacis naturam , ut homo , ſive Ethnicus , ſive peccator , ea Inſtructus poſſit *in ſenſu diviſo* non ſe convertere , ideſt , retineat tam Ethnicus , quam peccator , ſtante etiam in ipſo Gratia per ſe efficaci , potentiam non ſe convertendi , ſejunctam tamen ab actuali non converſione ; quia Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax , licet infallibilem connexionem habeat cum effectu , ad quem a Deo datur ; nullam tamen (ſicut Fides docet) imponit homini neceſſitatem ; ſed potius ejus libertatem fovet , eique relinquit diſſentiendi poteſtatem in ſenſu diviſo , non tamen in ſenſu compoſito ; alioqui Gratia per ſe efficax infallibilem non haberet cum ſuo effectu connexionem , quod ſane doctrinæ Sanctorum Auguſtini & Thomæ e diametro eſt oppoſitum.

Quamvis ergo Deus certiſſime cognoſcat, Gratiam per ſe efficacem talis eſſe naturæ , ut nullam omnino homini ſive Ethnico , ſive peccatori , impoſitura ſit neceſſitatem , quæ adimat liberum arbitrium , ſed potius in utroque ſervatura ſit potentiam non ſe convertendi in ſenſu diviſo ; nihilominus oppido falſum eſt id quod ſupponit P. *Daniel* , nimirum , *Deum cognoſcere eam eſſe Gratiæ per ſe efficacis naturam , ut poſſit non convertere Ethnicum , vel peccatorem* ; id , inquam , tam falſum eſt , quam quod maxime , & a doctrina Scholæ Thomiſticæ prorſus alienum. Tum quia, hoc ſemel admiſſo , deſtrueretur plane intrinſeca Gratiæ efficacia , quæ (ut mox dixi) infallibilem habet connexionem cum effectu , ad quem a Deo datur : Tum quia etiam ad conſervandam hominis libertatem neceſſe non eſt , ut Deus cognoſcat, *eam eſſe Gratiæ Efficacis naturam , ut poſſit non convertere Ethnicum vel peccatorem* (quemadmodum dictitat Pater *Daniel*) ſed ſufficit , ut Deus certo cognoſcat Gratiam per ſe efficacem , quam daturus eſt homini ſive Ethnico , ſive peccatori , nullam impoſituram neceſſitatem , ſed potius in utroque conſervaturam ei diſſentiendi potentiam *in ſenſu diviſo* , non tamen *in ſenſu compoſito* , ſicut docet Schola Thomiſtica : Tum quia denique , tantum abeſt , ut Deus (ſicut pertendit P. *Daniel*) cognoſcat , *eam eſſe Gratiæ efficacis naturam , ut poſſit non convertere Ethnicum , vel peccatorem*, quin potius certiſſime in ſuo Decreto abſoluto cognoſcit Deus, hanc eſſe Gratiæ per ſe efficacis naturam , ut homo , ſive Ethnicus , ſive peccator , ea Gratia donatus , non habeat *in ſenſu compoſito*, Ideſt (perſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci) potentiam non ſe convertendi conjunctam cum actuali converſione , hoc eſt , potentiam conjungendi actualem converſionem cum non converſione ; & conſenſum cum diſſenſu . Hi quippe actus ſunt ſibi contrarii , e regione oppoſiti , ſubindeque ſimul ſtare , & cohærere minime poſſunt.

Quando igitur Deus vult (nempe voluntate conſequenti) vocare aliquem Ethnicum ad Fidem , vel peccatorem ad pœnitentiam ; quamvis cognoſcat eam eſſe Gratiæ per ſe efficacis naturam , ut ei nullam ſit impoſitura neceſſitatem , ſicut mox in ſenſu Auguſtiniano Thomiſtico expoſui ; citra tamen omnem dubitationem cognoſcit Deus , eam eſſe Gratiæ per ſe efficacis naturam , ut infallibiliter Ethnicum ad Fidem , vel peccatorem ad pœnitentiam convertat , quia , ut docet Sanctus *Thomas* 1. 2. Quæſt. 10. Art. 4. ad tertium argumentum : *Si Deus moveat voluntatem ad aliquid , impoſſibile eſt , quod voluntas ad illud non moveatur* ; ideſt , ſi Deus per Gratiam ſe ipſa efficacem moveat voluntatem creatam ad aliquem actum , impoſſibile eſt ut voluntas creata (quamdiu perſtat in ipſa Gratia per ſe efficax) conjungat ſimul actum illum , ad quem Deus eam præmovet , determinat & applicat , cum actu oppoſito ; quamvis tamen verum ſit , voluntatem creatam , ſtante in ipſa Gratia per ſe efficaci , qua ad eliciendum aliquem actum prævie & phyſice à Deo applicatur , retinere ſemper potentiam ad actum oppoſitum , ſeu potentiam ſejunctam ab actu oppoſito , non verò potentiam conjunctam cum actu oppoſito ; Sic , Exempli cauſa , homo dum actu ſedet , habet veram potentiam deambulandi , ſejunctam ab actuali de-

Digitized by Google

deambulatione; ſed caret potentia deambulandi conjuncta cum actu, ſeu cum actuali deambulatione; quia prorſus impoſſibile eſt, ut, dùm actu ſedet, conſurgat in ſenſu compoſito ſimul duos illos actus ſibi è fronte oppoſitos, videlicèt actualem ſeſſionem, & actualem deambulationem. Sic etiam homo gratia juſtificante donatus, habet quidem veram potentiam peccandi in ſenſu, ut ajunt, diviſo, hoc eſt, habet veram potentiam peccandi ſejunctam ab actu, ſeu à peccato; ſed non habet potentiam peccandi in ſenſu compoſito, ſeu non habet potentiam peccandi conjunctam cum actu, ſeu cum peccato, quod nullo pacto cum gratia ſanctificante ſtare, & cohærere poteſt.

Hanc doctrinam diſertè tradit Angelicus Doctor in lib. 1. Sent. ad *Annibaldum* Diſtinct. 47. Art. 2. ad 4. ubi hæc habet: ***Quamvis contrarium ejus, quod eſt a Deo volitum, non poſſit ſtare cum voluntate Divina: poſſibilitas tamen ad contrarium poteſt ſtare cum ea propter contingentiam cauſæ ſecundæ: Et hoc ſufficit ad hoc, quod effectus ſit contingens & non neceſſarius.*** Idem confirmat Sanctus ille Doctor Quæſt. 23. *de Veritate* Art. 5. ad 3. ubi ait: ***Dicendum, quod quamvis non eſſe effectus divinæ voluntatis non poſſit ſimul ſtare cum voluntate Divina, tamen potentia deficiendi effectum Divinæ voluntatis, ſimul ſtat cum Divina voluntate. Non enim ſunt iſta incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte poteſt damnari: Sed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus vult iſtum ſalvari, & iſte damnatur, quia compoſita eſt*** (propoſitio) ***& conjungit actum cum actu.*** Poſtremo, idem S. Doctor Quæſt 6. *De Malo*, Art. 1. ſic reſpondet ad decimum ſextum ſibi propoſitum argumentum: ***Si autem detur, quod aliqua potentia activa ad oppoſita ſe habeat, non ſequitur oppoſita eſſe ſimul; quia etſi utrumque oppoſitorum, ad quod potentia ſe habet, ſit poſſibile, unum tamen eſt impoſſibile alteri.***

Hæc locupletiſſima S. *Thomæ* teſtimonia, quibus ſole clariùs explicatur genuina intelligentia tam *ſenſus compoſiti*, ſeu potentiæ conjunctæ cum actu; quàm *ſenſus diviſi*, ſeu potentiæ ſejunctæ ab actu, hic data opera percenſui; ut intelligas, quam falſa ſit hæc calumnia, qua P. *Daniel* in ſua Epiſtola IX. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* omnes Thomiſtas onerat, dicens: eos ſolitos eſſe uſurpare diſtinctionem *ſenſus diviſi*, & *ſenſus compoſiti*, ſolis ipſis cognitam, nullibi in Sancto Auguſtino, vel in S. Thoma inventam; & Calviniſtis atque Janſeniſtis gratiſſimam; ſic enim ſubdit Molinianus ille Scriptor: ***In explicanda Gratiæ cum libero arbitrio conſenſione, jam pridem Thomiſtæ ſudant: Ut Gordium hunc ſecarent nodum, admoverunt diſtinctionem ſenſus diviſi & ſenſus compoſiti, ſolis ipſis perviam, nullibi vel in Auguſtino, vel in Divo Thoma repertam hactenus, amicam & pergratam Novatoribus, Calviniſtiſque, idem ſe cum Thomiſtis ſentire palàm clamitantibus. Tamen ex quo adverſus Molinam bacchari cæperunt Janſeniſtæ, pervaſit hæc vulgi animos opinio, verum ac vetus ad conciliandam cum libertate Gratiam Syſtema penes Thomiſtas eſſe. Quæ malum, eſt hæc cæcitas & arreptæ ſemel opinioni addicta pertinacis animi vecordia? Anteà ſemel veniebat hoc in dubium: nunc refragari, inficiari, tetrum & immane piaculum videtur.***

Sed, ut obiter dicam, tribus invictis momentis refellitur hæc Patris *Danielis* Calumnia Primò, quia quilibet (modò nullis partium ſtudiis, aut Scholæ Molinianæ opinionibus anteceptis ſit occupatus) legendo hæc à me laudata S. *Thomæ* luculentiſſima teſtimonia, ingenuè fatebitur; diſtinctionem *ſenſus compoſiti*, & *ſenſus diviſi*, quam Thomiſtæ ad conciliandam libertatem cum Gratia uſurpare ſolent, ab illo Angelico Doctore fuiſſe admiſſam. Secundò, Novatores, ſeu Lutheranos, Calvinianos, & Janſenianos in modo explicandi *ſenſum compoſitum* & *ſenſum diviſum* toto Cœlo diſtare à Thomiſtis. Volunt quippè illi hæretici, hominem, inſtructum Gratia per ſe efficaci, non retinere *in ſenſu compoſito*, ideſt, quamdiù in ipſo perſtat Gratia ſe ipſa efficax, veram diſſentiendi potentiam ad actu ſe junctam, ſed hanc solùm diſſentiendi habere potentiam *in ſenſu diviſo*, hoc

Hoc eſt (ut interpretantur iſti Novatores) ſi a voluntate illius hominis removeatur, divellatur, ac ſeparetur Gratia per ſe efficax. Quam certe Hæreticorum interpretationem omnes ad unum deteſtantur Thomiſtæ, utpote qui docent; hominem, dum Gratia per ſe efficaci eſt inſtructus, retinere veram ei diſſentiendi, ſeu non agendi, potentiam *in ſenſu diviſo*, ideſt, retinere potentiam Gratiæ per ſe efficaci diſſentiendi, diviſam tamen & ſejunctam ab actuali diſſenſu, in qua potentia ſiſtit genuina hominis libertatis ratio; hominem tamen præditum Gratia per ſe efficaci non retinere potentiam ei diſsentiendi *in ſenſu compoſito*, hoc eſt, non retinere potentiam ei diſsentiendi conjunctam cum actuali diſsenſu; tum quia (ut mox diximus) prorſus impoſſibile eſt, ut voluntas creata duos ſimul conjungat actus contrarios, aſſenſum videlicet & diſsenſum: Tum quia etiam, ſi homo, ſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci, ei diſsentire poſset *in ſenſu compoſito*, ideſt, ſi homo, Gratia per ſe efficaci inſtructus, retineret potentiam ei diſsentiendi conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſsenſu, actum plane eſset de intrinſeca Gratiæ Dei efficacia; quippe quæ ea in hypotheſi non haberet infallibilem connexionem cum ſuo effectu, nec ſemper cor hominis converteret. Gratiam autem efficacem habere ex ſua natura infallibilem nexum cum ſuo effectu, & cor hominis ſemper convertere, docet conceptis verbis S. *Auguſtinus* lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 8. ubi hæc habet. *Gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur*; *ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Gratiæ itaque per ſe efficaci voluntas creata non poteſt in ſenſu compoſito reſiſtere, nec unquam efficere, ut voluptatum illecebræ, vel peccandi inolitæ conſuetudinis lex, vel æſtus cupiditatum aut paſſionum obicem illi moramque interponant ullam.

Eo in ſenſu intelligendæ veniunt quædam propoſitiones e Sacris Litteris, & ex S. *Auguſtino* excerptæ, ſicut: Exempli cauſa, dicitur lib. *Eſtheris* cap. 13. v. 9. *Non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, ſi decreveris ſalvare Iſrael*. Iſaiæ cap. 14. v. 27 *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta; & quis avertet eam?* Epiſtolæ ad Romanos cap. 9. v. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtit?* Denique, S. *Auguſtinus* cap. 12. libri *De Correptione & Gratia*, ait; *Subventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina Gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur &c.* Hæ, inquam, propoſitiones, quæ in Scriptura Sacra, & in Sancto *Auguſtino* frequenter occurrunt, in ſenſu Thomiſtico ſunt accipiendæ, innuuntque duntaxat; Deo, Gratia ſe ipſa efficaci moventi, hominem reſiſtere non poſse *in ſenſu compoſito*, ideſt, hominem ſtante in ipſo Gratia ſe ipſa efficaci, non habere potentiam ei diſſentiendi conjunctam cum actuali diſsenſu; ſicut conſtans eſt SS. *Auguſtini*, & *Thomæ*; eademque probatiſſima doctrina luculentiſſimis Sanctarum Scripturarum, Summorum Pontificum, Conciliorum, & antiquorum Patrum, ac Theologorum teſtimoniis confirmata; hominem tamen ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis poſse ei diſsentire *in ſenſu diviſo*, ideſt, hominem ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis retinere ei diſsentiendi potentiam, ab actuali tamen diſſenſu & reſiſtentia ſejunctam. Quo fit, ut ſenſum hæreticum, (quem iſtis propoſitionibus, ex Sacris Litteris, & ex Sanctis Patribus præſertim *Auguſtino* depromptis, perperam affingunt Novatores, dicentes; hominem ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis non retinere potentiam non agendi *in ſenſu diviſo*, ſeu diſsentiendi potentiam ſejunctam ab actuali diſsenſu) deteſtentur omnes Thomiſtæ.

Denique, ignorare haud poterat, P. *Daniel*, celebriores Societatis Jeſu Theologos, qui in *Janſenium* calamum acuerunt, evidenter demonſtraſse; interpretationem ſenſus compoſiti, & diviſi (quam adhibent Thomiſtæ) eſse orthodoxam, & ab hæretica Novatorum interpretatione penitus alienam. In-

Inter illos Societatis Jeſu Theologos laudabo hic duntaxat *Annatum*, *Stephanum Dechamps*, & *Moralnem*, ſeu *Martinonum*, qui Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci doctrinam nihil cum Janſeniana hæreſi affinitatis & negotii habere, multis editis Operibus, omnique argumentorum genere invictiſſime probarunt. Quorſum ergo Pater *Daniel*, ut Scholæ Thomiſticæ invidiam conflaret, auſus eſt aſſerere, *Thomiſtis in explicanda Gratiæ cum libero arbitrio conſenſione, ſolemne eſſe admovere diſtinctionem ſenſus diviſi, & ſenſus compoſiti, ſolis ipſis perviam, nullibi vel in Auguſtino, vel in Divo Thoma repertam hactenus, amicam & pergratam Novatoribus, Calviniſtiſque, idem ſecum Thomiſtis ſentire clamitantibus?* Sed hæc omnia P. *Daniel* ſe ignorare de induſtria ſimulavit; ut *ſenſum compoſitum* cum *ſenſu diviſo*, ſeu potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu, ideſt, cum actuali diſſenſu, indiſcriminatim confundendo cum potentia diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci ſejuncta ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu, facilius poſſet apud incautos & imperitos Thomiſtarum doctrinæ tenebras offundere, eamque vanis paralogiſmis impetere.

Hæc igitur vera eſt ac genuina *ſenſus compoſiti*, & *ſenſus diviſi* notio atque intelligentia; quod *ſenſus compoſitus* conjungat actum cum actu, quamdiu vero intra ſolam potentiam ſiſtitur, nullus eſt *ſenſus compoſitus*, ſed ſolum eſt *ſenſus diviſus*. Ratio eſt, quia ſenſus compoſitus jungit non potentiam cum actu, vel cum forma oppoſita, ſed conjungit actum cum actu, ſeu cum forma oppoſita. Verbi gratia, cum dicitur: *Prædeſtinatus poteſt damnari*; ubi intra potentiam ſejunctam ab actu ſiſtitur, propoſitio veriſſima eſt, facitque ſenſum diviſum. Sed, ſi quis dicat: *Prædeſtinatus damnatur, & conjungit damnationem cum prædeſtinatione*; tunc ſenſus eſt compoſitus, & propoſitio ſubinde falſa. Sic, non diſpari ratione, ſi quis dicat: *Liberum hominis arbitrium, a Deo motum & excitatum per Gratiam ſe ipſa efficacem, reſiſtit divinæ motioni, ſeu actualem reſiſtentiam cum Divina motione conjungit*, ſenſus eſt compoſitus ac falſus; quia ſimul jungit actum cum actu oppoſito, videlicet actualem aſſenſum cum actuali diſſenſu, qui actus, cum ſint invicem omnino oppoſiti; nullo pacto ſimul ſtare poſſunt. At, ſi quis dicat: *Liberum arbitrium, a Deo motum & excitatum per Gratiam ſe ipſa efficacem, poteſt reſiſtere, ſeu diſſentire Divinæ motioni & Gratiæ per ſe efficaci, ideſt, habet potentiam reſiſtendi, ſeu diſſentiendi, ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali reſiſtentia*, tunc ſenſus eſt duntaxat diviſus, adeoque verus & certus, atque extra omnem dubitationis aleam poſitus. Ideo enim ſenſus compoſitus eſt falſus; quia ſenſus compoſitus (ut mox dixi) conjungit actum cum actu oppoſito, ſeu actualem aſſenſum cum actuali diſſenſu, qui duo actus, cum ſint inter ſe oppoſiti, ſimul cohærere non poſſunt. Aſt, verſa vice, ſenſus diviſus jungit quidem cum actu, potentiam ad actum oppoſitum, ſed potentiam ſejunctam ab actu; Exempli cauſa, ſenſus diviſus conjungit cum actuali aſſenſu potentiam ad actum oppoſitum, videlicet potentiam diſſentiendi ſejunctam ab actuali diſſenſu, vel ab actuali reſiſtentia; ſed non conjungit potentiam diſſentiendi conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſſenſu vel reſiſtentia.

Porro, licet actualis aſſenſus ſimul cohærere non poſſit cum actuali diſſenſu; quia duo illi actus ſunt inter ſe oppoſiti, ſeſeque mutuo expellunt; attamen potentia diſſentiendi, ſejuncta ab actu, non opponitur actuali aſſenſui; ſubindeque potentia diſſentiendi, ſeu reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci, ſejuncta ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu & reſiſtentia, non opponitur actuali aſſenſui, quem præbet homo Gratiæ per ſe efficaci; proindeque prædicta potentia diſſentiendi, ſeu reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci, perfecte ſtat & cohæret cum actuali aſſenſu, quem homo præſtat Gratiæ per ſe efficaci. Porro hæc Catholica Thomiſtarum de ſenſu compoſito & de ſenſu diviſo interpretatio toto Cælo diſtat (ut iterum dicam) a ſiniſtra & hæretica intelligentia, quam hæ-

reti-

Digitized by Google

retici *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius* de ſenſu compoſito & de ſenſu diviſo excogitarunt. Ajunt enim, hominem non habere poteſtatem diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu compoſito*, hoc eſt, quamdiu Gratia per ſe efficax perſtat in ipſius voluntate; illum tamen poſſe diſſentire Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, ideſt, ſi ab ejus voluntate excutiatur, ſeu removeatur ac ſeparetur Gratia per ſe efficax. Hanc certe hæreticam de ſenſu compoſito & de ſenſu diviſo interpretationem deteſtantur omnes ad unum Thomiſtæ.

Scio, eſſe plures Societatis Jeſu Scriptores, ac Theologiæ Profeſſores, qui, ut Scholæ Thomiſticæ invidiam conflare poſſint, dictitant eamdem interpretationem, quam *de ſenſu compoſito* & *de ſenſu diviſo* dare ſolent Thomiſtæ, admiſſam fuiſſe ab ipſomet Hæreſiarcha *Calvino*. Inter illos Scriptores unum inſtar omnium laudabo *Franciſcum Suareſium*, qui Tomo 2. *De Gratia* lib. v. cap. 38. hæc habet: *Calvinus non negat poteſtatem diſſentiendi in ſenſu diviſo, etiamſi motionem neceſſitantem poneret: Fruſtra ergo ad faciendam vim definitioni* (Concilii Tridentini) *imponitur Calvino, quod negaverit poteſtatem diſſentiendi in ſenſu diviſo; cum hæc nihil aliud ſit, quam poteſtas habendi contrarium actum, ſi motio* (ideſt Gratia per ſe efficax) *auferatur*; hactenus *Suares*, quem (Thomiſtis perperam tam atrocem calumniam impingentem) Theologi Salmanticenſes Tomo 2. *De Gratia* Diſput. 7. Dubio 4. Parag. 10. n. 114. his verbis falſi convincunt: *A perdocto hoc Authore* (ſeu Suareſio) *poſſet inquiri, utrum legerit Doctores Thomiſtas, quos citat, vel non? Et cum hoc ultimum præſumi non debeat, rurſum inquirimus, an in illis repererit intelligentiam illam ſenſus compoſiti & diviſi, quam ipſe, & qui eum imitantur, comminiſcuntur; an vero illam, quam Alvarez docuit? Primum nullatenus dici poteſt; nam ipſæ paginæ & verba oppoſitum clamant, & mentem Scriptorum palam explicant, quin contraria intelligentia queat ipſis, niſi injuſtiſſimè, attribui*. Hoc Theologorum Salmanticenſium judicium non ſolum approbat R. P. *Honoratus a Sancta Maria*, doctiſſimus Carmelita Thereſianus, in ea, quam anno 1725. Bruxellis edidit, *defenſione Litterarum in forma Brevis Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ* BENEDICTI XIII. *ad univerſos Ordinis Sancti Dominici Profeſſores contra calumnias doctrinæ Sanctorum Auguſtini & Thomæ intentatas*, verum etiam pag. 366 fidenter provocat omnes Scholæ Thomiſticæ adverſarios, ut vel unum inter omnes Thomiſtas, qui de Gratia ad noſtram uſque memoriam ſcripſerunt, proferant in medium, qui hæreticam *Lutheri* & *Calvini* de ſenſu compoſito & diviſo interpretationem ſuo calculo probaverit. Hanc oblatam conditionem accipere etiamnum detrectant Scholæ Thomiſticæ adverſarii; ſed quamvis ſibi male conſcii vadimonium deſeruerint, attamen (proh dolor!) eamdem, quæ jam in vulgi fabulam abiit, occinere cantilenam, & hanc millies retuſam calumniam toti Scholæ Thomiſticæ affricare nunquam deſiſtunt; *jure an injuria, quis in hoſte requirat?*

Quapropter P. *Danieli Gabrieli*, qui ſenſus compoſiti & diviſi interpretationem, quam Thomiſtæ, poſt Sanctum *Thomam* & antiquos Theologos toto orbe celeberrimos, uſurpare ſolent, Calviniſmi & Janſeniſmi inſimulare præſumit, opponam duntaxat hæc Sancti *Auguſtini* verba: *Vide cum quibus ſit mihi cauſa communis. quam nulla conſideratione ſobria pulſare calumniis & expugnare conaris. Cerne, quam pernicioſum ſit, tam horribile crimen objicere talibus, & quam mihi glorioſum ſit, quodlibet crimen audire cum talibus... Iterum te admoneo, iterum te rogo, aſpice tot ac tales Eccleſiæ Catholicæ defenſores. Vide quibus tam gravem, tamque nefariam irrogaris injuriam.*

Hæc ſat ſuperque, mea quidem ſententia ſufficere debent ad reprimendam audaciam quorumdam vitilitigatorum hominum; qui ſenſus compoſiti & diviſi germanam, quam Thomiſtæ adhibent, interpretationem, omnibus Catholicis exploratiſſimam, ac in ipſa Solis luce poſitam, aut ſe non intelligere de indu-

duſtria fingunt, aut (quod gravius eſt) hanc Thomiſtarum ſenſus compoſiti & diviſi interpretationem cum ſiniſtra & hæretica ſenſus compoſiti & diviſi intelligentia, quam dant *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius*, promiſcuè confundere audent. *Homo* itaque (ſunt verba doctiſſimi noſtri *Antonini Reginaldi* Part. 1. libri *De Mente Concilii Tridentini* cap. 33.) *præventus Gratia per ſe efficaci poteſt non agere in ſenſu diviſo; hoc eſt, ſi potentia ſola attribuatur alteri parti illius propoſitionis, ſive ſi homini etiam prævento illa Gratia attribuatur illa potentia ad non agendum; veriſſima eſt propoſitio. Et hic eſt veriſſimus ſenſus diviſus, quia potentia illa dividit, & eſt media inter hæc duo: habere Gratiam ſe ipſa efficacem, & non agere. Quamvis enim iſta duo non ſient ſimul; quod homo moveatur Gratia per ſe ipſam efficaci, & non conſentiat: Stat tamen potentia cum illorum altero, etiam in ordine ad alterum; hoc eſt, ſtat quod homo moveatur per Gratiam per ſe ipſam efficacem, & quod ſimul & ſemel habeat potentiam ad oppoſitum ejus, ad quod Gratia illa movet. Et quia potentia ſic dividit illa duo, idcirco vocatur ſenſus diviſus.*

Verum, ſemel in optimo lumine collocata vera & catholica *ſenſus compoſiti* & *ſenſus diviſi* interpretatione, qua, ad explicandam Gratiæ per ſe efficacis cum libero arbitrio concordiam, utuntur Thomiſtæ; in auras, fumumque faceſſunt paralogiſmi, & ſophiſticæ Patris *Danielis* argumentationes; planeque oſtenditur, prius iſtud judicium, quod Deus volens alicui Ethnico dare Gratiam per ſe efficacem ut convertatur ad Fidem, format in hunc modum: *Ea eſt hujus Gratiæ natura, ut nullam homini imponat neceſſitatem ſe ſe convertendi*, optimè in doctrina Thomiſtarum cohærere cum altero judicio, quod Deus (ut ait idem Pater *Daniel*) hunc in modum facit: *Ea eſt hujus Gratiæ*, ſeu per ſe efficacis, *natura, ut certiſſimè & infallibiliter converſura ſit*. At enim, Thomiſtæ lubentiſſime fatentur, Deum, quando vult alicui Ethnico impertiri Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, cognoſcere quidem eam eſſe hujus Gratiæ per ſe efficacis naturam, ut nullam homini impoſitura ſit neceſſitatem; quia quilibet homo, etiam in ipſo perſtante Gratia ſe ipſa efficaci, poteſt *in ſenſu diviſo* (ut mox diximus) diſſentire Gratiæ per ſe efficaci, ideſt, retinet ſemper homo ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis potentiam ei diſſentiendi ſejunctam tamen ab actuali diſsenſu.

At vero, cum Deus etiam certiſſimè cognoſcat, hominem non poſſe *in ſenſu compoſito* diſſentire, ſeu reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci, ideſt, hominem nunquam habiturum potentiam reſiſtendi, ſeu diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia, ideo certiſſimè cognoſcit, *Eam eſſe hujus Gratiæ per ſe efficacis naturam, ut certiſſimè, converſura ſit*.

Hac itaque expedita Thomiſtarum doctrinæ explicatione, liquet ſuam conſtare veritatem, tam illi judicio quod Deus, primo loco intuens Gratiæ per ſe efficacis naturam facit hunc in modum: *Ea eſt hujus Gratiæ natura, ut nullam ſit impoſitura neceſſitatem*, quam alteri judicio, quod Deus, intuens ejuſdem Gratiæ per ſe efficacis naturam, format in hunc modum: *Ea eſt hujus Gratiæ natura, ut certiſſimè converſura ſit*. Hoc pacto exſufflatur male conſutum Patris *Danielis* ſophiſma, in quo cum ſua Schola Moliniana pertendit; hominem non fore liberum, ſi non haberet potentiam reſiſtendi cuicumque Gratiæ efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſſenſu & reſiſtentia. Qua in re Pater *Daniel* palam adverſatur doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, bene multis Summorum Pontificum & Conciliorum definitionibus conſonæ, quæ admittit neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus; ſubindeque eſſentiam libertatis humanæ non in hoc conſtituit, quod homo poſſit *in ſenſu compoſito* reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci, ſeu quod habeat homo potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia; ſed eſſentiam libertatis humanæ in hoc reponit, quod homo ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis

cis

Digitized by Google

eis poſſit *in ſenſu diviſo* non agere, immo docet, quod homo poteſt *in ſenſu diviſo* diſſentire Gratiæ per ſe efficaci; ſicut manifeſto conſtabit ex his, quæ deinceps dicturus ſum; ſed præſertim in illa, quam ad te ſcripturus ſum, Epiſtola, in qua germanam mentem Concilii Tridentini circa eſſentiam libertatis humanæ, & Gratiam per ſe efficacem dilucide explanabo.

Sed, inquit P. *Daniel*: *ut Deus, intuendo Gratiæ per ſe efficacis naturam, formet hoc judicium*: ea eſt hujus Gratiæ natura, ut certiſſime ſit converſura, *oportet, ut ſtatuatur intercedere vinculum neceſſarium inter Gratiæ naturam & converſionem hominis. Si hæc neceſſitas & connexio a libertatis uſu non pendere cognoſcitur a Deo, & revera in Syſtemate Thomiſtarum cognoſcitur, a libertate non pendet, & ejus uſum antecedit; eſtque, ut loquuntur Theologi*, NECESSITAS ANTECEDENS, *non, ut in oppoſito Syſtemate (* ſeu Moliniſtarum) CONCOMITANS, aut CONSEQUENS; *quæ aut includat uſum libertatis, aut ſequatur. Si libertatem antecedit, ut procul dubio antecedit, eamdem, id quod omnis Theologia docet, evertit. Igitur in Syſtemate Thomiſtarum Decretum Dei, hoc ipſo nomine, quod erroris expers dicitur ac certiſſimum, conciliari cum humana libertate nequit.*

Verum, utroque genu claudicat hæc Patris *Danielis* argumentatio, quippe quæ neceſſitatem, quam Theologi vocant *Antecedentem*, *abſolutam*, *phyſicam*, ſeu *neceſſitatem conſequentis*, perperam & inſcite confundit cum neceſſitate, quam iidem Theologi appellant *hypotheticam*, ideſt, *conditionatam*, ſeu *neceſſitatem conſequentiæ & infallibilitatis*. Neceſſitas *antecedens*, *abſoluta*, *phyſica*, & *conſequentis*, ea eſt, inquiunt Theologi, qua quidpiam in ſe abſolute, & citra ullam factam hypotheſim, ita neceſſario eſt tale, ut alio modo ſe habere haud poſſit; ſic ignis neceſſario calefacit; ſic ſol neceſſario illuminat; ſic homo conſtat neceſſario mente & corpore, ut non poſſit ex iis non conſtare. Hæc neceſſitas, quæ dicitur *antecedens*, *abſoluta*, *phyſica*, & *conſequentis*, tollit, nemine refragante, libertatem. Neceſſitas vero, quæ appellatur *conſequentiæ* & *infallibilitatis*, ſeu neceſſitas *hypothetica*, hoc eſt, *conditionata*, illa eſt, quæ hypotheſim aliquam conſequitur, ſive, qua quidpiam, facta quadam hypotheſi, non poteſt alio modo eſſe. Hæc autem neceſſitas *conſequentiæ* & *infallibilitatis*, ſeu neceſſitas *hypothetica* & *conditionata*, nullo pacto adimit liberum hominis arbitrium, ſicut ipſimet fatentur Moliniſtæ. Ajunt enim, facta ſemel hypotheſi, quod Deus præſcivit, aliquid eſſe determinate futurum, neceſſe eſſe neceſſitate *conſequentiæ* & *infallibilitatis*, ſeu neceſſitate *hypothetica* & *conditionata*, ut eveniat, quia præſcientia Dei eſt infallibilis, & omnis erroris expers; ſed id tamen infallibiliter eventurum citra ullam vel minimam libertatis læſionem. Similiter dicunt Moliniſtæ, facta hypotheſi, quod Deus dare velit alicui Ethnico Gratiam congruam ad Fidem, neceſſe eſſe neceſſitate *conſequentiæ* & *infallibilitatis*, ſeu neceſſitate *hypothetica* & *conditionata*, ut ille Ethnicus convertatur ad Fidem, quamvis ſalva & incolumis maneat ipſius libertas.

Quod igitur Pater *Daniel* cum tota Schola Moliniana docet de re præſcita a Deo, & de Decreto, quo Deus vult alicui Ethnico conferre Gratiam congruam ad Fidem, idem aſſerunt Thomiſtæ de Decreto, quo Deus vult aliquem vocare ad Fidem per Gratiam ſe ipſa & ab intrinſeco efficacem. Dicunt, inquam, Thomiſtæ, facta ſemel hypotheſi, quod Deus decernat vocare aliquem Ethnicum ad Fidem per Gratiam ſe ipſa efficacem, neceſſe eſſe neceſſitate *conſequentiæ* & *infallibilitatis*, ſeu neceſſitate *hypothetica* & *conditionata*, ut Gratia per ſe efficax convertat infidelem; ſed negant Thomiſtæ, Gratiam per ſe efficacem neceſſario converſuram infidelem neceſſitate *conſequentis*, ſeu neceſſitate *phyſica* & *abſoluta*, quia, ajunt Thomiſtæ, ſi Gratia per ſe efficax neceſſario converteret hunc infidelem neceſſitate *conſequentis*, ſeu *neceſſitate abſoluta & phyſica*, ſequeretur, quod ille infidelis, ſtante in ipſo Gratia per ſe effica-

F

efficaci ad Fidem, non ſervaret potentiam diſſentiendi huic Gratiæ *in ſenſu diviſo*, ſeu non retinere potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci ſejunctam ab actuali diſſenſu; ſubindeque ille infidelis non poſſet non agere, ergo non foret amplius liber; cum certum ſit, ſolam illam potentiam *ad non agendum*, in *ſenſu diviſo*, neceſſario requiri ad eſſentiam humanæ libertatis; atqui Schola Thomiſtica docet, Ethnicum, quem Deus per Gratiam ſe ipſa efficacem vocat ad Fidem, retinere ſub imperio ejuſdem Gratiæ potentiam ei diſſentiendi *in ſenſu diviſo*, ideſt, ſemper ſervare potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci ſejunctam tamen ab actuali diſſenſu; non ergo, juxta Thomiſtarum doctrinam, Gratia per ſe efficax neceſſario convertit Infidelem, neceſſitate *conſequentis*, ſeu neceſſitate *abſoluta*, *phyſica*, & *antecedenti* (quo pleno contumeliæ convicio Scholam Thomiſticam onerat P *Daniel*) ſed Gratia per ſe efficax neceſſario convertit infidelem neceſſitate duntaxat *conſequentiæ* & *infallibilitatis*, ſeu neceſſitate *hypothetica* & *conditionata*; quæ, ut concors eſt omnium Theologorum ſententia, ne minimum quidem lædit libertatem.

In hoc certe eo minus æquum ſe præbuit Cenſorem Pater *Daniel*, quod ignorare haud poterat, Thomiſtas hanc doctrinam hauſiſſe ex Sancto *Thoma*, cujus hìc tantum tria (ne longior ſim) locupletiſſima loca indicabo, quæ rem plane conficient. In primis, Angelicus ille Doctor 1. Parte Quæſtione 19. Art. 8. poſtquam hoc ſibi propoſuit argumentum: *Videtur quod voluntas Dei rebus volitis neceſſitatem imponat. Dicit enim Auguſtinus in Enchiridio: Nullus fit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvari; & ideo rogandus eſt ut velit; quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit*. Huic ſibi propoſito argumento, quod ipſiſſimam complectitur a Patre *Daniele* propoſitam difficultatem, ſic reſpondet Theologorum Princeps: *Dicendum*, inquit, *quod per illud verbum Auguſtini intelligenda eſt neceſſitas in rebus volitis a Deo, non abſoluta, ſed conditionalis: neceſſe eſt enim, hanc conditionalem veram eſſe: Si Deus hoc vult, neceſſe eſt hoc eſſe*. Rurſus, Quæſt. 23. *de Veritate* Art. 4. ad 1. ſimili reſpondens argumento, hæc habet Sanctus ille Doctor: *Dico, quod Deum velle aliquid in creaturis, utpote Petrum ſalvari, non eſt neceſſarium abſolute, ſed facta ſuppoſitione, quod Deus illud velit, vel voluerit, impoſſibile eſt eum non voluiſſe vel non velle; eo quod voluntas ejus immutabilis eſt: unde talis hujuſmodi neceſſitas apud Theologos vocatur neceſſitas immutabilitatis*. Denique, Sanctus *Thomas*, ſibi ſemper conſtans, 1. 2. Quæſt. CXII. Art. 3. idem confirmat his verbis: *Præparatio ad gloriam, ſi conſideretur ſecundum quod eſt a Deo movente, habet neceſſitatem ad id quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis; quia intentio Dei deficere non poteſt*. Vides itaque, ni fallor, Patrem *Danielem* non fuiſſe affecutum mentem S. *Thomæ*, eumque de induſtria neceſſitatem *antecedentem*, *abſolutam*, *phyſicam*, & *conſequentis* promiſcue confudiſſe cum neceſſitate *hypothetica*, ſeu *conditionata*, *conſequentiæ* & *infallibilitatis*; ut inde facilius inferre poſſet, doctrinam Thomiſtarum de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, imponere voluntati humanæ abſolutam, phyſicam & antecedentem neceſſitatem. Sed, me hercle, qui ex talibus argumentis ſimiles conſecutiones deducunt, nonne iidem poſſent ex vite colligere carduos, aut ex ficu ſorba?

Advertere tamen debes, me ſuperius dixiſſe, hominem *poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo*, *ſed non in ſenſu compoſito*. Quod quidem ut clarius intelligas, duplicem cum S. *Thoma*, ejuſque Diſcipulis diſtinguo reſiſtentiam; unam videlicet, quæ in rigore ſumitur, quæque locum habet, quando virtus alicujus Agentis vincitur, retardatur, debilitatur & infringitur ab alio Agente, ſicut, exempli cauſa, dum hoſtis in urbem irrumpit, ei civis pro viribus reſiſtit, ipſius impetum retundit, retardat, aut ſuperat. Hæc eſt reſiſtentia in ſtricto & rigoroſo ſenſu intellecta. Altera eſt reſiſtentia, quæ in latio-

Digitized by Google

latiori ſenſu accipitur, quæ poteſtatem dicit ſupra effectum quem cauſa libera producit, ſed non ſupra Divinam virtutem à qua tanquam a cauſa univerſaliſſima efficitur. Utramque reſiſtentiam accuratiſſime diſtinguit S. *Thomas* in 4. Sentent. Diſtinct. 11. Quæſtiuncula 3. in Reſponſionem ad ſecundum quod ſibi proponit argumentum, ubi hæc habet: *Dicendum, quod aliqua poteſt eſſe reſiſtentia dupliciter; uno modo ex parte Agentis, quando ſcilicet ex contrario Agente virtus ipſius debilitatur: alio modo ex parte ipſius effectus, quando ex contraria diſpoſitione impeditur effectus. In omni actione, ubi Agens non patitur; prima reſiſtentia non habet locum, ſed ſecunda ſolum. Unde in operationibus Divinis non oſtenditur difficultas ſecundum reſiſtentiam ad Agentem, ſed ſecundum impedimentum effectus.*

Hac itaque ſumme obſervanda utriuſque reſiſtentiæ poſita diſtinctione. Dico primo cum omnibus Thomiſtis, voluntatem creatam reſiſtere haud poſſe Gratiæ per ſe efficaci, ſi ſermo ſit de reſiſtentia in rigore ſumpta; quia voluntas creata non habet poteſtatem ſupra virtutem & motionem Divinam, nec eam ullo pacto debilitare, vincere, ſuperare, & infringere poteſt. Dico tamen ſecundo cum omnibus etiam Thomiſtis, hominem poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo, ſi *poſſe reſiſtere* in latiori ſenſu ſumatur, quatenus videlicet voluntas creata poteſtatem habet ſupra effectum quem, tanquam cauſa libera, producit, quemque impedire poteſt in ſenſu diviſo. At enim, cum efficaciſſima Dei voluntas nullam voluntati creatæ imponat neceſſitatem (ſicut dogma Fidei eſt contra *Janſenium*, alioſque Novatores) quantumvis Divina voluntas per Gratiam ſe ipſa efficacem moveat & impellat creatam voluntatem; nihilominus poteſt creata voluntas aliud velle, & eo ſenſu poteſt in ſenſu diviſo impedire effectum Divinæ voluntatis. Unde reſiſtere poteſt Divinæ voluntati, *non ſecundum reſiſtentiam ad agentem, ſed ſecundum impedimentum effectus*, ſicut loco, mox a me laudato, conceptis verbis ait Angelicus Doctor. Hinc Concilium Senonenſe in Decreto Fidei, ſumendo *poſſe reſiſtere* in ſenſu latiori, ait, *neque tale eſſe ejuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit*. Quæ Concilii Senonenſis definitio apprime conſentit cum canone quarto Seſſionis ſextæ Concilii Tridentini: *Si quis dixerit liberum arbitrium, motum & excitatum a Deo, non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.*

Poſtremo, quamplurimi Thomiſtæ, quorum hic catalogum texere nimis longum eſſet, impugnantes errores *Janſenii*, & ſumentes *poſſe reſiſtere* in latiori ſenſu à nobis ſuperius expoſito, conſtanter docuerunt voluntatem creatam *poſſe reſiſtere* Gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo, non tamen in ſenſu compoſito. Quocirca, nulla eſt realis & vera, ſed tantummodò apparens antilogia, ſeu diſſonantia inter Thomiſtas, dum alii dicunt voluntatem creatam poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo; alii vero negant. Illi quippe Thomiſtæ, qui affirmant voluntatem creatam poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo, *Tò* poſſe reſiſtere ſumunt in latiori ſenſu. Hi vero Thomiſtæ, qui ajunt voluntatem creatam non poſſe reſiſtere in ſenſu diviſo Gratiæ per ſe efficaci, Tò *non poſſe reſiſtere* accipiunt in ſtricto & rigoroſo ſenſu; utrique ſenſui nullus ſubeſt error, ſed ſua potius conſtat veritas. Quo fit, ut inter Thomiſtas perfecta & abſoluta ineatur concordia, omneſque Thomiſtæ in unam de libero hominis arbitrio, & de Gratia per ſe efficaci conſpirent doctrinam, quam è puriſſimo Doctoris Angelici fonte hauſerunt; eamque ad noſtram uſque memoriam jugiter illibatam conſervarunt, & bene fortunante Deo, ad ſeram uſque poſteritatem tranſmittent.

Hæc obiter te præmonere duxi, ut intelligas quo in ſenſu ſuperius dixi, & in ſequentibus Epiſtolis ſæpius dicturus ſum, voluntatem creatam poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci in ſenſu diviſo. Qui certe loquendi modus adhibetur à S. *Thoma*, & in Schola Thomiſtica à quadringentis annis uſurpari ſolet, ſicut appoſite obſervat doctiſſimus noſter *Maſſoulie* in ſuo egregio Opere,

F 2 cui

cui titulus eſt: S. *Thomas ſui Interpres* pag. 446. col. 2. ubi loquendo de Auxilio per ſe efficaci, hæc habet: *Ejuſmodi auxilium eſt, cui reſiſti poteſt. Et mirum eſt hæc verba à quibuſdam nobis objici, ac ſi modus eſſet loquendi in noſtra Schola inſolitus, aut noſtræ ſententiæ adverſaretur; cum tamen jam à quadringentis annis, a quibus Schola inſtituta eſt, cum S. Thoma a nobis dictum ſit; quod* (ſunt verba S. Thomæ) *quia virtus rationalis ſe habet ad oppoſita; ideo Deus ſic movet mentem humanam ad bonum, quod tamen poteſt huic motioni reſiſtere. Quodlibet. 1. Art. 7. Utrumque enim, ut centies diximus, admittendum eſt, quod infallibiliter, inſuperabiliter, & immutabiliter a Deo voluntas hominis moveatur, & tamen huic motioni poſſit voluntas reſiſtere.*

Hac præmiſſa obſervatione, ad conciliandos Thomiſtas ſumme neceſſaria, non abs re erit, antequam cæteris Patris *Danielis* objectionibus faciam ſatis, breviter diluere argumentum, quod ad ſuffulciendam ejuſdem Scriptoris objectionem, mox a me difflatam, proponis in ea quam ad me ſcripſiſti Epiſtola, ubi hæc habes: *Facile quidem capio*, inquis, *neceſſitatem conſequentiæ, & hypotheticam, ſi eo in ſenſu exponatur, quo* P. *Daniel, aliique Moliniſtæ eam interpretari ſolent, nullo pacto lædere hominis libertatem; quia, ut inquiunt illi Theologi, hæc neceſſitas conſequentiæ, & conditionata ex mea libertate originem ducit. Ex. Gr. in inſtanti, quo loquor, neceſſarium quidem eſt neceſſitate conſequentiæ & conditionata ut loquar, & tamen hæc mea actualis locutio libera eſt, quia ortum ducit ex mea libera voluntate, ſeu ex loquendi ſuppoſitione, quam ego libere poſui. Similiter, ſi Deus mihi impertiri velis Gratiam efficacem congruam, neceſſe eſt neceſſitate conſequentiæ & hypothetica ut bene agam; hæc tamen bene agendi neceſſitas hypothetica, cum oriatur ex mea libera voluntate, ſeu ex bene agendi ſuppoſitione, quam ego libere poſui, quamque me libere poſiturum Deus per ſcientiam Mediam prævidit, non poteſt meæ libertati officere, ſed potius eſt ſignum & effectus libertatis meæ. Id, inquam, facile capio; quia, ut appoſite S. Anſelmus lib. 1.* Cur Deus homo *cap 18. ait:* Eſt neceſſitas ſequens, quam res facit, ut dum loqueris, ex neceſſitate loqueris & tamen libere. *Aſt, in doctrina Scholæ Thomiſticæ res longe aliter ſe habet. Præmotio quippe phyſica imponit voluntati humanæ bene agendi neceſſitatem non tantùm conditionatam & hypotheticam, ſed antecedentem, tum quia meam antevertit libertatem, tum quia indiſſolubili nexu ac vinculo connectitur cum effectu, ad quem a Deo datur. Quo fit, ut hæc neceſſitas antecedens, quam invehit Præmotio phyſica, tollat penitus ac perimat liberum hominis arbitrium.* Tuæ tandem objectioni hanc feſtivam corronidem imponis. *Hic eſt, mea quidem ſententiæ, implicatiſſimus nodus, cui findendo Thomiſtæ fortem cuneum adhibere debent.*

Verum, ut candide dicam, hæc tua objectio ne leve quidem Thomiſtis faceſſit negotium. Negant enim omnes ad unum Thomiſtæ. Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem imponere humanæ voluntati neceſſitatem antecedentem bene agendi, quia, inquiunt Thomiſtæ, neceſſitas antecedens (ut conſtans eſt omnium Theologorum ſententia) tollit libertatem humanæ voluntatis, impeditque, ne voluntas libere prodeat in actum ſuum; porro Præmotio phyſica, licet noſtram præveniat libertatem, & infallibili nexu connectatur cum ſuo effectu, non tollit tamen, nec impedit, noſtram libertatem, ſed potiùs illam perficit; tum quia Præmotio phyſica attemperatur connaturali modo agendi voluntatis liberæ, ejuſque virtute Deus (ut ſæpius docet S. Thomas) attingit non ſolum ſubſtantiam actus, ſed & modum ejus, qui eſt libertas: Tum quia etiam Præmotio phyſica intactam prorſus relinquit in intellectu creato indifferentiam objectivam judicii rationis, qua perſtante, ſemper integra manet humanæ voluntatis libertas, ſicut opportunius in altera Epiſtola commonſtrabo: Tum quia denique, Præmotio phyſica fortiſſime quidem, ſed ſuaviſſime voluntatem ducit ad actu agendum, non minus libere, im-

Digitized by Google

immo longe liberius, quam ſi ſola voluntas ſe ipſam determinaret ad agendum, ſicut luculentiſſime docent S. *Auguſtinus*, & S. *Thomas*, quorum prior cap. 14. lib. *De Correptione & Gratia* hæc habet: *Magis habet* (Deus) *in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas*. Alter vero, ſeu Doctor Angelicus, Quæſt. 22. *De veritate* Art. 8. hæc habet: *Sicut voluntas poteſt immutare actum ſuum, ita & multo amplius Deus*. Et Articulo 9. ejuſdem Quæſtionis: *Ex parte voluntatis* (inquit S. Thomas) *mutare actum voluntatis non poteſt, niſi quod operatur intra voluntatem, & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundum Fidem ſolus Deus eſt: unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de uno in aliud, ſecundum quod vult*.

Tantùm igitur abeſt, ut Præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax, per quam Deus inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transfert de uno in aliud, tollat liberum hominis arbitrium, & inducat neceſſitatem antecedentem. ſicut clamitant Moliniſtæ; ut potiùs Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax ſit cauſa cur voluntas humana libere ſuas actiones producat: *Gratia eſt effectrix bonæ operationis*. inquit S. *Auguſtinus* cap 14. lib. *De Gratia Chriſti* contra *Cæleſtium & Pelagium*. Et cap. 16. libri de Gratia & libero arbitrio: *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati* S. *Auguſtino* ſuffragantur alii Patres; S. *Cæleſtinus* I. in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ capite primo: *Deus operatur in ipſum liberum arbitrium, ut bonus motus voluntatis ex Deo ſit*. S. *Proſper* in Epiſtola De libero arbitrio ad *Rufinum*: *In libero arbitrio gratia Dei affectum credendi generat*; S. *Fulgentius* lib. *De veritate Prædeſtinationis* capite 18. *In nobis gratia Dei bonam efficit voluntatem*; S. *Bernardus* cap. 12. De libero arbitrio: *Deus & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati*. Agmen SS. Patrum claudet Angelicus Doctor, qui in lib 2. Sent. Diſt. 25. Quæſt. 1. Art. 2. ad 1. mentem ſuam hiſce clariſſimis verbis exprimit: *Deus operatur in voluntate & in libero arbitrio ſecundum ejus exigentiam: unde etiamſi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus hoc ſua omnipotentia facit, ut illud, in quod mutatus, voluntarie & libere velit*. His Sanctorum Patrum teſtimoniis liquet, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, non imponere voluntati humanæ neceſſitatem antecedentem, ſed eam potius eſſe cauſam effectricem bonæ & liberæ voluntatis.

II. Pergamus, ſi placet, cætera Patris *Danielis* excutere argumenta, ut omnibus innoteſcat, quam argute diſſerit! Quantæ ſunt illius delitiæ! ut ſibi placet in ſophiſticis argumentationibus! ut ei diſplicent omnes Thomiſtarum ſolutiones! ut denique lectoribus ſuis magnificis verbis pollicetur, quidquid dixerit pro oraculo ab univerſis acceptum iri. Ego vero, ut obiter dicam, pluribus detectis vitiis, quibus laborant Patris *Danielis* argumentationes, facile mihi perſuadeo, hunc Scriptorem nullas ad rectam argumentationem præſcriptas regulas obſervaſſe, cum tot paralogiſmos contra Scholæ Thomiſticæ doctrinam inauſpicatis illineret chartis.

Sic itaque argumentatur iterum Pater Daniel: *Deus Ethnico largitur gratiam vocationis ad Fidem. Ea Gratia per ſe nimirum eſt efficax & prædeterminans. Contendo, hunc Ethnicum, quo tempore gratiam accipit non poſſe, ſi qua ſit principiis veſtris* (ſeu Thomiſtarum) *fides, illi reſiſtere, idque in ejus poteſtate non eſſe. Sic probo; Illi gratiæ non poteſt reſiſtere Ethnicus, niſi per actum voluntatis, quo illam rejiciat; Atqui, ſi Gratiam hanc illi datam fuiſſe ponimus, ejuſmodi actum elicere non poteſt: Igitur non poteſt Gratiæ reſiſtere. Minorem hujus ſylogiſmi, ſive propoſitionem ſecundam ita demonſtro. Penes hunc hominem non eſt elicere actum voluntatis rebellis & gratiam repudiantis ſine phyſica prædeterminatione, quæ ipſius voluntati poteſtatem hoc agendi tribuat, eumque prædeterminet ad talem actum. At, e ve-*

ſtris principiis (ſeu Thomiſtarum) *ſea Prædeterminatione phyſica tum caret, cum Gratiam per ſe efficacem, qua prædeterminatur ad converſionem, accipit. Igitur penes Ethnicum hunc non eſt elicere voluntatis actum, quo Gratiam hanc rejiciat. Ergo illi Gratiæ reſiſtere non poteſt*. En nodum plane indiſſolubilem! qui adeò Patri *Danieli* placet, ut Thomiſtis, quaſi proſtratis, & mutire non valentibus, inſultet his verbis: *Apage frivolas verborum argutias: Reſponſa ſolida quærimus, quæ hanc vim apud Theologum prudentem, ingenioſum, nulla opinione percepta occupatum habeant*.

Sed ſophiſticam eſſe hanc Patris *Danielis* argumentationem, nemo eſt (ſi tantiſper in doctrina Scholæ Thomiſticæ ſit verſatus) qui ſtatim non videat. Quis enim, amabò, fuit unquam Thomiſta, qui dixerit Promotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem dare voluntati humanæ potentiam agendi, ſicut Thomiſtis falſo affingit Pater *Daniel*, cum omnes Thomiſtæ uno ore, uno ſenſu & animo conſtanter doceant, voluntatem creatam independenter omnino à Præmotione phyſica, ſeu a Gratia per ſe efficaci, habere, beneficio Gratiæ ſufficientis, veram, proximam, completam, & expeditam potentiam agendi vel non agendi; ita ut voluntati creatæ, Gratia ſufficienti inſtructæ, nihil prorſus deſit ex parte potentiæ, ſeu ex parte actus Primi. Præmotio ſiquidem phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, non ſe tenet ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ, ſed tenet ſe duntaxàt ex parte actus ſecundi, applicando videlicet agendi potentiam, quam per Gratiam ſufficientem habet voluntas creata, ad actum ſecundum, efficiendo videlicet ut voluntas creata in actualem prorumpat operationem.

Quorſum ergo Pater *Gabriel Daniel* traducit Thomiſtas, quaſi velint, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem dare voluntati creatæ poteſtatem agendi, eamque ſe tenere ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ? Ut quid etiam Pater *Daniel* ait, Ethnicum, qui, juxta Thomiſtas, vocatur a Deo ad Fidem per phyſicam Præmotionem, ſeu per Gratiam ſe ipſa efficacem, non habere poteſtatem eidem Gratiæ diſſentiendi? Quod tamen negant omnes ad unum Thomiſtæ, qui palam profitentur, Ethnicum a Deo per Gratiam ſe ipſa efficacem vocatum ad Fidem, infallibiliter quidem converſum iri ad Fidem, ſed tamen penes illum Ethnicum eſſe, ſtante etiam in ipſo Gratia illa per ſe efficaci ad vocationem Fidei, potentiam ei diſſentiendi ſejunctam tamen ab actuali diſſenſu.

Id certè ignorare non poterat P. *Daniel*, qui in Epiſtola decima ad *Natalem Alexandrum* jactat ſe eſſe omnibus doctioribus Thomiſtis longe oculatiorem; ſed id conſulto diſſimulavit, & ut Thomiſtarum doctrinam improbandi occaſionem haberet, ſupponit tanquam rem extra omnem dubitationis aleam poſitam, hominem non fore liberum, ſi dum agit, retineret duntaxat potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci in *ſenſu diviſo*, ideſt, ſi retineret tantum potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci ſejunctam ab actuali diſſenſu, ut volunt Thomiſtæ, pertenditque ad eſſentiam libertatis humane neceſſario requiri ut voluntas creata poſſit etiam in *ſenſu compoſito* reſiſtere cuicumque Gratiæ efficaci, ideſt, cum actuali diſſenſu. Quo poſito principio, aſſerit P. *Daniel*, Ethnicum, qui, juxta Thomiſtas ad Fidem vocatus a Deo per Gratiam ſe ipſa efficacem, non poteſt huic Gratiæ reſiſtere in *ſenſu compoſito*, ideſt, qui non habet potentiam huic Gratiæ diſſentiendi conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſſenſu, non eſſe liberum, nec poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci.

At, iſtud P. *Danielis*, & Scholæ Molinianæ Theologorum principium duplici momento confutari poteſt. Primo, quia ipſimet Scholæ Molinianæ Theologi, qui, præter Gratiam verſatilem, admittunt *Gratiam Congruam*, ultro fatentur, hominem, cui Deus decrevit dare Gratiam congruam, non poſſe reſiſtere *in ſenſu compoſito* huic Gratiæ congruæ, ideſt, non habere potentiam reſiſtendi huic Gratiæ conjunctam cum actu, hoc eſt cum actuali diſſenſu. Igi-

tur,

tur, velint nolint, Congruiſtæ Societatis Theologi (quorum Syſtema de Gratia Congrua ſuo calculo approbat P. *Daniel*) fateri tenentur, eſſentiam libertatis humanæ ſitam non eſſe in potentia reſiſtendi Gratiæ efficaci *in ſenſu compoſito*, ſeu potentiam reſiſtendi Gratiæ efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia, neceſſario non requiri ad conſtituendam eſſentiam libertatis, alioqui ſub Gratia Congrua non ſtaret hominis libertas, quod tamen omnino negant iſti Congruiſtæ Theologi.

Præterea, Eccleſia Catholica damnavit quidem, & jure optimo damnavit *Lutherum*, *Calvinum*, & *Janſenium*, tanquam liberi arbitrii oſores, everſores, ſubindeque Gratiæ neceſſitantis aſſertores, quod docerent, hominem à Gratia per ſe efficaci impulſum a Deo, non retinere (perſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci) veram diſſentiendi potentiam ſejunctam ab actu oppoſito, indeque concluderent, Gratiam per ſe efficacem imponere homini ad agendum inevitabilem neceſſitatem. Sed nunquam definivit Catholica Eccleſia, hominem non eſſe liberum, ſi a Gratia per ſe efficaci a Deo impulſus, non retineat potentiam huic Gratiæ reſiſtendi *in ſenſu compoſito*, ideſt, ſi non habeat potentiam Gratiæ per ſe efficaci reſiſtendi conjunctam cum actuali reſiſtentia; id, inquam, tantum abeſt ut unquam definierit Catholica Eccleſia, ut potius ſemper judicaverit, perfectam ſtare hominis libertatem, qui, per Gratiam ſe ipſa efficacem præmotus ac determinatus ad agendum, retinet, ſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci, poteſtatem ei reſiſtendi *in ſenſu diviſo*, hoc eſt, retinet potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci ſejunctam ab actuali diſſenſu, ſicut docent omnes Thomiſtæ.

Et ſane, ut obiter dicam, Eccleſia Catholica in Decretis Summorum Pontificum,& in definitionibus Conciliorum firmiter omni ævo adhæſit doctrinæ Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci ad ſingulos pietatis actus neceſſaria (ſicut bene juvante Deo opportunius in ſequentibus aliis Epiſtolis evincam.) Atqui, concideret, & ab imis fundamentis corrueret doctrina Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia per ſe efficaci, ſi homo, ea inſtructus, retineret potentiam ei diſſentiendi *in ſenſu compoſito*, hoc eſt, ſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci ſervaret potentiam ei diſſentiendi conjunctam cum actu oppoſito, ſeu cum actuali diſſenſu: Ea quippe facta ſemel hypotheſi, Gratia per ſe efficax non haberet amplius infallibilem nexum, ſeu connexionem cum ſuo effectu, nec ea eſſet Gratiæ per ſe efficacis natura, ut certiſſime converteret, nec denique Decretum Dei de danda Gratia per ſe efficaci certum eſſet, & cum eventu citra ullam dubitationem conjunctum, ſubindeque penitus deſtrueretur doctrina Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia per ſe efficaci. Cum igitur Eccleſia Catholica ſemper Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ de Gratia per ſe efficaci indivulſe adhæſerit, eamque Orthodoxam eſſe ſæpius declaraverit, palam ſequitur, Eccleſiam Catholicam nunquam definiiſſe, aut docuiſſe, ad eſſentiam libertatis humanæ requiri, ut homo retineat potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu compoſito*, ideſt, ut habeat potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu oppoſito, ſed potius ſequitur, Eccleſiam Catholicam ſemper judicaſſe, veram humanæ libertatis eſſentiam in hoc ſitam eſſe, quod homo, a Gratia per ſe efficaci impulſus ac prædeterminatus ſic agat, ut ſervet potentiam non agendi, cum eidem Gratiæ reſiſtere, ſeu diſſentire poſſit *in ſenſu diviſo*, ideſt, retineat potentiam Gratiæ per ſe efficaci reſiſtendi, ſeu diſſentiendi, ſejunctam ab actu oppoſito, ſeu ab actuali diſſenſu, & reſiſtentia.

Patet itaque, hoc Patris *Danielis* argumentum eſſe merum ſophiſma, brutumque fulmen, quo ne leviter quidem feriuntur Thomiſtæ. Sed ea de re plura dicendi ſe ſe opportunior dabit occaſio in alia, quam ad te ſcribam, Epiſtola, in qua genuinam dabo interpretationem hujus canonis Concilii Tri-

F 4 den-

dentini : *Si quis dixerit , liberum hominis arbitrium motum & excitatum a Deo non poſſe diſſentire , ſi velit , anathema ſit* , eademque opera faciam ſatis objectionibus , quas Moliniſtæ proponunt , ut probent ; potentiam illam , quam , ut docent Thomiſtæ , homo ſub imperio Gratię per ſe efficacis retinet eidem Gratiæ diſſentiendi , ſejunctam ab actu oppoſito , & quæ , ſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci , non reducetur ad actum , non eſſe veram potentiam , ſed eſſe futilem , vanam , commentitiam , & chymæricam potentiam .

III. Tertium ſupereſt argumentum , quod Pater *Gabriel Daniel* intorquet in Thomiſtas , quodque præcedentibus nihilo efficacius eſt , ſed eſt merum ſophiſma , quod in omnium incurrit oculos . Ut enim Molinianus ille Scriptor probet , homini juſto , qui caret Præmotione phyſica , ſeu Gratia per ſe efficaci , eſſe præcepta impoſſibilia , proponit argumentum his verbis conceptum : *Ea Gratia , quæ homini juſto datur , lumen eſt ſupernaturale & inſpiratio ad implendum præceptum . Verum , ut docetis* (Thomiſtæ) *hæc inſpiratio , hoc lumen , uno verbo , hæc Gratia deſtituta eſt phyſica prædeterminatione ad implendum præceptum ; immo , cum hoc lumine colluſtratur iſtius juſti mens , cum hac inſpiratione voluntas ejus movetur abſque Prædeterminatione phyſica ad implendum præceptum , tunc phyſicam habet Prædeterminationem ad non implendum præceptum . Quid igitur tunc ille accipit ? Accipit poteſtatem non implendi præcepti , accipitque per phyſicam Prædeterminationem , quam Deus ei tribuit ad illud non implendum . At poteſtatem illius implendi non accipit , quia non accipit Prædeterminationem phyſicam ad implendum mandatum . Caret ergo implendi præcepti poteſtate ac proinde libertate ad implendum præceptum caret . Ex eadem Propoſitione demonſtrata quam duræ conſecutiones manant ? Videtur ex hac propoſitione generali ſequi , præcepta Dei toties juſtis eſſe impoſſibilia , quoties ea non implent . Toties enim eadem ſors eorum & conditio eſt , atque illius juſti , cujus modo mentionem feci , abeſt phyſica Prædeterminatio ad implenda nimirum præcepta : abeſt ad non implendum . Hæc prima conſecutio : Peccant nihilominus juſti , cum ea præcepta non implent , ad quæ implenda facultas ipſis nulla ſubeſt . Ergo libertas , oppoſita neceſſitati agendi , neceſſaria non eſt ad demerendum . Hæc altera conſecutio . Denique , ſi valent eadem principia* (ideſt Thomiſtarum) *quicumque Gratia efficaci eſt inſtructus , nullam , qua ipſi reſiſtat , Prædeterminationem habet , igitur efficaci Gratiæ reſiſti non poteſt :*

In hoc Patris *Danielis* argumento tot ſunt calumniæ , quot verba ; adeo ut mirum ſit , virum religioſum & Sacerdorem voluiſſe univerſum Prædicatorum Ordinem publicis vulgari idiomate editis Scriptionibus infamare , & totius Scholæ Thomiſticæ doctrinam traducere tanquam hæreticam . Prima calumnia in hoc ſiſtit , quod affirmet P. *Daniel* , Præmotionem phyſicam , juxta Thomiſtarum mentem , tenere ſe ex parte actus primi , & conferre homini potentiam bene agendi ; ſubindeque homini juſto , qui caret Prædeterminatione phyſica , impoſſibilem eſſe obſervationem præceptorum . In hac confutanda calumnia non eſt quod diutius immoremur , cum jam ex his , quæ ſuperius dixi , ſat ſuperque conſtet , Præmotionem phyſicam (quam ad bene agendum neceſſariam eſſe docent Thomiſtæ) non ſe tenere ex parte actus primi , ſeu non conferre homini potentiam bene agendi , & obſervandi præcepta ; ſed tenere ſe duntaxat ex parte actus ſecundi , applicando videlicet & determinando potentiam , quam habet homo ad bene agendum , & ad implenda præcepta Dei , ad actualem operationem , ideſt , efficiendo ut actus primus , ſeu potentia illa (quam homo per Gratiam ſufficientem habet) bene operandi , reducatur ad actum ſecundum , integra tamen & illæſa ſemper remanente in homine libertate , ſeu indifferentia activa , potentia agendi & non agendi , necnon immunitate a coactione , & à neceſſitate .

Hæc eſt vera & genuina Præmotionis phyſicæ notio , quam in ſexcentis , immo innumeris (quos Thomiſtæ pu-

bli-

Digitized by Google

blicarunt) libris planiſſimam reddiderunt; eamque luce meridiana clarius vindicarunt ab erroribus *Janſenii*, qui pertendit, Gratiam per ſe efficacem (quam conſtituit in cœleſti delectatione indeliberata) ſe tenere ex parte actus primi, & conferre homini potentiam bene agendi, & obſervandi præcepta Dei. Hinc *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli inferunt, juſtis, qui carent Gratia illa per ſe efficaci, ſeu cæleſti indeliberata delectatione, quæ ſit gradibus cupiditatis ſuperior, præcepta Dei impoſſibilia, deeſſe quoque illis gratiam, qua ejuſmodi præcepta eis poſſibilia fiant; & tamen juſtos in tranſgreſſione præceptorum peccare, quia, inquiunt *Janſenii* Diſcipuli, libertas oppoſita neceſſitati agendi, non requiritur in ſtatu naturæ lapſæ ad merendum & demerendum, ſed ſufficit libertas a coactione. Ab hac *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum ſæpius a Sede Apoſtolica fulgurita doctrina ſe vehementer abhorrere palam profeſſi ſunt, & etiamnum exerte profitentur omnes Thomiſtæ.

Quin, doctiſſimi Societatis Jeſu Scriptores *Annatus*, *Stephanus Dechamps*, & *Joannes Moraines*, ſeu *Martinonus*, in libris, non minus mole, quam eruditione immenſis, quos contra *Janſenium*, ejuſque Diſcipulos publicarunt, omni argumentorum genere probant, Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe efficaci non tollere hominis libertatem, & a doctrina de Gratia neceſſitante quam *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli propugnant, longe lateque diſcrepare. Quorſum ergo Pater *Daniel* veſtigia celebriorum Scholæ ſuæ Molinianæ Scriptorum reliquit, & valere juſſis omnibus veri & æqui judicii regulis, doctrinam Thomiſtarum de Gratia ſe ipſa efficaci, quam ſemper Catholica Eccleſia ſanam & orthodoxam judicavit, auſus eſt promiſcue confundere cum *Janſenii* de Gratia neceſſitante errore, quem profligavit Eccleſia?

IV. Altera P. *Danielis* calumnia in hoc ſita eſt; quod velit, ex doctrina Thomiſtarum de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, horrendas iſtas affluere conſecutiones, videlicet, *juſtis, carentibus Præmotione phyſica, præcepta eſſe impoſſibilia, eoſque tamen in præceptorum tranſgreſſione, non obſtante illa impoſſibilitate, peccare*; deinde, *libertatem oppoſitam neceſſitati agendi neceſſariam non eſſe ad demerendum*; poſtremo, *eum, qui Gratia per ſe efficaci eſt inſtructus, & nullam, qua ipſi reſiſtat, Prædeterminationem habet, non poſſe Gratiæ per ſe efficaci reſiſtere*.

Hanc calumniam, a P. *Daniele* Scholæ Thomiſticæ impactam, multis momentis diſpungam, dum *Janſenii* ejuſque Diſcipulorum errores, ab Eccleſia proſcriptos, dedita opera confutabo. Quapropter, hic abunde ſufficiet breviter oſtendere, has horrendas conſecutiones effluere quidem ex principiis doctrinæ damnatæ *Janſenii*, ſed eas nullo pacto manare poſſe ex principiis, quibus nititur doctrina Thomiſtarum de Gratia ſe ipſa efficaci. Enim vero, docet primo *Janſenius*, hominem ſine Gratia per ſe efficaci, cujus naturam, ſeu eſſentiam reponit in cæleſti indeliberata delectatione gradibus terrenæ cupiditatis ſuperiori, non habere potentiam bene agendi; aſſeritque, ſolam Gratiam per ſe efficacem, ſeu ſolam illam indeliberatam cæleſtem delectationem relative victricem impertiri homini *& poſſe agere, & velle agere*. Sic enim *Janſenius* lib. 3. *de Gratia Chriſti* cap. xv. de Gratia per ſe efficaci, ſeu de illa cæleſti indeliberata delectatione relative victrici ſermonem habens, mentem ſuam clare exprimit his verbis: *Hæc Gratia ſimul affert poſſe quod volumus, & velle quod poſſumus*. Et clarius lib. 7 *de Gratia Chriſti* cap. 2. hæc habet: *Cum igitur juſtitiæ vel peccati delectatio ſit illud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiu iſto ſtabiliter poſſidetur, & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicet, ut liberum arbitrium non liberatum eum velle non poſſit*. Ex quibus verbis liquet, *Janſenium* docuiſſe Gratiam per ſe efficacem non ſolum ſe tenere ex parte actus ſecundi, verum etiam ex parte actus primi, ita ut quicumque (juxta *Janſenium*)

ca-

Digitized by Google

caret Gratia per ſe efficaci; non habeat veram potentiam benè agendi & vincendi omnes concupiſcentiæ gradus.

Ex quo ſemel jacto hæretico *Janſenii* principio facilè deducuntur horrendæ iſtæ conſecutiones; videlicet *homini juſto*, *qui caret Gratia per ſe efficaci*, *ſeu cæleſti indeliberata delectatione*, *gradibus concupiſcentiæ ſuperiori*, *præcepta Dei eſſe impoſſibilia*; *deeſſe quoque ei Gratiam*, *qua præcepta poſſibilia fiant*, *& tamen illum in tranſgreſſione præceptorum*, *non obſtante illa impoſſibilitate*, *peccare*; *libertatem oppoſitam agendi neceſſitati non requiri ad peccandum*; *Denique*, *eam eſſe*, *juxta Janſenium*, *Gratiæ per ſe efficacis naturam*, *ut voluntas creata ei in ſenſu diviſo reſiſtere haud poſſit*.

Has horrendas conſecutiones, quæ fluunt ex heretico *Janſenii* principio, deteſtantur omnes Thomiſtæ, ſicut & principium, ex quo illas deducit *Janſenius*. Hoc enim Catholicum totius doctrinæ ſuæ principium ſtatuunt Thomiſtæ, quod Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax non ſe teneat ex parte actus primi, idest, non conferat voluntati creatæ potentiam benè agendi, ſed tantum teneat ſe ex parte actus ſecundi, & applicet duntaxat, ac reducat ad actum ſecundum eam potentiam benè agendi, quam jam habet voluntas creata, quæ Gratia ſufficienti eſt inſtructa.

Ex quo Catholico doctrinæ Thomiſtarum principio deducuntur iſtæ Catholicæ itidem conſecutiones: videlicet *homini juſto*, *Gratia per ſe efficaci deſtituto*, *ſemper præcepta Dei eſſe poſſibilia*, *eique ſuppetere Gratiam* (ſcilicet ſufficientem) *qua præcepta ſint ipſi poſſibilia*; *ſubindeque juſto*, *ſi transgrediatur præcepta Dei*, *jure merito imputari peccatum*: Præterea, *libertatem oppoſitam neceſſitati requiri omnino ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ*: Poſtremo, *eam eſſe Gratiæ per ſe efficacis naturam ut voluntas creata ei reſiſtere poſſit in ſenſu diviſo*; idest, *potentia ſejuncta ab actu*, *ſive ab actuali reſiſtentia*, *quamvis voluntas creata non poſſit reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci in ſenſu compoſito*, hoc eſt (ſicut ſæpius dixi) *non poſſit reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci*, *potentia conjuncta cum actuali diſſenſu & reſiſtentia*. Hoc autem Thomiſtarum principium (quo tota illorum de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, fulcitur doctrina) ſicut & conſecutiones, quas ex illo principio deducunt, cum Fide Catholica optimè conſentire; & ab hæretico doctrinæ *Janſenii* principio, necnon ab horrendis conſecutionibus quas *Janſenius* ex eo deducit, toto cœlo diſtare; nullus, in doctrina Eccleſiæ, Sanctorum Patrum, & antiquorum Theologorum Operibus verſatus, inficias ire poterit.

V. Sed eſt aliud doctrinæ *Janſenii* principium, ex quo hæreticas elicit concluſiones, quas omnes Thomiſtæ una cum illo peſtilenti principio, ex quo eas deducit *Janſenius*, diris devovent & execrantur. Docet quippè *Janſenius*, Deum non habere in ſtatu naturæ lapſę veram ac ſinceram voluntatem generalem (quam Theologi vocant *Antecedentem*) ſalvandi omnes omnino homines; ſed Deum habere duntaxat voluntatem abſolutam & efficacem (quam Theologi appellant *conſequentem*) ſalvandi Electos ac Prædeſtinatos. Ex quo erroneo principio hanc hæreticam conſecutionem deducit *Janſenius*; nimirum, omnes gratias, quas homini in ſtatu naturæ lapſæ ſuppeditat Deus, eſſe per ſe efficaces, utpote ex voluntate Dei abſoluta, efficaci & conſequenti profectas, quæ totum ſuum ſemper & infallibiliter conſequuntur effectum, ad quem dantur a Deo, ſive ad vincendos aliquos concupiſcentiæ gradus, ſive ad ſuperandos omnes concupiſcentiæ gradus; cum hoc tamen diſcrimine, quod *Janſenius* has gratias, quas largitur Deus ad imminuendos duntaxat aliquot cupiditatis gradus, appellet *per ſe efficaces*, ſed *parvas*; Gratias vero, quas confert Deus ad ſuperandos omnes concupiſcentiæ gradus, vocet *per ſe efficaces*, ſed *robuſtas*. Cæterum, *Janſenius* nullas in ſtatu naturæ lapſæ admittit Gratias verè ſufficientes, quæ dent completam potentiam bene agendi,

di, diſtinctas à Gratiis per ſe efficacibus.

Ab hoc capitali *Janſenii* errore, qui (ſicut in ſequentibus Epiſtolis oſtendam) totum recondit arcanum, medullam & nucleum ipſius doctrinæ, tam alieni ſunt Thomiſtæ, quam qui maxime. Hi quippe docent, & principii loco ponunt; Deum non tantum in ſtatu naturæ lapſæ velle voluntate conſequenti, abſoluta & efficaci ſalutem Electorum, & Prædeſtinatorum, ſed etiam velle ſincera voluntate generali & antecedenti, ſalutem reproborum. Ex quo jacto Catholico principio inferunt Thomiſtæ primo, admittendum eſse in ſtatu naturæ lapſæ auxilium ſufficiens ab auxilio per ſe efficaci diſtinctum, quod dat libero hominis arbitrio plenam, completam, proximam, & expeditam potentiam bene agendi; ita ut homini ſemel gratia ſufficienti inſtructo, nihil ex parte potentiæ deſit. Secundo inferunt Thomiſtæ, præter iſtud auxilium ſufficiens, aliud in ſtatu naturæ lapſæ admittendum eſse auxilium, videlicet per ſe & ab intrinſeco efficax, quod intrinſeca ſui virtute potentiam illam bene agendi (quam homo ſufficienti auxilio exornatus, jam habet) applicat, determinat & reducit ad actum ſecundum; ſeu efficit, ut homo bene operetur, abſtineat a peccato, & adimpleat præcepta Dei.

Hæc ſufficere debent ad depellendam calumniam Patris *Danielis*, qui, ut Thomiſtas Janſeniſmi inſimularet, ipſiſſima doctrinæ *Janſenii* principia, & horrendas quas ex his elicit *Janſenius* conſecutiones, eis liberaliter tribuit; cum tamen ex his, quæ hactenus diximus, certo certius conſtet; principia doctrinæ Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci, non ſecus ac conſecutiones quas e ſuis principiis deducunt, nihil prorſus commercii & negotii habere cum damnatis doctrinæ *Janſenii* principiis & conſecutionibus; ſed illis omnino & e diametro opponi, ſicut (bene juvante Deo) latius in his Epiſtolis evincam, in quibus doctrinam *Janſenii* jure optimo fuiſse ab Eccleſia, tanquam hæreticam, profligatam commonſtrabo.

VI. Eliſis ſemel ſophiſticis Patris *Danielis* argumentationibus; nunc breviter me expediam a tribus aliis argumentis, quæ ſub finem Epiſtolæ tuæ propoſuiſti. In primis, dicis, hominem, qui, urgente obligatione alicujus præcepti, habet potentiam illud obſervandi, ſed caret Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, ad illud obſervandum neceſsaria, ſimilem eſse homini in tenebris exiſtenti, cui deeſt lumen neceſsarium ad videndum: Atqui, inquis, homini qui, in tenebris jacens, careret lumine ad videndum neceſsario, culpæ ac vitio non verteretur, quod non videret; quamvis potentiam viſivam haberet intus optime diſpoſitam, ergo ſimiliter, homini; qui, urgente alicujus præcepti obligatione, habet potentiam illud obſervandi, ſed deſtitutus eſt Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci ad illud adimplendum omnino neceſsaria, in culpam adſcribi non debet ſi illud tranſgrediatur.

Verum, non quadrat iſta (quam inſtituis) comparatio, hominem in tenebris exiſtentem & lumine neceſsario ad videndum carentem inter & hominem Præmotionem phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci ad obſervationem præcepti neceſsaria deſtitutum. Ratio diſcriminis in hoc potiſſimum ſiſtit, quod lumen reſpectu potentiæ viſivæ hominis in tenebris exiſtentis ſe teneat ex parte actus primi. Potentia quippe viſiva non redditur proxima & expedita ad videndum niſi per lumen, quod ei affulget. *Sicut oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere, ſic etiam perfectiſſime juſtificatus, niſi æterna luce juſtitiæ divinitus adjuvetur, recte non poteſt vivere*, inquit S. *Auguſtinus* cap. 26. lib. *De Natura & Gratia*. At vero, Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax non ſe tenet ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ, ſed ex parte actus ſecundi.

Homo itaque præditus gratia ſufficienti, habet (juxta Thomiſtarum doctrinam) omnia; quæ neceſſaria ſunt ex parte actus primi, ſeu ex parte po-

Digitized by Google

tentiæ, nihil ei deeſt ut in actum ſecundum, ſeu in actualem operationem prodire poſſit. Quod ſi homo, Gratia ſufficienti donatus, careat Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci neceſſaria ad obſervanda præcepta Dei, hoc ſibi imputare debet; quia propria ſua malitia & obſtinatione obicem & impedimentum ponit Gratiæ ſufficienti, ei reſiſtendo, & curſum gratiæ ſufficientis ſiſtendo; hoc eſt, impediendo ulteriorem ordinationem gratiæ ſufficientis, quæ tam ex natura ſua, quam ex ſincera antecedenti voluntate Dei ſalvandi omnes homines, tendit, viamque ſternit ad receptionem Gratiæ per ſe efficacis, quam Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt dare, eamque reapſe conferret, niſi peccator Gratiæ ſufficienti obſiſteret ac reluctaretur: *Deus enim* (ut ait S. Thomas in 4. Sent. Diſtinct. 40. Quæſt. 4. Art. 2. ad 4.) *quantum in ſe eſt, nulli eſt abſens: ſed homo a Deo præſente ſe abſentat, ſicut a præſenti lumine qui claudit oculos*. Mentem S. *Thomæ* clariſſimo iſto exemplo explicat noſter *Didacus Alvarez* lib. 3. *De Auxiliis* Diſputatione 18. ubi hæc habet: *Licet motio Dei prævia non ſit in poteſtate creatæ voluntatis, tanquam in cauſa efficiente . . . . eſt tamen in facultate noſtræ voluntatis ſe ipſam impedire, ne habeat illam motionem. Unde ſi non operetur actum, qui eſt in præcepto, imputabitur illi in culpam; eo quod ſua culpa ſe impedivit ne daretur illi auxilium efficax, quod neceſſarium erat, ut actualiter operaretur actum virtutis, qui eſt in præcepto. Sicut ſi Deus imponeret homini præceptum volandi, & quantum eſt ex parte ſua offerret illi alas, & adjutorium neceſſarium ut volaret, ipſe autem libertate ſua reſponderet: Domine, nec volo alas recipere, nec volare; merito reputaretur reus & tranſgreſſor præcepti, etiamſi non poſset abſque alis volare, quia ſua culpa ſe impedivit, ne illi donarentur a Deo*.

Sed hæc levi brachio nunc attigiſſe ſufficiat, quia in peculiari Epiſtola (quam, ad explanandam notionem & eſſentiam gratiæ ſufficientis, juxta ſenſum Thomiſticum, ad te deinceps ſcribam) uberius de his diſſeram, multiſque momentis evincam, non ideo hominem reſiſtere gratiæ ſufficienti, quia caret Præmotione phyſica, ſicut ad nauſeam uſque Thomiſtis objectare ſolent Moliniſtæ; ſed potius hominem carere Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci neceſſaria ad obſervationem præceptorum Dei, quia propria ſua culpa & malitia reſiſtit Gratiæ ſufficienti; ſicque obicem & impedimentum ponit, ne recipiat Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, quam Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt illi dare.

VII. Nec magis urget aliud, quod proponis, argumentum, petitum ex comparatione, quam inſtituis hominem catena & vinculis conſtrictum inter & hominem Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci impulſum ad agendum. Sic enim ais: Quemadmodum homo, vinculis & catena conſtrictus, nullam habet fugiendi potentiam *in ſenſu compoſito*, ideſt, quamdiu vinculis & catena conſtrictus eſt; ſed fugiendi tantum habet potentiam *in ſenſu diviſo*, ideſt, ſi catena & vinculis eximatur; ita homo, juxta Thomiſtarum doctrinam, nullam retinet potentiam agendi vel non agendi *in ſenſu compoſito*, ideſt, quamdiu perſtat in ipſo Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax; ſed hanc duntaxat habet potentiam *in ſenſu diviſo*, ideſt, ſi ab ejus voluntate ſeponatur, ſeu removeatur Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax; ergo (infers) homo, juxta Thomiſtarum doctrinam, nullam, perſtante in ipſo Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, retinet potentiam agendi vel non agendi, ſubindeque non eſt liber.

Hoc, inquam, non urget argumentum, ſed facile diſſlatur negando paritatem. Tantum enim abeſt, ut Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, determinando hominem ad agendum, voluntatem ejus ferreis & adamantinis vinculis devinciat, eique adimat agendi vel non agendi potentiam; ut potius eam expediat, liberet a peccato, ſolvat, firmet atque perficiat. Sed de his alias i

VIII.

Digitized by Google

VIII. Ultimum ſupereſt argumentum, quo niteris probare, homini, qui Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, deſtitutus, tranſgreditur divinæ legis præceptum, non debere imputari peccatum; ſed ſoli Deo, qui ei Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, ſubtrahit ac denegat, quæ ad obſervanda præcepta eſt omnino neceſſaria. Adducis autem ad id probandum exemplum nautæ; qui, ſicut per ſui præſentiam eſt cauſa ſalutis navis, ita per ſui abſentiam eſt cauſa periclitationis navis. Sic pariter (ais) dum Deus alicui dat Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, eſt cauſa illius ſalutis, ſed per ſui abſentiam, ideſt, per denegationem & ſubtractionem Præmotionis, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, eſt cauſa peccati, in quod labitur hic homo.

Aſt, iſtud argumentum ex his, quæ ſuperius diximus, jam ſatis ſuperque retuſum ac ſolutum manet. Non enim docent Thomiſtæ, ideo hominem tranſgredi præcepta & peccare, quia Deus ei ſubtrahit & denegat Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem; ſed potius docent Thomiſtæ, Deum denegare Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, quia homo propria ſua malitia reſiſtit & obicem ponit Gratiæ ſufficienti, quam Deus omnibus confert, vel ſaltem offert; & reſiſtendo Gratiæ ſufficienti, quæ dat veram & completam potentiam obſervandi præcepta, præcludit peccator eadem opera aditum ad receptionem Gratiæ per ſe efficacis, quam Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt dare, eamque reapſe largiretur, niſi peccator propria malitia, obſtinatione, & cupiditate ſua ſiſteret curſum Gratiæ ſufficientis, quæ tam ex natura ſua, quam ex ſincera Dei voluntate ſalvandi omnes homines, ulterius ordinatur: *Omnis* enim *defectus gratiæ, & cujuslibet peccati prima cauſa eſt ex nobis; ſed collationis Gratiæ prima cauſa eſt ex Deo, ſecundum illud Oſeæ cap.* 13. *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum*, inquit Sanctus *Thomas* prima ſecundæ Quæſtione 112. Articulo tertio.

Iſtius difficultatis pleniorem diſucidationem dabo, dum contra *Janſenium* veram notionem & naturam Gratiæ ſufficientis, juxta ſenſum & mentem Thomiſtarum, explanabo. Hic tantum obiter dicam, exemplum nautæ, quod adducis, nihil plane facere contra Thomiſtas. Nam ideo nauta eſt cauſa periclitationis navis, quia abſens eſt; At, Deus non eſt cauſa peccati & obdurationis peccatoris; quia omnibus præſens eſt, & omnibus gratiam ſufficientem confert, vel ſaltem offert, cujus receptioni ſolus peccator propria ſua malitia impedimentum ponit. *Nauta* (inquit Sanctus *Thomas* libro ſecundo Sententiarum Diſtinctione trigeſima ſeptima Quæſt. 2. Articul. 1.) *eſt cauſa periculi navis per ſuam abſentiam, Deus autem, quantum in ſe eſt, nulli abſens eſt, ſed peccator abſentat ſe à Deo, & ideo ſui peccati cauſa eſt, in quo periclitatur; & non Deus*. Idem pluribus in locis inculcat S. *Thomas*, ſed præſertim, lectione 3. in cap. 12. Epiſt. *Pauli* ad Hebræos, dum ait: *Gratia nulli deeſt, ſed Deus omnibus, quantum in ſe eſt, ſe communicat, ſicut nec ſol deeſt cæcis oculis*. Legendus eſt etiam idem Doctor Angelicus lib. 3. *contra Gentes* cap. 162. ubi probat, *Deum nemini eſſe cauſam peccandi*, & in lib. 1. Sent. Diſtinct. 40. Quæſt. 4. Art. 2. ubi inquirit, *utrum Deus ſit cauſa obdurationis peccatoris?* & oſtendit, privationis gratiæ, ſeu obſtinationis, & excæcationis, & obdurationis peccatoris primam cauſam eſſe voluntatem hominis; Deum vero eam tantummodo permittere.

De his plura opportunius dicemus, dum genuinam Gratiæ ſufficientis notionem, juxta Scholæ Thomiſticæ ſenſum explicabimus. Vale, cariſſime Diſcipule, & omnes curas & cogitationes tuas confer ad ſtudium & defenſionem doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, quam menti Patrum Concilii Tridentini apprime conſentaneam eſſe, in altera (quam ad te ſcribam) Epiſtola, multis & in-

& invictis demonſtrabo argumentis. Sed interim, quo facilius intelligas, quam perperam Pater *Daniel* impingat Thomiſtis errorem *Janſenii*, qui docuit, ex peccato Adami invectam eſſe neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ; hunc capitalem *Janſenii* errorem in proxima (quam ad te mittam) Epiſtola late impugnabo; & oſtendam, ex peccato Adami non fuiſſe invectam neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, ſed adhuc in ſtatu naturæ lapſæ extare liberum hominis arbitrium, illudque per peccatum Adami fuiſſe quidem obſcuratum, ſed non exſtinctum; vulneratum, non occiſum; claudicatione læſum, non amputatum; ſemivivum relictum, ſed non mortuum.

EPISTOLA SEXTA
POLEMICA,

In qua contra Janſenium probatur, ex peccato Adami non fuiſſe invectam peccandi neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ, nec deperditum liberum hominis arbitrium, tametſi fuerit per culpam Adami elevatum, ſauciatum, ac debilitatum.

CUm Pater *Daniel* in his, quas ad *Natalem Alexandrum* ſcripſit, Epiſtolis, ſæpius ora Thomiſtarum verberet illiberali Janſeniſmi nota; ipſiſque exprobret quod una cum *Janſenio* tollant e medio liberum hominis arbitrium, & inducant neceſſitatem peccandi; neceſſe eſt, ad tam atrocem repellendam calumniam, ut hìc primo oſtendam, *Janſenium* revera in ſtatu naturæ lapſæ admiſiſſe neceſſitatem peccandi ortam ex peccato Adami. Deinde, demonſtrabo, Scholæ Thomiſticæ Theologos hunc *Janſenii* execrari errorem, eoſque unanimi conſenſu docere, ad peccandum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficere libertatem a coactione, ſeu a violentia, ſed inſuper requiri libertatem a neceſſitate; ſeu oportere, ut voluntas creata ſemper retineat veram, activam indifferentiam peccandi vel non peccandi.

I. In primis itaque dico, negari haud poſſe, *Janſenium* admiſiſſe in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi profectam ex peccato Adami. Hanc peſtilentem doctrinam pluribus in locis exprimit & inculcat *Janſenius*, quorum aliquot hìc laudare abunde ſufficiet, quæ de illius mente dubitandi nullum locum relinquent. Capite ſecundo libri 3. *De ſtatu naturæ lapſæ* concludit *Janſenius* his verbis: *Sententia Auguſtini non alia, quam iſta eſt; quod arbitrium voluntatis poſt lapſum primi hominis, antequam divina gratia viſitetur, hoc eſt, antequam Chriſtianam ſuſcipiat fidem, unde incipit Gratia, ſub cupiditatibus terrenis ita arctè captivum poſſideatur, ut libertas illa voluntatis velut ferreis vinculis adſtricta, nullo modo poſſit ſurgere, ut bonum velit & faciat; ſed ut tantummodò captivo motu verſetur in malo. Qua de cauſa, liberum arbitrium toto illo tempore non tam eſſe liberum, quam ſervum.* Et cap. 14 ejuſdem libri ſic loquitur Janſenius: *Itaque in hac quæſtione indubitatum exiſtimamus, eſſe illam ſententiam Sancti Auguſtini, & Diſcipulorum ejus, quam jam jam diximus, nullum videlicet opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio poſſe fieri, niſi per Gratiam, non quamlibet, ſed Fidei liberetur; ut proinde ante Fidem non ſit ei liberum a peccato, dum hic & nunc agere meditatur, abſtinere; ſed quocumque ſe verterit, quadam humanis viribus inſolubili peccandi neceſſitate teneatur* Ex quibus *Janſenii* verbis liquido patet, illum aperte docuiſſe, eam per peccatum Adami invectam eſſe peccandi neceſſitatem, ut homo in ſtatu naturæ lapſæ non ſolum non poſſit, ante ſuſceptam Fidem, facere opera ſupernaturaliter bona, ſeu opera veræ pietatis, vitæque æternæ meritoria; verum etiam, ut homo in ſtatu naturæ lapſæ non poſſit, ante ſuſceptam Fidem, elicere opera ſaltem moraliter bona, ſubindeque neceſſario oporteat, ut homo in ſtatu naturæ lapſæ, ante ſuſceptam Fidem, in omnibus ſuis actibus peccet.

Eumdem errorem ſtabilivit *Janſenius* cap. 9. lib. 3. *De ſtatu naturæ lapſæ*, ubi mentem ſuam ſic exprimit: *Itaque Sanctiſſimus, & profundiſſimus Doctor Au-*

Auguſtinus, *non contentus declaraſſe*, *hominem poſt lapſum omni boni operis faciendi libertate privatum*, *eadem fiducia partem utramque docet*, *non eſse etiam ei jam liberum a peccatis abſtinere*, *peccandi ſed in neceſſitatem*, *peccando cecidiſse*; *a qua ſola gratia Salvatoris eum liberare poteſt*. Quod *Janſenius* cap. XI. XII. & aliis ſequentibus ejuſdem libri fuſe probat. Præterea, lib. 4. *De ſtatu naturæ lapſæ* cap 24. diſſerens de libertate, qua gaudet homo in præſenti ſtatu; ita loquitur Janſenius: *Sic ergo & hìc* (hoc eſt, in præſenti vita) *etiamſi ille perverſus amor ſui*, *in quem ex Dei dilectione rationalis creatura lapſa eſt*, *& in quo ex juſtiſſima Dei damnatione perſeverat*, *& ex quo omnis actus vel omiſſio damnatæ voluntatis fluit*, *firmiſſimè adhæreat voluntati*, *immo etiamſi non ſolum ſpecificatione*, *ut nunc eſt*, *ſed etiam exercitio*, *quemadmodum amor beatificus*, *eſset neceſsarius*, *non tamen ex Auguſtini mente defineret eſse liber*. Viden, *Janſenium* aperte docere, quod etſi voluntas creata hac in vita tam firmiter malo adhæreret, quam beati in Cœlis bono adhærent, adhuc tamen ea libera foret?

Nec minus luculenter loquitur *Janſenius* cap. 5. lib. 8. *De Gratia Chriſti*, ubi, poſtquam dixit, S. *Auguſtinum* contra Pelagianorum querelas liberum hominis defendiſſe arbitrium, incunctanter ſubdit, *nunquam*, *vel ſemel*, *nec ex profeſso Sanctum illum Doctorem tradidiſſe*, *nec per tranſennam inſinuaſse*, *ſalvam eatenus manere ſub gratia libertatem ejus* (ideſt, hominis) *quatenus actum volendi ſic exerat*, *ut eum poſſit ſuſpendendo continere*. Denique, ut aliis bene multis, quæ ſuppetunt, referendis *Janſenii* teſtimoniis ſuperſedeam, cap. 19. lib. 8. *De Gratia Chriſti* diſerte & citra verborum caliginem pronunciat, *nullam neceſſitatem actibus voluntatis liberis eſse formidandam*, *ſed ſolam coactionem aut neceſſitatem violentiæ*.

Cæcus ſit oportet, qui non videat, *Janſenium* his in locis manifeſto docuiſſe, ad demerendum, ſeu ad peccandum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere libertatem à coactione, ſeu à violentia; hoc eſt, ſufficere, ut actus ſit deliberatus ac voluntarius. Eamdem libertatem a coactione, ſeu a violentia ſufficere in ſtatu naturæ lapſæ ad merendum, ſeu ad bene agendum, ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis, nec requiri libertatem à neceſſitate, ſeu veram & activam indifferentiam, mordicus iidem contendit *Janſenius*, ſicut commodius oſtendam in his Epiſtolis, quas ad te deinceps ſcribam, & in quibus quinque famoſas *Janſenii* propoſitiones, ab Eccleſia confixas, lato calamo confutabo.

II. In præſenti itaque Epiſtola probandum ſuſcipio contra *Janſenium*, non fuiſſe in ſtatu naturæ lapſæ invectam ex peccato Adami neceſſitatem peccandi; ſubindeque ad demerendum, ſeu ad peccandum in ſtatu naturæ lapſæ non ſufficere libertatem a coactione & violentia, ſed neceſſario requiri libertatem a neceſſitate, ſicut cum omnibus Catholicis docent Thomiſtæ poſt Sanctum *Auguſtinum*, qui in libro *De duabus animabus* hoc pacto definit peccatum: *Peccatum*, inquit Aquilinus ille Doctor, *eſt voluntas retinendi*, *vel conſequendi quod juſtitia vetat*, *& unde liberum eſt abſtinere*; non autem liberum eſſet abſtinere a peccato, ſi neceſſitas peccandi (ſicut contendit *Janſenius*) eſſet in ſtatu naturæ lapſæ invecta ex primigenia culpa Adami. Et lib. *de Fide* contra Manichæos ait idem S. Doctor: *Quis enim non clamet*, *ſtultum eſse præcepta dare ei*, *cui liberum non eſt quod præcipitur facere*, *& iniquum eſse eum damnare*, *cui non fuit poteſtas juſsa complere? & has injuſtitias & iniquitates miſeri* (Manichæi) *non intelligunt Deo ſe adſcribere*. Et cap. 18. lib. 3. *De Libero Arbitrio* ait Aquilinus ille Doctor: *Si laborioſum eſt omnia mandare memoriæ*, *hoc breviſſimum tene*: *Quæcumque iſta cauſa eſt voluntatis*, *ſi non ei poteſt reſiſti*, *ſine peccato ei ceditur*: *Si autem poteſt*, *non ei cedatur .... Quis enim peccat in eo*, *quod nullo modo caveri poteſt? Peccatur autem*; *caveri igitur poteſt*.

Huic S. *Auguſtini* doctrinæ aperte ſuffragatur S. *Thomas*, qui Quæſtione 6 *de Malo*, Articulo unico, ubi agit *de electio-*

ctio.

ctione humana ; ſeu *de libero arbitrio* , & inquirit , *utrum homo habeat electionem actuum , aut ex neceſſitate eligat ?* Hanc difficultatem ſolvit his verbis , quæ *Janſenii* jugulum petunt : *Reſpondeo, dicendum, quod quidam poſuerunt, quod voluntas hominis ex neceſſitate movetur ad aliquid eligendum , nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur ; non enim omne neceſſarium eſt violentum , ſed ſolum id , cujus principium eſt extra : unde & motus naturales inveniuntur aliqui neceſſarii, non tamen violenti ; violentum enim repugnat naturali, ſicut & voluntario; quia utriuſque principium eſt intra, violenti autem principium eſt extra* . HÆC AUTEM OPINIO EST HÆRETICA, *tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus : non enim videtur eſſe meritorium vel demeritorium , quod aliquis ſic ex neceſſitate agit quod vitare non poſſit . Eſt etiam annumeranda inter extraneas Philoſophiæ opiniones, quia non ſolum contrariatur Fidei, ſed ſubvertit omnia principia Philoſophiæ Moralis. Si enim non ſit liberum aliquid in nobis , ſed ex neceſſitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus & vituperium , circa quæ Philoſophia Moralis conſiſtit . Hujuſmodi autem opiniones, quæ deſtruunt principia alicujus partis Philoſophiæ, dicuntur propoſitiones extraneæ , ſicut nihil moveri , quod deſtruit principia Scientiæ naturalis . Ad hujuſmodi autem poſitiones ponendas inducti ſunt aliqui homines, partim quidem propter proterviam , partim propter aliquas rationes ſophiſticas, quas ſolvere non potuerunt .*

Quibus verbis tam aperte oſtendit S. *Thomas* ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem non tantum a coactione, verùm etiam a neceſſitate , ut de illius mente dubitare velle , idem plane eſſet ac velle , Sole in meridie coruſcante , tenebras quærere . Hanc Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam amplexi Summi Pontifices S. *Pius V.* & *Gregorius XIII.* hunc errorem de neceſſitate peccandi inducta in ſtatu naturæ lapſæ, & ex peccato originali profecta, damnarunt in *Michaele Bajo*, qui iſtum errorem ante *Janſenium* præformaverat, ſicut conſtat ex hac *Michaelis Baji* Propoſitione ab iiſdem (mox a me laudatis) Summis Pontificibus confixa, & his verbis concepta : *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod vitare non poteſt.*

Hanc Cenſuram , ab iſtis Summis Pontificibus in *Michaelem Bajum* diſtrictam, ut declinare & a ſe amoliri poſſit *Janſenius*, reſpondet cap. 25. libri 4. *De ſtatu naturæ lapſæ*, doctrinam ſuam non eſſe comprehenſam in hac *Michaelis Baji* Propoſitione ab his Summis Pontificibus proſcripta: ſed preſtatæ *Janſenium* eoloci pro ſe perorantem auſcultare. *Neceſſitas enim peccandi*, inquit, *a nobis tradita , ſolum eſt neceſſitas in genere, ex qua fit ut non poſſint homines agere ante gratiam, niſi male. Hæc autem non impedit , quominus in peccatis ſingularibus perpetrandis liberam & indifferentem ad faciendum, vel abſtinendum habeant voluntatem.*

Quo vero in ſenſu hanc peccandi in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem in genere intelligat *Janſenius*, paulo ante , hoc eſt, cap. 19. ejuſdem libri exponit his verbis: *Hæc neceſſitas , Quam Auguſtinus peccato* (Adami) *advectam eſſe profitetur , quod liberum arbitrium ita rerum terrenarum cupiditate captivum ſit , antequam Fide createris charitateque liberetur, ut quoquo verſum ſe ſe verterit, in genere neceſſe ſit illud male agere; ſic tamen ut in ſingulari nullum peccatum perpetret , quin ab eo poſſit abſtinere; ſed ab illo abſtinendo in aliud incidat, quod ſimiliter aliud faciendo , cavere potuiſſet. Hæc neceſſitas peccandi in genere duntaxat , non ſingula peccata in particulari reſpicit, nec illam liberæ voluntatis indifferentiam tollit, quam Scholaſtici recentiores poſtulant. Similem enim neceſſitatem omnes ponunt in Deo , Angelis , & beatis hominibus reſpectu boni ; & janiores etiam in Dæmonibus , damnatiſque hominibus reſpectu mali ; cum tamen ſingulos actus bonos Deus , Angeli Beatique libera voluntate faciant, ac Dæmones , damnatique malos . Ita quippe faciunt & illi opus bonum , & iſti malum , ut non ſolum illud non fa-*

cere poſſint, *ſed etiam aliud alterius rationis facere*. Hactenus *Janſenius*, qui in ſpeciem profiteri videtur, ſe admittere duntaxat in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi in genere, ſeu neceſſitatem, quam alibi vocat, *ſpecificationis*, ſed non admittere in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi in particulari, ſeu neceſſitatem *exercitii*; immo, aſſerit *Janſenius*, ſe ultro agnoſcere cum Theologis recentioribus, humanam voluntatem in ſtatu naturæ lapſæ ad hoc, vel illud peccatum in particulari perpetrandum, eſſe liberam, eamque in ſingulis peccatis in particulari habere indifferentiam exercitii & contradictionis, ita ut ab illis vere abſtinere poſſit, ſi velit.

Verùm, in hac Reſponſione non ſibi conſtat *Janſenius*. Docet enim pluribus in locis, *liberum* in ſtatu naturæ lapſæ idem eſſe ac *voluntarium deliberatum*, quod ſtat cum neceſſitate bene aut male operandi; quia voluntarium deliberatum, quamvis liberum ſit a coactione (ut fatentur omnes Theologi) non tamen liberum eſt a neceſſitate; ergo, juxta principia doctrinæ *Janſenii*, homo in ſtatu naturæ lapſæ, dum hoc, vel illud perpetrat peccatum, neceſſitatur ad peccandum non ſolum in genere, ſed etiam in particulari, videlicet ad hoc, vel illud peccatum.

Præterea, hoc eſt præcipuum ac velut unicum totius doctrinæ *Janſenii* fundamentum, in hoc ſitum, quod, ſicut homo, in ſtatu naturæ lapſæ motus cæleſti delectatione, gradibus cupiditatis ſuperiori ac relative victrici, neceſſitatur ad hoc, vel illud bonum in particulari agendum, ita ut ſub imperio cæleſtis illius delectationis non retineat potentiam proximam, expeditam, & relativam ad actum oppoſitum, ita aſſerit *Janſenius*, hominem, in ſtatu naturæ lapſæ motum terrena delectatione, quæ ſuperior eſt delectatione cæleſti, neceſſitari ad hoc, vel illud peccatum in particulari committendum; ita ut, dominante terrena illa delectatione, homo in ſtatu naturæ lapſæ non habeat potentiam proximam, expeditam, & relativam ad actum oppoſitum, ſicut fuſe oſtendam in his, quas ad te ſcribam, Epiſtolis, & in quibus doctrinam *Janſenii*, & quantum ad ejus principia, & quantum ad illius conſecutiones data opera impugnabo; igitur juxta doctrinam *Janſenii*, homo in ſtatu naturę lapſę neceſſitatur ad peccandum non ſolum *in genere*, ſeu *neceſſitate ſpecificationis*; ſed etiam *neceſſitate exercitii*, hoc eſt neceſſitatur in particulari ad hoc videlicet peccatum perpetrandum.

Denique, quamvis darem, *Janſenium* admiſiſſe duntaxat in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi in genere, non vero in particulari; contendo attamen, *Janſenium*, hoc in errore verſantem, eadem cenſura percelli, qua Summi Pontifices S. *Pius V.* & *Gregorius XIII.* proſcripſerunt *Michaelem Bajum*. Ratio in promptu eſt, quia *Janſenius*, ad probandum, invectam eſſe ex peccato Adami neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, eadem ſtatuit principia, quibus *Michael Bajus* probabat, inductam eſſe ex peccato Adami neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ; ex quibus principiis conſtat, *Michaelem Bajum* non aliam agnoviſſe neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, præter illam peccandi in genere neceſſitatem, quam totis ingenii ſui viribus *Janſenius* in libris 3. & 4. *De ſtatu naturæ lapſæ* propugnat; non ergo *Janſenius* a cenſura, quam contra *Michaelis Baji* errorem de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ tulerunt Summi Pontifices S. *Pius V. Gregorius XIII.* ſuam doctrinam expedire poteſt.

Hanc *Michaelem Bajum* inter & *Cornelium Janſenium* conſenſionem circa hunc errorem de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, facile intelligere poteris ex mutua illa, quam hic ſubjicio, utriuſque Auctoris principiorum collatione. In primis ideo *Janſenius* propugnat, liberum hominis arbitrium, antequam per Gratiam Chriſti liberetur, peccare in genere, ſeu ſemper peccare quidquid agat, quia (inquit *Janſenius*) cum homo ante Gratiam ſit ſervus peccati, neceſſe eſt, ut, quidquid agit antequam recipiat Gratiam, peccatum ſit. Quam rationem late proſequitur *Janſenius* cap. 3. & 4. lib. 3. *De ſtatu natu-*

naturæ lapſæ; At, eodem fundamento neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ ſuperſtruit *Michael Bajus*, ex cujus Scriptis hanc excerptam propoſitionem damnarunt prælaudati Summi Pontifices: *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt*.

Secundò, peccandi in genere neceſſitatem probat *Janſenius* cap. 9. 10. 11. & 12. libri 3. *De ſtatu naturæ lapſæ*, quia liberum arbitrium, antequam per Chriſti Gratiam ſanetur, non valet ad ullum peccatum vitandum: Atqui *Bajus*, eodem fultus fundamento, baſim velut immobilem totius ſuæ doctrinæ adſtruit, indeque ex ejus Scriptis excerpta eſt iſta Propoſitio, quæ a Summis Pontificibus proſcripta eſt: *Pelagianus eſt error, dicere quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*.

Tertiò, hanc peccandi in genere neceſſitatem cap. 15. 16. & 17. ejuſdem libri 3. *De ſtatu naturæ lapſæ* probat *Janſenius*, quia nullum opus bonum Legis fieri poteſt ſine Gratia & Charitate. At id ipſum eſt doctrinæ *Michaelis Baji* fundamentum, & ea de cauſa hanc inter alias ipſius propoſitiones damnarunt Summi Pontifices: *Non eſt vera Legis obedientia, quæ fit ſine charitate*.

Quartò, errorem ſuum de neceſſitate peccandi cap. 18. ejuſdem libri 3. *De ſtatu naturæ lapſæ* ex eo potiſſimum confirmat *Janſenius*, quod homo ante Gratiam & Charitatem ſervit dominanti cupiditati: Sed eſt illa itidem potiſſima *Michaelis Baji* Propoſitio, a Summis Pontificibus confixa: *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati*.

Quintò, neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ cap. 19. ejuſdem libri *De ſtatu naturæ lapſæ* ex eo etiam probat *Janſenius*, quod cum omnis creaturæ amor ſit, vel laudabilis charitas, vel culpabilis cupiditas, nullumque inter utramque admittat medium; neceſſe eſt, ut quidquid agit homo ante Gratiam ſit peccatum: At idem planè docet *Michael Bajus*, cujus hæc Propoſitio fuit a Summis Pontificibus pariter damnata: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur; quæ a Joanne prohibetur; aut eſt laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum diffuſa, Deus amatur*.

Sextò, neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ probare quoque nititur *Janſenius* cap. XI. ejuſdem libri *De ſtatu naturæ lapſæ*, quia (inquit) nulla, quantumvis levis tentatio ſuperari poteſt abſque Gratia & Charitate, quam proinde cum non habeat homo ante Gratiam, ſemper tentatione vincitur, & peccat. Atqui iſtud *Janſenii* principium in hac damnata *Michaelis Baji* Propoſitione continetur: *Ii fures ſunt & latrones, qui docent, tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur*.

Septimò, neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ *Janſenius* cap. 22. & 23. ejuſdem libri hinc probare contendit, quod homo de ſe, & ante Gratiam, non habeat niſi peccatum, & peccandi facultatem; ſed idem conceptis verbis docet *Michael Bajus*, ut liquet ex iſta Propoſitione, ſub ipſius nomine damnata: *Liberum arbitrium, ſine Gratiæ Dei adjutorio, non niſi ad peccandum valet*.

Octavò, eundem errorem de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ *Janſenius* a cap. 1. libri quarti, *De ſtatu naturæ lapſæ* uſque ad caput 18. probandum ſuſcipit, hoc uno fretus principio quia ſcilicet quidquid ſine Fide, quæ per dilectionem operatur, homo facit, neceſſario peccatum eſt. Atqui *Michael Bajus*, eidem adhærens principio, admittit in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi; unde inter alias ſub ejus nomine damnatas Propoſitiones hæc cenſetur: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia*.

Nonò, neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ *Janſenius cap.* 19. ejuſdem libri *De ſtatu naturæ lapſæ* probat, quia (inquit) ſufficiens libertas ad peccandum in ſtatu naturæ lapſæ conſiſtere poteſt cum peccandi neceſſitate; atqui idem docebat *Michael Bajus*, ut conſtat ex iſta Propoſitione, quam ſub ipſius nomine Summi Pontifices anathemate perculerunt: *Quod voluntarie fit*, *etiamſi*

etiamſi neceſſario fiat, *libere*, *tamen fit*.

Decimò, *Janſenius* cap. 20. 21. 22. & 23. ejuſdem libri quarti *De ſtatu naturæ lapſæ*, probat, dari in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi, quia (inquit) ad peccandum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione. Qua in re *Janſenio* prævivit *Michael Bajus*, ut videre eſt in hac Propoſitione, quam ex ejus Scriptis depromptam damnarunt Summi Pontifices: *Is libertatis modus*, *qui eſt a neceſſitate*, *ſub libertatis nomine*, *non reperitur in Scriptura*.

Denique, *Janſenius*, ut adſtruat dari in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi invectam ex primigenia Adami culpa, docet cap. 2. & 4. lib. 2. *De ſtatu naturæ lapſæ*, dogma Fidei eſſe ab antiquis Patribus, præſertim S. *Auguſtino* traditum, *ignorantiam etiam*, *quæ neceſſitatis eſt*, *non voluntatis*, *hoc eſt*, *ignorantiam invincibilem*, *non excuſare a peccato*, *hominemque in ſtatu naturæ lapſæ in eo peccare*, *quod neque ſcit*, *neque ſcire potuit*, *nec voluntate ſua ſive volente*, *ſive torpeſcente*, *talis ignorantiæ cauſam dedit*. In hunc palmarem errorem impegiſſe *Janſenium*, ut alium de neceſſitate peccandi inducta ex peccato originali errorem propugnaret, opportunius oſtendam in Epiſtolis, quas ad confutandos *Janſenii* errores ad te deinceps ſcribam; ibidemque evidentiſſime commonſtrabo, hunc *Janſenii* de ignorantia invincibili in ſtatu naturæ lapſæ non excuſante a peccato errorem, quem antehac præformaverat *Michael Bajus*, rejici ac, diris devoveri ab omnibus Thomiſtis, utpote damnatum a Summis Pontificibus S. *Pio V.* & *Gregorio XIII.* qui inter 79. *Michaelis Baji* Propoſitiones, tanquam *hæreticas*, *erroneas*, *ſcandaloſas*, *& in pias aures offenſionem immittentes*, damnatas; hanc ſequentem proſcripſerunt: *Infidelitas negativa* (quæ proinde invincibilis eſt) *in his*, *quibus Chriſtus non eſt prædicatus*, *peccatum eſt*. Utrumque igitur *Janſenii* errorem, videlicet *de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ*, *profecta ex peccato originali*; nec non *de ignorantia invincibili in ſtatu naturæ lapſæ non excuſante a peccato*; utrumque, inquam, *Janſenii* errorem damnant & execrantur omnes ad unum Thomiſtæ.

Patet itaque ex his, quæ hactenus dixi, eadem eſſe *Michaelis Baji*, & *Cornelii Janſenii* fundamenta, quibus neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ ambo pro viribus probare nituntur. Cum ergo tam de *Baji*, quam de *Janſenii* doctrinæ ſenſu judicandum ſit ex his, quæ ad eam ſtabiliendam jaciunt fundamentis; manifeſtum eſt, non aliam eſſe *Janſenii* doctrinam de neceſſitate peccandi, & *Michaelis Baji*; ſubindeque utramque doctrinam in Summorum Pontificum Diplomatibus fuiſſe proſcriptam.

III. Jam vero mihi contra Patrem *Danielem* oſtendendum incumbit, hunc *Baji* & *Janſenii* errorem de neceſſitate peccandi in genere, in ſtatu naturæ lapſæ inducta ex peccato Adami; non ſolum rejici ab omnibus Thomiſtis, verum etiam bene multis, iiſque peremptoriis confutari argumentis.

At enim, inquiunt primo Thomiſtæ, ſi homo in ſtatu naturæ lapſæ ante Gratiæ ſuſceptionem neceſſitaretur ad peccandum in quocunque actu, adeo ut ipſi ſola ineſſet facultas perpetrandi unum peccatum, potius quam alterum; vel commitendi peccatum aut gravius, aut levius; conſequens eſſet, hominem non eſſe puniendum, quia ſimpliciter peccat, ſed quia peccando, gravius peccatum perpetrat, quod vitare potuiſſet incidendo in levius: Atqui falſum omnino eſt, non puniri hominem, quia ſimpliciter peccat, ſed duntaxat quia gravius peccat; non habet igitur homo in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi in genere. Conſecutio majoris Propoſitionis evidens eſt; cum enim homo non ſit vituperio dignus, dum id facit quod vitare non poteſt, certè ſi homo non poteſt vitare peccatum in genere, non damnabitur quia abſolute peccavit, ſed ſolum punietur, quia gravius peccatum commiſit, a quo ipſi liberum erat abſtinere incidendo in levius; atque ita conſequens erit, non eſſe puniendum hominem, ſic neceſſi-

Digitized by Google

ceſſitate compulſum ad peccandum in genere, ſi peccatum levius in genere peccatorum mortalium perpetret, cum illud minimum ſit inter peccata, quæ generica illa neceſſitate peccandi perpetrare neceſſario debet, quodque vitare non poteſt, niſi incidat in gravius peccatum.

Præterea, inquiunt Thomiſtæ, poſt S. Doctorem Angelicum (cujus egregium teſtimonium ſuperius laudavi) ſi homo ante gratiam fatali peccandi neceſſitate in genere teneretur in ſtatu naturæ lapſæ, nullus locus eſſet in ſtatu naturæ lapſæ adhortandi hominem ne peccaret, ſed duntaxat eſſet admonendus, ut leviora peccata in genere mortalium perpetraret, abſtinendo a gravioribus; cum enim homo in ſtatu naturæ lapſæ (juxta *Bajum*, & *Janſenium*) hanc duntaxat libertatem habeat vitandi unum peccatum per aliud, & abſtinendi a graviori peccato, incidendo in levius, nec ipſi integrum ac liberum ſit ſimpliciter a quocumque abſtinere peccato, omni procul dubio inutile prorſus eſſet eum adhortari, ut abſtineat a quocumque peccato.

Tertiò, Dæmones, qui, juxta *Baji*, & *Janſenii* doctrinam, eamdem habent peccandi neceſſitatem in genere, qualem in hominibus in ſtatu naturæ lapſæ ante ſuſceptionem Gratiæ propugnant duo illi damnati Scriptores, non amplius eo in ſtatu damnationis demerentur; alioqui, ſi in hoc damnationis ſtatu demererentur, perpetuò eorum pœna augeretur, quod tamen negant omnes Theologi. Quod igitur Dæmones in ſtatu damnationis non amplius demereantur, etiamſi continuo peccent; nulla efficacior poteſt afferri ratio, niſi qui Dæmonum peccata, quæ generica illa neceſſitate committunt, non ſunt ſufficienter libera; præter quam quod etiam non ſunt amplius in ſtatu viæ, ſed in termino, ubi nec merito, nec demerito ullus locus relinquitur; ergo homines ante Gratiam non tenentur fatali illa neceſſitate generica peccandi, quæ ad demerendum non ſufficit, cum certum ſit, homines in ſtatu naturæ lapſæ per quodcumque peccatum mortale demereri.

Quartò; docent Thomiſtæ contra *Janſenium*, homines ante Fidem poſſe aliqua bona opera ordinis naturalis, immo opera moraliter bona edere, damnantque *Michaelem Bajum*, quod velit omnia hominum opera ante Gratiam ſanctificantem eſſe peccata, igitur ante Gratiam non neceſſitatur homo in ſtatu naturæ lapſæ ad peccandum in genere, ſeu non omnis actio hominis ante Fidem & Gratiam ſanctificantem eſt peccatum, ſicut falſo aſſerunt *Bajus*, & *Janſenius*,

Quintò, oſtendunt Thomiſtæ, exempla quæ adducit *Janſenius*, ut probet dari in ſtatu naturæ lapſę neceſſitatem peccandi in genere, nihil omnino ad rem præſentem facere. Nam neceſſitas peccandi in genere, quæ eſt in Dæmonibus provenit ſolum ex abſoluta obfirmatione in malo; ſicut etiam neceſſitas bene agendi in genere, quæ erat in Chriſto, & quæ nunc eſt in Angelis, hominibuſque beatis, oritur ex perfectiſſima confirmatione in bono: Atqui peccator, quamdiu eſt in ſtatu viæ, non eſt obfirmatus in malo, ergo non habet neceſſitatem illam peccandi in genere, ſubindeque ex his exemplis perperam colligit *Janſenius*, dari in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi in genere.

Sextò, probant Thomiſtæ contra *Bajum*, & *Janſenium*, errare illos qui dicunt, dari in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi in genere, & tamen homini peccatum juſte imputari, quia a peccato abſtinere fuit homini liberum in Adamo, quamvis poſt peccatum Adami, & in ſtatu naturæ lapſæ a peccato abſtinere non ſit amplius homini liberum; hos, inquam, qui ſic ſentiunt, errare, duobus potiſſimum momentis probant Thomiſtæ. Primò, quia inde ſequeretur, motus improviſos, quos Theologi vocant *motus primo primos*, vera eſſe peccata; ab his quippe abſtinere nobis liberum fuit in Adamo: Atqui, in confeſſo eſt apud omnes Theologos, illos improviſos motus, ſeu *motus primo primos*, non eſſe, defectu ſufficientis libertatis, peccata; igitur, ea libertas in cauſa, ſeu in Adamo, non ſufficit, ut peccatum homini in ſtatu naturæ lapſæ im-

imputari poſſit. Præterea (inquiunt Thomiſtæ) peccatum actuale debet eſſe liberum libertate perſonæ, cum ſit peccatum perſonale; ergo, ut peccatum imputetur homini in ſtatu naturæ lapſæ, non ſufficit ut ſit voluntarium & liberum in cauſa, ideſt, in Adamo, atqui originale peccatum, ex quo neceſſitas illa peccandi in genere (juxta *Bajum*, & *Janſenium*) ſubſecuta eſt in ſtatu naturæ lapſæ, non eſt voluntarium & liberum voluntate & libertate perſonæ, ſed tantum liberum & voluntarium libertate & voluntate naturæ. Non ergo ſufficit libertas in peccato originali, ſeu libertas in Adamo, ut peccatum perſonale imputetur homini in ſtatu naturæ lapſæ.

Septimò, Thomiſtæ negant, invectam eſſe ex peccato Adami in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi in genere, quia docent, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, ſive ad merendum, ſive ad demerendum, hoc eſt, ad bene vel male agendum, ſervare ſemper indifferentiam activam, indifferentiam itidem judicii rationis, & potentiam veram, activam, completam, proximam, & expeditam ad actum oppoſitum. Id autem aperte inficiantur *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli; quippe qui, cum velint & doceant, hominem in ſtatu naturæ lapſæ ad merendum, ſeu ad bene agendum, trahi invincibili & ineluctabili motione delectationis cæleſtis, quæ ſuperior eſt delectatione terrena, quæque ſe ſe tenet ex parte potentiæ; velint nolint fateri tenentur, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, dum meretur, ſive dum bene operatur, non habere libertatem, quæ excludat neceſſitatem ſimplicem, voluntariam, tranſeuntem, ac mutabilem; quamvis non negent, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, dum meretur, ſive dum bene operatur, conſervare libertatem, quæ excludat neceſſitatem a coactione, vel neceſſitatem ſimplicem perpetuam & immutabilem, quia (inquiunt *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli) voluntas hominis in ſtatu naturæ lapſæ flexibilis eſt ab bonum & malum, utpote quæ alternatim moveri poteſt modo ab inſuperabili delectatione cœleſti ſuperiori delectatione terrena; modo ab ineluctabili delectatione terrena, quæ ſit ſuperior delectatione cæleſti. Hoc in ſenſu voluntas hominis in ſtatu naturæ lapſæ, juxta *Janſenium*, ejuſque Diſcipulos, flexibilis eſt ad bonum & malum, ſubindeque libertatem habet, quæ excludit quidem neceſſitatem ſimplicem, perpetuam & immutabilem) qualis neceſſitas reperitur in Deo, in Chriſto, & in beatis ad bene agendum, & in damnatis ad male agendum) ſed quæ non excludit neceſſitatem ſimplicem, voluntariam, ac tranſeuntem. Hanc eſſe germanam *Janſenii* mentem patet ex ipſius verbis, quę leguntur lib. 6. *De Gratia Chriſti* cap. 34. ubi hæc habet: *Hominum viatorum non ſolum coactionis expertem eſse libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis voluntarię, hoc eſt, ad utrumque indifferentem* (hoc eſt, flexibilem) *fatemur perlibenter*.

Denique pertendunt Thomiſtæ, *Janſenium* ex *Calvino*, aliiſque Hæreticis mutuatum fuiſſe hunc errorem de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ invecta ex peccato Adami. Hujus conſonantiæ, quæ hac in re *Janſenium* inter & *Calvinum*, alioſque Hæreticos reperitur, ſpecimina quædam hic duntaxat delibabo ex iis, quæ *Stephanus Dechamps*, elegentiſſimus Societatis Jeſu Theologus, ex *Calvino*, & ejus ſequacibus annotavit in libro, quem edidit *De Hæreſi Janſeniana*. In primis, *Hieronymus Zanchius*, hæreſiarchæ *Calvini* diſcipulus, cap. 6. lib. 2. *Tractatuum Theologicorum*, ad iſtam objectionem, quam his verbis proponit: *Precepta Dei ſunt homini poſſibilia ad ſervandum, alioqui Deus foret inſipiens, immo tyranno ſimilis, ſi impoſſibilia pręciperet*; ad hanc, inquam, ſibi propoſitam objectionem ſic reſpondet ille hæreticus: *Nihil ſimpliciter & per ſe impoſſibile pręcipit Deus: nam vires dederat homini* (ideſt, Adamo innocenti) *quibus omnia Dei mandata ſervare potuiſset, ſi voluiſset. Quod igitur fiant impoſſibilia homini corrupto* (ideſt, in ſtatu naturæ lapſæ) *hoc eſt, ex accidenti*. Eadem habet *Beza*, alter *Calvini* diſcipulus,

bene

bene multis in locis, ſed potiſſimum lib. *De Prædeſtinatione contra Caſtellionem* pag. 414. & 415. Eidem errori firmiter adhæſit *Petrus Molinæus*, Calvini itidem diſcipulus, in eo, quem concinnavit, libro, cuique titulus eſt; *Clypeus Fidei*, Art. 9. ubi hæc habet: *Lex Dei non eſt virium noſtrarum argumentum, ſed officii noſtri: nec qui petit ab aliquo quod ſibi debet, injuſtus eſt, licet debitor culpa ſua ſolvendo non ſit; ſic habet in præſenti negotio: Deus enim creaverat hominem juſtum, eique liberum arbitrium dederat, quo bonum eligere, & malum repudiare poſſet. Jam vero ſi ille culpa ſua divinæ legis implendæ facultatem amiſit, an Deus injuſtus eſt, qui ab illo petit quod debet?* Hos hæreticos, *Calvini* diſcipulos, ſectatur *Albertus Gravetus*, magni apud Lutheranos nominis, Art. 18. *De Libero Arbitrio*, ubi mentem ſuam aperit his verbis: *Nullius pili eſt, quod Pontificii* (ideſt, Catholici) *urgere ſolent, Deum non præcipere impoſſibilia: Licet enim lex homini jam per lapſum Adæ corrupto ſit impoſſibilis; tamen ante corruptionem erat poſſibilis; juſte igitur Deus hoc ab homine per legem exigere poteſt, quod homo per lapſum Adæ injuſte amiſit.*

Poſſem hìc facilè citare alios, præſertim ſectæ Calvinianæ hæreticos, videlicet *Chamierum*, *Paræum*, *Scarpium*, ex quibus *Janſenius*, & Janſeniſtæ, ſicut evidenter oſtendit ſupra laudatus *Stephanus Dechamps* in ſuo libro *De Hæreſi Janſeniana*, ſuos hauſerunt errores, præcipue de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ profecta ex peccato Adami, ſed ne in præſentiarum in his percenſendis tibi faſtidium creem, commodius in aliis Epiſtolis (quas ad impugnandos *Janſenii* errores aliquando ad te ſcribam) hanc conſonantiam doctrinæ *Janſenii*, & Janſeniſtarum, cum erroribus *Lutheri*, *Calvini*, & utriuſque hæreſiarchæ Aſſeclarum in propatulo ponam, indeque, ut confido, nullo negotio intelliges, *Janſenium* plus S. *Auguſtinum* in *Luthero*, *Calvino*, eorumque Sectariis, quam in ipſo S. *Auguſtino* legiſſe, ſubindeque vaſtum illud *Janſenii* volumen, non tam diuturnæ Auguſtinianæ, ſicut falſo *Janſenius* gloriatur, quam illorum Hæreticorum Operum lectionis partum exiſtere; ſicque *Janſenium* inſignem hæreticorum plagiarium eſſe, quorum exuviis, hac illac corraſis, immenſum ſuum Opus a capite ad calcem infarcivit. Propter has, & alias id genus rationes docent Thomiſtæ, jure optimo *Alexandrum VIII.* Pontificem Maximum, proſcripſiſſe die 7. menſis Decembris anni 1690. hanc Propoſitionem, quæ eſt prima inter 31. & his verbis concepta eſt: *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum mortale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato Originali, & voluntate Adami peccantis.* Non poterat ſane Summus ille Pontifex luculentioribus verbis damnare doctrinam, quam ipſe hactenus in *Janſenio*, & Janſeniſtis, exagitavi.

Sed de neceſſitate pecandi, quam *Janſenius*, una cum *Michaele Bajo* in ſtate naturæ lapſæ admiſit, plura opporruniori loco dicam, ſive in his Epiſtolis, in quibus quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones juſta de cauſa fuiſſe ab Eccleſia profligatas commonſtrabo. Hæc autem, quæ hactenus diximus, abunde ſufficere debent ad purgandos & vindicandos Thomiſtas ab hac calumnia, quam illis impegit Pater *Daniel*, dictitans, eos, unà cum *Janſenio*, docere, liberum hominis arbitrium per culpam Adami fuiſſe penitus extinctum; & dari in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi.

IV. Verum, quamvis Thomiſtæ tanquam Catholicum Fidei dogma conſtanter propugnent, liberum hominis arbitrium non fuiſſe per Adami culpam extinctum, ſubindeque deteſtentur *Michaelis Baji*, & *Cornelii Janſenii* de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ perniciosum errorem; docent attamen Thomiſtæ, liberum hominis arbitrium per culpam Adami fuiſſe ſauciatum, fractum ac debilitatum; hominem, peccante Adamo, non ſolum donis gratuitis ſpoliatum eſſe, ſed etiam in naturalibus facultatibus fuiſſe vulneratum. Hæc quippe quatuor vulnera, videli-

cet, *concupiſcentiam*, *malitiam*, *ignorantiam*, & *infirmitatem*, humanæ naturæ per peccatum originale fuiſſe illata probat Angelicus Doctor 1. 2. Quæſt. 85. Art. 3. hac ratione: Per juſtitiam originalem, quam habebat Adamus antequam peccaret, perfectè ratio continebat vires inferiores animæ, & ipſa ratio a Deo perficiebatur, ei ſubjecta. Hæc autem originalis juſtitia ſubtracta eſt per peccatum primi parentis, ideo omnes vires animæ manent quodammodo deſtitutæ proprio ordine; & iſta deſtitutio dicitur vulnus naturæ. Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ poſſunt eſſe ſubjecta virtutum, ſcilicet *Ratio*, in qua eſt prudentia; *Voluntas*, in qua eſt juſtitia; *Iraſcibilis*, in qua eſt fortitudo; *Concupiſcibilis*, in qua eſt temperantia. In quantum ergo *Ratio* deſtituitur ſuo ordine ad verum, vulnus eſt ignorantiæ; in quantum *Voluntas* deſtituitur ſuo ordine ad bonum, vulnus eſt malitiæ; in quantum *Iraſcibilis* deſtituitur ſuo ordine ad arduum, eſt vulnus infirmitatis; denique, in quantum *Concupiſcibilis* deſtituitur ſuo ordine ad delectabile moderatum ratione, eſt vulnus concupiſcentiæ.

Hæc porro quatuor vulnera, quæ per peccatum Adami naturæ humanæ fuiſſe inflicta docet S. *Thomas*, multum debilitarunt liberum hominis arbitrium propter pronitatem, quam inde contraxit ad malum, & gravem difficultatem, quam experitur, operandi bonum. Quanta eſſet hominum, poſt peccatum Adami & ante legem *Moyſi* a Deo datam, infirmitas faciendi bonum, & proclivitas operandi malum, certe docet nos diuturna illa, ante legem Moſaicam, ſcelerum, flagitiorum, & idololatricarum ſuperſtitionum experientia, longo ſæculorum uſu, & quaſi totius mundi contagione comprobata. Quanta etiam eſſet Judæorum ſub lege Moſaica facilitas peccandi, obmurmurandi contra Deum, & ad idololatricos cultus ſe ſe convertendi, facilè intelliges; ſi prædictam Gentem Judaicam per ſingulas rerum ſuarum vices oculis conſecteris, univerſaque populi Iſraelitici Geſta, ſervato temporum ordine, perluſtres, ſive ſub regimine *Moyſis*, & *Joſue*, ſive dum *Judicibus* uſus eſt ille populus, ſive cùm Regibus, aut aliis Principibus paruit, in proſpera fortuna, aut in adverſa; in pace & bello, in præmiis & in pœnis, ubique reperies, populum Judaicum, paucis exceptis, fuiſſe duræ cervicis, pluribus vitiis deditum, & fidei datæ, atque miraculorum & beneficiorum Dei planè immemorem. Sed, quid dicam de hominibus ſub Lege Gratiæ conſtitutis? Numquid & nos, velimus nolimus, experimur quotidie pugnam & conflictum paſſionum inter ſe tumultuantium, perduellis concupiſcentiæ æſtum, renitentiam ad bonum, Legem in membris noſtris repugnantem Legi mentis noſtræ? Numquid ſentimus innumeras cogitationes improviſo offuſas, quæ mentem animumque confundunt; & ad ſecularia trahunt deſideria? Numquid denique portamus illud *grave jugum*, quod (ut ait ſacer Auctor libri Eccleſiaſtici cap. 40.) eſt *ſuper filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ, in matrem omnium*?

Quæ cum ita ſint, negari non poteſt, hominem per peccatum Adami fuiſſe, non ſolum donis gratuitis privatum, ſed etiam in ſuis facultatibus naturalibus vulneratum; proindeque ejus liberum arbitrium manſiſſe debilitatum atque extenuatum. Illud dogma, tam in antiquis Conciliis, quæ contra Pelagianos, peccatum originale negantes, fuere celebrata, declaratum eſt, quam in aliis Conciliis, Valentino, Moguntino, ſed præſertim Arauſicano ſecundo, & Oecumenico Tridentino, in cujus Seſſione v. *De peccato Originali* decretum eſt, hominem per prævaricationis Adami offenſam, tam ſecundum corpus, quam ſecundum animam, in deterius fuiſſe commutatum; & Seſſ. vi. cap. 1. declarat liberum arbitrium, minime extinctum fuiſſe viribus licet attenuatum & inclinatum.

Rejici itaque debet nova ac peregrina opinio *Molinæ*, qui Quæſt. 14. ſuæ *Concordiæ*, Art. 13. Diſput. 3. Parag.

Ter-

Tertius ſtatus in quo, & Parag. immediate ſequenti, incipiente: *Illud vero*, necnon in principio Quæſtion. 23. ejuſdem *Concordiæ* Art. 4. & 5. Diſput. 5. Membro 9. docet, genus humanum, per peccatum Adami fuiſſe quidem ſpoliatum donis gratuitis, ſed non vulneratum in facultatibus naturalibus: Vires naturales in ſtatu naturæ lapſæ tales remanſiſſe, nec minores ac debiliores evaſiſſe, quam fuiſſent in ſtatu naturæ puræ. Huic *Molinæ* opinioni, ſuffragantur Gabriel Vaſques in 1. Tomo in 1. 2. Diſput. 138. cap. 2. & alii Societatis Jeſu Scriptores, quos citat noſter *Thomas de Lemos* ſecunda parte Tomi 1. *Panopliæ Gratiæ* Tract. 1. *De læſione Liberi Arbitrii per peccatum Originale*, cap. 1. Hæc, inquam, *Molinæ* opinio proſus rejici debet; primò quia hominem per peccatum originale non ſolum fuiſſe ſpoliatum donis gratuitis, verum etiam fuiſſe in ſuis facultatibus naturalibus vulneratum, palam declarat Parabola illa Evangelica hominis deſcendentis ab Jeruſalem in Jerico, qui incidit in latrones, a quibus non tantum ſpoliatus, ſed etiam vulneratus eſt, ac ſemivivus relictus. Hinc illæ voces Prophetæ: *Sana animam meam, quia peccavi tibi*. Quæ verba explicans S. *Auguſtinus*, ait: *Quid ſanatur, ſi nihil eſt vulneratum, nihil ſauciatum, nihil debilitatum?* Ad ſananda etiam vulnera, nobis per peccatum originale inflicta, ſe veniſſe teſtatur ipſemet Chriſtus Dominus, dicens: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed male habentibus, non veni vocare juſtos, ſed peccatores*, Matth. cap. 9.

Ex quibus verbis ſic argumentum conficio: Longe ſunt minores ac debiliores vires hominis vulnerati, quam hominis nullo vulnere, nullave infirmitate laborantis; atqui homo in ſtatu naturæ puræ (data hypotheſi illius ſtatus) non fuiſſet vulneratus. & verſa vice, homo in ſtatu naturæ lapſæ eſt vulneratus, igitur minores ac debiliores vires habet homo in ſtatu naturæ lapſæ, quam habuiſſet in ſtatu naturæ puræ. Minor propoſitio probatur egregio S. *Auguſtini* teſtimonio, petito ex capite 3. lib. De Natura & Gratia: *Adam ille eſt, quem ſemivivum latrones reliquerunt; qui gravibus ſaucius, confoſſuſque vulneribus, non ita poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere*.

Præterea, ſic argumentor: Homo, qui averſus eſt a Deo ut ultimo fine tam ſupernaturali, quam naturali, vires habet longe debiliores, quam homo, qui ſic a Deo non eſt averſus; atqui homo in ſtatu naturæ puræ non fuiſſet averſus a Deo ut ultimo fine naturali (ſicut docent omnes Theologi) homo vero in ſtatu naturæ lapſæ eſt averſus a Deo ut ultimo fine tam ſupernaturali, quam naturali; quia cùm primus homo non tantum legem ſupernaturalem, ſed etiam naturalem peccando violaverit, non ſolum averſus eſt a Deo ut ultimo fine ſupernaturali, ſed etiam naturali; ita ut hoc in ſtatu naturæ lapſæ impoſſibile ſit ut aliquis a Deo ut fine ſupernaturali, recedat, quin eadem opera ab illo deficiat ut a fine naturali; quia peccatum eſt contra legem naturalem, & contra Deum, ut finem ultimum naturæ. Quo fit ut homo, qui in ſtatu naturæ lapſæ eſt elevatus ad ordinem ſupernaturalem, dum peccat, ſe ſe avertit a Deo ut ultimo fine tam ſupernaturali, quam naturali; ergo homo in ſtatu naturæ lapſæ debiliores habet vires, quam habuiſſet in ſtatu naturæ puræ.

Ultimum argumentum ſic inſtauro: Debiliores ſunt vires eo in ſtatu, in quo homo propriis viribus actum dilectionis Dei ſuper omnia elicere non poteſt, quam illo in ſtatu, in quo hunc actum elicere potuiſſet; atqui homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt (ſicuti poſt SS. Patres *Auguſtinum* & *Thomam* docent omnes Thomiſtæ) propriis ſuis viribus & abſque ſpeciali Dei auxilio actum dilectionis Dei ſuper omnia elicere; & ex adverſo potuiſſet homo in ſtatu naturæ puræ (ſicut fatentur omnes Theologi) elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia, ut Auctoris naturæ, abſque ſpeciali auxilio, ſed duntaxat cum ſolo Dei concurſu generali, qui ei ſemper præſto fuiſſet. Ergo viribus longe debilioribus pollet homo in ſta-

tu naturæ lapſæ, quam præditus fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, ſubindeque repudiare debes *Molinæ*, aliorumque opinionem, aſſerentium, vires naturales in ſtatu naturæ lapſæ tales remanſiſſe, nec minores ac debiliores evaſiſſe, quam fuiſſent in ſtatu naturæ puræ, ſi revera ille ſtatus extitiſſet.

Debes itidem reprobare complures errores a Summis Pontificibus *Alexandro VII. Innocentio XI.* & *Alexandro VIII.* proſcriptos, & non ita pridem invectos a nonnullis laxioribus Theologis, qui (ſicut erudite obſervat noſter *Vincentius Contenſonus* in ſua *Theologia Mentis & Cordis* lib. 2. Differt. 2. cap. 2.) videntes, vires hominis per peccatum Adami eſſe ita fractas & debiles, ut nemo (niſi ſenſus expers) propriæ infirmitatis pondus non experiatur: aliunde vero non admittentes gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, quæ tarda molimina neſcit omneſque obſiſtentes difficultates vincit; ſed talem doceant gratiam verſatilem, quæ voluntatis humanæ conſenſum, per Scientiam mediam a Deo exploratum, expectet; ideo conati ſunt Legem non Gratiæ Divinæ virtuti & efficaciæ, ſed prævili voluntatis humanæ conſenſus infirmitati attemperare, & officiorum noſtrorum rationes non arctis Evangelii ſanctionibus, non omnipotentia Gratiæ Dei per ſe efficacis (per quam Deus facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas) ſed naturæ noſtræ, per peccatum Adami corruptæ, regula plane Lesbia & obliqua, metiti ſunt.

Non ſic profecto Thomiſtæ, non ſic: Hi quippe fideles Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* Diſcipuli ſuæ infirmitatis, quam ex peccato Originali contraxerunt, conſcii, ſpem obſervandi legem & mandata Dei non in propriis viribus ponunt; ſed in Deo, qui per Gratiam ſe ipſa efficacem facit, ut, ſanata infirmitate noſtra, bene operemur, ejuſque mandata obſervemus. Quo fit, ut Thomiſtæ Legem Dei non emolliant, ſed jugibus precibus poſtulent a Deo Gratiam per ſe efficacem, quæ infirmitatem noſtram ſanet, & omnipotenti virtute ſua Legem, quantumvis carni duram, ſpiritui noſtro reddat amabilem. Ait enim *Auguſtinus*: *In eo, quod amatur, non laboratur; aut ſi laboratur, labor ipſe amatur*. Vel, ut inquit Apoſtolus Paulus: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat*; legeſis S. *Auguſtinum*, cap. 17. lib. *De Gratia & Libero Arbitrio*, lib. *De Perfectione juſtitiæ* cap. x. & lib. *De Natura & Gratia* capit. 69.

V. Ex his, quæ de libero hominis arbitrio, per peccatum Adami debilitato, ſed non extincto hactenus dixi, quaſdam deducam conſecutiones, ex quibus intelliges, quid doceat Fides circa liberum hominis arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ; deinde, quid ex ſe, & abſque ſpeciali Gratia Dei poſſit liberum hominis arbitrium in ſtatu naturæ lapſæ, quid vero non poſſit abſque ſpeciali Dei adjutorio.

Primò quidem infero, remanere quoad naturam & eſſentiam in homine lapſo liberum arbitrium, quod nihil aliud eſt, quam facultas ad oppoſita flexibilis, quæ in Scholis appellari ſolet *indifferentia activa*. Hoc liberum arbitrium non tantum in rebus naturalibus, ſed etiam in ſupernaturalibus remanere poſt Adami peccatum definivit Concilium Tridentinum, Seſſione 6. canone quarto: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit; ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit*. Et canone quinto ſic ſancit idem Concilium: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit; aut rem eſſe de ſolo titulo, imo titulum ſine re, figmentum denique a Satana invectum, anathema ſit*.

Secundò infero, fuiſſe jure merito ab Eccleſia damnatos Pelagianos, conjuratos Gratiæ Chriſti hoſtes, qui aſſerebant, hominem habere æquilibrium ad bonum & malum æqualiter per ſolam naturam inclinatum. Hoc quippe Pelagianorum æquilibrium fuit a S. *Auguſtino* confutatum, & a Concilio Tridentino re-

Digitized by Google

rejectum tanquam penitus contrarium Fidei Catholicæ, quæ docet, hominem ſine Gratia nihil poſſe cogitare, aut velle, aut operari in ordine ad vitam æternam. *Si quis dixerit*, ait Synodus Tridentina Seſſ. 6. can. 3. *ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.*

Tertiò infero, errare illos, qui dicunt, hominem, poſt Adami peccatum, habere æquilibrium inclinationis & propenſionis, quo videlicet voluntas humana, hinc inde æqua lance librata, in unam magis quam in aliam partem non propendet nec inclinatur, ſed æqualiter hinc inde afficitur. Hoc certe æquilibrium & Fidei Catholicæ, ut antehac oſtendimus, & experientiæ manifeſto opponitur. Nemo quippe eſt, qui in præſenti ſtatu naturæ lapſæ non experiatur inteſtinam ac domeſticam illam paſſionum luctam, quæ in nobis eſt, carnem inter & ſpiritum; nemo eſt, qui non ſentiat, ſe, gratia ſemel ac charitate deſtitutum, longe magis ad malum, quam ad bonum eſſe propenſum.

Quartò infero, falſum & abſurdum eſſe Syſtema quorumdam, qui pertendunt, actum eſſe de libero arbitrio in ſtatu naturæ lapſæ, niſi homo per Gratiam ſufficientem in æquilibrio ita collocetur, ut, libratis hinc inde ad æqualitatem tum gratiæ tum concupiſcentiæ viribus & gradibus, nulloque pondere graviori in alterutram bilancis partem inclinatus, liber remaneat ac ſui juris. Hoc, inquam, Syſtema non ſolum falſum eſt, utpote quod jam adductis a me momentis, & quotidianæ experientiæ, cujus nobis conſcii ſumus, omnino adverſatur, verumetiam perquam abſurdum eſt; Ex eo enim ſequeretur primò, Gratiam, quam Deus facinoroſis hominibus concedit, eo longe perfectiorem ac cumulatiorem eſſe debere ea Gratia, quam largitur juſtis, quo in ardentiorem cupiditatem, & in multo graviores difficultates ſuperandas impingunt peccatores. Tunc enim, ut in illis peccatoribus ſtaret æquilibrium inter gratiam & concupiſcentiam, deberet Deus, dum in his peccatoribus augetur cupiditas, augere itidem Gratiam; ſicque graviſſimi peccatores majori ac ampliori donarentur Gratia, quam juſti, in quibus non ardet cupiditas. Secundò ſequeretur, peccatorum demerita, ſicut & merita juſtorum ea proportione imminui ac decreſcere, quo magis peccatoris augetur malitia, vel juſti intenditur charitas. Ratio in promptu eſt, quia quo magis creſcit pondus & inclinatio voluntatis ſive ad bonum, ſive ad malum, eo plus minuitur æquilibrium libertatis, ſubindeque minuitur meritum vel demeritum actionis. Quis autem, citra ſummam abſurditatem cum gravi errore conjunctam, dicere poteſt, minus demereri peccatorem, dum in eo creſcit malitia, minuſque mereri juſtum, dum in eo intenditur charitas? Faceſſat itaque iſtud æquilibrium, cujus conſecutiones, omnes Catholici communi ſenſu rejiciunt.

Quintò infero, ad rationem libertatis hominis in ſtatu naturæ lapſæ non requiri, ut homo independenter a Deo ſe determinet; & Dei Gratiam, quam Moliniſtæ verſatilem appellant, ſuo conſenſu reddat efficacem (id enim falſum eſſe jam in ſuperioribus meis Epiſtolis ſat ſuperque oſtendi, probando videlicet Deum per influxum ſuum prævium & phyſicum determinare & applicare omnes cauſas ſecundas, proindeque hominis voluntatem, ad omnes omnino actiones.) Quapropter, dico, ad rationem libertatis hominis in ſtatu naturæ lapſæ requiri duntaxat, ut homo, tanquam cauſa ſecunda ſupremo Dei dominio ſubdita, ſe ſe libere determinet, & ſub Præmotione phyſica, hoc eſt, ſub motione Gratiæ per ſe efficacis, vel ſub motione concupiſcentiæ ſuam retineat indifferentiam activam, ſeu potentiam completam, proximam & expeditam agendi vel non agendi. Id conſtanter docent omnes Thomiſtæ contra *Janſenium*, qui præcipuum doctrinæ ſuæ caput in hoc conſtituit; quod velit, neceſſe eſſe in ſtatu

tu

tu naturæ lapſæ, ut voluntas hominis ſequatur impulſum majoris, ſeu ſuperioris ac relativæ victricis delectationis, ſive cæleſtis, ſive terrenæ; ita ut ei reluctari ac refragari haud poſſit, juxta famoſum iſtud, quod ad nauſeam uſque *Janſenius* obtrudit, effatum: *Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt*.

VI. Nunc tandem ſupereſt, ut ſub finem iſtius Epiſtolæ breviter oſtendam, quid liberum hominis arbitrium, quod per peccatum Adami attenuatum fuit; poſſit in ſtatu naturæ lapſæ facere ſine ſpeciali adjutorio Dei? Quid vero non poſſit? Qua de re late & in decem articulis Quæſtionis centeſimæ nonæ, primæ ſecundæ, diſſerit S. *Thomas*, quem adire poteris; ipſe vero hic rem totam ſummatim perſtringam atque expediam.

In primis, homo in ſtatu naturæ lapſæ poteſt abſque ſpeciali auxilio Gratiæ cognoſcere aliquas veritates naturales *diſtributive*, ſicut, exempli gratia, poteſt ex effectibus creatis aſſurgere ratione naturali ad notitiam exiſtentiæ Dei. *Inviſibilia enim ipſius* (ſeu Dei) *a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur* inquit Apoſtolus cap. 1. Epiſt. ad Romanos. Hinc Sanctus *Thomas*. 1. 2. Quæſt. 109. Art. 1. ait: *Intellectus humanus habet aliquam formam, ſcilicet ipſum intelligibile lumen, quod eſt de ſe ſufficiens ad quædam intelligibilia cognoſcenda; ad ea ſcilicet in quorum notitiam per ſenſibilia poſſumus devenire*. Homo tamen in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt abſque ſpeciali gratia cognoſcere omnes omnino veritates ordinis naturalis collective ſumptas, tum quia *vita brevis eſt, ars longa, occaſio præceps, experientia laborioſa, judicium difficile*. Tum quia etiam intellectus hominis, poſt Adami peccatum, tenebris ignorantiæ haud parum fuit infuſcatus; ejuſque corpus bene multis infirmitatibus obnoxium evaſit. Accedunt etiam innumera pene vitæ civilis officia, impedimenta, curæ domeſticæ, privata faſtidia, naturæ neceſſitates, ſicut ſomnus, cibus, potus, aliaque ingruentia negotia, aut oblectamenta, quibus implicitus homo a ſcientiarum ſtudio avocatur. Addo, plura eſſe naturæ phænomena, quæ licet quotidie oculis noſtris uſurpemus, eorum tamen natura ſic in abſtruſo poſita eſt, ut cognoſci non poſſit, nedum explicari. Quis enim inter Philoſophos, acutiſſimo pollentes ingenio, potuit hactenus certo indicare, & clare exponere naturam Solis, & Lucis, vel aſſignare veram cauſam cur Magnes ad ſe attrahat ferrum? Et cur mare æſtum, ſeu fluxum & refluxum, patiatur? In his & aliis pluribus dignoſcendis naturæ phænomenibus ita cæcutit & caligat ratio noſtra, ut meritò dictum ſit a Poeta: *Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas*.

Secundò, omnes Theologi contra *Janſenium* docent; hominem in ſtatu naturæ lapſæ abſque Fide, quæ eſt virtus Theologica, poſſe aliquod bonum opus morale ordinis naturalis efficere, ſubindeque non omnia opera Infidelium eſſe peccata, quia, ut ait S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 10. Art. 4. *Manifeſtum eſt quod Infideles non poſſunt operari bona opera, quæ ſunt ex Gratia, ſcilicet opera meritoria; tamen bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, aliqualiter operari poſſunt. Unde non oportet quod in omni ſuo opere peccent*. Hinc jure merito Summus Pontifex *Clemens XI.* in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius* &c. duas iſtas damnavit *Queſnelli* Propoſitiones, quarum prior, quæ eſt ordine XXVI. ſic habet: *Nullæ dantur Gratiæ niſi per Fidem*. Altera, quæ eſt ordine XXVII. concepta eſt his verbis: *Fides eſt prima gratia & fons omnium aliarum*. Docent itidem omnes Theologi contra *Michaelem Bajum*, poſſe hominem abſque Gratia ſanctificante aliquod bonum opus morale ordinis naturalis edere, adeoque non omnia peccatorum opera eſſe peccata.

Cæterum, an poſſit homo abſque actuali ſpeciali auxilio Gratiæ elicere aliquod bonum opus morale ordinis naturalis, quod ſit bonum ex omnibus circumſtantiis, videlicet tam ex objecto, & ex officio, quam ex intentione finis? Difficultas eſt quę Theologorum diſputationi permittitur. Communior in Scholis ſententia eſt, hominē abſque ſpeciali actuali gratia

poſſe

poſſe aliquod bonum opus morale ordinis naturalis, ſaltem facile, & dum nulla gravis urget tentatio, perficere; quodque bonum ſit non tantum ex objecto, ſed ex intentione finis honeſti. Exempli gratia, poteſt infidelis abſque ſpeciali actuali gratia, honorare parentes ob finem honeſtum, & impertiri pauperi eleemoſynam ad ſublevandam ejus miſeriam. Quæ opera moralia ordinis naturalis erunt bona tam ex objecto, quam ex intentione finis honeſti, modo infidelis ea non referat ad Idolum ſuum, tunc enim ex intentione pravi finis inficerentur, & fierent peccata. Hæc eſt in Scholis communior ſententia. Sunt tamen alii Theologi (quos inter cenſetur *Gabriel Vaſques*, Diſputatione 190. in primam ſecundæ Sancti *Thomæ*) qui docent, nullum opus morale ordinis naturalis, quod ſit bonum ex omnibus circumſtantiis, nimirum ex objecto & ex intentione ultimi finis, fieri poſſe abſque ſpeciali Dei Gratia.

Multum tamen iſti Theologi diſcrepant a damnato *Baji*, & *Janſenii* errore. Cum enim *Bajus*, & *Janſenius*, nullas admittant Gratias ante Fidem, quæ eſt virtus Theologica, quamque volunt eſſe *primam gratiam & fontem omnium aliarum*, ideo dicunt, Infideles, qui Fide carent, non poſſe aliquod morale opus ordinis naturalis, quod ſit bonum ex omnibus circumſtantiis, producere, ſed omnia illorum opera eſſe peccata, & virtutes Philoſophorum eſſe vitia. At *Vaſques*, aliique Theologi, qui ei ſuffragantur, cum agnoſcant, ultroque admittant, etiam ante Fidem, Gratias quaſdam actuales ſupernaturales, quæ ad illam diſponant ac præparent, conſequenter dicunt, Deum concedere interdum Infidelibus ejuſmodi Gratias illas actuales, quarum ope eliciunt aliqua ordinis naturalis opera moralia, quæ bona ſunt ex omnibus circumſtantiis, ſcilicet ex objecto, & fine, quamvis de Fide ſit, ea non eſſe meritoria vitæ æternæ. Hoc pacto *Vaſques*, aliique, qui ejus ſententiæ adhærent, Theologi damnant iſtas *Michaeli Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* Propoſitiones: *Fides eſt prima Gratia: Omnia Infidelium opera ſunt peccata*. Legatur *Vaſques* loco mox a me laudato, ubi hanc ſententiam multis probat argumentis, eamque vindicat ab omni cenſura.

Denique, multa ſunt, quæ in ſtatu naturæ lapſæ, abſque ſpeciali Gratiæ adjutorio, ab homine fieri non poſſe docent unanimi conſenſu omnes Orthodoxi contra Hæreticos Pelagianos & Semipelagianos. In primis, ſine ſpeciali gratiæ interioris adjutorio, neque Fides, neque ipſius initium haberi poteſt. Secundò, ſine ſpeciali Gratiæ interioris adjutorio, nullum poteſt homo bonum opus morale ſupernaturale, pertinens ad ſalutem, velle aut perficere. Tertiò, homo lapſus non poteſt univerſa legis naturæ præcepta obſervare, & adimplere ſine auxilio Gratiæ, nec diligere Deum ſuper omnia, nec graves ſuperare tentationes. Quartò, homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt ſine Gratia præparare ſe ad Gratiam, nec mereri ſine Gratia vitam æternam, nec poteſt ſine adjutorio Gratiæ reſurgere a peccato, nec ſine ſpeciali privilegio vitare omnia peccata venialia. Poſtremo, homo lapſus, quantumvis Gratia ſanctificante exornatus, non poteſt ſine ſpeciali Divinæ Gratiæ adjutorio perſeverare uſque ad vitæ finem in accepta juſtitia, ſed opus habet ſingulari perſeverantiæ dono, quod generalis Synodus Tridentina Seſſion. 6. canon. 16. appellat *magnum perſeverantiæ donum*.

Hæ ſunt, quæ ab homine in ſtatu naturæ lapſæ fieri, aut obtineri non poſſe abſque ſpeciali Dei Gratia, ſæpius Eccleſia Catholica, in Conciliis congregata, juxta Scripturam Sacram, & perpetuam Sanctorum Patrum, præſertim Sancti *Auguſtini*, doctrinam, contra Pelagianos, & Semipelagianos definivit. Conſulere poteris (ſi tibi per otium liceat) Scholæ Thomiſticæ Theologos, qui de his Tractatu de Gratia prolixe & accurate tractant juxta doctrinam Sancti *Thomæ*

in

Digitized by Google

in prima ſecundæ Quæſtione centeſimanona. Lege etiam noſtri *Thomæ de Lemos* partem ſecundam *Panopliæ Gratiæ, de læſione liberi arbitrii per peccatum originale*, ubi, a pagina prima uſque ad paginam quinquageſimam ſextam, hoc argumentum lato & erudito calamo pertractat. Ipſe vero iſthæc duntaxat prælibare, & ſtrictim in hac Epiſtola attingere volui; ut ſcires quid liberum hominis arbitrium, per peccatum Adami ſauciatum ac debilitatum, poſſit abſque ſpeciali auxilio Gratiæ agere; quid vero non poſſit; & ut eadem opera intelligeres, quam perperam & acriter Pater *Daniel* Thomiſtas offendat, dum ait, ex illorum doctrinæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci principiis perinde ſequi, ac ex principiis damnatæ doctrinæ *Janſenii*, hominem in ſtatu naturæ lapſæ neceſſario peccare. Vale, amantiſſime Diſcipule, meque in tuis precibus Deo, Patri luminum, a quo (ut ait S. *Jacobus* cap. 1. v. 17. ſuæ Epiſtolæ) *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit*, commendare memento.

EPISTO-

EPISTOLA SEPTIMA

THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua germana mens Concilii Tridentini circa Gratiam per ſe efficacem, & liberum hominis arbitrium in optimo lumine collocatur.

RECentior eſt Oecumenici Concilii Tridentini hiſtoria, quam ut opus ſit hac in Epiſtola commemorare auguſtiſſimi & poſt hominum memoriam celeberrimi illius conſeſſus apparatum, ordinem & magnificentiam; vel prodere nomina tot Patrum, qui ex omnibus Chriſtiani Orbis partibus ei interfuerunt; & in quibus neſcias quid mirere magis, an prudentiam, diuturno rerum uſu comparatam? An gravitatem & vitæ ſanctimoniam, illo gradu dignam? An eruditionem, & omnium Diſciplinarum cum Sacrarum, tum humanarum peritiam? Sufficiet, ſi dixerim, inter Patres Tridentinos numerari ſex Archiepiſcopos, ſeptemdecim Epiſcopos, & octo ſupra viginti clariſſimos Ordinis Prædicatorum Theologos, qui in hoc ampliſſimo conſeſſu de Catholica Eccleſia optime meriti ſunt, & damnandis *Lutheri*, & *Calvini* jam ſparſis, gliſcentibuſque Hæreſibus egregiam operam navarunt.

In hoc Sacro Tridentino Concilio (quod anno MDXLII. indictum eſt, & anno MDXLV. inceptum) præcipua contra Hæreticos quæſtio *De juſtificatione* die 18. menſis Junii anni MDXLVI. ventilata eſt, & die XX. menſis Auguſti ejuſdem anni *de Gratia efficaci* & *de libero hominis arbitrio* agi cæptum eſt. Hinc ad Controverſias *de Prædeſtinatione* ventum eſt, ac tandem, poſt varias (ut in Conciliis fieri aſſolet) diſcuſſiones, ac maturum adhibitum examen, proſcripti ſunt in Seſſione ſexta *Lutheri*, & *Calvini* circa juſtificationem errores, qui ex hoc potiſſimum capite profluebant, quod pertenderent illi Hæretici, liberum hominis arbitrium, poſt Adami peccatum, a Deo motum & excitatum, non poſſe diſſentire, aut cooperari; atque hominis libertatem tolli per motionem Dei & Gratiam prævenientem. Hunc capitalem duorum iſtorum Hæreſiarchatum errorem ut profligarent Patres Tridentinæ Synodi, canonem quartum Seſſionis ſextæ condiderunt, in quo anathemare perculerunt eos, qui dicunt, *liberum hominis arbitrium, motum & excitatum a Deo, non poſſe diſſentire, ſi velit*.

I. Hunc Concilii Tridentini Canonem, tanquam doctrinæ Molinianæ aperte faventem, P. *Gabriel Daniel* liberius jactat; & in libris, quos gallico idiomate edidit contra *Joannem Launojum*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem, quorum uni hunc præfixit titulum: *Defenſe de Saint Auguſtin*, ſeu *Vindiciæ Sancti Auguſtini*; Alterum vero ſic inſcripſit: *Traité touchant l'efficacité de la Grace*, ſeu *Tractatus de efficacia Gratiæ*; In his, inquam, duobus libris, ſicut & in Epiſtolis, quas ſcripſit ad Patrem *Natalem Alexandrum*, non dubitat Molinianus ille Scriptor aſſerere, hoc laudato Concilii Tridentini canone damnari doctrinam de Gratia per ſe efficaci; quia cum ea Gratia nullo pacto conciliari poteſt liberum hominis arbitrium.

Sed, ut falſi convincam hanc P. *Danielis* vanam, & Doctrinæ Patrum Concilii Tridentini minus conſonam perſuaſionem, oſtendam in hac Epiſtola, Patres Concilii Tridentini agnoviſſe & admiſiſſe doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, quæ invictiſſime conſenſum volun-

luntatis operatur in nobis, quæ facit ex nolentibus volentes; ex repugnantibus conſentientes; ex averſantibus reddit amantes; tantumque abeſt, ut voluntati humanæ imperſat neceſſitatem, ut potius hominis perficiat libertatem. Libertatem autem intelligo (ne quis ſit cavillandi locus) eam facultatem, quæ ſive ſub Gratiæ per ſe efficacis imperio, ſive ſub cupiditatis motu & impulſione, in omnibus hominibus ſemper boni vel mali electiva manet & domina ſui actus, quæque in hoc ſtatu naturæ lapſæ ſe ſe (ſicut jam ſæpe diximus) movet cum indifferentia activa; quæ denique ſub quacumque Gratia per ſe efficaci retinet veram, internam, completam, proximam, & expeditam ei reſiſtendi potentiam, non quidem conjunctam cum actu oppoſito, ſeu cum actuali reſiſtentia, ſed ſejunctam ab actu oppoſito, ſeu ab actuali diſſenſu, & reſiſtentia. Id poſteaquam demonſtravero, & genuinam mentem Patrum Concilii Tridentini circa Gratiam per ſe efficacem clare expoſuero; faciam deinde ſatis omnibus argumentis, quæ Pater *Grabriel Daniel*, aliique Molinianæ Scholę Theologi petere ſolent ex quarto canone Seſſionis ſextæ, ut probent, liberum hominis arbitrium non poſſe, juxta ſanctionem Patrum Concilii Tridentini contra Lutheranos & Calviniſtas, ſtare & conciliari cum Præmotione phyſica, ſeu cum Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci.

In primis, in explanando mentem Patrum Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem & liberum hominis arbitrium, palmam cæteris Sctiptoribus præripuit doctiſſimus noſter *Antonius Reginaldus* in ſuo vere aureo & cedro digno Opere, quod inſcripſit: *De Mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem*, quodque cum approbationibus & Regio privilegio Antuerpiæ anno MDCCVII publica luce donatum, magno virorum eruditorum, qui doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* ſunt addicti, fuit ſummo plauſu exceptum, eo potiſſimum nomine, quod clariſſimus ille Thomiſta ſexcentis ferme momentis probet, Gratiam ſe ipſa efficacem fuiſſe a Tridentinis Patribus agnitam & admiſſam eamque, juxta illorum mentem, cum libero hominis arbitrio perfecte conciliari demonſtret. Ex hoc egregio celebris hujus Thomiſtæ Opere pauca hic deflorabo; hiſque duntaxat utar argumentis, quibus certe Moliniſtæ refragari non poſſunt. Ut autem primi argumenti, quod mox proponam, vim facilius perſpectam habere poſſis, duo præmitto, quæ ultro Moliniſtæ admittunt.

Primò fatentur Moliniſtæ, immo conſtanter docent, Syſtema *Ludovici Molinæ* de Scientia Media plurimum valere ad profligandos Lutheranorum & Calviniſtarum errores circa Dei Præſcientiam, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis arbitrium; eamque Scientiam Mediam neceſſario admittendam eſſe, niſi cum ſummo Fidei diſcrimine in concilianda libertate hominis & contingentia rerum cum æterna Prædeſtinatione & cum Auxiliis Divinæ Gratiæ hallucinari velimus. Unus inter Scholæ Molinianæ Theologos Pater *Gabriel Daniel* in ſua ad noſtrum *Natalem Alexandrum* Epiſtola nona hæc de Scientia Media habet: *Quemadmodum Scripturam Sancti Patres illuſtrarunt, ſic Theologiam Patrum Theologia Scholaſtica illuſtravit ..... poſtquam autem Hæreticorum recens prognatorum ſolertia ipſius Theologiæ Scholaſticæ arma in Eccleſiam convertit, incubuit ea Theologis neceſſitas, ut accuratius quam antea evolverent iſtas Dei Scientias & Decreta, penituſque in hæc Divinæ mentis adyta penetrarent; hæc Syſtematis Scientiæ Mediæ incunabula fuerunt: hinc nova lux oborta, quæ perditorum hominum argumenta, hæreticorum thecnas argutiaſque diſcuſſit, & eam ad rem valere plurimum Scientiam Mediam in confeſſo eſt. Non quod recentiores Theologi Sanctis Patribus ingenio doctrinaque præſtent, quo nomine illos infamare, & in invidiam adducere nonnulli contendunt; ſed quia methodum & viam Patres diverſam ab ea, quam nunc Theologi terunt, ſequebantur.* Ex quibus verbis manifeſto patet, Patrem *Danielem*, alioſque Scholæ Molinianæ Theologos aſſerere, Scientiam Mediam ad hæreticorum Lutheranorum & Calviniſtarum refellendos ero-

ro-

rores plurimum valere.

Præterea, negare haud poſſunt Moliniſtæ, Patres Concilii Tridentini humanæ Libertatis uſum contra Lutheranos & Calviniſtas invicte propugnaſſe, eoſque veram arbitrii noſtri libertatem conciliaſſe cum præſcientiæ Divinę certitudine, cum infallibilitate Prędeſtinationis,& cum Divinæ Gratiæ efficacia; id, inquam, inficiari non poſſunt Moliniſtæ, alioqui ſupinæ ignorantiæ inſimularent Patres Tridentinos, ſi dicerent, illos ſtatuiſſe quidem Liberum hominis Arbitrium adverſus Lutheranos & Calviniſtas, qui illud è medio tollebant; ſed qua ratione Liberum hominis Arbitrium ſtaret cum certitudine Præſcientiæ Divinæ, cum infallibilitate Prædeſtinationis, & cum efficacia Gratiæ, Patres Tridentinos ne attigiſſe quidem; hoc ſane ſi dicerent Moliniſtæ, peſſime mererentur de Patribus Concilii Tridentini, quibus ex officio incumbebat diluere argumenta, queis Lutherani & Calviniſtæ pertendebant, non poſſe Libertatis humanæ uſum conciliari cum certitudine Præſcientiæ Divinæ, cum Prædiſtinationis infallibilitate, & cum efficacia Gratiæ. Cum igitur Moliniſtæ non poſſint, citra maximam Patribus Concilii Tridentini irrogatam injuriam, id aſſerere; & aliunde certo certius conſtet, duas tantum ad has contra Lutheranos & Calviniſtas difficultates explicandas ſuppetere vias; unam, per Gratiam ſe ipſa & ab intrinſeco efficacem; & alteram viam, ſcilicet per Scientiam Mediam, neceſſario dicendum eſt, Patres Concilii Tridentini ad dirimendas illas controverſias contra Lutheranos & Calviniſtas, aut admiſiſſe Syſtema Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci, aut illis magis arriſiſſe Syſtema Scientiæ Mediæ.

II. His præmiſſis, quæ Moliniſtæ lubentiſſime admittunt; ſic argumentum conficio. Si Patres Concilii Tridentini agnoviſſent & probaſſent Syſtema Scientiæ Mediæ, omni procul dubio in dirimendis Controverſiis circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium uſi fuiſſent illo Syſtemate Scientiæ Mediæ contra Lutheranos & Calviniſtas, maxime cum illud Syſtema, ſicut ajunt Moliniſtæ, longe faciliorem viam ad oppugnandos illorum hæreticorum errores aperiat, quam Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci Syſtema, quod potius errori Lutheranorum & Calviniſtarum circa Liberum hominis Arbitrium haud parum favere affirmant Moliniſtæ. Atqui tamen Patres Concilii Tridentini in dirimendis contra Hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas Controverſiis circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium, nullibi uſurparunt Syſtema Scientiæ Mediæ; igitur Patres Concilii Tridentini non agnoverunt, nec probarunt unquam Syſtema Scientiæ Mediæ. Major hujus argumenti propoſitio a nullo Catholico negari poteſt. Nam ſi revera Patres Synodi Tridentinæ perſuaſum ac compertum habuiſſent, Scientiæ Mediæ Syſtema faciliorem ad revincendos Lutheranorum, & Calviniſtarum errores ſuppeditare modum, eo certe uti debuiſsent in definiendis Controverſiis circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium; alioqui Patres Concilii Tridentini, tanquam Rei detentæ & oppreſſæ veritatis, atque prævaricationis cauſæ Dei, haberi deberent, qui in re tanti momenti ſuo officio defuncti non fuiſſent.

Probatur itaque minor propoſitio multis momentis. Primò, quia ſi in Actis Concilii Tridentini Scientiam Mediam quæramus, ne minimum quidem verbum in illis de ea factum eſſe inveniemus; nullum plane in Theologorum celeberrimi iſtius Concilii diſputationibus illius Scientiæ offendemus veſtigium; in Sententiis Patrum ejuſdem Concilii altum eſt de ea ſilentium; in primis Decretorum & Canonum veluti rudimentis & lineamentis, nulla itidem memoria; in textu Concilii ne umbra quidem, in libris Scriptorum, qui Concilio Tridentino interfuerunt, vel qui paulo poſt celebrationem Concilii Tridentini Hæreticorum errores confutarunt, ſtabiliuntur doctrinæ principia ac fundamenta, quæ Scientiæ Mediæ Syſtemati ſunt è diametro oppoſita. Quis

Digitized by Google

ergo tam vecors, ut ſuum in animum inducat, Patres Synodi Tridentinæ in dirimendis Controverſiis, quæ id temporis circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium emerſerant, uſurpaſſe Scientiam Modiam, cujus tamen nullus eorum vel tantillum meminit, & cujus nullam memoriam poſteris reliquerunt.

Secundò, Patres Concilii Tridentini in dirimendis Controverſiis contra Lutheranos & Calviniſtas nullo pacto uti potuerunt Scientia Media, quippe quæ tum temporis necdum erat in rerum natura. Concilium enim Tridentinum (ſicut mox dicebam) indictum fuit anno MDXLII. incœptum vero anno MDXLV. & in eo omnes Controverſiæ attinentes ad Divinæ Præſcientiæ certitudinem, infallibilitatem Prædeſtinationis, efficaciam Gratiæ, & humanæ libertatis uſum, fuerunt eliquatæ ac penitus definitæ anno MDXLVII. quo certe anno nondum in lucem prodierat Scientia media, quæ ſuos natales debet *Fonſecæ*, Societatis Jeſu Theologo, qui circa annum MDLX. eam procudit, ſuiſque inſtillavit Diſcipulis, quos inter *Ludovicus Molina* novum illud a Magiſtro ſuo *Fonſeca* propinatum ſibi Scientiæ Mediæ Syſtema avide arripuit, illud per triginta annos perpolivit, ac tandem Ulyſſipone anno MDLXXXVIII. publicam in lucem protruſit, indeque Scientiæ Mediæ inventoris titulo fuit ubique celebratus. Id tamen (ut obiter dicam) ægerrime tulit *Fonſeca*, qui ſpoliatum ſuo ſe honore videns; & laudem ſibi quærens, ac quidquid in novo illo invento gloriæ erat repetere volens, ſuam edidit *Methaphyſicam*, ubi rem, uti acta erat, candide expoſuit; ſe videlicet Scientiæ Mediæ Auctorem profeſſus eſt, & cur ante *Molinam*, diſcipulum ſuum, eam non vulgaverit hanc rationem Tomo 3. *Metaphyſicę* lib. 6. cap. 2. Quæſt. 7. ſect 8. adducit: *Unum illud*, inquit, *ſcrupulum injiciebat, ne hac ratione novum aliquid fortaſſe induceretur, quod non omni ex parte cum communi Patrum doctrina, aut diligenti Scholaſticorum examine, & accurata lima conveniret. Neque enim quiſque erat, qui hoc pacto libertatem arbitrii noſtri cum Divina Præſcientia, aut providentia aperte, &, ut dicitur in terminis, conciliaſſet.* Viden, *Fonſecam*, Magiſtrum *Molinæ*, ultro fateri, Scientiam Mediam ante annum MDLX. quo illam excogitavit, a Theologorum nemine fuiſſe uſurpatam?

Quin, ipſemet *Molina*, cui nunc ferme omnes Scriptores inventionem Syſtematis de Scientia Media acceptam referre ſolent, *Molina*, inquam, in libro, quem edidit, *De Concordia Liberi Arbitrii cum Gratiæ Donis*, ubi totis nititur viribus novam de Divina Gratia Theologiam inducere, tritas Majorum vias occludere, ac ſalebroſos aperire calles, ingenue fatetur, Syſtema Scientiæ Mediæ fuiſſe Sancto *Auguſtino*, Summo Gratiæ Doctori, plane ignotum; indeque Scientiæ Mediæ inventionem ſibi arrogans ille Moliniſtarum Coriphæus, non veretur ſe Doctiorem S. *Auguſtino*, cæteriſque Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi, debellatoribus venditare his verbis: *Nos*, inquit, *pro noſtra tenuitate rationem totam conciliandi libertatem Arbitrii cum Divina Gratia, Præſcientia & Prædeſtinatione tradidimus, ſequentibus principiis, ex quibus eam deduximus, quæque variis locis tradidimus, inniti judicamus. Quæ ſi data explicataque ſemper fuiſſent; forte neque Pelagiana Hæreſis fuiſſet exorta, neque ex Auguſtini opinione concertationibuſque cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati, ad Pelagianoſque defeciſſent; facileque reliquiæ Pelagianorum in Gallia, quorum in Epiſtolis Proſperi & Hilarii fit mentio, fuiſsent extinctæ, ut patet ex his, in quibus homines illos cum Catholicis conveniſse, & ab illis diſſenſiſſe eædem Epiſtolæ teſtantur: Concertationes denique inter Catholicos fuiſſent compoſitæ.* Hæc verba *Ludovici Molinæ*, Societatis Jeſu, & Profeſſoris Academiæ Eborenſis, leguntur in Quæſtione 23. Art. 4. & 5. Diſput. 1. *De Concordia Liberi Arbitrii cum Divina Gratia*, quam *Molina* Ulyſſipone anno MDLXXXVIII. publicam in lucem emiſit, quæque poſtea Lugduni ex officina *Buiſſonii* anno MDXCIII.

& ex

& ex officina *Proſtii* anno MDCXII. prodiit.

Fuerunt quidem nonnulli Scriptores, quos inter cenſentur noſter *Vincentius Baronius* in Apologia Ord. Præd. Part. 2. lib. 4. Parag. 3. Noſter etiam *Joannes Baptiſta Gonetus* Diſp. 6. De Scientia Media, Art. 6. Parag. 7. *Salmanticenſes* Tractatu 3. Diſp. x. par. 1. & denique *Franciſcus Macedo*, eximius Ordini FF. Minorum Theologus, Collatione 12. Diff. 1. Lectione ultima, hi, inquam, Scriptores exiſtimarunt, hæc verba, quibus *Molina* profitetur, ſe in Scientiæ Mediæ inventione doctiorem & feliciorem fuiſſe Sancto *Auguſtino*, in poſterioribus ejuſdem CONCORDIÆ Molinæ Editionibus eſſe reſecta atque expuncta. Verum, doctiſſimus noſter *Hiacynthus Serry* in elegantiſſima *Hiſtoria Congregationum De Auxiliis Divinæ Gratiæ* oſtendit, illos Scriptores, alioqui doctiſſimos, hac in re fuiſſe deceptos, & prædicta verba, quibus *Molina* peſſime excipit S. *Auguſtinum*, etiamnum legi in poſterioribus CONCORDIÆ Molinæ Editionibus. Habemus itaque jam duos Societatis Jeſu de nova Scientiæ Mediæ inventione teſtes locupletiſſimos & omni exceptione majores, *Fonſecam*, ejuſque Diſcipulum *Molinam*, qui nunc omnium Moliniſtarum primipilus audit.

Novum itidem eſſe Scientiæ Mediæ Syſtema, illudque ante *Fonſecam*, & *Molinam* fuiſſe priſcis Eccleſiæ ſæculis, Conciliis, Patribus, & Theologis Scholaſticis prorſus incognitum diſerte teſtantur doctiſſimi Societati Jeſu Theologi, præſertim: *Vaſques*, *Granado*, *Typhanius*, *Henricus Henriques*, & *Joannes Mariana*, quorum teſtimonia hic referam, ne quid falſi iliis affingere videar. *Vaſques* in 1. Part. Summæ S. *Thomæ* Diſputatione 67. cap. 4. agens de Scientia Media, hæc habet: *Quod antiqui Scholaſtici, qui hactenus ſcripſerunt, tantum meminerit Scientiæ viſionis, & ſimplicis intelligentiæ, parum intereſt; tum quia illi de hac Scientia ſub conditione* (hoc eſt, de Scientia Media) *nihil omnino diſputarunt, aut meminerunt. Quid igitur ſi nos aliam ponamus cujus ipſi mentionem non fecerunt?* His conſona ſunt quæ habet *Granado* Part. 1. Tract. v. Diſput. 3. Sect. 2. ubi Scientiæ Mediæ Syſtema novum eſſe profitetur his verbis: *Nec mirum eſt, ſi temporum decurſu aliquid novi a recentioribus Theologis excogitatum ſit.* Idem cenſet *Claudius Typhanius* in libro *de Ordine, deque Priori & Poſteriori*, cap. 24. ubi ſcientiæ Mediæ novitatem agnoſcit, diſerteque pronunciat, *nullum alium Theologum ante Molinam, ne per ſomnium quidem de Scientia Media cogitaſſe, nec illam ullibi, vel ſuppoſuiſſe, vel adhibuiſſe.*

Doctrinæ etiam *Molinæ* de Scientia Media novitatem acriter carpit *Henricus Henriques*, Magiſter *Franciſci Suareſii*, & Salmanticenſis Cathedræ Moderator, qui in ea, quam anno MDXCIV. adverſus *Ludovicum Molinam* adornavit, Cenſura, his verbis eum perſtringit: *Contra ſanam, firmam, & receptiſſimam doctrinam, a multis annis, & hoc tempore apud Sanctiſſimos Theologos totius Hiſpaniæ, immo totius Orbis, loquitur* (Ludovicus Molina) *irreverenter & periculoſe; nec deterretur Cenſura, quam novit datam S. Officii. Blaſpheme & inverecunde more Hæreticorum bellitat contra Patres Sapientiſſimos, & eorum illorum ſententias, quas Theologi certas & indubitatas aſſerunt, ait Auctor* (ſeu Molina) *eſſe periculoſas, & eſſe occaſionem multorum errorum, & tollere Libertatem Arbitrii noſtri, & neque ab illis, neque a Conciliis fuiſſe veritatem de Prædeſtinatione, Gratia & Libertate Arbitrii declaratam, aut plane intellectam, antequam Auctor* (Molina) *hunc librum conderet.*

Denique. *Joannes Mariana* in libro *De Regimine Societatis*, quem, dum Romæ Congregationes De Auxiliis Divinæ Gratiæ haberentur, lucubravit, novum doctrinæ *Molinæ* Syſtema his verbis inſectatur: *Ab hoc præclaro fonte* (ideſt, ab inordinato novitatis amore) *emanarunt illi turbines & procellæ, quibus noſtra Societas tentavit exagitare Sapientiſſimos Dominicanæ Familię Theologos, quos potius venerari debebat, ut purioris doctrinæ Antiſtites, quam ſequi heſterna Ludovici Molinæ Commenta.*

H 2 Cu-

Digitized by Google

Cujus viri libellus, ab examine Theologorum Sacræ Inquiſitionis, delatus fuit Romam, ubi modo Liberum Arbitrium acerrime contra Gratiam pro palma luctatur. Hoc *Joannis Marianæ* teſtimonium, quod ad rem noſtram appoſite facit, referunt Scriptores, *Gonetus* in Apologia Thomiſtarum Art. 6. *Antonius Reginaldus* in Theſibus Apologeticis, Theſi 7. *Joannes Caſalas* in *Candore Lilii vindicato* Parag. 160. *Seraphinus Piccinardi* Tomo 3. *De approbatione Doctrinæ S. Thomæ* Lib. 1. q. 2. Art. 2 & *Jacobus Hiacynthus Serry* cap. 17. lib. 2. *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ.*

Ex his igitur doctiſſimorum Societatis Jeſu Theologorum de incunabulis, ſeu de nova Scientiæ Mediæ inventione, loupletiſſimis teſtimoniis argumentun conficio, quo invicte probatur, Patres Concilii Tridentini in dirimendis contra hæreticos Lutheranos & Calviniſtas Controverſiis circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium non potuiſſe Scientiæ Mediæ Syſtema uſurpare. Atenim, Scientiæ Mediæ Syſtema *Fonſeca*, Societatis Jeſu Theologus, anno MDLX. excogitavit, atqui certiſſime conſtat, omnes Controverſias, quæ ſpectabant certitudinem Præſcientiæ Dei, infalibilitatem Prædeſtinationis, & efficaciam Gratiæ fuiſſe a Patribus Concilii Tridentini omnino definitas in Seſſione ejuſdem Concilii ſexta, cui Seſſioni finis impoſitus eſt anno MDXLVII. ergo Patres Concilii Tridentini, in his dirimendis Controverſiis Syſtema Scientiæ Mediæ uſurpare non potuerunt; ſed potius adhibuerunt Thomiſtarum Syſtema de Gratia per ſe efficaci; quia ante *Lutherum*, & *Calvinum*, ante *Fonſecam*, & *Molinam*, ante *Bajum*, & *Janſenium*, nullam de Gratia, Prædeſtinatione, & Libero hominis Arbitrio fuit in Eccleſia Catholica propugnatum Syſtema, præter illud, quod ſemper Thomiſtæ, juxta germanam Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ*, Summorum Pontificum & Conciliorum mentem, de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci magno animorum æſtu, & pro aris ac focis propugnarunt; præſertim in Congregationibus De Auxiliis Divinæ Gratiæ, ſub Summis Pontificibus *Clemente VIII.* & *Paulo V.* habitis; & etiamnum parizelo, invictaque conſtantia tutatur, approbantibus Romanis Pontificibus, ſicut in alia Epiſtola commodius oſtendam.

Hoc argumentum magis premit, ſtringitque illos Molinianæ Scholæ Theologos, qui autumant, *Ludovicum Molinam* eſſe auctorem & inventorem *Scientiæ Mediæ*. Nam, cum *Ludovicus Molina* librum ſuum *De concordia Gratiæ cum Libero Arbitrio*, ubi Syſtema Scientiæ Mediæ totius ſui ingenii viribus adſtruit, publica luce Ulyſſipone anno duntaxat milleſimo quingenteſimo octogeſimo octavo donaverit; palam deinde ſequitur, Patres Concilii Tridentini, quod anno MDLXIII. abſolutum fuit, & a *Pio IV.* Pontifice Maximo, anno MDLXIV. confirmatum eſt, non potuiſſe in dirimendis contra Lutheranos & Calviniſtas Controverſiis circa Præſcientiam Dei, Prædeterminationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium, uſurpare & adhibere Syſtema Scientiæ Mediæ, quod adhuc in mente *Molinæ* deliteſcebat.

Sunt nonnulli Scholę Molinianę Theologi, qui (ut ſe ſe ab iſto peremptorio argumento, quod ipſorum jugulum petit, expedire poſſint) fidenter aſſerunt, nec *Fonſecam*, nec *Molinam* eſſe inventorem Scientiæ Mediæ; ajuntque, Scientiam Mediam innotuiſſe S. *Auguſtino*, eique probatam fuiſſe, ac ſubinde mirum non eſſe, quod Patres Synodi Tridentinæ, veſtigiis S. *Auguſtini* inhærentes, hujus perantiquæ Scientiæ Mediæ beneficio omnes Controverſias, quæ ſpectabant certitudinem Præſcientiæ Dei, infallibilitatem Prædeſtinationis, & efficaciam Gratiæ, contra Lutheranos & Calviniſtas definierint. Inter hos Theologos, qui ita cenſent, unum profeſſum ſæpius a me laudatum *Gabrielem Danielem*, qui in Epiſtola IX. ad noſtrum *Natalem Alexandrum* totus eſt ut probet, S. *Auguſtinum*, de Prędeſtinatione, de Gratia, de Scientia & Decretis Dei diſputantem, ideam ejus, quæ nunc appellatur *Scien-*

tia

Digitized by Google

tia Media, atque ſententiam animo defixam habuiſſe.

At, P. *Danielem* in hoc probando paradoxo non ſibi conſtare, ſed ex eodem ore, calidum ſimul & frigidum perflare, multis momentis evinco. Enim vero, poſtquam prædictus ille Molinianus Scriptor aliquot adduxit S. *Auguſtini* teſtimonia, ut probet, Aquilinum illum Doctorem admiſiſſe in Deo ſcientiam futurorum conditionatorum, ſeu (juxta Moliniſtas (*Scientiam Mediam*, diſtinctam a *Scientia ſimplicis intelligentiæ*, & a *Scientia Viſionis*; fatetur tamen in eadem Epiſtola, S. *Auguſtinum* in concilianda hominis libertate cum efficacia Gratiæ uſum non fuiſſe Syſtemate Scientiæ Mediæ, ſed hunc modum conciliandi hominis libertatem cum efficacia Gratiæ per Scientiam Mediam a quodam Theologo, ætate S. *Auguſtini* longe poſteriori, fuiſſe adinventum: Hæc ſunt illius Scriptoris verba: *Fatetur Auguſtinus, arduum eſſe humanam cum Gratia conciliare libertatem, & hanc excutere difficultatem parcit: Eamdem in examem ac diſputationem Theologi noſtri vocant; faciunt pro jure ſuo ac munere. Exortus eſt ex illis unus* (videlicet *Fonſeca*, vel *Molina*) *qui nodum hunc facilius & clarius, quam cæteri, expediret; laus illi ob eam rem deberi videtur & gratia: diris contra devovetur, ad pœnam idcirco & ſupplicium depoſcitur. Sed quod mireris magis, ejuſdem Theologi* (ſeu *Fonſecæ*, vel *Molinæ*) *adverſarii argumentum idem tractant minus feliciter; augent, quas removere debuerant, tenebras; laudem nihilominus arrogant inde majorem ſibi, & ſuis ſe tenebris maxime commendant*. Et, paucis interjectis, ſubdit Molinianus ille Scriptor: *Facilitas hujus quæſtionis evolvendæ* (ſeu de concilianda humana libertate cum Gratia) *fructus eſt Scholaſticæ Methodi, & cui, dum Auguſtinus viveret, nondum locus ullus erat. Igitur, etſi enodatum & evolutum Scientiæ Mediæ Syſtema ad explicandam Liberi Arbitrii Gratiæque Concordiam plurimum Theologos adjuvet; minime mirum videri debet, ſi Auguſtinus illo Syſtemate Scientiæ Mediæ contra Pelagianos uſus non eſt*. Vide ſi placet, quam aperta antilogia ſe ſe in paucis illis verbis Pater *Daniel* implicet; pertendit quippe Scientiam Mediam notam & probatam fuiſſe S. *Auguſtino*, & tamen profitetur, eumdem Sanctum Doctorem, in concilianda libertate humana cum Gratia uſum non fuiſſe contra Pelagianos Syſtemate Scientiæ Mediæ.

Qua in re P. *Daniel* imprudentiæ ac injuſtitiæ reum agit S. *Auguſtinum*. Si enim S. *Auguſtinus* Scientiam Mediam revera novit, eamque, velut expeditam concordiæ viam ad conciliandam humanam libertatem cum Gratia probavit (ſicut aſſerit P. *Daniel*) ſequitur plane, imprudentem & injuſtum fuiſſe S. *Auguſtinum*, qui, per viginti annos contra Pelagianos de Gratia diſputando, aerem verberavit, Pelagianorum objectiones non ſolvit & neglecta regia via, qua omnes iſtas controverſias de Gratia & libero hominis arbitrio potuiſſet facili negotio componere, aliam e regione oppoſitam viam iniit, unde tot in Eccleſia mala, tot ſcandala tot diſſidia promanarunt. Hanc tamen tam atrocem injuriam non dubitat P. *Daniel* in citata Epiſtola irrogare S. *Auguſtino*, dicens: *Quid ergo? Concordiam liberi arbitrii cum Gratia non explicuit Auguſtinus: operoſa illi difficiliſque viſa res: idcircone hærendum in caligine alta, quam huic tenebricoſæ quæſtioni offudit Thomiſtica Prædeterminatio, rejicienda vero lux & facultas explicandi, quam Theologus Catholicus* (ſeu Molina) *quadraginta recentior tantum annis, offert? Suſcipiendæ ineluctabiles cum Hæreticis nuper exortis difficultates, damnanda opinio* (ſeu de Scientia Media) *cujus ad lumen evaneſcunt omnes illæ, & ſua Fidei dogmatis veritas ac reverentia ſarta tectaque ſtat? Veſtram fidem quicumque ſani æſtimatores rerum eſtis!* Sic Pater *Daniel* maxime commendat *Molinam*, quod, in concilianda humana libertate cum Gratia, Scientiæ Mediæ Syſtema uſurpaverit, & S. *Auguſtino* crimini & vitio vertit, quod Scientiam Mediam (quam tamen noverat & probabat) nunquam in Concordia libertatis humanæ cum Gratia adhibuerit; in-

indeque doctrinam ſuam obſcuram, altaque caligine offuſam reddiderit.

Hac in re, ut obiter dicam, Patri *Danieli* plures Molinianæ Scholæ Theologi præluſerunt, quorum tres præcipuos (ne longior ſim) hic duntaxat proferam, videlicet *Franciſcum Annatum*, *Andream Junium*, & *Joannem Adamum*. Primus ſcilicet *Franciſcus Annatus* lib. 8. *Auguſtini a Bajanis vindicati* cap. 4. illos ludibrio vertit, ac *non ſatis advertiſſe* notat, *qui Molinianæ audaciam exaggerant, indicantis aliquid lucis defuiſſe Auguſtino, in concilianda cum creata libertate, Divinorum Decretorum & Auxiliorum efficacia*. Alter vero, ſeu *Andreas Junius*, recenſitis erroribus, quos *Auguſtino* Maſſilienſes objiciebant, pauca iſta ſubjungit Sectione 16. de Prædeſtinatione capite 3. ſub finem, quibus haud obſcure innuit, S. *Auguſtinum* juſtam eorum objiciendorum occaſionem Semipelagianis dediſſe, nec culpandum eſſe *Molinam*, quod id vitio S. *Auguſtini* factum obſervaverit: *Quam vero Auguſtinus* (inquit *Andreas Junius*) *Maſſilienſibus*, ſeu Semipelagianis, *anſam præbuerit*, *reticeo*; *quia veritas odium parit, & eam pronunciando Pater Molina non parum ſibi conflavit invidiam apud nonnullos, quibus vel intellectus, vel voluntas non erat, ut oportuerat*. Denique, *Joannes Adamus* Parte 3. *Calvini deſtructi* cap. 4. excitatas in Eccleſia turbas tribuit obſcuritati doctrinæ S. *Auguſtini* ſic enim ait: *Hæc Auguſtini obſcuritas, etiam in Prædeſtinationis & Gratiæ Myſteriis pertractandis, apparuit. Siquidem in Scholas Theologorum diſſenſiones invexit, Doctores inter ſe diviſit, turbis & contentionibus partim in Africa, partim in Gallia, tam ipſo vivente, quam è vivis ſublato, exortis occaſionem dedit. Quin etiam pro clypeo fuit hæreſis Prædeſtinatianorum, qui ferocia horridaque ſua dogmata in hujus Patris doctrina fundabant*.

Si quis igitur hæc Patris *Danielis*, aliorumque, quos laudavi, Scholæ Molinianæ Theologorum verba ſincero animo expendere non gravetur, actutum fatebitur, Molinianos illos Scriptores ideo *Molinæ* doctrinam, in concilianda per Scientiam Mediam libertate creata cum Gratia, tot laudibus extuliſſe; & verſa vice, illos doctrinæ Sancti *Auguſtini* obſcuritatem objeciſse, atque enatas in Eccleſia turbas ac diſſenſiones tribuiſſe, quia ex doctrina Sancti *Auguſtini* probe compertum atque exploratum habebant, Sanctum illum Doctorem in explicandis Myſteriis Prædeſtinationis & Gratiæ, & in concilianda humana libertate cum Gratia, non ſolum Scientia Media nunquam uſum fuiſſe, verum etiam prædictam Scientiam Mediam Aquilino huic Doctori imperviam penitus ignotamque fuiſſe.

Velint itaque nolint Moliniſtæ, ſuis propriis armis vincuntur; & ex eorum teſtimoniis palam colligitur, nec notam unquam, nec probatam fuiſſe S. *Auguſtino* Scientiam Mediam, quali nunc utuntur Scholæ Molinianæ Theologi. Cum igitur hac Scientia Media, quæ nunc in Schola Moliniana uſurpatur, nunquam uſus fuerit S. *Auguſtinus*, nec ejus vel levem notitiam habuerit, aut eam ſuo calculo probaverit; maximam profecto injuriam Patribus Concilii Tridentini inureret ille, qui pertenderet, hanc Scientiam Mediam fuiſſe his Patribus notam, eamque ab iiſdem, in definiendis contra Hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas Controverſiis circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium, adhibitam & uſu fuiſſe probatam. Apage ergo tam falſum; tamque male conſarcinnatum Patris *Danielis* commentum, & ab ipſo, cauſæ ſuæ tuendæ neceſſitate compulſo, excogitatum.

III. Verum, ut evidentius conſtet, Patres Concilii Tridentini ita doctrinæ S. *Auguſtini* de Gratia & libero hominis arbitrio fuiſſe addictos, ut ab ea ne latum quidem unguem deſciverint, ſubindeque illos in definiendis contra Lutheranos, & Calviniſtas Controverſiis, circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium Scientia Media uſos non fuiſſe, alterum iſtud propono argumentum; quod mihi ſaltem apparet omni luce clarius, omni nervo ſolidius, omni demonſtratione luculentius. Si enim Pa-

tres

Digitized by Google

tres Concilii Tridentini in dirimendis contra Lutheranos & Calviniſtas Controverſiis de Gratia, & Libero hominis Arbitrio nſi fuiſſent Scientia Media, certe nullus Catholicus, perſpectam habens mentem Patrum Concilii Tridentini, auſus fuiſſet in illam Scientiam Mediam inſurgere; eamque ceu novam, periculoſam, & doctrinæ Sanctorum Patrum, præſertim Sancti *Auguſtini*, & S. *Thomæ*, contrariam repudiare & proſcribere. Quæro igitur a Molinianæ Scholæ Theologis, qui factum fuerit, ut doctrina de Scientia Media, quam *Ludovicus Molina* in ſua *Concordia Liberi Arbitrii cum Gratia* palam venditare cæpit, tot & tantas, ſtatim ac erupit, in Belgio, in Gallia, & in Italia turbas & tragædias excitarit, eamque non ſolum Dominicani, ſed etiam doctiſſimi Societatis Jeſu Theologi *Claudius Typhanius*, *Henricus Henriques*, & *Joannes Mariana*, quorum teſtimonia paulo ſuperius citavi, tamquam novam, a ſæculis inauditam, & antiquorum Theologorum doctrinæ adverſam atro calculo notarint, exploſerint, confixerint?

Notæ ſunt omnibus duarum in Belgio Univerſitatum, Lovanienſis, & Duacenſis; anno MDLXXXVIII. conditæ Cenſuræ contra *Leſſium*, & *Hamelium*, duos in Belgio Societatis Jeſu Profeſſores, qui anno MDLXXXVI. eamdem plane *Molinæ* doctrinam in publicis Concluſionibus propugnandam ſuſceperant. In his celeberrimis Cenſuris damnatur hæc nuper invecta, & ab illis duobus Profeſſoribus publice defenſa *Molinæ* doctrina, tanquam *ſententia, Dei bonitatem obſcurans, juſtitiam enervans, Scripturis illudens; Patrum teſtimonia in ſenſus alienos detorquens; humanæ rationis corruptioni applaudens; humilitatis fundamentum evertens; propriarum virium fiduciam ingenerans; in ſalutis negotio, quod præcipuum eſt, homini tribuens; quod minus, Deo; Gratiam Libero Arbitrio ſubjiciens; in ſumma a Pelagii doctrina, non procul abſcedens*. Denique, *Molinæ* doctrinam in Congregationibus *De Auxiliis Divinæ Gratiæ*, quæ Romæ ſub duobus Summis Pontificibus *Clemente VIII. & Paulo V.* habitæ ſunt, male habitam, ac diu multumque fuiſſe exagitatam, aperte declarant Hiſtoria & Acta harumce Congregationum recens edita.

Quæ cum ita ſint, ſcire velim a Moliniſtis, qui fieri potuerit, ut hæc *Molinæ* doctrina de Scientia Media tot ac tantas paulo poſt celebrationem Concilii Tridentini procellas paſſa ſit? A Scholis Thomiſtica, & Auguſtiniana aperto marte impetita? Ab Univerſitatibus, Lovanienſi, & Duacenſi, graviſſimis cenſuris perculſa? Ad Sacros Fidei Quæſitores delata, & tandem in judicium a Summis Pontificibus *Clemente VIII. & Paulo V.* vocata? Si enim, ut dictitant Moliniſtæ, Scientiam Mediam, priuſquam de ea ſcriberet *Molina*, Patres Synodi Tridentinæ notam habuerunt, ejuſque uſum, in dirimendis contra Lutheranos & Calvinianos Controverſiis circa Gratiam & Liberum hominis Arbitrium, comprobarunt; non debuiſſent profecto Summi Pontifices permittere unquam, ut Scientia Media, tanquam nota & toti retro antiquitati ignota a Scholis Catholicis rejiceretur, ab Univerſitatibus damnaretur, ad Fidei Quæſitorum Tribunalia, tanquam de Semipelagianiſmo ſuſpecta, traheretur; & coram Sede Apoſtolica in pluribus Congregationibus & per diuturnum tempus maturo examini ſubjiceretur, atque judicio & cenſuræ Conſultorum permitteretur; ſed potius oportuiſſet, ut Summi Pontifices Scientiam Mediam, velut Patrum Concilii Tridentini menti conſentaneam, auctoritate Apoſtolica tutarentur; atque diſtricte caverent, ne Scholæ, & Academiæ Catholicæ eam, ut novam, traducerent, cenſuris afficerent; ejuſque proſcriptionem a Sede Apoſtolica tam inſtanter qua Scriptis, qua ſolemnibus inſtitutis Diſputationibus, poſtularent. Cum igitur nihil horum fecerint Summi Pontifices, nec uſum Scientiæ Mediæ unquam probaverint, argumento eſt, illos non exiſtimaſſe, Scientiam Mediam notam fuiſſe Patribus Concilii Tridentini, eamque in dirimendis contra Lutheranos, & Calviniſtas circa Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium Controverſiis eſſe ab illis uſur-

H 4 pa-

patam, ſicut perperam jactitant Moliniſtæ. Conſuli poſſunt genuina Acta Congregationum ſub Summis Pontificibus *Clemente VIII.* & *Paulo V. De Auxiliis Divinæ Gratiæ*, quæ magna ex parte vel Autographa primigenia, vel varia integræ fidei tranſumpta, & ex forma juris recognita, viſuntur etiamnum Romæ in Arce S. Angeli, & in Bibliothecis Angelica, ſeu Auguſtiniana, Barberina, Alteriana, Chiſiana, Burgheſiana, aliiſque non paucis, fueruntque typis nuper mandata ſive in *Hiſtoria Congregationum De Divinis Auxiliis*, quam eleganter concinnavit doctiſſimus noſter *Jacobus Hiacynthus Serry*, ſive in *Hiſtoria Congregationum De Divinis Auxiliis*, a noſtro clariſſimo *Thoma de Lemos* exarata. & ab erudito Canonico Regulari Sanctæ *Genovefæ* publicata. Pro defenſione etiam fidei & veritatis horumce Auctorum *De Auxiliis Divinis* Congregationum legendi ſunt eruditiſſimi ſtrictioris Inſtituti Carmelitæ Salmanticenſes in *Tractatu De Scientia Media*, & in *Tractatu de Gratia*, noſter *Joannes a S. Thoma*, percelebris Thomiſta, in ſuis Commentariis in primam Partem S. *Thomæ*; aliique doctiſſimi Scholæ noſtræ Thomiſticæ Theologi, præſertim *Vincentius Baronius*, *Antoninus Reginaldus*, *Joannes Caſalaſius*, *Paulus Faſſeaulius*, cæterique haud pauci, qui eo de argumento immenſa non minus mole, quam eruditione volumina ſcripſerunt.

Reſpondent Scholæ Molinianæ Theologi, Scientiam Mediam notam quidem fuiſſe Patribus Concilii Tridentini, eamque ab iiſdem Patribus in dirimendis contra Lutheranos & Calviniſtas circa Gratiam & Liberum hominis Arbitrium controverſiis uſurpatam eſſe; ſed hanc Scientiam Mediam, poſt celebrationem concilii Tridentini, oblivione penitus deletam eſſe, donec *Ludovicus Molina* in ſua *Concordia Liberi Arbitrii cum Gratia*, quam Ulyſſippone anno MDLXXXVIII. publicavit, eamdem Scientiam Mediam, jam antiquatam, & penitus obliteratam, denuo in rem Eccleſiæ excitaverit; atque feliciter in Orbem Chriſtianum revocaverit, ſubindeque (dicunt Moliniſtæ) nemini mirum videri debere, ſi in hanc Scientiam Mediam, a *Ludovico Molina*, quaſi poſtliminio reductam in Eccleſiam, Theologi, Scholæ, & Academiæ, in quibus nulla amplius hujuſce Scientiæ Mediæ vel minima extabat memoria, confeſtim inſurrexerint; eam, velut novam & ſuſpectam doctrinam, ſugillaverint, exſufflaverint, cenſuris proſcripſerint, ad Fidei Quæſitorum Tribunalia pertraxerint; ac tandem nihil intentatum reliquerint, ut a Sede Apoſtolica damnaretur hæc Scientia Media, cujus inventorem eſſe *Ludovicum Molinam* falſo ſibi perſuadebant, cum tantum eſſet illius inſtaurator; utpote qui memoriam duntaxat Scientiæ Mediæ, quæ poſt celebrationem Sinodi Tridentinę ex animis Theologorum omnino exciderat, excitavit ab interitu & temporum ludibrio vindicavit, eique, ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus, & ex genuina mente Patrum, Concili Tridentini mente, velutè fonte hauſtæ, antiquum ipſius ſplendorem reſtituit.

Sed hæc Reſponſio, eſt *Molinæ* doctrinæ aperta confutatio. Nam primò, qui credibile eſt, Scientiam Mediam (ſi revera Patribus Tridentinis fuiſſet probata) potuiſſe intra ſpatium viginti circiter quatuor annorum (ab anno ſiquidem milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, quo abſolutum eſt Concilium Tridentinum, uſque ad annum milleſimum quingenteſimum octogeſimum octavum, quo *Molina* ſuam CONCORDIAM publici juris fecit, viginti quatuor duntaxat anni interfluxerunt) qui, inquam, credibile eſt, Scientiam Mediam, ſi revera Patribus Tridentinis arriſiſſet, ſicut ajunt Moliniſtæ, potuiſſe intra breve illud ſpatium viginti quatuor annorum, ita oblivione deleri, & ex hominum animis excidere, ut nec Summi Pontifices; nec Epiſcopi, nec Theologi, nec Scholæ, nec celebriores Orbis Chriſtiani Univerſitates ullam per id temporis memoriam habuerint illius Scientiæ Mediæ, quam tamen (ſi Moliniſtas audiamus) Patres Concilii Tridentini, in dirimendis contra Lutheranos, & Calviniſtas Con-

troverſiis de Gratia & Libero hominis Arbitrio, uſurpaſſent. Id ſanè ab omni veri ſpecie abhorret; immo ſummam toti Eccleſiæ irrogat injuriam, quippe quæ ignoraſſet veram ac genuinam mentem Patrum Concilii Tridentini, & expectare debuiſſet *Ludovicum Molinam*, qui, Scientiæ Mediæ memoriam revocando, & offuſas omnium fidelium mentibus tenebras diſſipando, ſinceram mentem Patrum Concilii Tridentini patefaceret, & quaſi digito commonſtraret viam, quam iidem doctiſſimi Patres, in definiendis Controverſiis de Gratia & Libero Arbitrio, inierunt. O Superi mites animos!

Præterea, certum eſt, multos, poſt abſolutum Concilium Tridentinum, ſuperſtites fuiſſe Epiſcopos, & Theologos, qui huic Concilio interfuerant, quique probe noverant, quid contra Hæreticos Lutheranos & Calviniſtas in ſexta Seſſione ejuſdem Concilii Tridentini actum ac definitum eſſet. Hi igitur Epiſcopi, cum eſſent doctiſſimi, & Catholicæ Fidei zelo ardentiſſimi, ſi Scientia Media Patres Tridentini uſi fuiſſent, omni procul dubio eamdem Scientiam Mediam, tanquam menti Patrum illius Synodi optime conſonam pro viribus propugnaſſent, nec ſciviſſent eam obliterari, aut ſi fuiſſet obliterata, eam ſtatim excitaſſent, ejuſque memoriam in ſuis Scriptis refricuiſſent ac redintegraſſent; atqui ex tot Epiſcopis, & Theologis, qui OEcomenico Concilio ſuperſtites fuerunt, nullus omnino eſt, qui vel in Concertationibus cum Hæreticis, vel in Libris adverſus illos editis, meminerit Scientiæ Mediæ, aut ejus uſum probaverit; immo, Cardinalis *Ludovicus Madrutius* qui ultimis Concilii Tridentini Seſſionibus interfuerat, quique tum Patruo ſuo Epiſcopo Tridentino *Chriſtophoro Madrutio* ſuperſtite, fuerat electus Epiſcopus Tridentinus, ac tandem Romæ anno MDXCVII. inſtitutis Congregationibus *De Auxiliis Divinæ Gratiæ*, ad examinandam *Ludovici Molinæ* doctrinam, auctoritate Summi Pontificis *Clementis VIII.* præſidebat, Scientiam Mediam, tanquam novum *Molinæ* commentum improbavit ac rejecit, ut videre eſt in Actis & in Hiſtoria Congregationum De Auxiliis. Patres itaque Concilii Tridentini Scientia Media uſos eſſe, eamdemque Scientiam oblivione poſtea deletam, tandem a *Ludovico Molina* denuo fuiſſe excitatam, purum figmentum eſt craſſo filo contextum.

IV. Sed quid opus eſt plura hic de mente Patrum Concilii Tridentini dicere, cum eam, quaſi radiis ſolaribus expreſſam habeamus in Catechiſmo, qui eorum juſſu compoſitus eſt ſub finem Concilii Tridentini, ideoque dictus *Catechiſmus Concilii Tridentini*. In hoc autem Catechiſmo ſic Patres Tridentini mentem ſuam circa modum, quo Deus cauſas ſecundas movet ad agendum declarant, ut nullus Thomiſta poſſet luculentius exprimere, & clarioribus coloribus depingere eam, quam tuentur, de Præmotione phyſica ſententiam. Sic enim habet Catechiſmus Concilii Tridentini Parte 1. de primo Symbolo Fidei Articulo, num. 22. *Non ſolum autem Deus univerſa quæ ſunt providentia ſua gubernat atque adminiſtrat, verum etiam quæ moventur & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultiſſima vis ad ſingula perveniat, & quemadmodum Sapiens teſtatur: Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter. Quare ab Apoſtolo dictum eſt, cum apud Athenienſes annunciaret Deum, quem ignorantes colebant: Non longe eſt ab unoquoque noſtrum; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* In his Catechiſmi Concilii Tridentini verbis ſententiam Thomiſtarum de Præmotione phyſica, qua Deus omnia movet, aperte inſinuari, facile intelliges, ſi animadvertas, Catechiſmi Tridentini conficiendi curam fuiſſe demandatam tribus viris doctiſſimis Ordinis Prædicatorum, & Scholæ Thomiſticæ diſcipulis, videlicet *Leonardo Marino*, Archiepiſcopo Lancianenſi, *Ægidio Fuſcarario*, Epiſcopo Mutinenſi, & *Franciſco Forrerio*, quos huic, quem concinnarunt, Catechiſmo Concilii Tridentini

ex

ex communi doctrina, quæ in Schola Thomiſtica obtinebat, de Præmotione phyſica ſententiam inſerviſſe, tanquam menti Patrum Concilii Tridentini conſonam, dubitari non poteſt.

Non me fugit, eſſe nonnullos, qui dicunt, Catechiſmum Concilii Tridentini non magna pollere auctoritate, utpote compoſitum a tribus Ordinis Prædicatorum, & a Summo Pontifice S. *Pio V.* ejuſdem Prædicatorum Ordinis, approbatum. Sed, quamvis verum ſit, hunc Concilii Tridentini Catechiſmum juſſu Patrum ejuſdem Concilii editum fuiſſe a tribus Patribus Ordinis Prædicatorum, conſtat tamen, hunc Catechiſmum, antequam vulgaretur, fuiſſe recenſitum & perfectum ab illuſtriſſimis Cardinali *Sirleto*, & *Sylvio Antoniano*, Cardinali, quibus mens Patrum Concilii Tridentini exploratiſſima erat. Conſtat iidem, eumdem Catechiſmum a Sancto *Pio V.* & *Gregorio XIII.* qui de Societate Jeſu optime meriti ſunt, approbatum & toti Eccleſiæ propoſitum eſſe. Conſtat denique eumdem Catechiſmum Concilii Tridentini fuiſſe a multis Synodis Provincialibus receptum, videlicet a quinque Synodis Provincialibus Mediolanenſibus, a Sancto *Carolo Borromæo* habitis annis 1565. 1569. 1573. 1576. 1679. *Beneventana* anno 1567. *Ravennatenſi* anno 1568. *Saliſburgenſi* anno 1569. *Genuenſi* 1574. *Rothomagenſi* 1581. *Burdigalenſi* anno 1582. *Turonenſi* anno 1583. *Toloſana* anno 1587. *Gneſnenſi* anno 1588. *Avenionenſi* anno 1594. *Aquileenſi* anno 1596. quæ Synodi omnes fere approbatæ ſunt a Sacra Cardinalium Congregatione, vel a Summis Pontificibus, ut liquet ex illarum Synodorum Actis.

Hi igitur, qui Thomiſtarum doctrinam de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci in Catechiſmo Concilii Tridentini contineri proterve inficiantur, cæcutiunt certe in meridiana luce. Illi vero, qui id non negant, ſed auctoritatem ejuſdem Catechiſmi Concilii Tridentini eo ſolo nomine elevare ac infirmare moliuntur, quod prædictus Catechiſmus fuerit a tribus Patribus Ordinis Prædicatorum lucubratus; illi, inquam, non tantum maximam inferunt injuriam Patribus Tridentinis, qui provinciam componendi hunc Catechiſmum tribus laudatis Theologis Ordinis Prædicatorum commiſerunt; ſed etiam auctoritati Summorum Pontificum, & Conciliorum Provincialium, a quibus ſuſceptus & approbatus fuit ille Concilii Tridentini Catechiſmus, aperte refragantur.

Sed de germana mente Concilii Tridentini circa Gratiam & Liberum hominis Arbitrium hactenus ſatis dictum ſit. Si plura tamen ſuper hac re ſcire deſideres, legeſis eum, quem jam indicavi, librum, editum a doctiſſimo noſtro *Antonio Reginaldo*, cui titulus eſt: *De mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem*. Ibi quippe ſitim tuam ad ſatietatem uſque extinguere poteris, & hanc quæſtionem de mente Patrum Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem & Liberum hominis Arbitrium ita clare, ſolide, ac copioſe tractatam invenies, ut ei quæſtioni clariſſimum Auctorem ultimam diem impoſuiſſe fatearis neceſſe ſit.

V. Nunc ſub finem iſtius Epiſtolæ breviter me expediam a quibuſdam jam ſæpius decantatis objectionibus, quas etiamnum Scholæ Molinianæ Theologi proponunt, ut probent, Thomiſtarum doctrinam de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, nullo pacto ſtare & cohærere poſſe cum doctrina Patrum Concilii Tridentini. Sed proclive eſt, eas quas Scholæ Molinianæ Theologi menti Patrum Concilii Tridentini tenebras offundunt, diſſipare, eademque opera vanas exſuflare argutias, quibus doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, arrodere ac vellicare tentant.

Et primò Moliniſtæ opponunt Thomiſtis canonem quartum Seſſionis ſextæ Concilii Tridentini, cujus ſunt hæc verba: *Si quis dixerit, Liberum hominis Arbitrium, a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit,*

velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit. Ex cujus verbis hoc argumentum conficiunt Moliniſtæ: Patres Concilii Trident. anathemate perculerunt Lutheranos, & Calviniſtas quod dicerent, liberum hominis arbitrium, motum & excitatum a Deo, non poſſe diſſentire; atqui admiſſa Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, liberum hominis arbitrium, motum & excitatum a Deo, non poteſt diſſentire, quia Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, ita voluntatem creatam determinat ad unum actum, ut ei adimat poteſtatem ſe ſe libere determinandi, & eliciendi actum oppoſitum, ergo doctrina Scholæ Thomiſticæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, recta fronte pugnat cum doctrina Patrum Concilii Tridentini. Mirum, quantum Scholæ Thomiſticæ Adverſarii in hoc proponendo & urgendo argumento exultent, ſibique plaudant! Sed illos a mente Patrum Concilii Tridentini non ſolum toto, ut ajunt oſtio, ſed etiam totis ædibus aberrare, aperte demonſtro.

At enim, Patres Concilii Tridentini in eo laudato canone damnant hanc Propoſitionem Hæreticorum: *Liberum Arbitrium, motum & excitatum a Deo, non poteſt diſſentire*; hanc, inquam, Propoſitionem damnant Patres Concilii Tridentini in ſenſu quo ab illis Hæreticis aſſerebatur; alias nihil definiviſſent contra hos Hæreticos, cum tamen conveniſſent ad eorum errores proſcribendos, quos inter ille capitalis erat. Atqui Propoſitio illa ab Hæreticis Lutheranis, & Calviniſtis aſſerebatur intellecta de Præmotione phyſica, ita ut ſenſus illius eſſet: *Liberum hominis Arbitrium, motum a Deo per Præmotionem phyſicam, non poteſt diſſentire*; illam enim Præmotionem phyſicam dicebant tollere libertatem, non autem motionem ſimultaneam, vel motionem moralem. Patres igitur Concilii Tridentini anathema dixerunt aſſerenti hanc Propoſitionem: *Liberum hominis Arbitrium præmotum a Deo phyſice, non poteſt diſſentire*; ſed hanc Propoſitionem, a Patribus Concilii Tridentini confixam, veram eſſe contendunt Moliniſtæ, & verſa vice, eamdem Propoſitionem, tanquam hæreticam, execrantur omnes Thomiſtæ; judicent ergo nunc æqui rerum æſtimatores, num Thomiſtæ, qui diris devovent hanc Hæreticorum Propoſitionem a Concilio Tridentino proſcriptam: *Liberum hominis Arbitrium præmotum phyſice a Deo non poteſt diſſentire, ſive non eſt liberum*, judicent, inquam, æqui rerum æſtimatores, num melius Thomiſtæ aſſequantur & genuinius explicent mentem Patrum Concilii Tridentini, quam Scholæ Molinianæ Theologi, qui hanc Lutheranorum & Calviniſtarum Propoſitionem: *Liberum hominis Arbitrum præmotum phyſice a Deo, non poteſt diſſentire*, damnatam a Concilio Tridentino, totis viribus etiamnum, tanquam veram propugnant?

Præterea, Patres Concilii Tridentini, dum definiunt: *Liberum Arbitrium motum a Deo poſſe diſſentire*, per illam particulam, *motum*, intelligunt vel motionem moralem, vel motionem phyſicam ſimultaneam, vel denique motionem præviam & phyſicam; atqui duo priora dici nequeunt, alioqui Patres Concilii Tridentini bruto fulmine perculiſſent Lutheranos & Calviniſtas, qui nunquam aſſeruerunt, motionem moralem, vel motionem phyſicam ſimultaneam tollere Liberum hominis Arbitrium: incongrue etiam eo Concilii Tridentini canone uterentur Moliniſtæ adverſus Præmotionem phyſicam, ſi de illa non intelligatur: Reſtat igitur, ut intelligatur hæc particula, *motum*, de motione prævia & phyſica, ac ſubinde hæc ſit propoſitio definita a Patribus Concilii Tridentini tanquam catholica: *Liberum Arbitrium motum a Deo Præmotione phyſica poteſt diſſentire, & remanet liberum*; quam Propoſitionem, a Patribus Concilii Tridentini definitam, mordicus tuentur Thomiſtæ, ſed eam negant ac pernegant Moliniſtæ.

Tertiò, vel Patres Concilii Tridentini noverant, *Lutherum*, & *Calvinum* ex hoc antecedenti: *Liberum hominis Arbitrium præmovetur a Deo phyſice*, in-

Digitized by Google

inferre hanc conſecutionem: *Ergo tollitur humanæ libertatis uſus*; vel id non noverant? Hoc ſecundum nullo pacto dici poteſt citra gravem injuriam Patribus Tridentinis illatam, & patet ex diligenti illorum ſtudio eſſe omnino falſum. Igitur noverant. Vel ergo judicarunt, antecedens illud eſſe falſum & hæreticum; vel duntaxat conſecutionem, ſive illationem eſſe erroneam, illegitimam & hæreticam? Non primum, alias onus eis incubuiſſet illud antecedens proſcribendi formaliter & conceptis terminis; cum antecedens, ex quo per legitimam conſequentiam infertur conſequens hæreticum, ſit etiam hæreticum. Ergo Patres Concilii judicarunt, tantum, hanc Hæreticorum conſequentiam: *Ergo ex Præmotione phyſica tollitur humanæ libertatis uſus*, eſſe ſpuriam, illegitimam, & hæreticam. Atqui Thomiſtæ, una cum Patribus Concilii Tridentini, hanc Hæreticorum conſequentiam eſſe ſpuriam, illegitimam & hæreticam pronunciant; contra vero Moliniſtæ hanc conſequentiam eſſe veram ac legitimam affirmant; Subindeque Moliniſtæ mentem Patrum Concilii Tridentini non aſſequuntur.

Poſtremo (ut ſuperſedeam referendis aliis invictis momentis è Concilio Tridentino petitis, quæ, ſi tibi per otium liceat, apud doctiſſimum noſtrum *Antoninum Reginaldum* lectitare poteris) vel Patres Concili Tridentini admiſerunt, Præmotionem phyſicam non tollere Liberum hominis Arbitrium, vel admiſerunt Scientiam Mediam: cum ipſemet *Suares* lib. 2. *De Scientia Conditionatorum* cap. 4. & alii Scholæ Molinianæ Theologi ultro fateantur, alterutrum ex his duobus admittendum eſſe, ut nos ab Hæreticorum argumentis expedire valeamus: Atqui, a Patribus Concilii Tridentini nec admiſſam fuiſſe, nec admitti potuiſſe Scientiam Mediam manifeſto probant rationes, quas ſuperius adduxi; hoc unum igitur certiſſime concludendum eſt, Thomiſtas, Pręmotionis phyſicę, ſeu Gratię per ſe efficacis defenſores, germanæ menti Patrum Concilii Tridentini indivulſe adhærere; & ex adverſo Moliniſtas, Gratiæ verſatilis, & Scientiæ Mediæ aſſertores, veram illorum Patrum mentem non aſſecutos eſſe.

Reſpondeo nunc ad Moliniſtarum argumentum, &, conceſſa majori propoſitione, diſtinguo minorem: Atqui admiſſa Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, Liberum Arbitrium motum & excitatum a Deo non poteſt diſſentire *in ſenſu compoſito*, hoc eſt, non habet potentiam conjungendi actum, ad quem phyſice promovetur a Deo, cum actu oppoſito; concedo: non poteſt Liberum hominis Arbitrium prævie, & phyſice motum & excitatum a Deo diſſentire *in ſenſu diviſo*, ideſt, non retinet potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci, & actum oppoſitum eliciendi, ſejunctam ab actu oppoſito; nego. Patres itaque Concilii Tridentini hoc canone quarto Seſſionis ſextæ damnarunt errorem Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui effutiebant, ex peccato Adami invectam eſſe in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi, extinctum plane eſſe Liberum hominis Arbitrium, ſubindeque hominem ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis neceſſitari ad agendum, nec retinere potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci ſejunctam ab actuali diſſenſu, ſeu non habere potentiam non agendi; quæ potentia, ut fatentur omnes Orthodoxi Theologi, ad eſſentiam humanæ libertatis conſtituendam omnino requiritur. Non abnuo quidem, Lutheranos, & Calviniſtas, quo ſuam hæreſim occulrarent, ſolitos fuiſſe dicere, hominem in ſtatu naturæ lapſæ poſſe reſiſtere, ſeu diſſentire Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*: Sed id ſubdole, & hæretice dictitabant, utpote qui *ſenſum diviſum* ſic interpretabantur, ut vellent, hominem in ſtatu naturæ lapſæ poſse reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, ideſt (ut ajebant) *ſi Gratia per ſe efficax excutiatur, & a voluntate creata ſemoveatur*; ex quo inferebant, hominem in ſtatu naturæ lapſæ non retinere ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis potentiam ei reſiſtendi ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu & reſiſtentia.

Ab hoc Lutheranorum & Calviniſtarum errore, & a ſiniſtra atque hæretica *ſenſus diviſi* interpretatione immane quã-

tum diſtet Thomiſtarum doctrina. At enim, docent primo Thomiſtæ, hominem, ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis, retinere ſemper potentiam ei diſſentiendi *in ſenſu diviſo*, ſeu (ut catholice interpretantur) hominem ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis ſervare potentiam ei reſiſtendi, ſeu diſſentiendi ſejunctam ab actuali diſſenſu, & reſiſtentia; quamvis ultro fateantur Thomiſtæ, hominem, ſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci, non poſſe ei reſiſtere *in ſenſu compoſito*, ideſt (ut catholice interpretantur) hominem, ſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci, non habere potentiam ei diſſentiendi conjunctam cum actuali diſſenſu; id, inquam, ultro fatentur omnes Thomiſtæ, tum quia ſine hac potentia reſiſtendi, ſeu diſſentiendi Gratiæ conjuncta cum actuali diſſenſu ſarta tectaque manet eſſentia libertatis; tum quia etiam ſi potentia reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci conjuncta cum actuali diſſenſu requireretur ad eſſentiam libertatis, actum plane, ac conclamatum eſſet de Gratia per ſe efficaci, quæ (ut norunt omnes) cum infallibilem & eſſentialem habeat connexionem cum actu, ad quem prævie & phyſice movet voluntatem creatam, ſtare nunquam poteſt cum actu oppoſito. Quis autem, amabò, dicere audeat, hanc Catholicam, de Gratia per ſe efficaci doctrinam, & hanc etiam Orthodoxam Scholæ Thomiſticæ *de ſenſu compoſito, & de ſenſu diviſo* interpretationem fuiſſe a Patribus Concilii Tridentini proſcriptam, & una cum ſiniſtra & hæretica *ſenſus compoſiti & ſenſus diviſi* interpretatione Lutheranorum, & Calviniſtarum promiſcue eſſe confuſam?

Præterea, Hæretici Lutherani, & Calviniani, fuerunt jure optimo damnati a Patribus Concilii Tridentini; quia illi Hæretici aſſerebant, Liberum hominis Arbitrium, motum & excitatum a Deo Præmotione phyſica, nihil cooperari per aſſenſum Deo moventi & excitanti, ſed, veluti inanime quoddam, mere paſſive ſe habere.

Hunc autem errorem, a Concilio Tridentino confixum deteſtantur omnes ad unum Thomiſtæ; quippe qui docent, Deum, qui eſt prima & univerſalis rerum omnium effectrix cauſa, ſupremumque habens in omnes cauſas, cum liberas, tum neceſſarias, dominium, præmovere quidem phyſice ac determinare voluntatem creatam ad agendum; ſed tamen voluntatem creatam ſe ſe ipſam, tamquam cauſam ſecundam, libere determinare in virtute motionis Dei, a quo, velut a prima cauſa, ad bene operandum, omnino pendet. Quis enim, quæſo, fateri recuſet, Deum, qui poteſt omnia determinare, efficere poſſe, ut homo agat, & libere agat? Attingit enim Deus per influxum ſuum (ut docet Angelicus Doctor) non ſolum ſubſtantiam actionis, ſed etiam ejus modum; præmovet cauſas ſecundas juxta earum naturam, conditionem, & modum; neceſſarias modo neceſſario; liberas modo libero, ſubindeque voluntatem creatam ad agendum præmovet Deus non contra propriam ipſius inclinationem, ſed eam mutando, & ex nolente volentem, & ex mala bonam efficiendo. Quis autem voluntatem, creatam poſſe a Deo in bonum flecti, inclinari, mutari, & determinari inficiabitur? Voluntas itaque creata, tametſi a Deo, tanquam a prima rerum omnium cauſa, ad bene agendum præmota ac determinata, ſe ſe tamen libere ad agendum tanquam cauſa ſecunda, determinat: *Certum eſt* (inquit S. Auguſtinus lib. De Gratia & Libero Arbitrio cap. 16) *nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum, de quo dictum eſt .... præparatur voluntas a Domino .... Certum eſt nos facere cum facimus: ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam ut juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis.*

VI Urgent Molinianæ Scholæ Theologi. Si vera eſſet illa potentia reſiſtendi, ſeu diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, quam (ut dicunt Thomiſtæ) homo præmotus phyſice a Deo adhuc retinet, fieri poſſet aliqua hypotheſis, qua homo hanc potentiam ad actum reduceret, & Gratiæ per ſe efficaci revera diſſentiret, juxta illud celebre Philoſophorum Effatum: *Poſſibili*

ad

Digitized by Google

ad actum redacto, nihil ſequitur abſurdi: Atqui, fatentibus ipſimet Thomiſtis, nulla fieri poteſt hypotheſis, in qua homo, præmotus phyſice a Deo, reducat ad actum potentiam illam, quam habet reſiſtendi, ſeu diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, ergo hæc potentia reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, quam Thomiſtæ tribuunt homini præmoto phyſice a Deo ad aliquem actum, eſt plane inutilis, & omnino fruſtanea; cum nullus homo ejuſmodi potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci reduxerit ad actum, ſtante in ipſo Gratia efficaci; nec eam unquam ad actum, facta quacumque hypotheſi, reducturus ſit. Eſt etiam potentia hæc Thomiſtica reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo* contraria Concilio Tridentino, quod, dum ſanxit, *liberum hominis arbitrium motum, & excitatum a Deo poſſe diſſentire, ſi velit*, aperte indicat potentiam, quam habet homo, reſiſtendi Gratiæ efficaci *in ſenſu compoſito*, ſeu potentiam conjunctam cum actu, ideſt, cum actuali reſiſtentia & diſſenſu; non vero potentiam illam reſiſtendi Gratiæ efficaci *in ſenſu diviſo*, ſeu (ut ajunt Thomiſtæ) potentiam illam reſiſtendi Gratiæ efficaci ſejunctam ſemper ab actuali reſiſtentia, quæ nunquam reducetur ad actum. Quis enim credat, Patres Concilii Tridentini exiſtimaſſe ad conſtituendam eſſentiam humanæ libertatis ſat ſuperque ſufficere ſomnolentam illam & inertem Gratiæ per ſe efficaci diſſentiendi potentiam, ex qua nullus unquam actus prodierit, aut proditurus ſit, & quæ plane chymerica eſt? Hoc argumentum ſæpius, crambis inſtar recoctæ, obtrudit in duabus prioribus Diſſertationibus, quas *de Mente Concilii Tridentini*, lucubravit, *Livinus de Meyer*, Soc. Jeſu.

Verùm, facile diſſlatur hoc Moliniſtarum argumentum. Hæc enim potentia reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, quamvis nunquam reducetur ad actum, quandiu ſtabit in homine Præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax, eſt tamen vera potentia proxima, expedita, & cui nihil deeſt ex parte potentiæ. Id ut probent nonnulli Theologi, hoc utuntur exemplo: homo (inquiunt) veram habet potentiam ſe ſe deorſum è feneſtra præcipitem dandi, naſum amputandi, oculos effodiendi, manus truncandi, linguam abſcindendi; hanc tamen potentiam unquam homo, quandiu rationis compos erit, reducet ad actum. Sic pariter (inquiunt illi Theologi), potentia illa, quam habet homo reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, vera eſt potentia, licet non reducetur ad actum, quandiu perſtabit in homine Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax. Sed (cum bona venia illorum Theologorum, dixerim) hoc mihi non probatur adductum ab illis potentiæ exemplum. Enim vero, hæc potentia, quam habet homo præcipitem ſe è feneſtra dandi, eſt tantum potentia remota, abſoluta, & organica; ſed non eſt proxima & expedita, quæ omnino requiritur, ut homo in ſuis actibus plena atque perfecta gaudeat libertate.

Quapropter ipſe, ut evincam, dari veram potentiam proximam & expeditam, quæ tamen nunquam reducetur ad actum; tria luculentiſſima proferam exempla, quæ præſenti difficultati maximam lucem affundent, & quibus adverſarii Scholæ Thomiſticæ reluctari minime poſſunt. In primis, certum eſt, Deum habere veram, complètam, proximam & expeditam potentiam producendi plures mundos, & tamen hanc potentiam Deus nunquam reducet ad factum. Secundò, conſtat, hominem, qui actu ſedet, habere veram, proximam & expeditam potentiam deambulandi; & tamen hanc potentiam, quandiu actu ſedebit, non reducet ad actum. Denique, docent Moliniſtæ, Gratiæ congruæ aſſertores, hominem, qui donatus eſt Gratia efficaci congrua, habere veram potentiam proximam & expeditam ei reſiſtendi, ſed hanc potentiam nunquam hominem reducturum ad actum, quandiu in ipſo ſtabit Gratia efficax congrua. Quidni igitur a pari poterunt Thomiſtæ dicere, hominem habere veram proximam, & expeditam potentiam reſiſtendi, ſeu diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci; ſed hanc tamen potentiam nunquam.

quam reductum ad actum, quamdiu homo erit ſub imperio Præmotionis, ſeu Gratiæ per ſe efficacis? *Alia ſexcenta poſſunt occurrere* (inquit S. *Auguſtinus* cap. 1. lib. De Spiritu & Littera) *quæ fieri vel potuiſſe, vel poſſe, fateamur, & eorum tamen exempla, quod facta ſint, proferre nequeamus*; hinc ab eodem Sancto Doctore cap. 42. lib. *De Natura, & Gratia*, duplex diſtinguitur poſſibilitas, nimirum *Poſſibilitas ſine effectu*, & *Poſſibilitas cum effectu*.

Ad celebre illud, quod in argumento adducitur, Philoſophorum Effatum: Reſpondeo, *Poſſibili redacto ad actum nihil ſequitur abſurdi*, ſi redigatur ad actum eo modo, quo redigi poteſt, concedo: ſi redigeretur alio modo, nego. Porro, potentia, quam habet homo, reſiſtendi Præmotioni phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficaci, non eſt reducibilis in actum conjunctum cum Præmotione phyſica, ſeu cum Gratia per ſe efficaci, ſed eſt duntaxat reducibilis in actum præciſum a Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci. Hinc S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 10. Art. 4. docet quidem non eſſe ſimpliciter impoſſibile, quod voluntas creata non velit id ad quod Deus eam movet; ſubdit tamen Doctor Angelicus, facta ſemel hypotheſi, quod Deus moveat voluntatem creatam, impoſſibile eſſe, hoc eſt, *in ſenſu compoſito*, quod voluntas creata non velit id, ad quod Deus eam movet. Objicit enim ſibi S *Thomas*, loco mox a me laudato, hoc argumentum, quod in Schola Moliniana palmare nunc eſt & pervulgatum: *Poſſibile eſt, quo poſito, non ſequitur impoſſibile, ſequitur autem impoſſibile, ſi ponatur quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet, quia ſecundum hoc operatio Dei eſſet inefficax; non ergo eſt poſſibile, voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet, ergo neceſſe eſt eam hoc velle*. Huic argumento ſic appoſite reſpondet Doctor Angelicus: *Dicendum*, inquit, *quod ſi Deus movet voluntatem ad aliquid, impoſſibile eſt poni quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen eſt impoſſibile ſimpliciter*. *Unde non ſequitur quod voluntas a Deo ex neceſſitate moveatur*. Quibus verbis aperte innuit S. *Thomas*, poſſe quidem hominem *in ſenſu diviſo* non velle id ad quod Deus eum movet; ideſt, hominem habere potentiam reſiſtendi, ſeu diſſentiendi motioni Dei, ſeu Gratiæ per ſe efficaci, ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali reſiſtentia; hominem tamen non poſſe *in ſenſu compoſito* non velle id ad quod Deus eum movet; hoc eſt, hominem non retinere potentiam reſiſtendi motioni Divinæ, ſeu Gratiæ per ſe efficaci, conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia.

VII. Poſtremo, falſum eſt, quod P. *Livinus de Meyer*, aliique Moliniſtæ aſſerunt, videlicet Patres Concilii Tridentini, dum canone 4. Seſs. 6. contra Lutheranos & Calviniſtas definierunt, *Liberum hominis Arbitrium, motum & excitatum a Deo, poſſe diſſentire, ſi velit*, per illud *poſſe diſſentire*, intellexiſſe potentiam, quam habet homo, diſſentiendi Gratiæ efficaci etiam *in ſenſu compoſito*, ita ut juxta mentem Patrum Concilii Tridentini, homo non eſſet liber, niſi poſſet diſſentire Gratiæ efficaci *in ſenſu compoſito*, ideſt, niſi haberet homo potentiam diſſentiendi Gratiæ efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſſenſu & reſiſtentia; id, inquam, quod tam fidenter aſſeverant Moliniſtæ, falſum eſſe, & a germana mente Patrum Concilii Tridentini prorſus alienum, multis momentis evinco: Primò, Patres Concilii Tridentini (ſicut paulo ante commonſtravi) in dirimendis contra Hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas circa Gratiam & Liberum Arbitrium Controverſiis non uſi ſunt Scientia Media, ſed uſurparunt Syſtema de Gratia per ſe efficaci. Unde manifeſto ſequitur, Patres Concilii Tridentini non exiſtimaſſe, hominem poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu compoſito*, ideſt, hominem habere potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia. Cum enim Gratia, quæ a ſe, ſeu natura ſua efficax eſt, habeat infallibilem & eſſentialem connexionem cum voluntatis conſenſu, fieri nunquam poteſt, ut homo Gratiæ per ſe efficaci reſiſtat *in ſenſu compoſito*, ſeu

non

Digitized by Google

non habet homo potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia; alioqui Gratia non eſſet a ſe ipſa efficax, quam voluntas actuali diſſenſu ſuo, ſeu reſiſtentia, redderet inefficacem, quod eſt contra hypotheſim, & naturam Gratiæ per ſe efficacis, quæ ſemper ac eſſentialiter effectum in ſuo conceptu, ſeu notione, involvit, & indiſſolubili nexu cum ipſo connectitur.

Patres itaque Tridentini, qui (ſicut jam ex dictis ſat probatum manet) Gratiæ per ſe efficacis Syſtema, in dirimendis contra Lutheranos, & Calviniſtas circa Gratiam & Liberum hominis Arbitrium Controverſiis, uſurparunt; nullo pacto definierunt, hominem poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu Compoſito*, ſeu hominem habere potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia; ſed Patres Concilii Tridentini, damnando errorem Lutheranorum, & Calviniſtarum, qui pertendebant, Gratiam per ſe efficacem imponere neceſſitatem voluntati creatæ, & Liberum hominis Arbitrium penitus extinguere, definierunt duntaxat, hominem poſſe reſiſtere Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, ideſt, hominem præmotum phyſice a Deo retinere ſemper potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci ſejunctam ab actuali diſſenſu ac reſiſtentia, & dum agit ſub imperio Gratiæ, poſſe non agere; in qua potentia non agendi tam Patres Concilii Tridentini, quam omnes antiqui Theologi, qui avitam Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, doctrinam de Gratia per ſe efficaci ſectati ſunt, veram eſſentiam & naturam humanæ libertatis conſtituerunt, quorum veſtigiis inſtitit ſemper & inſiſtet Schola Thomiſtica, cui S. *Thomas*, Theologorum omnium facile princeps, Gratiæ per ſe efficacis tutelam concredidit.

Præterea, ſi Patres Concilii Tridentini exiſtimaſſent, Liberum hominis Arbitrium, a Deo motum & excitatum, ſub ea motione manere ex utraque parte ſuſpenſum, & ita in æquilibrio poſitum, ut poſſet etiam diſſentire *in ſenſu compoſito*, ideſt, ut haberet potentiam diſſentiendi motioni Divinæ conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſſenſu & reſiſtentia; ſi, inquam, in hac ſententia verſati fuiſſent Patres Tridentini, exiſtimaſſent etiam, nullam dari ex parte Dei prævenientem Gratiam efficacem, qua efficeretur, ut Liberum hominis Arbitrium infallibiliter conſentiret; & ſenſiſſent, motionem illam & excitationem Divinam movere tantum moraliter & objective voluntatem, atque hujus conditionis eſſe illam motionem Divinam, & Gratiam, ut poſſet Liberum hominis Arbitrium eam pro libito efficacem vel inefficacem reddere, conſentiendo, vel diſſentiendo; porro, ſi ita ſenſiſſent & docuiſſent Patres Concilii Tridentini, omni procul dubio potuiſſent unico verbo proterere ac profligare hæreſim Lutheranorum & Calviniſtarum; negando, quod ab illis Hæreticis pro fundamento & principio erroris ſui ſupponebatur, & oſtendendo, illos Hæreticos errare in principio ac fundamento, quod jaciebant, videlicet in eo, quod aſſererent ac docerent, Deum ſuæ Gratiæ per ſe efficacis motione præveniente, efficaciter & in genere cauſæ efficientis Liberum hominis Arbitrium movere ac prædeterminare; hoc, inquam, fundamento ac principio ſemel everſo, penitus finita lis erat, nec opus fuiſſet tanto labore tot capita, tot regulas fidei canoneſque condere, tot Theologos ex omnibus Orbis partibus accerſere, totque inter illos diſputationes inſtituere, cum totam illam quæſtionem nullo negotio & intra horam dirimere, nodumque ſolvere potuiſſent Patres Concilii Tridentini, definiendo, Deum non præmovere per gratiam ſuam ſe ipſa efficacem voluntatem creatam, ſed illam duntaxat movere moraliter & objective; voluntatem vero creatam, dum ſua libertate huic morali motioni conſentit, eam efficacem reddere, dum vero non conſentit, eam inefficacem reddere. Atqui tamen Patres Concilii Tridentini nunquam damnarunt fundamentum ac principium, quo nitebantur *Lutherus* & *Calvinus*, in eo ſitum, quod dicebant: *voluntatem creatam a Deo per Gratiam*

ſe

ſe ipſa efficacem præmoveri & determinari ad agendum, ſed tantummodo Patres Concilii Tridentini damnarunt hanc hæreticam conſecutionem, quam ex eo principio *Lutherus* & *Calvinus* perperam deducebant: *Ergo per Gratiam ſe ipſa efficacem præmoveri & extinctum manet Liberum hominis Arbitrium*.

Nunquam etiam Patres Concilii Tridentini definierunt, voluntatem creatam moveri duntaxat a Deo moraliter & objective per Gratiam verſatilem, & ſubditam, quantum ad ſui efficaciam, Libero hominis Arbitrio (quod tamen definire debuiſſent, ſi revera exiſtimaſſent falſum eſſe & hæreticum illud, quo *Lutherus* & *Calvinus* nitebantur, principium: *Deus per Gratiam ſeipſa efficacem prævie & phyſice movet voluntatem creatam ad agendum.*) Sequitur ergo, Patres Concilii Tridentini agnoviſſe illud principium eſſe Catholicum, avitæ doctrinæ SS.Patrum, Conciliorum, Summorum Pontificum, & Theologorum apprime Conſentaneum, ſubindeque, *dum ſanxerunt, Liberum Arbitrium motum & excitatum a Deo poſſe diſſentire*, non intellexiſſe Patres Concilii Tridentini potentiam, quam habeat homo, reſiſtendi motioni Divinæ, ſeu Gratiæ efficaci, *in ſenſu compoſito*, ideſt, per illud *poſſe diſſentire*, non intellexiſſe potentiam diſſentiendi motioni Divinæ conjunctam cum actu; ſeu cum actuali diſſenſu & reſiſtentia, ſed ſolum definiiſſe Liberum hominis Arbitrium motum & excitatum a Deo prævie & phyſice per Gratiam ſe ipſa efficacem ad agendum, poſſe ei diſſentire *in ſenſu diviſo*, ideſt, Liberum hominis Arbitrium, prævie & phyſice motum a Deo, habere potentiam (etiam perſtante in ipſo Gratia ſe ipſa efficaci) diſſentiendi, ſeu reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci, ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu & reſiſtentia; quam quidem potentiam reſiſtendi Gratię per ſe efficaci ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu & reſiſtentia hominem non habere, quandiu in ipſo ſtat Gratia per ſe efficax, aſſerebant *Lutherus* & *Calvinus*, indeque Liberum hominis Arbitrium extinguebant ac præſocabant.

Tertiò, ſi Patres Concilii Tridentini per potentiam, quam definiunt habere hominem, diſſentiendi motioni Divinæ, intellexiſſent potentiam reſiſtendi motioni Divinæ *in ſenſu compoſito*, ſeu intellexiſſent potentiam reſiſtendi motioni Divinæ conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſſenſu & reſiſtentia, ſibi aperte contradixiſſent; quia in eo canone quarto Seſſionis ſextæ definiunt, neceſſe eſſe ut duo iſta jungantur, videlicet Liberum Arbitrium, motum & excitatum a Deo, debere actu cooperari aſſentiendo, & tamen poſſe diſſentire ſi velit; atqui ſi Patres Concilii Tridentini loquerentur de potentia reſiſtendi motioni Divinæ *in ſenſu compoſito*, ſeu de potentia conjuncta cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia, neceſſe non eſſet, ut hæc duo jungerentur, ſcilicet motio Dei, & cooperatio Liberi Arbitrii; contingere enim aliquando poſſet, ſi ſemel Liberum hominis Arbitrium poſſet motioni efficaci Dei reſiſtere *in ſenſu compoſito*, ideſt, ſi haberet Liberum hominis Arbitrium poteſtatem reſiſtendi motioni efficaci Dei conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia, contingere (inquam) poſſet aliquando. facta illa hypotheſi, Liberum hominis Arbitrium ita poſſe diſſentire motioni Divinæ, ut re ipſa aliquando diſſentiret, ſicque falſum eſſet quod definiunt Patres Concilii Tridentini, videlicet neceſſe eſſe, ut duo iſta jungantur, ſcilicet motio Dei, & cooperatio Liberi Arbitrii: *Si quis dixerit Liberum Arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo moventi, anathema ſit*.

Ut igitur ab hac contradictione Patres Concilii Tridentini vindicentur, dicendum eſt, Patres Concilii Tridentini definiiſſe primò: Deo moventi Liberum hominis Arbitrium, ſemper cooperari Liberum hominis Arbitrium libere aſſentiendo afficaci motioni Dei, quia, ſicut pluribus in locis docet S. Thomas, *Quod Deus moveat ad aliquid, & quod voluntas ad illud non moveatur, impoſſibile eſt* ſcilicet *in ſenſu compoſito* ideſt, Liberum Arbitrium, motum & excitatum a Deo efficaciter, non habet

potentiam reſiſtendi huic motioni Divinæ conjunctam cum actu, ſeu cum actuali reſiſtentia; id enim, juxta germanam Patrum Concilii Tridentini mentem, & doctrinam Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ*, prorſus impoſſibile eſt.

Secundò, dicendum eſt, Patres Concilii Tridentini definiiſſe contra Lutheranos & Calviniſtas, Liberum Arbitrium motum & excitatum prævie & phyſice a Deo, libere conſentire, eique motioni Divinæ; quantumvis efficaciſſimæ, poſſe diſſentire *in ſenſu diviſo*; ideſt, Liberum hominis Arbitrium retinere ſemper ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis potentiam ei diſſentiendi ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu & reſiſtentia. Hic eſt verus ac legitimus hujus canonis Concilii Tridentini ſenſus, quem ſuo calculo approbant Theologi cùm antiqui, tum recentiores, ſaltem illi, qui a partium ſtudio ſunt alieni, quique doctrinam Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci, Patribus Concilii Tridentini omnino probatam, ſectantur.

Denique, Patres Concilii Tridentini aperte in hoc quarto Seſſionis ſextæ Canone innuunt, potentiam illam, quam habet Liberum hominis Arbitrium, diſſentiendi efficaci motioni Dei, eſſe veram & integram potentiam, cui nihil plane deeſt ex parte potentiæ, quamvis ſtante in homine prævia & phyſica motione Dei, ſeu Gratia per e efficaci, potentia hæc Divinæ iſti motioni reſiſtendi ſit ſejuncta ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu & reſiſtentia, nec (ſtante in homine eadem Divina motione) reducenda ſit ad actum, ſeu ad actualem reſiſtentiam. Hanc eſſe veram Patrum Concilii Tridentini mentem conſtat ex laudato Canone quarto, in quo ſapientiſſime ab ejuſdem Concilii Patribus dictum eſt, Liberum hominis Arbitrium, motum & excitatum a Deo, *poſſe diſſentire, ſi velit*; ut innuerent, integram manere potentiam volendi & non volendi, reſiſtendi vel non reſiſtendi; adeo ut cauſa, cur homo non diſſentiat, eſt quia non vult diſſentire, utpote determinatus per Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, quæ intrinſeca ſui virtute efficit, non quidem ut homo non poſſit non velle, ſed duntaxat ut non velit diſſentire, quamdiu in ipſo ſtabit Præmotio, ſeu Gratia per ſe efficax. Volunt itaque Patres Concilii Tridentini, hominem habere veram, & integram potentiam reſiſtendi, ſeu diſſentiendi Præmotioni phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficaci; quæ tamen non reducetur ad actum, quamdiu in homine perſtabit Gratia efficax, quia ejuſmodi potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci nunquam volet homo reducere ad actum, ſtante in ipſo Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, quæ efficit, ut homo non velit Gratiæ per ſe efficaci reſiſtere, quamdiu erit ſub illius imperio; tametſi homo, perſtante in ipſo Gratia per ſe efficaci, poſſit velle ei reſiſtere, ſeu diſſentire.

Ex quo plane colligitur, Patres Concilii Tridentini, dum definierunt, Liberum Arbitrium, motum, & excitatum a Deo, *poſſe diſſentire*, per illud, *poſſe*, intellexiſſe potentiam reſiſtendi, ſeu diſſentiendi efficaci motioni Divinæ *in ſenſu diviſo*, ideſt, potentiam ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali reſiſtentia, quæ, ſtante in homine Gratia per ſe efficaci, non reducetur ad actum; non vero Patres Concili Tridentini per illud, *poſſe diſſentire*, intellexiſſe potentiam diſſentiendi Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu compoſito*, ſeu potentiam reſiſtendi Gratiæ per ſe efficaci conjunctam cum actu, ideſt, cum actuali diſſenſu & reſiſtentia.

Hac explicatione ſat ſuperquæ confutata manet falſa & ſiniſtra interpretatio, qua *Livinus de Meyer*, Soc. Jeſu, hunc canonem Concilii Tridentini in ſuæ Scholæ Molinianæ ſenſum præpoſtere detorſit in ſuis Diſſertationibus *De Mente Concilii Tridentini*. Quapropter, ne tibi, cariſſime Diſcipule, nimia prolixitate obſtrepam, hic erit Epiſtolæ meæ terminus. Sat enim lato calamo ar-

Digitized by Google

arbitror me oſtendiſſe, Patres Concilii Tridentini, in dirimendis contra Hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas Controverſiis circa Præſcientiam Dei, Prædeſtinationem, Gratiam, & Liberum hominis Arbitrium uſos fuiſſe antiquo de Gratia per ſe efficaci Syſtemate, quod hactenus Schola Thomiſtica invicte propugnavit, & Divino propitio Numine, æternum propugnabit. Vale, & legeſis ſæpius Acta Concilii Tridentini, nec non Catechiſmum, juſſu ejuſdem Concilii editum *hæc*, inquam, *ſæpius meditare, in his eſto, ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus; attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis hoc enim faciens, & te ipſum ſalvus, facies, & eos, qui te audiunt*, verba ſunt Apoſtoli *Pauli* Ep. I. *ad Timotheum* cap. I.

Digitized by Google

EPISTOLA OCTAVA
THEOLOGICA,

De eſſentia libertatis creatæ, & de modo eam cum Præmotione phyſica, ſeu cum Gratia per ſe ipſam efficaci, conciliandi.

ANtequam in hacce Epiſtola aperiam Scholæ Thomiſticæ de eſſentia Libertatis creatæ, & de modo eam cum Præmotione phyſica, ſeu cum Gratia per ſe efficaci, conciliandi ſententiam; præmittam ac breviter refellam errores quorumdam, qui Libertatem creatam aut nimis laxant ac dilatant, aut eam, verſa vice, nimis reſtringunt, immo re ipſa tollunt.

I. In primis, Pelagiani, Gratiæ Chriſti conjurati hoſtes, & Liberi Arbitrii inflatores, eo audaciæ proruperunt, ut dicerent, eſſe in homine lapſo æquilibrium, quo ad bonum ſupernaturale, & ad malum æqualiter per ſolam naturam inclinaretur, adeo ut homo in ſtatu naturæ lapſæ poſſit per ſolas naturæ vires, & citra ullam Chriſti Gratiam pervenire ad veram pietatem, vel cogitare, aut velle, aut operari ea, quæ pertinent ad vitam æternam. Sed hic Pelagianorum error facile revincitur. Si enim homo in ſtatu naturæ lapſæ, ſola natura duce, ad veram pietatem pervenire poſſet, certiſſime omnium primi ad veram pietatem perveniſſent Philoſophi Gentiles. Illi ſiquidem acutiſſimum ſortiti a natura ingenium, exquiſitiſſimis illud cogitationibus locupletarunt, ſtudioque & arte roboraverunt, univerſum orbem luſtraverunt, pulchra quæque ac ſpectabilia collecturi; Reſpublicas inſtituerunt, Leges Mundo ſcripſerunt, nihil denique, ut numeris omnibus perficerent naturam, intentatum reliquerunt. Nullibi igitur glorioſius, quam in his excellentioribus hominum naturis ſedit humana ſapientia, nullibi illuſtrior refulſit natura.

Et tamen, quid in illis potiſſimum hominibus valeat natura ſibi permiſſa, liquido patet. Quibus enim Philoſophia medicina vitiorum & ſalutis via eſſe debuiſſet, his ſcopulus fuit, & lapis offenſionis: Evanuerunt in cogitationibus ſuis, gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem creaturæ corruptibilis mutaverunt, & quanto altius per ſtultam hujus ſæculi ſapientiam ſe ſe extulerunt, tanto per paſſiones ignominiæ viliores facti ſunt. Quod ſi imperita plebe doctiores, muta hominum aut animalium ſimulacra pro Diis non coluerunt; nihilo tamen excuſabiliores extiterunt, ſive quod per ſummam ignaviam Idolorum culturæ conſenſerint, ſive quod ipſi putidis, ſtolidiſſimiſque commentis ſinceram veri Numinis notitiam adulteraverint; tametſi è rerum in hac univerſitate mirabilium conſpectu probe noſſent exiſtere Deum, ſupremum rerum omnium opificem, ſubindeque ei genu curvandum. Sed quot in his Philoſophis, licet id ætatis toto orbe clariſſimis, vitiorum fæditates! quot errores! quæ morum levitas! quantum ſupercilium! quantum ſceleris & flagitii! Repudiari itaque debet hæreticum illud æquilibrium, quod Pelagiani in homine lapſo admittebant; & quo ad bonum ſupernaturale æque ad malum per ſolam naturam abſque conſortio Gratiæ hominem inclinari ogganiebant. Hic error damnatus fuit non ſolum in Conciliis, quæ olim contra Pelagianos fuerunt celebrata, ſed etiam in Oecumenico Concilio Tridentino Seſſione ſexta canone 3. ubi definitum eſt, hominem lapſum non poſſe ullum opus

opus bonum ſupernaturale elicere abſque Gratia: *Si quis dixerit* (ſunt verba illius Synodi) *ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, aut diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur, anathema ſit*.

II. Fuerunt nonnulli, qui eſſentiam libertatis creatæ in ſtatu naturæ lapſæ conſtituebant in altero æquilibrio, in quo vires gratiæ & concupiſcentiæ ita pares ſint & æquales, ut voluntas hominis tam a Gratia, quam a concupiſcentia, æqua lance libretur, & in unam partem non magis inclinetur & propendeat quam in aliam, ſed æqualiter hinc inde afficiatur. Verum, iſtud male natum Syſtema, ſtatim ac prodiit in lucem, communi omnium Catholicorum conſenſu natalitiis ſuis tenebris fuit damnatum, tum quia (ut memini, me in alia Epiſtola jam obſervaſſe) nemo eſt in ſtatu naturæ lapſæ, qui, velit nolit, non experiatur perduellem concupiſcentiam, & domeſticam illam luctam, quæ in nobis eſt, carnem inter & ſpiritum; ſentimus, inquam, omnes in hac miſeriarum valle, nos ad malum magis eſſe propenſos quam ad bonum, tum quia etiam hoc Syſtema opponitur Hiſtoriæ Sacræ, quæ refert, poſt lapſum Adami, homines in prima mundi ætate jam tum expertos fuiſſe, quantis mentem haberent obſcuratam tenebris, quot plenam cupiditatibus; tantamque in illis tempore diluvii regnaſſe iniquitatem, ut unus inventus fuerit homo juſtus, *Noemus* cum familia ſua, cæteri vero homines communi iniquitate diluvio fuerint conſepulti. Refert itidem Hiſtoria Sacra innumera flagitia, ſacrilegia, Idololatriam, defectiones, prævaricationes, obmurmurationes totius ferme populi Judaici ſub *Moyſe*, eorum Legislatore, ſub Judicibus, & Regibus uſque ad Chriſtum.

Exhibet quoque eadem Hiſtoria extraneas a populo Judaico nationes, tanquam altiſſima caligine, ac nefandorum ſcelerum contagione involutas. Quin, & poſt redemptionem generis humani, a Chriſto Domino, Salvatore noſtro, factam, ut nihil in præſentia dicam de pluribus Regionibus per immenſi quæ vel non ita pridem a nobis cognitæ, & necdum Fidem Chriſti ſunt edoctę, vel quæ, nobis hactenus imperviæ, jacent adhuc in denſiſſimis Idololatriæ tenebris; ut prætermittam etiam tot Judęos, tot Hæreticos, tot Schiſmaticos, quibus extra Eccleſiam Catholicam, quæ eſt ſola vera Sponſa Chriſti, poſitis nullus ad veram pietatem, & ad ſalutem æternam aditus patet: ut (inquam) hæc omnia prætermittam, certum eſt, pene innumeros eſſe in Catholica Eccleſia homines, qui ſuę concupiſcentiæ pondere depreſſi, & æſtu paſſionum abrepti ferantur in vitia, & in cæno deliciarum mundi volutantur. Fervet cæcis cupiditatibus prima eorum juventus, illicitis quibuſque ac perverſis deſideriis agitur in pręceps; iniquitatem bibit quaſi aquam, & inter impotentiſſimos Mundi amores ſtat ſecura, funeſtam mentis pacis quietem confoventibus ac promoventibus cæcitatis ſuæ tenebris. In eorum adoleſcentia creſcit in immenſum libido, evaditque ſimilis torrenti, qui, obice poſito, ſit vehementior, ad ſuperandam objectam molem majori impetu enititur.

Quæ cum ita ſint, quis, amabo, non videt, non tantum experientiæ contrarium, ſed etiam hæreticum eſſe aſſerere, dari in homine lapſo iſtud æquilibrium; in quo vires gratiæ & concupiſcentiæ ita ſint pares & æquales, ut voluntas æqua lance ultro citroque librata, non magis in unam partem, quam in aliam inclinetur, hoc eſt, non magis in bonum, quam in malum propendeat, ſed æqualiter hinc inde afficiatur. *Julianus* Hæreticus Pelagianus, idem æquilibrium in homine lapſo admittebat, quem Sanctus *Auguſtinus* libro VI. Operis poſtremi contra eumdem *Julianum* capit. 120. refellit his verbis: *An hic libra tua conaris ex utraque parte per æqualia momenta ſuſpendere, ut voluntas quantum eſt ad malum, tantum etiam ſit ad bonum libera? vergendo te in unam partem te judicat delirantem*. Legeſis Epiſtolam 186. ad S. *Paulinum*, in qua

S. Auguſtinus diſerte teſtatur, idem æquilibrium fuiſſe admiſſum ab Hæreſiarcha *Pelagio*, ibidemque hoc *Pelagii* & *Juliani* æquilibrium S. *Auguſtinus* procul depellit. Qui enim fieri poteſt, ut voluntas hominis lapſi ſemper appenſam habeat libram illam, qua per æqualia momenta, & eodem plane modo in utramque partem, hoc eſt, in bonum & in malum, propendeat; cum de Fide certum ſit, voluntatem hominis lapſi ad malum ſibi ſufficere, ſuoque pondere deorſum vergere & inclinari; ſed voluntatem hominis lapſi ad bonum nihil poſſe, ſaltem ſupernaturale, niſi adjuverur ab omnipotenti bono, & ab ipſo ſurſum erigatur. Faceſſat itaque iſtud alterum æquilibrium.

III. Præter iſta duo æquilbria, quæ, ab Hæreticis Pelagianis excogitata, ſummo omnium Catholicorum conſenſu rejiciuntur, tertium æquilibrium in homine lapſo adimittunt Scholæ Molinianæ Theologi, qui negant Gratiam eſſe per ſe efficacem, & determinare voluntatem ad agendum. Docent quippe illi Theologi, voluntatem creatam in ſtato naturæ lapſæ ita præveniri a Gratia verſatili & ſubdita libero hominis arbitrio, ut voluntas creata poſt receptioneni iſtius Gratiæ maneat in æquilibrio, ideſt, ſuſpenſa, & indifferens ad conſentiendum huic Gratiæ verſatili, vel ad ei diſſentiendum, ſeu ad reddendam illam Gratiam, per conſenſum ſuum, efficacem, vel inefficacem per ſuum diſſenſum. Hinc inferunt Scholæ Molinianæ Theologi, nullo pacto admitti debere Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, quia tollit iſtud voluntatis creatæ æquilibrium, ſeu hanc indifferentiam, quam habet voluntas creata hominis lapſi conſentiendi vel non conſentiendi Divinæ Gratiæ, eamque per conſenſum ſuum reddendi efficacem, vel inefficacem per ſuum diſſenſum.

Hoc tertium æquilibrium ubinam expiſcati ſint Moliniſtæ, non vacat hic inquirere. Hoc tamen certiſſime dicam, de hoc æquilibrio, in quo perperam Moliniſtæ eſſentiam libertatis creatæ conſtituunt; nullam prorſus fieri mentionem, ſive in Decretis Summorum Pontificum, ſive in definitionibus Conciliorum, ſive in Sanctorum Petrum & antiquorum Theologorum Operibus, ſed toti retro antiquitati in Eccleſia Catholica ignotum plane fuiſſe, illudque ſtatim ac a *Molina* & ipſius Diſcipulis, ad explicandam eſſentiam libertatis creatæ, fuit uſurpatum, omnibus Theologis, avitæ doctrinæ de Gratia per ſe efficaci retinendæ tenaciſſimis, novum omnino apparuiſſe, & ab univerſitatibus Lovanienſi & Duacenſi, & a Scholis, potiſſimum Auguſtiniana, & Thomiſtica, vehementer impgnatum, & rejectum eſſe propter bene multas rationes, quarum duntaxat aliquas, hic, brevitatis ergo, ſubjiciam.

Et primò quidem, ſi eſſentia libertatis creatæ ſiſteret in hoc Moliniſtarum æquilibrio, ſequeretur, doctrinam de Gratia per ſe efficaci eſſe tanquam hæreticam proſcribendam, quia deſtrueret iſtud æquilibrium, in quo ſita ſupponitur eſſentia libertatis creatæ. Certum quippe eſt, idque omnes ad unm fatentur Thomiſtæ, Gratiam per ſe efficacem determinare prævie & phyſice voluntatem crearam ad agendum, nec expectare illius conſenſum ut fiat efficax, nec illam relinquere ſuſpenſam, & in æquilibrio poſitam, ſed ilam applicare ad agendum, & habere infallibilem nexum cum actione. Deſtrueret ergo doctrina de gratia per ſe efficaci iſtud æquilibrium, in quo pertendunt Moliniſtæ totam ſiſtere eſſentiam, & veram libertatis createę notionem, ſubindeque doctrina Thomiſtica de Gratia per ſe efficaci (ſi audiantur Scholæ Molinianæ Theologi) damnanda eſſet tanquam hæretica. Quis autem dicere audear, doctrinam de Gratia per ſe efficaci, quæ ſemper in Schola Thomiſtica, juxta mentem Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, juxta Decreta Summorum Pontificum, juxta definitiones Conciliorum, potiſſimum Tridentini, fuit conſtanter ac preſeveranter propugnata, atque etiamnum, ſciente & approbante Eccleſia Catholica, ſtrenue propugnatur, eſſe hæreticam.

Præterea, ſi eſſentia libertatis createę

ſita

ſita eſſet in iſto Moliniſtarum æquilibrio, in quo voluntas ita ad agendum ſuſpenſa hæreret, ut gratiam ſibi oblatam a Deo, determinaret, ſi vellet, eamque per conſenſum ſuum redderet efficacem, vel inefficacem per ſuum diſſenſum; palam inde ſequeretur, omnes illos Theologos, qui inficiantur iſtud æquilibrium, in quo Moliniſtæ ajunt reponendam eſſe libertatis creatæ eſſentiam, in apertam impingere hæreſim, quippe qui, negantes iſtud Moliniſtarum æquilibrium, deſtruerent eadem opera eſſentiam libertatis creatæ; atqui Eccleſia Catholica nunquam pro Hæreticis habuit Theologos tam Scholæ Auguſtinianæ, quam Thomiſticæ, qui recta fronte iſtud Molinianum æquilibrium impugnant, qui negant Gratiam eſſe verſatilem, eamque ita mancipari voluntatis creatæ imperio, ut evadat efficax per ejus conſenſum, inefficax vero per ipſius diſſenſum; hos, inquam, utriuſquæ Scholæ Theologos nunquam pro Hæreticis habuit Eccleſia Catholica, ſed potius illos agnovit, & nunc etiam agnoſcit tanquam germanos Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* Diſcipulos. Ex hoc itaque publico Eccleſiæ judicio aperte colligitur, Eccleſiam Catholicam non probare iſtud Moliniſtarum æquilibrium, nec cenſere, eſſentiam libertatis creatæ in prædicto æquilibrio eſſe conſtituendam.

Poſtremò, iſtud Moliniſtarum æquilibrium nititur principio, quod, intellectum in ſenſu Moliniſtarum, falſiſſimum eſt. Ajunt enim, eſſentiam libertatis creatæ ſiſtere in indifferentia, quam habet voluntas agendi vel non agendi, quæ indifferentia, ajunt Moliniſtæ, neceſſario ſupponit aliquod æquilibrium, in quo voluntas creata ita ſuſpenſa & indifferens maneat, ut, ſi velit, determinet Gratiam ſibi a Deo oblatam ad agendum, eamque reddat efficacem per ſuum conſenſum, vel inefficacem per ſuum diſſenſum; indeque inferunt, ideo non admittendam eſſe Gratiam per ſe efficacem, quia, cum prævie & phyſice determinet voluntatem creatam ad agendum, tollit ſubinde iſtud voluntatis æquilibrium, ſeu indifferentiam, quam habet voluntas creata agendi vel non agendi, determinandi per ſe, & per ſuam determinationem bene vel male pro ſuo Arbitrio Gratia ſibi oblata utendi. Aſt, ſi iſtud principium, quo Moliniſtæ ad ſuum ſtabiliendum æquilibrium utuntur, quodque ad conſervandam eſſentiam creatæ libertatis, quæ tota conſiſtit in indifferentia, quam habet voluntas, determinandi ſe, & in potentia, qua præſertim pollet agendi vel non agendi, Gratiæ aſſentiendi, vel ei diſſentiendi, omnino neceſſarium eſſe aſſerunt; ſi, inquam, iſtud principium eo in ſenſu intelligatur, quo a Scholæ Molinianæ Theologis uſurpari ſolet, tam falſum eſt, quam quod maxime; ſicut facile percipies, ſi ad duas ſequentes Obſervationes animum tantiſper advertere non te pigeat.

Primò velim obſerves, duplicem a Theologis diſtingui *indifferentiam*, unam videlicet, quam vocant *negativam*, ſeu *privativam*, vel *ſuſpenſivam*; & alteram, quam appellant *indifferentiam poſitivam & activam*. Prior indifferentia, quam Theologi vocant *negativam*, ſed *privativam*, vel *ſuſpenſivam*, nihil aliud eſt, quam *negatio ſeu privatio omnis plane actus ac determinationis*, ſive eſt *æquilibrium*, *& animi ſuſpenſio*, *qua quis necdum ſe ſe determinavit ad agendum*. Sic hominem inertem & otioſum ſolemus appellare *indifferentem*. Hæc autem indifferentia, quæ dicitur *negativa*, aut *ſuſpenſiva*, nec eſt eſſentialis libertati, nec illius vel perfectio vel conditio. Ratio in promptu eſt. Hæc enim indifferentia ſuſpenſiva eſt privatio cujuslibet actus. Dicitur quippe aliquis in æquilibrio, ſeu in ſuſpenſo eſſe, quod ſit ſine ullo actu, ſine ulla determinatione, & tam ad unum, quam ad aliud agendum indifferens: Atqui privatio cujuslibet actus, nec eſt eſſentia, nec perfectio, nec conditio libertatis; alioquin dicendum eſſet, Deum, quando agit circa creaturas, non eſſe liberum, cum Deus nunquam ſit ſuſpenſus, ſed ſemper in actu; hæc igitur indifferentia *negativa*, ſeu *ſuſpenſiva*, nec eſt eſſentia libertatis, nec ejus perfectio, nec conditio, ſed potius illius defectus. In-

differentia *poſitiva* & *activa* nihil aliud eſt, quam *poſitio alicujus actus, ſeu determinationis voluntatis, cum potentia ad oppoſitum*. Hæc autem differentia *poſitiva*, ſeu *activa* eſt eſſentialis libertati, ejuſque perfectio. Hac indifferentia poſitiva & activa gaudet homo juſtus, qui per Præmotionem phyſicam, ſeu per Gratiam ſe ipſa efficacem, eſt determinatus ad diligendum Deum, nam dum actu diligit Deum, retinet adhuc indifferentiam activam ad illum non diligendum, quia ſic amat, ut ſervet tamen potentiam ad non amandum.

Hac præmiſſa obſervatione, ſtatim detegitur falſitas principii, quo Molinianæ Scholæ Theologi ſuum conantur ſuffulcire æquilibrium. Ajunt enim, eſſentiam libertatis ſitam eſſe in indifferentia *negativa*, ſeu *ſuſpenſiva*, qua voluntas creata, quaſi in æquilibrio poſita, & pendula hærens, nullum adhuc ponit actum, & manet adhuc indeterminata ad agendum; ex quo inferunt Moliniſtæ, Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, quæ tollit iſtud æquilibrium, ſeu ſuſpenſionem & indeterminationem voluntatis, extinguere penitus liberum hominis arbitrium. At, iſtud Moliniſtarum principium, eo in ſenſu intellectum, a veritate quam longiſſime diſtat. Tantum enim abeſt, ut eſſentia, aut perfectio libertatis, conſiſtat in illa indifferentia *negativa*, ſeu *ſuſpenſiva*, qua voluntas iners & otioſa, ſine ullo prorſus actu, ſine ulla determinatione, concipitur: ut potius illa indifferentia, ſit defectus & imperfectio libertatis.

Vera igitur eſſentia & perfectio libertatis] ſita eſt in indifferentia *poſitiva*, & *activa*, quam voluntas creata, poſtquam ſe ſe determinavit ad agendum, dum actu agit, retinet cum potentia ad oppoſitum. Hanc autem indifferentiam activam voluntatis creatæ cum potentia ad oppoſitum non tollit Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, ſed potius eam perficit; primò, quia transfert voluntatem creatam ab indifferentia ſuſpenſiva, in qua antehac erat, & quæ (ut mox dixi) eſt imperfectio voluntatis, ad ponendum actum, ſeu ad ſe determinandum. Præmotio quippe phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, facit ut voluntas creata, ut cauſa ſecunda, libere ſe determinet ad agendum cum potentia ad oppoſitum, & in hac poſitione actûs, ſeu determinationis voluntatis creatæ, cum potentia ad oppoſitum tota ſiſtit libertatis eſſentia.

Præterea, Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, perficit hominis libertatem; tum quia poteutia libera eo perfectior eſt, quo propior eſt ſui actui, potentia enim eſt propter actum: atqui voluntas hominis per Præmotionem phyſicam, ſeu per Gratiam ſe ipſa efficacem, propior eſt ſuo actui, immo conjungitur cum actu, quippe quæ per Gratiam ſe ipſa efficacem, infallibiliter applicatur ad actum, ergo &c. Tum quia etiam, eo perfectior eſt libertas, quo voluptas remotior eſt a peccato; potentia enim peccandi, ut mox oſtendam, eſt defectus libertatis. Atqui voluntas per Præmotionem phyſicam, ſeu per Gratiam ſe ipſa efficacem, eſt remotior a peccato, per eam enim voluntas ad bonum determinatur, indeque ſuam haurit libertatem, ſicut S. *Auguſtinus* lib. *De Correptione & Gratia* cap. 8. ajt: *Voluntas non libertate conſequitur gratiam ſed gratia conſequitur libertatem*. Ergo tantum abeſt, ut Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, deſtruat libertatem (ſicut clamitant Moliniſtæ) vt potius illam foveat ac perficiat.

Secundò, obſervare debes, Scholæ Molianæ Theologos alio, ad ſuum adſtruendum de æquilibrio Syſtema, niti principio, quod perinde falſum eſt, ac illud, quod a nobis mox exploſum eſt. Docent enim, ad eſſentiam libertatis creatæ neceſſario requiri, ut voluntas creata cuicumque motioni Divinæ diſſentire poſſit *in ſenſu compoſito*, ideſt, ad eſſentiam libertatis creatæ neceſſario requiri, ut voluntas creata habeat potentiam diſſentiendi cuicumque motioni Divinæ conjunctam cum actu, ſeu cum actuali diſſenſu: Sed hoc alterum Moliniſtarum principium falſi convincit antiqua Patrum traditio, quæ docet ad eliciendos actus ſupernaturales, ne-

Digitized by Google

neceſſariam eſſe Gratiam per ſe efficacem, cui licet voluntas poſſit reſiſtere *in ſenſu diverſo*, nunquam tamen poteſt ei reſiſtere *in ſenſu compoſito*: Ad eſſentiam itaque Libertatis creatæ non requiritur, ut homo poſſit reſiſtere cuicumque motioni Divinæ *in ſenſu compoſito* (ſicut ſibi & aliis falſo perſuadere vellent Moliniſtæ) ſed ut homo ſit liber ſub imperio Gratiæ, ſufficit, ut voluntas poſſit motioni efficaci Dei diſſentire *in ſenſu diviſo*, ideſt, ut voluntas creata retineat potentiam diſſentiendi motioni Dei efficaci ſejunctam tamen ab actuali diſſenſu. His duabus obſervationibus abunde (ni mea me fallit mens) confutatum manet nuperum illud de æquilibrio a Theologis Scholæ Molinianæ excogitatum Syſtema, ſimulque diſſipantur facile omnes argutiæ, quibus iidem Theologi, magno quidem, ſed inani ſtudio, impugnant doctrinam de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, a qua per ſummam injuriam dictitat perimi & extingui penitus Liberum hominis Arbitrium.

IV. Rejectis igitur iſtis æquilibriis, quæ duntaxat eo collimant, ut, ſublata Divinæ Gratiæ virtute & efficacia, laxetur nimium & dilatetur Liberum hominis Arbitrium; nunc de Libertatis humanæ oſoribus, qui Gratiam neceſſitantem in ſtatu naturæ lapſæ admittunt, adeoque Liberum hominis Arbitrium de medio tollunt, pauca inpræſentiarum dicam; tum quia in ſuperioribus meis Epiſtolis jam ſatis ſuperque oſtendi, *Lutherum* & *Calvinum* eo potiſſimum nomine damnatos fuiſſe in Concilio Tridentino, quod pervicaciter negarent, dari in ſtatu naturæ lapſæ Liberum hominis Arbitrium, dicerentque, illud eſſe *titulum ſine re*, vel *rem de ſolo titulo*. Commoſtravi etiam, *Michaelem Bajum*, & *Cornelium Janſenium* exterminaſſe in ſtatu naturæ lapſæ Liberum hominis Arbitrium, & admiſiſſe in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi profectam ex primigenia Adami culpa: Tum quia etiam in aliis, quas ad Te, ſpeciatim contra errores *Janſenii* ſcribam, Epiſtolis, data opera impugnabo quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones, quas, tanquam hæreticas, Catholica Eccleſia jure optimo confixit, & ex quibus aperte colligitur, *Janſenium* propugnaſſe gratiam neceſſitantem in ſtatu naturæ lapſæ, & Liberum hominis Arbitrium omninò profligaſſe. Plura igitur de *Janſenio*, aliiſque Liberi hominis Arbitrii oſoribus hic dicere ſuperſedebo, & ad præcipuum caput, quod hac in Epiſtola tractandum ſuſcepi, videlicet de modo, quo Liberum homini Arbitrium ſtare, & cum Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci conciliari valeat, incunctanter accedo.

Ut autem clarius percipias ea, quæ modo ad explicandam eſſentiam Libertatis creatæ, & ad eam cum Gratia per ſe efficaci conciliandam, dicturus ſum, operæ pretium facturum me eſſe exiſtimo, ſi prius ob oculos tuos ponam longum latumque diſcrimen, quod in explananda eſſentia Libertati creatæ occurrit inter doctrinam Thomiſtarum, & errorem *Jnſenii*. ejuſque Diſcipulorum. At enim *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli docent, neceſſitatem ſtare cum Libertate Arbitrii, hoc eſt, voluntarium neceſſarium, modo non præveniat uſum rationis (ſicut accidit in motibus concupiſcentiæ indeliberatis, qui antevertunt rationis uſum,) modo ſit deliberatum, & cum perfecta cognitione objecti, ſatis eſſe ad conſtituendam eſſentiam Libertatis Arbitrii, ſufficientis ad rationem meriti, vel demeriti; neque aliquid aliud ad Libertatis eſſentiam requiri, quam ut voluntas aliquid ex advertentia rationis, & ex deliberatione velit, quamvis non poſſit non velle.

Hinc *Janſenius*, eiuſque Diſcipuli concludunt primò, Deum etiam quoad operationes ad intra, generationem nimirum Verbi Divini, & productionem Spiritus Sancti, eſſe vere Liberum. Concludunt ſecundò, hominem viatorem eſſe quoque Liberum Libertate eſſentiali ad amorem boni in communi, ſeu ad amandam beatitudinem in genere ſumptam. Concludunt denique, ad bene agendum, vel peccandum in ſtatu naturæ lapſæ non requiri Libertatem a neceſſitate, ſed ſufficere Libertatem a coactione, ſicut patet ex hac *Janſenii* Pro-

Digitized by Google

Propoſitione proſcripta ab Eccleſia, *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactione*.

Hunc porro *Janſenii* errorem rejiciunt, damnantque Thomiſtæ, quippe qui docent, voluntarium neceſſarium, quamvis deliberatum, quamvis per reflexionem elicitum, quamvis plenam rationis advertentiam præſupponat; ſatis non eſſe ad conſtituendam libertatis eſſentiam, ſed præterea requiri *indifferentiam activam* per quam voluntas poteſtatem habet agendi, vel non agendi, ſeu ab actu abſtinendi.

Quod ſi quæras, unde originem habeat hæc indifferentia activa, quæ voluntatem creatam formaliter & eſſentialiter reddit liberam, eique confert potentiam agendi, vel non agendi? Reſpondebo ipſe cum Sancto *Thoma*, hanc indifferentiam activam, per quam voluntas creata poteſt agere; vel non agere, ſuam habere originem ac radicem extrinſecam ex indifferentia objecti, quod intellectus proponit voluntati, & ideo a Theologis appellari *Indifferentiam objectivam judicii rationis*. In confeſſo quippe eſt apud omnes, cum Theologos, tum Philoſophos, voluntatem ita eſſe cæcam, ſubindeque intellectui adeo connexam, ut nulla ratione voluntas queat quidquam appetere, niſi ex parte intellectus præeat lux, ſeu cognitio, quæ non ſolum objecta appetenda oſtendat, ſed etiam præſcribat, qua ratione voluntas ea proſequi debeat; ex qua conſtanti Philoſophorum & Theologorum doctrina ſequitur, qua ratione voluntatem antecedit intellectus; eadem intellectus indifferentiam objectivam eſſe radicem & originem libertatis & indifferentiæ activæ voluntatis creatæ. Hinc a nemine in dubium revocari poteſt, indifferentiam objectivam ex parte intellectus ad Libertatem Arbitrii omnino prærequiri, quia impoſſibile eſt, ut voluntas creata Libere (ideſt Libertate Arbitrii, quæ ſit tam a coactione, quam a neceſſitate immunis) feratur in objectum, quod ſibi ab intellectu proponitur tanquam neceſſario amandum, utpote omnimode, & ſumme bonum, ſicut eſt Deus; ſed voluntas creata libere tantum fertur in illa objecta, quæ intellectus ei proponit, ut quadantenus bona, & quadantenus a bonitate deficientia, vel ſecundum veritatem, vel ſecundum apparentiam; ex ea, inquam, indifferentia objectiva intellectus naſcitur, tanquam ex radice, indifferentia activa voluntatis. Quotieſcumque enim intellectus in aliquo objecto, vel in aliquo actu apprehendit ſpeciem boni, aut ſpeciem mali, inde voluntas creata motivum habet, propter quod illud objectum, vel actum, ſibi ab intellectu propoſitum, amet, aut non amet, eligat, aut non eligat; ſubindeque ratione ejuſdem indifferentiæ objectivæ ex parte intellectus remanet voluntas indifferens indifferentia activa circa aliquod objectum & circa aliquem actum, ſibi ab intellectu propoſitum.

Hinc primò redditur ratio, cur Beati, qui Deum in Cælo intuitive vident, non habeant Libertatem Arbitrii, ſeu indifferentiam activam ad amandum Deum. Cum enim eorum intellectus in patria proponat voluntati objectum ſumme & infinite bonum, ſcilicet Deum, clare cognitum, & in quo Beati nullam aprehendunt ſpeciem non boni; ideo neceſſitantur, quoad exercitium, ad amandum Deum. At homines, qui ſunt in via, ideo liberi ſunt, quantum ad exercitium, ad amandum Deum, poſſuntque ſuſpendere actum amoris Dei, quia intellectus hominis viatoris proponit ejus voluntati Deum non clare, ſed obſcure, & quaſi per offuſas caligines cognitum, & inſuper intellectus viatoris apprehendit in actu amoris Dei ſpeciem apparentis mali, in quantum amor ille impedit, ne homo viator ſuis paſſionibus obtemperet, & ſe ipſo (ſicut ad id corrupta per peccatum voluntate fertur) fruatur. Quo fit, ut illecebris cupiditatis ſuæ illectus, amorem infiniti boni infortunio ſuo vel ſuſpendat, vel in faſtidium mutet. Adeo verum eſt, libertati locum non eſſe, niſi in objecto aliquis defectus, ſeu aliqua ſpecies non boni apprehendatur, & bonum, quod ab intellectu proponitur aman-

Digitized by Google

amandum, ſit finitum, limitatum, vel cum aliquo defectu mixtum, aut ſi bonum ſit infinitum, obvolvatur tenebris & lateat appetentem, ſicut conſtat ex eo, quod mox adduxi, exemplo hominum viatorum, qui, ex infirmitate, aut ignorantia, aut paſſione, exercent ſuo malo libertatem ſuam in bonum infinitum, & Deum, quem obſcure cognoſcunt, poſſunt, quantum ad exercitium, non amare, ſeu, ut docent Theologi, habent homines, quamdiu ſunt in via, libertatem contradictionis, ſeu exercitii, ad amandum, vel non amandum finem ultimum, ſeu Deum, ſuſpendendo videlicet actum amoris in illum.

Hinc ſecundò, ex doctrina ſuperius a nobis tradita facile redditur ratio, cur voluntas creata in omnibus ſuis actibus ſit ſemper eſſentialiter libera, & habeat indifferentiam activam agendi vel non agendi, amandi vel non amandi objecta ſibi ab intellectu propoſita (ſi tamen excipias, ut modo dixi, actum amoris Dei, in viſione Beatifica clare cogniti, in quem neceſſario rapitur voluntas Beatorum; & actus ejuſdem voluntatis, quos vocant *indeliberatos*, qui, cum antevertant rationis uſum ac deliberationem; ſunt neceſſarii, & non liberi, ſicut contra *Calvinum* definitum eſt in Concilio Tridentino) his, inquam, exceptis actibus, in quibus voluntas creata, uti docent Orthodoxi Theologi, non eſt eſſentialiter libera, facile ex doctrina, ſuperius a nobis expoſita, redditur ratio, cur voluntas creata in omnibus ſuis actibus deliberatis, & erga ſingula objecta ſibi ab intellectu propoſita maneat eſſentialiter libera, ſuamque ſemper retineat indifferentiam activam agendi, vel non agendi, amandi, vel non amandi propoſita ſibi ab intellectu objecta.

Verum enim vero, voluntas hominis tam late patentem habet in appetitu boni capacitatem, & ea univerſali infinitate gaudet, ut omnia bona creata prout lubet, aut convenit, libere appetere poſſit; cumque infiniti boni, ſeu Dei, capax ſit, eo ſolo, clare in viſione Beatifica cognito, ſatiari poſſit, eique ſoli ſubjici ac neceſſitari valeat; cætera vero bona, quæ ſunt creata, finita, & limitata, ſint voluntati creatæ plane indifferentia, infra illam jaceant, his ſuperior ſit hominis voluntas, ab his independens, & in omnia bona creata, finita, & limitata, perfectum habeat dominium, niſi per ignaviam ipſamet ſe dejiciat, ac bonis creatis ſe ſubjiciat.

Hoc ſemel jacto ſolidiſſimo principio, ſic argumentum conficio. Tamdiu remanet in voluntate creata indifferentia activa agendi vel non agendi; amandi vel non amandi objecta ſibi ab intellectu propoſita, quamdiu in intellectu eſt indifferentia objectiva judicii rationis; ideſt, quamdiu intellectus proponit voluntati objecta, quæ habent duntaxat bonitatem finitam, creatam, limitatam, & in quibus nihil eſt, quod voluntatis creatæ affectum neceſſario rapere poſſit; Atqui omnia objecta, quę intellectus proponit voluntati creatæ (excepto objecto ſumme bono, & clare in viſione Beatifica cognito) habent duntaxat bonitatem creatam, finitam, & limitatam, perinde ac media, quæ intellectus eidem voluntati ad amandum ultimum finem proponit, ergo ſemper in intellectu circa objecta, quæ habent tantum bonitatem finitam & limitatam, extat indifferentia objectiva, ex qua, velut è radice, oritur indifferentia activa in voluntate creata, & in ea indifferentia activa voluntatis tota ſiſtit eſſentia ac vera libertatis creatæ notio, quia voluntas creata, propter indifferentiam & independentiam, quam habet, ab omnibus bonis creatis, quæ finitam tantum complectuntur bonitatem, & propter dominium, quod in illa obtinet, & a quibus nunquam neceſſitari poteſt, ſemper retinet veram & completiſſimam potentiam agendi vel non agendi, amandi vel non amandi objecta, quæ ſibi ab intellectu proponuntur.

Hanc doctrinam pluribus in locis clariſſime tradit S. *Thomas*. Sic enim Doctor ille Angelicus 1. 2. Queſtione x. Art. 2. ad 3. ſolide diſcurrit: *Si proponatur voluntati objectum, quod ſit univerſaliter bonum, & ſecundum omnem conſide-*

ſiderationem, ex neceſſitate voluntas tendit in illud, ſi aliquid velit; non enim poterit velle oppoſitum. Si autem proponatur ſibi aliquod objectum, quod non ſecundum quamlibet conſiderationem ſit bonum, non ex neceſſitat voluntas fertur in illud. Et quia defectus cujuſcumque boni habet rationem non boni, ideo illud ſolum bonum, quod eſt perfectum, & cui nihil deficit, eſt tale bonum, quod voluntas non poteſt non velle, quod eſt Beatitudo. Alia autem quælibet particularia bona, in quantum deficiunt ab aliquo bono, poſſunt accipi, ut non bona, & ſecundum hanc conſiderationem poſſunt repudiari, vel approbari a voluntate, quæ poteſt in idem ferri ſecundum diverſas conſiderationes. Idem docet S. *Thomas* 1. Part. Quæſt. 82. Art. 1. & 3. & in 2. Sent. Diſtinct. 25. Quæſt. 1. Art. 2. & Quæſt. 22. de veritate Art. 2. & 6.

Ex qua doctrina S. *Thomæ* evidenter ſequitur, majorem eſſe in Deo, circa electionem mediorum, libertatem, quam in Angelis & Beatis; majorem quoque in Angelis & Beatis, quam fuerit in Adamo innocente; majorem tandem in Adamo innocente, quam fuerit poſtea in Adamo lapſo. Ratio eſt, quia eo major eſt Libertas, quo major eſt indifferentia voluntatis circa media & objecta, duæ ſibi ab intellectu proponuntur, quæque finitam duntaxat ac limitatam habent bonitatem (hæc ſiquidem indifferentia activa voluntatis, quæ ex indifferentia objectiva intellectus, tanquam ex radice, originem ſuam trahit, eſt ipſa libertatis eſſentia, ſicut mox oſtendimus) atqui circa creaturas, quæ ſunt media, circa quæ ſolum verſatur Dei, Angelorum, & Beatorum libertas, major eſt indifferentia in Deo, quam in Angelis & Beatis; major etiam in Adamo innocente, quam fuerit poſtea in Adamo per peccatum lapſo, ergo &c. Probatur minor propoſitio: Eo major eſt indifferentia circa actus, media & objecta, quo major eſt independentia ab illis actibus, mediis, & objectis, atqui in Deo major eſt independentia a creaturis, quæ ſunt media & objecta Libertatis, quam in Angelis, ac Beatis; major eſt quoque independentia a creaturis in Angelis ac Beatis, quam in Adamo innocente; major itidem independentia a creaturis in Adamo innocente, quam in Adamo per peccatum lapſo, ergo &c. Probatur minor propoſitio: Tanto major eſt independentia a creaturis, quæ ſunt media, quæ poteſt voluntas eligere, vel non eligere, quo major & intimior eſt adhæſio cum ultimo fine, videlicet cum Deo, ad quem illa media, quæ finitam tantum habent bonitatem, ordinantur, (cum enim voluntas creata capax ſit infiniti boni, ſeu Dei, eoque ſolo clare per viſionem Beatificam cognito ſatiari, ſubjici, vel neceſſitari poſſit, ſequitur, voluntatem, quo magis & intimius adhæret ultimo fini, ſcilicet Deo, eo cæteris omnibus bonis creatis eſſe ſuperiorem; utpote ab illis magis ac magis independentem) atqui major eſt illa cum ultimo fine adhæſio in Deo, quam in Angelis ac Beatis; major eſt etiam adhæſio cum ultimo fine in Angelis & Beatis, quam in Adamo innocente, major poſtremo eſt adhæſio cum ultimo fine in Adamo innocente, quam in Adamo poſt peccatum lapſo, ergo major eſt independentia, indifferentia, & libertas circa res creatas in Deo, quam in Angelis & Beatis, major quoque in Angelis & Beatis, quam in Adamo innocente; major denique in Adamo innocente, quam poſtea fuerit in Adamo poſt peccatum lapſo.

Ex hac doctrina S. *Thomæ* ſic explicata facile inferre potes, indifferentiam illam activam voluntatis, in qua dicimus ſiſtere eſſentiam Libertatis, non eſſe effrænem indifferentiam ad bonum & ad malum, ita ut potentia peccandi pertineat ad eſſentiam Libertatis. Si enim, ut mox diximus, major & perfectior ſit Libertas in Deo, in Chriſto, in Angelis & Beatis, quam in homine lapſo, planum eſt, hanc indifferenriam, ſeu potentiam peccandi, non pertinere ad eſſentiam Libertatis; cum certum ſit, & indubitatum, nec in Deo, nec in Angelis, nec in Chriſto reperiri indifferentiam, ſeu potentiam peccandi, & tamen in Deo, in Chriſto, in Angelis & Beatis perfectiſſimam eſſe Libertatem. Indifferentia itaque activa voluntatis, quæ conſti-

tuit

Digitized by Google

tuit eſſentiam Libertatis, non eſt indifferentia illa, quam Theologi vocant *indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum*; hæc quippe indifferentia, quæ eſt circa electionem mediorum prætermiſſo ordine finis, tantum abeſt ut ſit eſſentialis Libertati, ut potius, ſicut docet S.*Thomas*, ſit ejuſdem libertatis defectus ac imperfectio. Indifferentia itaque illa activa voluntatis, quæ conſtituit eſſentiam Libertatis, eſt indifferentia eligendi media, quæ, cum bona ſint, ad debitum finem ordinantur, indeque a Theologis vocatur *Indifferentia temperata ordine finis*, ſive, ut ait 1. Part. Quæſt. 61. Art. 8. S. Thomas, *eſt vis electiva mediorum, non prætermiſſo, ſed ſervato ordine finis*.

Id peregregie confirmat Angelicus ille Doctor 1. Parte Quæſt. 62. Art. 8. ubi inquirit, *utrum Angelus Beatus peccare poſſit*? Negat peccare poſſe: & cum ſibi tertio loco hoc propoſuiſſet argumentum: *Ad Libertatem Arbitrii pertinet, quod homo poſſit eligere bonum, & malum: Sed Libertas Arbitrii non minuitur in Angelis, ergo poſſunt peccare*. Ad hoc argumentum ſic reſpondet Doctor Angelicus: *Dicendum*, inquit, *quod Liberum Arbitrium ſic ſe habet ad eligendum ea* (ſeu media) *quæ ſunt ad finem, ſicut ſe habet intellectus ad concluſionem. Manifeſtum eſt autem, quod ad virtutem intellectus pertinet, ut in diverſas concluſiones procedere poſſit ſecundum principia data: ſed quod in aliquam concluſionem procedat, prætermittendo ordinem principiorum, hoc eſt ex defectu ipſius. Unde quod Liberum Arbitrium diverſa eligere poſſit ſervato ordine finis; hoc pertinet ad perfectionem Libertatis ejus, ſed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, hoc pertinet ad defectum Libertatis. Unde major Libertas Arbitrii eſt in Angelis, qui peccare non poſſunt, quam in nobis, qui peccare poſſumus*.

Ex quibus S. *Thomæ* verbis, veriſſime literis aureis inſcribendis, ſole clarius patet, indifferentiam activam voluntatis, in qua dicimus reponi eſſentiam Libertatis, non eſſe indifferentiam ad bonum & malum, ſeu indifferentiam eligendi media, prætermiſſo ordine finis, ideſt, quæ divertunt ab ordine ultimi finis (ſicut ſunt peccata) ſed eſt indifferentia temperata ordine finis, ſeu indifferentia eligendi media, quæ, cum ſint ex ſe bona, ad rectum & debitum ultimum finem referuntur. Sic voluntas eſt indifferens in electione mediorum, quæ ſunt ſpecie diverſa, dummodò ad debitum finem ultimum referantur; Exempli gratia, jejunium, & eleemoſyna, virginitas, & caſtitas conjugalis ſunt media quidem ſpecie diverſa; ſed quæ tamen ad debitum finem ultimum diriguntur; Quapropter, homo indifferens eſt in electione illorum mediorum, quia tam per virginitatem, quam per caſtitatem conjugalem; tam per jejunium, quam per eleemoſynam, poteſt homo ſe ſe ad debitum ultimum finem dirigere.

Hæc porro indifferentia activa voluntatis appellatur a Theologis indifferentia contrarietatis, ſeu ſpecificationis, eligendi media vel ſibi invicem oppoſita, vel ſpecie diverſa, ſervato tamen ordine finis, id eſt, eligendi media, quæ, cum ex natura ſint bona, ad debitum finem ultimum ordinantur; ad diſcrimen alterius indifferentiæ, quam Theologi itidem vocant indifferentiam contrarietatis & ſpecificationis eligendi media ſpecie diverſa, ſed prætermiſſo ordine finis, ideſt, quæ divertunt ab ultimo fine. Talis eſt indifferentia, quam homo, volens occidere alium, habet, eligendi venenum, aut pugionem. Hæc indifferentia dicitur indifferentia contrarietatis, prætermiſſo ordine finis, quia tunc homo malum finem, ſeu occiſionem alterius ſibi proponit. Sed tam hæc indifferentia contrarietatis, ſeu ſpecificationis, eligendi media ſpecie diverſa, prætermiſſo ordine ultimi finis, quam indifferentia contrarietatis, ſeu ſpecificationis, eligendi media contrarie ſibi oppoſita, ſeu eligendi bonum & malum, non pertinent ad eſſentiam & ad perfectionem Libertatis, ſed potius ſunt ejus defectus & imperfectio, ſicut ſuperius ex S. *Thoma* commonſtravi.

Poſtremò, voluntas hominis non ſolum

Digitized by Google

lum habet hanc indifferentiam, quam Theologi vocant *indifferentiam contrarietatis*, ſeu *ſpecificationis* circa electionem mediorum, ſervato, non prætermiſſo, ordine ultimi finis, ſed etiam retinet ſemper indifferentiam quoad actum ſuum, ideſt, ut ajunt Theologi, *indifferentiam contradictionis & exercitii*, quæ in omni ſtatu eſt eſſentialis libertati, quæque poſita eſt in potentia agendi aut non agendi, ſeu in poſitione actus cum potentia non ponendi actum illum; hanc, inquam, indifferentiam contradictionis & exercitii quoad actum ſuum ſemper retinet hominis voluntas, quippe quæ, cum infinitam habeat in appetendo capacitatem, quæ a ſolo infinito bono, ſeu Deo, clare in viſione Beatifica cognito, ſatiari & neceſſitari poteſt, ſicut ſuperius expoſui, a nullo ſubinde actu; & a nullo bono creato, ſibi ab intellectu propoſito, determinari neceſſariò poteſt. Quo fit, ut ſicut voluntas hominis indifferens eſt ad amanda vel non amanda objecta, quæ ſibi proponuntur ab intellectu, & quæ habent duntaxat bonitatem finitam & limitatam; ita eadem voluntas retineat ſemper indifferentiam ad actum, quam Theologi appellant indifferentiam contradictionis & exercitii, quæque poſita eſt in potentia agendi aut non agendi, ſeu in poſitione alicujus actus cum potentia ad non ponendum illum actum. In hac indifferentia activa voluntatis, per quam poteſt agere aut non agere, tota ſiſtit eſſentialis ratio libertatis, quæ tamdiu integra manet, quamdiu in intellectu ſtat integra indifferentia objectiva judicii rationis, ſeu quamdiu intellectus proponit voluntati media ſeu objecta, quæ finitam tantum habent bonitatem.

Ex ea quippe indifferentia objectiva, quæ eſt in intellectu, naſcitur primò, tanquam ex radice, indifferentia illa activa voluntatis amandi vel non amandi objecta; eligendi vel non eligendi media, quæ ſibi ab intellectu proponuntur, & limitatam habent tantummodo bonitatem. Secundò, ex eadem indifferentia objectiva, quæ eſt in intellectu, promanat indifferentia activa voluntatis, per quam voluntas habet potentiam agendi vel non agendi, ſeu ponendi actum, vel non ponendi.

Cur autem hæc indifferentia activa voluntatis ſuam ex indifferentia objectiva in intellectu originem ducat, & cur, ſtante integra indifferentia objectiva in intellectu, ſemper maneat itidem integra indifferentia activa voluntatis, triplicem rationem S. *Thomas* Quæſt. 24. de Veritate Art. 2. aſſignat, quarum prima hæc eſt: Appetitus, ſeu voluntas, cognitionem ſequitur, ergo quando cognitio objecti eſt indifferens, neceſſe pariter eſt, ut voluntas ſit indifferens: *Tota ratio libertatis*, inquit S. Thomas, *ex modo cognitionis pendet*; *appetitus enim cognitionem ſequitur, cum appetitus non ſit niſi boni, quod ſibi per vim cognitivam proponitur*. Altera ratio hæc eſt: Voluntas ita ſe habet reſpectu objecti, ſicut intellectus; ergo quando intellectus eſt indifferens reſpectu objecti, voluntas quoque eſt circa illud indifferens: *Totius*, ait idem Angelicus Doctor, *libertatis radix eſt in ratione conſtituta; unde ſecundum quod aliquid ſe habet ad rationem, ita ſe habet ad Liberum Arbitrium*. Tertiam denique rationem deſumit ibidem S. *Thomas* ex differentia, quæ intercedit appetitum Brutorum animantium inter & appetitum, ſeu voluntatem hominis. Ideo enim Brutorum animantium appetitus non eſt indifferens, quia eorum judicium non eſt indifferens, ſed determinatum ad unum; ergo, verſa vice, appetitus, ſeu voluntas hominis eſt indifferens, quia intellectus judicium eſt indifferens.

Ex ea itaque indifferentia objectiva, quæ eſt in intellectu, tanquam è radice pullulat indifferentia activa voluntatis, quæ conſtituit eſſentiam libertatis, & per quam voluntas hominis poteſt agere, aut non agere; eligere, aut non eligere media; amare, aut non amare objecta, quæ ſibi ab intellectu cum hac indifferentia proponuntur, ita ut integra ſemper maneat in voluntate hominis indifferentia illa activa, quæ eſt ratio eſſentialis libertatis, quamdiu ſtat integra in intellectu indifferentia obje-

je-

Digitized by Google

jectiva judicii rationis. Sed de eſſentia libertatis ſatis hactenus dictum ſit, de qua tamen ſi plura ſcire diſideres, legeſis elegantiſſimum Opus, quod doctiſſimus noſter *Vincentius Baronius* ſic inſcripſit: *Sanctorum Auguſtini, & Thomæ vera & una mens de Libertate humana, & Gratia Divina*. Adeas etiam aliud eruditum Opus, quod eo de argumento edidit noſter *Antonius Maſſoulie*, cuique hic titulus eſt: *Divus Thomas ſui interpres*, Tomo 1. Diſſertatione 2. de Libertate creata.

Sed dices forte: *Luthero*, *Calvino*, & *Janſenio*, qui negarunt Liberum hominis Arbitrium, nunquam in mentem venit ut negarent indifferentiam objectivam judicii rationis, hæc igitur indifferentia objectiva judicii rationis non eſt radix, ex qua oriatur eſſentia humanæ Libertatis, ſeu indifferentia activa, qua voluntas ponendo unum actum, ſervat potentiam ponendi actum oppoſitum. At enim, ſi ſtante pleno rationis judicio, ſeu indifferentia objectiva judicii rationis, fieri haud poſſit, ut, intellectu monſtrante voluntati objectum indifferens, voluntas in illud neceſſariò feratur, ſequitur, *Lutherum*, *Calvinum*, & *Janſenium* admiſiſſe apertiſſime duo contradictoria, dum admiſſa indifferentia objectiva judicii rationis, neceſſitatem voluntati humanæ per vim ineluctabilem Divinæ Gratiæ imponi exiſtimarunt: Atqui hæc duo contradictoria fuiſſe unquam a *Luthero*, *Calvino*, & *Janſenio*, admiſſa, nullus Scriptorum, qui illorum errores confutarunt, aſſeruit. Non negarunt itaque *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius* indifferētiam objectivam judicii rationis, ſed docuerunt dumtaxat, ſtante indifferentia objectiva judicii rationis in intellectu, neceſſitatem voluntati creatæ imponi vi Gratiæ per ſe efficacis. Ex quo palam ſequitur, falſum eſſe quod dictitant Thomiſtæ, fieri nullo pacto poſſe, ut, ſtante indifferentia objectiva judicii rationis in intellectu, voluntas creata feratur neceſſariò in objectum, quod intellectus ei proponit.

Huicce difficultati tuę bifariam reſpondent Thomiſtæ. In primis fatentur ultrò, *Lutherum*, *Calvinum*, & *Janſenium* non inficias iviſſe indifferentiam objectivam judicii rationis, & tamen illos penitus ſuſtuliſſe de medio Liberum hominis Arbitrium, ſubindeque illos Novatores ſimul duo contradictoria admiſiſſe. Quod ſane tibi mirum non videbitur, ſi ſemel advertas, ſolemne eſſe hæreticis hanc infelicem nanciſci ſortem, ut, dum a Catholica Fide deſciſcunt, etiam a vera ratione plurimum aberrent, & vertigine, altoque ſopore perculſi, varient linguis & ſententiis, nunquam ſibi conſtent, ſed calidum & frigidum ſimul ex eodem ore perflent, & craſſis contradictionibus ſe ſe implicent. Innumera exempla Hæreticorum, qui in ſuis ſtabiliendis erroribus in plures antilogias proruperant, produxi ipſe in medium in *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, *variis Colloquiis digeſta*, quam paucis abhinc annis Romæ publicavi. Craſſiſſimas itidem Hæreticorum *Lutheri*, & *Melanchtonis* contradictiones prodit Cardinalis *Bellarminus* lib. 4. *De Gratia*, & *Libero Arbitrio* cap. 5. Quid igitur mirum, ſi *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius* in hanc contradictionem lapſi fuerint, ut negarent Liberum hominis Arbitrium, etiamſi admitterent indifferentiam objectivam judicii rationis in intellectu?

Hujus quidem Novatorum contradictionis diſertam mentionem non fecere Catholici Scriptores, quia diſputantes contra illos Hæreticos, a quibus nec ratio audiebatur, quique fato omnia tribuebant, & ita Stoicorum errores recoquebant, ut dicerent, nec in noſtra eſſe poteſtate quidpiam cogitare boni vel mali; contra, inquam, illos Hæreticos calamum acuentes Orthodoxi Scriptores hujus Novatorum contradictionis, ideo non meminerunt, quia contra illos diſputantes in id duntaxat incubuerunt, ut relictis philoſophicis rationibus, manifeſtiſſimam horumce Novatorum Hæreſim, de ſublata videlicet Arbitrii Libertate, è Sacra Scriptura oppugnarent, quæ ubique ferme clamat, ineſſe homini, etiam poſt lapſum Adami, Libertatem, cum alioqui inutiles forent omnes exhortationes, minæ, pœnæ, quæ in Sacris Litteris frequentiſſime occurrunt, nullaque eſſent peccata; nemo quippe peccat in eo, quod

vita-

Digitized by Google

vitare non poteſt. Legeſis *Stephanum Dechamps*, clariſſimum Societatis Jeſu Scriptorem, qui lib. 1. *De Hæreſi Janſeniana* diſertiſſime profitetur & probat, *Calvinum* multis in capitibus ſemetipſum aperta contradictione, dictorumque repugnantia implicuiſſe. Lege etiam *Nicolai Romæi* librum, cui titulus eſt: *Calvini effigies*, ubi multis luce meridiana clarius demonſtrat, libros *Inſtitutionum* illius Pſeudo Reformatoris nihil niſi antilogiarum & contradictionum centonem eſſe, numeratque viginti primarias & capitales; conſectarias vero ſupra ſexcentas. Lege denique *Jacobum Gualterium* in *Anatome Calviniſmi*, ubi ducentis Dilemmatibus, ex ejuſdem *Calvini* principiis, vel aſſertionibus magnam partem delibatis, univerſas illius Hæreſes debellat, atque profligat.

Alii vero Thomiſtæ probabilius (mea quidem ſententia) reſpondent cum noſtro *Goneto* in *Apologia Thomiſtarum* Art. 4. quod licet *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius*, non expreſſe & formaliter negaverint, hominem, per Gratiam efficacem a Deo motum, retinere indifferentiam objectivam judicii rationis, illam tamen implicite, virtualiter, & ex conſequenti ſuſtulerunt omnino, eo ipſo quod docuerunt, voluntatem creatam a Deo moveri tantum ſpontance, & non libere, non ſecus ac bruta animantia incitantur ad pabulum, vel ſicut equus movetur a ſeſſore: Sublata enim indifferentia activa voluntatis, arguitive & per locum extrinſecum, indifferentia objectiva intellectus tollitur, cum prorſus repugnet eſſe in intellectu indifferentiam objectivam judicii, & in voluntate ſolam ſpontaneitatem, ſeu determinationem ad unum per modum naturæ. *Lutherum* autem, *Calvinum*, *Janſenium* negaſſe indifferentiam activam voluntatis, & ſolam ſpontaneitatem admiſiſſe patet ex his. quæ jam dixi, idque, auxiliante Deo, uberius evincam in aliis Epiſtolis, quas ad amoliendam teterrimam Calviniſmi, Janſeniſmi calumniam, quam *Livius de Meyer* in ſuis Diſſertationibus *De Mente Concilii Tridentini* perperam Thomiſtis impegit, ad te deinceps ſcribam.

V. Explanata ſat ſuperque eſſentia, veraque notione Libertatis creatæ, nunc ex jactis doctrinæ S. *Thomæ* principiis probandum ſuſcipio, tantum abeſſe, ut Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax evertat Liberum hominis Arbitrium ſicut objectare ſolent Scholæ Thomiſticæ adverſarii, ut potius Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax ſartam tectam conſervet veram libertatis creatæ eſſentiam, eique majoris perfectionis addat incrementum. Id autem multis momentis evinco. Primò, quia eſſentia libertatis creatæ, ut oſtendimus, ſiſtit in indifferentia activa voluntatis, quæ, tanquam e radice, oritur ex indifferentia objectiva judicii rationis; quæ eſt in intellectu; atqui Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, non tollit indifferentiam activam voluntatis, ergo non deſtruit eſſentiam Libertatis creatæ. Probatur minor propoſitio: non poteſt tolli indifferentia activa, per quam voluntas poteſt agere, vel non agere, eligere vel non eligere media, amare vel non amare objecta, quæ ſibi cum indifferentia ab intellectu proponuntur, niſi tollatur antecedenter indifferentia judicii rationis, quæ eſt in intellectu; Atqui Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax non tollit hanc indifferentiam objectivam judicii rationis, ergo nec etiam tollit indifferentiam activam voluntatis, quæ, tanquam è radice, prodiit ex indifferentia objectiva judicii rationis. Probatur minor propoſitio; ut Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, adimeret intellectui indifferentiam objectivam judicii rationis, deberet Præmotio phyſica efficere ut intellectus apprehenderet illud bonum, ad quod voluntas creata a Deo præmovetur, tanquam ſummum bonum (ſola quippe apprehenſio, ſeu cognitio ſummi boni tollit indifferentiam objectivam judicii rationis, ſicut docent omnes ad unum Theologi) Atqui Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax non efficit, ut intellectus bonum illud, ad quod voluntas creata prædeterminatur a Deo, apprehendat tanquam ſummum bonum, ſed potius efficit Præmotio phyſica, ut intellectus bonum illud, ad quod præmovetur voluntas, apprehendat cum indifferentia tanquam bonum particulare &

crea-

creatum, quod ſubinde indifferentiam objectivam judicii tollere minime poteſt. Cum igitur Præmotio phyſica non tollat indifferentiam objectivam judicii rationis, apertiſſime ſequitur, indifferentiam activam voluntatis non tolli etiam a Præmotione phyſica, ſeu a Gratia per ſe efficaci; tum quia indifferentia activa voluntatis tolli & adimi non poteſt, quin prævie tollatur indifferentia objectiva judicii rationis; ſi ergo Præmotio phyſica indifferentiam illam objectivam judicii non tollit, non tollet itidem indifferentiam activam voluntatis, quæ ex indifferentia objectiva judicii, tanquam è radice emanat: Tum quia etiam, intellectus (quamdiu in eo ſtat indifferentia objectiva judicii rationis) proponit duntaxat ac repræſentat voluntati actus, media, & objecta, quæ habent tantummodo bonitatem creatam finitam & limitatam; atqui voluntas creata; ſicut ſæpius diximus, circa omne bonum particulare, finitum ac limitatum, ſibi ab intellectu propoſitum, remanet indifferens & libera, poteſtque ejuſmodi bonum eligere vel non eligere, amare vel non amare, adeo ut nullum objectum poſſit imponere voluntati creatæ neceſſitatem amandi illud, niſi ſit ſummum bonum, ſcilicet Deus clare & intuitive in viſione Beatifica cognitus, ergo, quandiu ſtat in intellectu indifferentia objectiva judicii, tamdiu voluntas creata retinet tam circa actus, quam circa media, & objecta, quæ ei ab intellectu repræſentantur, indifferentiam activam, ſeu potentiam agendi vel non agendi; eligendi media vel non eligendi; amandi vel non amandi objecta ſibi ab intellectu propoſita: *Quantumcumque aliquid oſtendatur bonum* (niſi tamen ſit ſummum bonum, ſeu Deus, clare in viſione Beatifica cognitus) *poteſtati ejus*, ideſt voluntati, *remanet eligere, vel non eligere*, verba ſunt Doctoris Angelici in lib. 2. Sent. Diſtinct. 25. Quæſt. 1. Art. 2.

VI. Sed non ſufficit probaſſe adverſus Moliniſtas, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, nullo pacto officere Libero hominis Arbitrio, præſtat nunc, ut breviter oſtendam; Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci perfici Liberum hominis Arbitrium. Et primò quidem, nemo, opinior, negabit, potentias, quæ a Deo inſtitutæ ſunt ut agant, perfectiores eſſe dum actu operantur, quam dum ſunt inertes, otioſæ, & in nullum actum prorumpunt: Atque Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, nihil aliud efficit, quam ut voluntatem creatam (in qua reſidet Liberum hominis Arbitrium) inertem, otioſam, & pendulam ad actum reducat. Aufert quidem Præmotio phyſica, ſicut jam obſervavimus, indifferentiam voluntatis paſſivam, potentialem, & ſuſpenſivam, quæ eſt voluntatis imperfectio, ſed applicando voluntatem ad actum, perficit indifferentiam activam & poſitivam, quæ, ut antea oſtendimus, conſtituit eſſentiam Libertatis. Confert etiam voluntati Præmotio phyſica ultimam actualitatem ut agat, ſeu ultimam perfectionem, cujus voluntas capax eſt in ratione potentiæ. Tantum igitur abeſt, ut Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, voluntatem hominis lædat aut impediat, ut potius eam expediat, ſolvat, compleat, ac perficiat, ultimamque ei perfectionem conferat.

Secundò, Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, perficit Liberum hominis Arbitrium, quia voluntatem hominis prædeterminat ad bonum, eamque retrahendo a peccato, quod corrumpit & minuit Libertatem, reddit illam aliquo ſenſu impeccabilem: *De parte Spiritus Sancti moventis, animam* (inquit S. *Thomas* 2. 2. Quæſt. 22. Art. 11.) *ad diligendum Deum, homo impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. Unde impoſſibile eſt hæc duo ſimul eſſe vera, quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipſe charitatem ammittat peccando*. Perfectiorem itaque Libertatem homo per Gratiam ſe ipſa efficacem conſequitur, ſcilicet Libertatem a peccato, tametſi, quamdiu eſt in ſtatu viæ, potentiam peccandi ſemper conſervet.

Poſtremo, Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, perficit Liberum hominis

nis

nis Arbitrium, quia Deus, dum prævie ac phyſice per Gratiam efficacem applicat voluntatem ad agendum, cæleſtem ei inſerit delectationem, qua voluntas voluptates terrenas faſtidit & averſatur; nec Deus præmovet voluntatem hominis contra propriam ejus inclinationem, ſed eam mutat, eique ſufficit inclinationem conſentaneam voluntati, illam videlicet ex nolente volentem, & ex mala bona efficiendo. Quis autem dicere audeat, hominis Libertatem, quæ non alium auctorem quam Deum agnoſcit; inter ipſius conditoris manus expirare, & cum cætera omnia multo perfectiora evadant, cum ad Deum, principium ac finem rerum omnium, revocantur, ſolam hominis Libertatem imperfectiorem evadere, quando obtemperat Deo; & ab ipſo movetur? Quis etiam dicat, hominem, circa ullam vel minimam Libertatis ſuæ læſionem, immutare actum ſuum in alium, ſeque pro libito determinare ad agendum; & Deum, qui ſumma pollet virtute, qui voluntatibus noſtris intimus eſt, & non tantum omnes actus noſtros, ſed etiam omnes modos, quibus ii fiunt, attingit, idem efficere non poſſe quod facit homo, qui & naturam ſuam, & voluntatem, & libertatem accepit a Deo? *Ita ne rerum ordo credi, putarive permittitur* (inquit S. *Fulgentius* cap. 29. lib. De Incarnatione & Gratia Chriſti) *ut Deus, qui creator eſt hominis, valeat hominem facere, non mutare? & qui nullius eget adjutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non poſſit, priuſquam in hominis ipſum velle repererit? & ut ſit homo habeat ex Deo, ut autem melior ſit, habeat ex ſe ipſo? ..... Hanc amentiam & a fidelibus ſuis arceat, & ab infidelibus auferat Deus.*.

VII. præter hæc, quæ in iſta Epiſtola dixi de indifferentia activa voluntatis, in qua, juxta Thomiſtas, ſita eſt eſſentia Libertatis creatæ, & quibus profligatur iſtud Moliniſtarum æquilibrium, quod excludit neceſſitatem Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, prævie & phyſice determinantis voluntatem hominis ad agendum, & duntaxat admittit Gratiam verſatilem, & indifferentiam, quæ per conſenſum & determinationem voluntatis creatæ redditur efficax, præter hæc, inquam, quæ hactenus adduxi, argumenta, ſuppetunt aliæ bene multæ, ad radicitus extirpandum iſtud Moliniſtarum æquilibrium, efficaciſſimæ rationes, petitæ ex graviſſimis abſurdis, quæ ex eo Moliniſtarum æquilibrio manifeſto conſequuntur. Sed quia in tertia, ſi bene memini, epiſtola, quam ad te ſcripſi; & in qua Gratiæ per ſe efficacis, prævie & phyſice voluntatem creatam moventis ad actus ſupernaturales neceſſitatem probavi, ejuſmodi rationes, quibus refelluntur hæc abſurda doctrinæ Moliniſtarum conſectaria, late propoſui; ideo, ut brevitati conſulam, abunde mihi ſatisfactum erit, breviter ſub finem hujuſce Epiſtolæ indicare, tuoſque ſub oculos ponere prædicta hæc abſurda, quæ ex illo Moliniſtarum æquilibrio manifeſta conſecutione deducuntur.

Et primò quidem, admiſſo ſemel iſto Moliniſtarum æquilibrio, quod excludit neceſſitatem Præmotionis phyſicæ; ſeu Gratiæ per ſe efficacis determinantis voluntatem creatam, & admittit tantummodo Gratiam verſatilem, indifferentem, & quæ a voluntate creata pro ſuo nutu & Arbitrio determinatur, admiſſo, inquam, iſto Moliniſtarum æquilibrio, palam ſequitur, Liberum hominis Arbitrium eſſe primum movens, primum eligens, primum determinans, ſubindeque voluntatem creatam invadere, ſibique temerario auſu arrogare jura Dei, cui ſoli, ſicut pluribus in locis docet S. *Thomas*, competit, ut in genere bonorum ſit primus motor; prima & univerſalis cauſa rerum omnium effectrix, primumque principium omnia determinans, &, verſa vice, voluntas creata, a Deo determinata, ſe ſe, inſtar cauſæ ſecundæ liberæ, moveat ac in virtute determinationis Dei, a quo eſſentialiter ac neceſſario pendet, ſe ipſam determinet. Neque enim Deus, ſicut poſt Sanctum *Thomam* docent omnes Thomiſtæ, movet & determinat voluntatem creatam, ut eadem voluntas nihil agat, ſed è contra, ut agat, ideſt

ut

ut ſub iſta Divina motione ac determinatione voluntas creata ſe ipſam moveat & determinet. In hoc Sancti *Thomæ*, ejuſque Diſcipulorum Syſtemate facile intelligitur, Primò, Deum eſſe primum motorem, primam cauſam, primumque principium omnia determinans. Deinde, nullo negotio intelligitur, voluntatem creatam eſſe cauſam ſecundam, dependentem a Deo, & ab ipſo determinatam ad agendum, & tamen libera, quia ſub Divina motione ac determinatione Divina ipſamet voluntas creata ſe ſe movet ac determinat, & ratione ſuæ propriæ determinationis, voluntas eſt domina ſui actus, quem ultro, ſponte, ac liberrime efficit.

At iſtius Moliniani æquilibrii aſſertores præpoſtero ordine procedunt, dumque ad eſſentiam Libertatis creatæ pertinere dictitant, ut voluntas creata non a Deo, ſed a ſe ſola determineretur ad agendum, conſequenter Deum ſuis juribus, ſeu omnipotentia, ſupremo in creaturas dominio, ratione primæ & univerſaliſſimæ omnium entium cauſæ, primi eligentis & determinantis, ſpoliant, eaque jura, quæ Deo detrahunt, in creaturam transferunt. Nam ſi homo, ut pertendunt æquilibrii Moliniani defenſores, non a Deo, ſed a ſe ſolo determinetur, erit itaque homo in illa hypotheſi ſupremus ſuæ determinationis dominus, & a Deo independens; ſe ipſum per ſuam determinationem reddet perfectiorem, præcipuas partes in negotio ſuæ ſalutis ſibi vindicabit; erit homo perfectior gratia ſibi a Deo oblata, quia ejuſmodi Gratiam, quæ eſt verſatilis, indifferens, nec vim habens determinandi voluntatem creatam, homo ſuapte vi, ideſt, propria ſua determinatione, reddet efficacem, & idoneam ad operandum; juſte gloriabitur homo, quod bene utendo gratia verſatili, eamque per ſuam determinationem reddendo efficacem, ſe ſe diſcreverit ab alio, qui eadem gratia verſatili male uſus eſt, eamque per ſuum diſſenſum reddidit inefficacem; ſpem ſalutis ſuæ reponet homo non in Deo, ſed in ſemetipſo, qui determinationis ſuæ cum ſolus ſit ſupremus dominus, ſolus itidem erit auctor boni uſus Gratiæ, quem ſubinde nec a Deo petere, nec pro eo dato grates Deo agere debebit, cum non a Deo bonum gratiæ uſum accipiat, ſed a ſola ſuæ voluntatis determinatione. Verbo dicam, in hac Moliniani æquilibrii hypotheſi poterit homo iſtis vocibus Deum jure ac merito compellare: *Tu, Domine, dediſti; ego addidi: Tu nudum poſſe tradidiſti; ego actionem ipſam effinxi: Quod obtuliſti mihi indeterminatum, ego determinavi: Quas infudiſti delectationes ſanctas, & caſtas invitationes his ego ſanctos conſenſus adjeci: Tu denique per gratiam duntaxat verſatilem & indifferentem ſollicitaſti voluntatem meam ut ipſa ſe ſe determinaret; ego per voluntatis meæ determinationem effeci, ut tua Gratia redderetur efficax. Quapropter conferendo ſimul, quid tu, Domine & quid ego fecerim, longe meliorem ac perfectiorem effectum me eſſe ſentio ex his, quæ de meo Libero Arbitrio addidi, quam ex his, quæ a Gratia tua accepi.* Quis, amabo, hominem talia fantem, & in ſuis viribus ſpem ac fiduciam reponentem, non damnet tanquam ſuperbum, & plane immemorem infirmitatum, & ærumnarum, quibus in ſtatu naturæ lapſæ opprimitur?

Secundò, admiſſo ſemel Moliniano æquilibrio, perire videtur pia illa timoris ſollicitudo, mentiſque vigilantia, quam, juxta SS. Patrum doctrinam, jugiter habere debemus, ne gratiam, quam accepimus, amittamus, ne tentationibus, quæ præſertim graves ſunt ac vehementes, ſuccumbamus, ne peccandi proximis occaſionibus nos exponentes, dejiciamur, ac vincamur; perire videtur (inquam) pia illa timoris ſollicitudo, mentiſque vigilantia, ſi admittas iſtud Molinianum æquilibrium, in quo ſemper præſto adeſt Gratia verſatilis, quam voluntas hominis poteſt pro ſuo Arbitrio ad bonum flectere ac determinare. Si enim ita ſit, ecquid, ſodes, pertimeſcis, ne acceptam juſtitiam, deperdas, ne gravibus tentationibus ſuccumbas, ne in proximis peccandi occaſionibus dejiciaris? meticuloſam mentem depone, quia ſecurum te facit conſtans illa nec unquam defutura æqui-

Digitized by Google

libri Moliniani perpetuitas. Ecce enim, ſemper præ manibus habens gratiam verſatilem, nuſquam peccabis, modo ea velis bene uti determinando te ipſum. Porro determinare te ipſum, tuum eſt, non Dei opus. Quid, quæſo, abſurdius?

Poſtremo (ut cætera alia, quæ ex eo profluunt, inconvenientia in præſentia omiſſa faciam) objici poſſet, quod iſtud Molinianum æquilibrium peccatores ad finalem impœnitentiam videtur inducere; ſi enim hominem oporteat ad merendum vel demerendum perpetuo gaudere æquilibrio, ſi ſemper gratiam Dei verſatilem paratam habeat homo, plenoque jure ad illam determinandam, ſuoque aſſenſu efficacem reddendam, potiatur; numquid peccatores, maxime dum in adoleſcentia fervent indomitæ paſſiones, poterunt ſic deluſi, peccatorum ſuorum pœnitentiam procraſtinare ad ultimam uſque vitæ periodum, cum pro certo habeant, nunquam, etiam imminente morte, ſibi defuturas, beneficio iſtius æquilibrii, gratias Dei verſatiles, ſeque habituros ſemper, etiam ingruente morte, jus determinandi gratias illas Dei verſatiles, quæ ſunt ex ſe indifferentes, eaſque per ſuum aſſenſum ad pœnitentiam peragendam paulo ante mortem reddendi efficaces? Sed hæc ſufficiant ad explodendum iſtud Molinianum æquilibrium, quod excludit Gratiam per ſe efficacem, & admittit duntaxat gratias verſatiles & indifferentes ſubditas Libero hominis Arbitrio. Ejuſmodi Molinianum æquilibrium ipſe nec in vita, nec in morte habere deſidero. Sed, infirmitatis meæ probe conſcius, Deum ſummis votis, jugibuſque precibus humiliter deprecor, ut, pro ſua magna miſericordia, dignetur mihi peccatori largiri in hac vita fortiſſimam & efficaciſſimam Gratiam, quæ mihi inſerat vires faciendi bonum & in morte impertiatur *magnum perſeverantiæ donum*, *ut in omnibus cogitationibus*, *ſermonibus*, *atque actionibus*, *ipſe teneat principium*, *quoniam ex ipſo*, *& in ipſo ſunt omnia*, *ipſi gloria in ſæcula*, verba ſunt Sancti *Auguſtini* ſummi Doctoris Gratiæ, cap. ultimo libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*.

VIII. Habes nunc, cariſſime Diſcipule, ex iis, quæ huc uſque dixi ad impugnandum iſtud æquilibrium, in quo Moliniſtæ eſſentiam Libertatis creatæ perperam reponunt; habes, inquam, promptam facilem, ac expeditam reſponſionem ad quæſtionem, quam *Gabriel Daniel*, Societatis Jeſu Scriptor, proponit in Epiſtola VIII. ad *Natalem Alexandrum*, ubi hæc habet: *Cauſa quælibet creata*, *ut vobis* (Thomiſtis) *placet*, *ſeu libera*, *ſeu neceſſaria*, *ſi ſpectetur ſine ulla prædeterminatione cauſæ primæ & univerſalis*, *qui ſolus Deus eſt*, *in indifferentia*, *quam* paſſivam *appellatis*, *nunquam erumpet ad agendum*, *niſi Deus afferre illi motum incipiat*, *quam vos* Præmotionem, *ſeu* Prædeterminationem phyſicam *nuncupatis*. *Quæro*, *mi Pater*, *an cauſam hanc in ejuſmodi poſitam ſtatu*, *in hac paſſiva indifferentia*, *antequam ulla Prædeterminatione afficiatur*, *cenſeas aut animo concipias eſſe liberam*? *Utrum revera tunc temporis illi inſit potentia agendi*, *vel non agendi*, *quod eſſentiam Libertatis continet*? *Quid multa*? *num penes ipſam eſt una agere vel non agere*? *Nunquam hoc dices profecto*: *neque enim penes ipſam eſt illa Prædeterminatio*, *qua fieri oportet ut prorumpat ad agendum*. *In manu & poteſtate cauſæ primæ duntaxat eſt*, *ut hanc illo motu cieat prior*, *vel non cieat*; *eam impellat hac Præmotione ad volendum*, *vel iſta ad nolendum*. *Patent hæc*. *Reſpondendum igitur a te eſt*, *voluntati ante omnem Prædeterminationem non ineſſe facultatem agendi vel non agendi*, *Libertatem ibi nullam eſſe*.

Ad hanc Patris *Danielis* quæſtionem, cujus ſolutionem in poſtrema Epiſtola tua a me poſtulas, facile reſpondetur, dicendo, cauſam liberam, antequam promoveatur a Deo ad agendum, habere quidem potentiam agendi vel non agendi; eſt enim in æquilibrio poſita, ſeu in indifferentia paſſiva ac ſuſpenſiva, quæ tamen, cum nullum actum, nullamve cauſæ liberæ determinationem importet, non poteſt conſtituere Libertatis creatæ eſſentiam, ſed potius (ut oſtendimus) eſt ejus defectus ac imperfectio;

Digitized by Google

ctio; eſſentia autem Libertatis creatæ (ſicut probavimus) ſiſtit in vi electiva mediorum, ſervato ordine finis, ut docet S. *Thomas*, & in indifferentia activa voluntatis, ſeu in poſitione actus & determinationis voluntatis cum potentia, quam voluntas ſervat ad actum oppoſitum. Hanc autem potentiam eligendi, vel non eligendi media, ſervato ordine finis, ſicut potentiam ponendi actum, vel non ponendi, habet voluntas creata antequam præmoveatur a Deo. Fallitur ergo Pater *Daniel*, primò, quod exiſtimet, eſſentiam Libertatis creatæ ſitam eſſe in eo æquilibrio, ſeu in illa indifferentia paſſiva ac ſuſpenſiva, quam habet voluntas creata priuſquam ſe ſe determinet ad agendum. Deinde idem Molinianus Scriptor graviter etiam hallucinatur, dum aſſerit, ad ſolam cauſam Liberam, quæ eſt in æquilibrio poſita, ideſt, quæ habet indifferentiam paſſivam ac ſuſpenſivam ſe ſe determinandi, aut non determinandi, agendi, aut non agendi, pertinere ſe determinare, aut non determinare, agere, aut non agere. Id, inquam, quod ad Molinianum æquilibrium ſtabiliendum tam fidenter ſupponit P. *Daniel*, eſt oppido falſum, quia ſolus Deus, qui eſt prima cauſa, ſe ſe independenter a quacumque alia cauſa determinat & agit, at vero omnes cauſæ ſecundæ Liberæ, utpotè ſubordinatæ Deo, & ab eo eſſentialiter dependentes, nec ſe determinant, nec agunt, niſi a Deo, qui ſupremum in eas dominium habet, præmoveantur, ac prædeterminentur.

Sed tantum abeſt, ut hæc Divina Prædeterminatio Libertati creatæ officiat, ut potius eam, uti probavimus, perficiat, transferendo videlicet cauſam Liberam ab hoc æquilibrio, ſeu ab hac indifferentia paſſiva & ſuſpenſiva, in qua eſt voluntas antequam ſe determinet ad agendum, ad indifferentiam poſitivam ſeu activam voluntatis, in qua ſiſtit vera eſſentia totaque perfectio Libertatis, qua voluntas ponendo determinationem ſuam ad unum actum, retinet ſemper potentiam ad oppoſitum. At, P. *Daniel*, ut ſuum Molinianum aſtrueret æquilibrium, pertendit, eſſe duntaxat penes cauſas ſecundas Liberas ſe ſe determinare ad agendum, ſecluſa quacumque ex parte Dei omni Præmotione & Prædeterminatione phyſica ſeu Gratia per ſe efficaci, per quam Deus prævie & phyſice moveat ac determinet voluntatem creatam ad agendum. Hanc autem Patris *Danielis* ſententiam tot argumentis jam falſi convicimus, ut in hac confutanda diutius hìc immorari non debeamus. Vale itaque, & rejecto penitus iſto Moliniano æquilibrio, in defenſione doctrinæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, quam perpetua firmat Sanctorum Patrum traditio, conſtanter perſevera.

EPISTOLA NONA
THEOLOGICA.

In qua probatur, Adamum in ſtatu innocentiæ, & Angelos, adhuc in via exiſtentes, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, opus habuiſſe Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci.

I. Cornelius Janſenius, Iprenſis Epiſcopus, in duobus doctrinæ principiis, circa Præmotionem phyſicam, conſentit cum *Ludovico Molina*, adeoque a Schola Thomiſtica palam diſcedit. In primis, *Janſenius* cap. 2. libri 8. *De Gratia Chriſti* negat, dari Præmotionem phyſicam in ſtatu naturæ lapſæ; *Molina* itidem, ejuſque Diſcipuli eamdem Præmotionem phyſicam a ſtatu naturæ lapſæ omnino ablegandam eſſe pertendunt. Secundò, *Janſenius* in libro, quem edidit *De Gratia primi hominis & Angelorum*, totus in id incumbit, ut probet, Adamum in ſtatu innocentiæ, & Angelos, in ſtatu viæ adhuc exiſtentes, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, non indiguiſſe Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, ſed opus duntaxat habuiſſe Gratia verſatili & indifferenti, eorum ſubdita libero arbitrio. In quo doctrinæ principio convenit quidem *Janſenius* cum *Molina*, ejuſque Diſcipulis circa Gratiam verſatilem, ſubditam libero Adami & Angelorum arbitrio in ſtatu innocentiæ, at, in conſecutionibus, quas ex eo principio deducit, diſcrepat a conſecutionibus, quas ex eodem doctrinæ principio eliciunt *Molina*, ejuſque diſcipuli. At enim, quidquid *Molina* de Gratia verſatili & ſubdita Libero hominis Arbitrio docet in ſtatu naturæ lapſæ, transfert *Janſenius* in Gratiam Adamo innocenti & Angelis in via exiſtentibus datam, liberrimeque admittit omnes conſecutiones, quas Thomiſtæ ex ſententia *Molinæ* de Gratia verſatili deducunt, & quas tamen Moliniſtæ negant.

Hæc enim, ut obiter dicam, eſt ſumma argumentorum, quæ Thomiſtæ in Aſſertores Gratiæ verſatilis, & ſubditæ Libero hominis Arbitrio, quam in ſtatu naturæ lapſæ *Molina*, ejuſque Diſcipuli acerrime defendunt, vulgò intorquere ſolent: *Niſi detur*, inquiunt Thomiſtæ, *alia gratia*, *quam gratia*, *quam admiſit Molina, ſcilicet gratia ſufficiens, generalis, verſatilis, & ſubdita Libero hominis Arbitrio; quæ dat poſſe, ſed non velle, quæque, ut fiat efficax, pendet è ſola determinatione voluntatis humanæ; ſequitur primò, Gratiam ſufficientem ex ſolo eventu diſtingui a Gratia efficaci: ſequitur ſecundò, hominem primas habere partes in negotio ſuæ ſalutis, ſe ſe ab alio diſcernere, & habere quo glorietur, contra illud Apoſtoli Pauli*: Quis eſt, qui te diſcernit? & quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? *Sequitur tertiò, Prædeſtinationem ad gloriam non eſſe electionem gratuitam, ſeu ante omnem prævißionem meritorum, eamque non eſſe certam niſi ex Praſcientia.* Hæ ſunt in ſumma conſecutiones, quas, ſicut in ſuperioribus noſtris Epiſtolis oſtendimus, deducunt Thomiſtæ ex doctrina *Molinæ* de Gratia verſatili & ſubdita Libero hominis Arbitrio.

Jam vero vide, ſi placet, quid ad has conſecutiones, quas ex doctrina *Molinæ* eliciunt Thomiſtæ, reſpondent *Janſenius*, ejuſque Sectarii? Quid vero *Molina*, ejuſque Diſcipuli? *Janſenius*, ejuſque Aſſeclæ ultro fatentur, has conſecutiones, quas Thomiſtæ deducunt ex *Molinæ* doctrina de Gratia verſatili,

ſubdita

ſubdita Libero hominis Arbitrio, quam ipſi Janſeniſtæ in ſtatu innocentiæ magno animorum æſtu propugnant, veras eſſe, & legitime deduci ex prædicta *Molinæ* de Gratia verſatili doctrina. Concedunt, inquam, *Janſenius* & Janſeniſtæ, has omnes conſecutiones vere effluere ex hoc doctrinæ de Gratia verſatili principio, ſed negant, ejuſmodi conſecutiones pro illo innocentiæ ſtatu eſſe falſas, aut periculoſas; immo contendunt, eſſe ipſiſſimam S. *Auguſtini* doctrinam. Hinc *Janſenius*, & ipſius Diſcipuli docent, Angelos fuiſſe ad gloriam a Deo prædeſtinatos ex prævisis meritis, eoſque, ſola Gratia verſatili & inefficaci, quam ipſimet efficacem reddiderunt, Præventos, ſe ſe diſcreviſſe ab aliis Angelis, qui non perſeverarunt, ſubindeque bonos Angelos, qui in accepta juſtitia ſteterunt, habuiſſe, quo gloriarentur. Putat etiam *Janſenius*, nullum hujuſcemodi conſecutionibus ex doctrina de Gratia verſatili & ſubdita Libero hominis Arbitrio poſſe in ſtatu naturæ innocentis ſubeſſe periculum erroris, quia quæcumque ex Apoſtolo *Paulo*, & ex Sanctis Patribus afferri ſolent de gratuita Prædeſtinatione, de differentia Gratiæ ſufficientis & efficacis, non habent locum, inquit *Janſenius*, niſi in ſtatu naturæ lapſæ & redemptæ per Jeſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum, ſed non in ſtatu innocentiæ reſpectu Adami & Angelorum.

Aliam ab iſta *Janſenii*, & Janſeniſtarum, viam ineunt *Molina* & Moliniſtæ, ut ſe ab argumentis, quæ contra doctrinam de Gratia verſatili & ſubdita Libero hominis Arbitrio Thomiſtæ proponere ſolent, expedire poſſint. Negant enim Moliniſtæ omnes conſecutiones, quas ex doctrina *Molinæ* de Gratia verſatili, & ſubdita Libero hominis Arbitrio deducunt Thomiſtæ, indeque inferunt Moliniſtæ, doctrinam *Molinæ* de Gratia verſatili in ſtatu naturæ innocentis confundi minime debere cum doctrina de Gratia verſatili, quam *Janſenius* & Janſeniſtæ itidem cum *Molina* admittunt in ſtatu innocentiæ reſpectu Adami & Angelorum; quia, inquiunt Moliniſtæ, licet *Janſenius* conſentiat cum *Molina* in hoc doctrinæ principio, videlicet quod in ſtatu innocentiæ reſpectu Adami & Angelorum, nullæ prorſus darentur Gratiæ per ſe, & ab intrinſeco efficaces, ſed tantum Gratiæ ſufficientes, verſatiles, ſubditæ Libero hominis & Angelorum Arbitrio; attamen *Janſenius* & Janſeniſtæ in hoc a *Molina* & Moliniſtis maxime diſcrepant, quod *Janſenius* & Janſeniſtæ ultro admittant in ſtatu innocentiæ omnes conſecutiones, quas ex doctrina de Gratia verſatili deducunt Thomiſtæ; ſcilicet fatentur *Janſenius* & Janſeniſtæ, Angelos bonos, Præventos duntaxat Gratia verſatili, & ſubdita eorum Libero Arbitrio, præcipuas habuiſſe partes in negotio ſuæ ſalutis, illos per Liberi Arbitrii vires ſtetiſſe in accepta juſtitia, ſeque per bonum uſum Gratiæ verſatilis diſcreviſſe a malis Angelis, qui ceciderunt, & habuiſſe unde gloriari poſſent; has & alias id genus conſecutiones, inquiunt Moliniſtæ, quas ex doctrina de Gratia verſatili deducunt Thomiſtæ, perlibenter admittunt *Janſenius*, & Janſeniſtæ, eaſque, tanquam veras, S. *Auguſtini* doctrinæ conſentaneas, & legitime ex Gratia verſatili deductas, defendunt in ſtatu innocentiæ reſpectu Adami & Angelorum. At, è diverſo *Molina* & Moliniſtæ negant omnes illas conſecutiones, quas Thomiſtæ ex doctrina Gratiæ verſatilis deducunt. Quo fit, ut *Molina* & Moliniſtæ, quamvis cum *Janſenio* & Janſeniſtis in ſtatu innocentiæ, tam erga Adamum, quam erga Angelos conſentiant in eodem principio de ſola admittenda Gratia verſatili, attamen circa conſecutiones, quas *Janſenius* & Janſeniſtæ ex Gratia verſatili in ſtatu innocentiæ deducunt, longiſſime ab illis diſtent. Hoc pacto Moliniſtæ doctrinam ſuam de Gratia Adami innocentis, & Angelorum tentant diſtinguere, ac diverſam reddere a doctrina de Gratia Adami innocentis, & Angelorum, quam *Janſenius* & Janſeniſtæ propugnant.

II. Verum, Thomiſtæ, Præmotionis & Gratiæ per ſe efficaci in utroque ſtatu, ſive naturæ lapſæ, ſive naturæ innocentis, acerrimi defenſores, optimo

jure pertendunt, Moliniſtas, hoc ipſo quod cum *Janſenio* & Janſeniſtis ſentiunt in hoc ipſo principio, quod videlicet Adamo innocenti, & Angelis adhuc in via exiſtentibus nullæ, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, datæ ſint a Deo Gratiæ per ſe efficaces, ſed tantum Gratiæ verſatiles, ſubditæ eorum Libero Arbitrio, pertendunt, inquam, jure optimo Thomiſtæ, Moliniſtas, admiſſo ſemel in ſtatu naturæ innocentis hoc principio de Gratia verſatili, debere itidem ex eo principio eaſdem deducere conſecutiones reſpectu Adami innocentis, & Angelorum adhuc in via exiſtentium, quas *Janſenius* & Janſeniſtæ deducunt ex eodem principio de Gratia verſatili, quod in ſtatu naturæ innocentis una cum *Molina* & Moliniſtis admittunt, ſubindeque oportere, ut Moliniſtæ, velint nolint, fateantur, bonos Angelos, ſola præventos Gratia verſatili, præcipuas habuiſſe partes in negotio ſuæ ſalutis, illos per Liberi Arbitrii vires in accepta juſtitia perſeveraſſe, ſeque per bonum uſum Gratiæ diſcreviſſe a malis Angelis, & habuiſſe unde gloriari poſſent. Has quippe & alias ejuſmodi conſecutiones effluere ex hoc de Gratia verſatili principio probant Thomiſtæ invictis argumentis, quæ ipſe in 2. & 3. Epiſtolis, quas ad te ſcripſi, in medium produxi, & quibus *Janſenius* & Janſeniſtæ convicti, fateri coacti ſunt, ejuſmodi conſecutiones ex hoc principio doctrinæ Molinianæ de Gratia verſatili recte a Thomiſtis eſſe deductas, eaſque pro ſtatu naturæ lapſæ nullo pacto eſſe admittendas, utpote doctrinæ S. *Auguſtini* omnino contrarias, quamvis tamen *Janſenius* & Janſeniſtæ, in doctrina ſibi non conſtantes, Molinianam Gratiam verſatilem in ſtatu naturæ innocentis reſpectu Adami, & Angelorum ambabus manibus amplectantur, & omnes conſecutiones, quæ ex eo doctrinæ Molinianæ principio ſponte fluunt, quaſque ipſimet a ſtatu naturæ lapſæ tanquam falſas, erroneas, & doctrinæ S. *Auguſtini* oppoſitas rejiciunt ac procul eliminant, ſuo calculo approbent in ſtatu innocentiæ circa Adamum innocentem, & Angelos nunc in via exiſtentes, nec vereantur aſſerere, haſce conſecutiones, quas ex doctrina Moliniana de Gratia verſatili deducunt Thomiſtæ, non eſſe pro ſtatu innocentiæ falſas aut periculoſas, ſed ipſiſſimam continere doctrinam S. *Auguſtini*.

Id ſane tam falſum eſſe quam quod maxime, multis argumentis in hac Epiſtola demonſtrandum ſuſcipio. Et primo oſtendam, S. *Auguſtinum* docuiſſe, Adamum in ſtatu innocentiæ, & Angelos, adhuc in via exiſtentes, indiguiſſe Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum. Secundò evincam, *Janſenium*, & Janſeniſtas, dum a ſtatu naturæ innocentis arcent Gratias per ſe efficaces, ab imo ſuffodere omnia principia, quibus S. *Auguſtinus* ſuperſtruit doctrinam ſuam de neceſſitate Gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos actus. Denique palam faciam, *Janſenium*, & Janſeniſtas manifeſtis antilogiis ſe ſe implicare, dum negant, neceſſarias fuiſſe in ſtatu naturæ innocentis Gratias per ſe efficaces, & duntaxat eo in ſtatu admittunt Gratias verſatiles, indifferentes, & Libero Adami, & Angelorum Arbitrio ſubditas.

III. Auſpicor itaque a primo probationum capite, & invicto S. *Auguſtini* teſtimonio, petito ex cap. 9. lib. 12. *De Civitate Dei* oſtendo, ſummum illum Gratiæ Doctorem diſertis verbis aſſerere, Angelos, ſubindeque Adamum in ſtatu innocentiæ, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci indiguiſſe. At enim, S. *Auguſtinus*, loco illo mox a me laudato, agens de cauſa peccatricis voluntatis malorum Angelorum, & de cauſa bonæ voluntatis bonorum Angelorum, hæc habet: *Cum ergo malæ voluntatis efficiens naturalis, vel, ſi dici poteſt, eſſentialis, nulla ſit cauſa, ab ipſa quippe incipit ſpirituum mutabilium malum, quo minuitur atque depravatur naturæ bonum, nec talem voluntatem facit niſi defectio, qua deſeritur Deus, cujus defectionis etiam cauſa utique deficit: Si dixerimus, nullam eſſe efficientem cauſam etiam voluntatis bonæ,*

ca-

cavendum eſt, ne voluntas bona bonorum Angelorum non facta, ſed Deo coæteru eſſe credatur. Poſtquam itaque S. *Auguſtinus* probavit, Deum non eſſe peccati cauſam, demonſtrat deinde, Deum eſſe boni amoris, piorumque actuum voluntatis creatæ cauſam. Addit enim continenter Aquilinus ille Doctor: *Cum ergo ipſi facti ſunt* (ideſt Angeli) *quomodo illa* (ſeu bona eorum voluntas) *non eſſe facta dicetur?* (hoc primum argumentum, quo ſuadetur, bonam voluntatem fieri a Gratia, *ſed ſi cum ipſis non dubium quod ab illo* (ſeu Deo) *facta ſit a quo & ipſi, ſimulque ut facti ſunt, ei a quo facti ſuut, amore cum quo facti ſunt, adhæſerunt, eoque ſunt iſti ab illorum* (Angelorum prævaricatorum) *ſocietate diſcreti, quod hi in eadem voluntate bona manſerunt, illi ab ea deficiendo mutati ſunt, mala ſcilicet voluntate, hoc ipſo quod a bona volunte defecerunt, a qua non defeciſſent, ſi utique voluiſſent: Si autem boni Angeli fuerunt prius ſine bona voluntate, eamque in ſe ipſis, Deo non operante, fecerunt; ergo meliores a ſe ipſis, quam ab illo facti ſunt: Abſit.*

Ex quibus S. *Auguſtini* verbis hoc argumentum conficio: Si boni Angeli abſque Gratia per ſe efficaci, ſed ſola Gratia verſatili, ac ſubdita eorum Libero Arbitrio præventi perſeveraſſent in accepta juſtitia, certe hanc actualem bonam voluntatem, per quam Gratiam verſatilem determinaſſent ad perſeverandum, non accepiſſent boni Angeli a Deo, ſed a ſe ipſis, & per illam ſe ſe illos meliores feciſſent, quam Deus illos fecerat (ſicut fatentur *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli) atqui aperte docet S. *Auguſtinus*, bonos Angelos accepiſſe a Deo, & non a ſe ipſis, hanc bonam voluntatem actualem, per quam perſeverarunt in accepta juſtitia, eoſque non potuiſſe reddere ſe ipſos meliores, quam Deus illos fecerat, ergo S. *Auguſtinus*, quem obtorto collo ſibi patronum adſciſcit *Janſenius*, manifeſto docet, bonos Angelos ad perſeverandum in accepta juſtitia indiguiſſe auxilio per ſe & ab intrinſeco efficaci.

Reſpondent *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli, S. *Auguſtinum* eo loci de prima actuali voluntate bona, ſeu de illo actu amoris Dei, in quo Angeli juſti a Deo conditi ſunt, quemque ipſi in primo inſtanti creationis ſuæ elicuerunt, fuiſſe locutum, non vero de altera actuali voluntate bona, ſeu de ſubſequenti amore caſto, quem boni Angeli in ſecundo inſtanti creationis ſuæ exeruerunt; & per quem Deo adhærentes in accepta juſtitia permanſerunt, indeque inferunt Janſeniſtæ, Sanctum *Auguſtinum* recte ac ſolide probare, bonam illam actualem voluntatem, quam boni Angeli in primo creationis ſuæ inſtanti habuerunt, factam fuiſſe a Deo, eamque bonos Angelos non a ſe ipſis, ſed a Deo per Gratiam ſe ipſa efficacem accepiſſe: Quod tamen de altera ſubſequenti actuali bona voluntate, quam boni Angeli in ſecundo creationis ſuæ inſtanti libere & meritorie produxerunt, & per eam in accepta juſtitia perſeverarunt, poſſe ex eodem Sancti *Auguſtini* principio probari inficiantur Janſeniſtæ.

At, iſtud merum eſſe Janſeniſtarum effugium fatebitur quicumque, ſemoto omnium partium ſtudio, leget integrum iſtud caput nonum libri XII. *De Civitate Dei*, in quo Sanctus *Auguſtinus* de utraque actuali bona Angelorum voluntate diſputat, & utramque in Angelis a Deo factam eſſe probat, ne ſi alterutram a ſe ipſis, Deo non largiente, haberent Angeli, meliores facerent ſemetipſos, quam illos fecerat conditor Deus. Tota quippe doctrina *Auguſtini* eo in capite contenta ad iſtud ratiocinium revocari poteſt: *Si prima actualis bona voluntas, quam Angeli habuerunt in primo creationis ſuæ inſtanti, a Deo facta eſt, ſed altera ſubſequens actualis bona voluntas, quam Angeli boni habuerunt in ſecundo ſuæ creationis inſtanti, a Deo facta non eſt, evidentiſſime inde ſequeretur, quod Deus Angelos minus perfectos feciſset in ſecundo inſtanti creationis, quam illos fecerat in primo inſtanti, quia Deus in primo inſtanti feciſſet in Angelis bonam illam actualem voluntatem, ſed illam non fecisset bonam actualem voluntatem, quam habuerunt Angeli in ſecundo inſtanti creationis ſuæ: Atqui tamen boni*

boni Angeli in hoc ſecundo creationis ſuæ inſtanti tam perfecti fuiſſent, quam erant in primo creationis ſuæ momento, ergo boni Angeli in hoc ſecundo inſtanti creationis ſuæ meliores ſe ipſos effecerunt, quam illos in eodem ſecundo creationis ſuæ inſtanti fecerat Deus; ergo boni Angeli in hoc ſecundo creationis ſuæ inſtanti melius in ſe ipſis operati ſunt, quam Deus. Auguſtinianum hoc ratiocinium, quo collimat tota ipſius doctrina, quoquo modo vertas, & ad quamcumque Moliniſtarum & Janſeniſtarum hypotheſim circa Gratiam Adamo innocenti, & Angelis viatoribus conceſſam, transferas, univerſa illorum Syſtemata ſubruit, & ſolidiſſime adſtruit neceſſitatem Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, qua tam Adamus in ſtatu naturæ innocentis, quam Angeli viatores ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, opus habuerunt.

Sed quo magis eluceat iſtud S. *Auguſtini* ratiocinium, ideque facilius intelligas, Sanctum illum Doctorem docuiſſe utramque bonorum Angelorum actualem voluntatem, ſive in primo, ſive in ſecundo creationis ſuæ inſtanti, a Deo factam eſſe, ne, ſi vel alterutram bonam voluntatem a ſe ipſis, Deo non donante, haberent Angeli, meliores facerent ſe ipſos, quam Deus illos fecerat, præſtat auſcultare eumdem Aquilinum Doctorem, qui eodem in capite nono lib. XII. *De Civitate Dei* egregius eſt mentis ſuæ interpres: *Aut ſi non potuerunt* (ideſt Angeli) *ſe ipſos facere meliores*, pergit S. Auguſtinus, *quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam fecit; profecto & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adjutorio creatoris habere non potuerunt: & cum id egit eorum voluntas bona, ut non ad ſe ipſos, qui minus erant, ſed ad illum qui ſumme eſt, converterentur, eique adhærentes magis eſſent, ejuſque participatione ſapienter beateque viverent; quid aliud oſtenditur, niſi voluntatem quamlibet bonam inopem fuiſſe in ſolo deſiderio remanſuram, niſi ille, qui bonam naturam ex nihilo ſui capacem fecerat, ex ſe ipſo faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.*

Ex quibus verbis ſic argumentum conficio: docet eo loci S. *Auguſtinus*, bonam illam Angelorum voluntatem, qua ad Deum *converſi ſunt*, qua ei, tanquam ultimo fini, *magis adhæſerunt*, & quæ *in ſolo deſiderio inops non manſit, ſed melior avidiorque fuit*, a Deo factam eſſe, eamque non a ſe ipſis bonos Angelos accepiſſe; Atqui certum eſt, bonam illam voluntatem, qua boni Angeli ad Deum *converſi ſunt*, qua Deo *magis adhæſerunt*, & quæ in Angelis *melior avidiorque* fuit, conſtat, inquam, hanc bonam voluntatem, non eſſe illam aut habitualem, aut actualem bonam voluntatem, ſeu caſtum amorem, quem Angeli a Deo acceperunt in primo ſuæ creationis inſtanti, ſed eſſe actualem hanc bonam voluntatem, qua libere, ac meritorie boni Angeli in ſecundo ſuæ creationis inſtanti ſe ſe ad Deum converterunt, ei magis adhæſerunt, eaque bona, libera, ac meritoria actuali voluntate viam ſuam (ut loquuntur Theologi) conſummarunt, & auxilio per ſe efficaci a Deo donati in accepta juſtitia perſeverarunt; ergo ex S. *Auguſtino* non ſolum bona illa voluntas, cum habitualis, tum actualis, quam Angeli habuerunt in primo ſuæ creationis momento, a Deo facta eſt, & eam a ſe ipſis Angeli non acceperunt; ſed etiam bona illa actualis voluntas, qua boni Angeli, auxilio per ſe efficaci a Deo adjuti, in accepta juſtitia libere & meritorie perennarunt, facta eſt a Deo, nec eam a ſe ipſis boni Angeli acceperunt.

Quanquam quid ego hæc moror? cum S. *Auguſtinus* hoc in capite IX. lib. XII. *De Civitate Dei* clariſſime innuat, bonos Angelos beneficio duntaxt Gratiæ per ſe efficacis in accepta juſtitia perſeveraſſe. Sic enim de cauſa efficienti bonæ voluntatis Angelorum differere pergens Aquilinus ille Doctor, mentem ſuam diſerte aperit: *Unde ſine bona voluntate, hoc eſt, Dei amore, nunquam Sanctos Angelos fuiſſe credendum eſt. Iſti autem, qui, cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt mala propria voluntate, quam bona natura non fecit, niſi cum a bono ſponte defecit, ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus a bono; aut minorem*

ac-

acceperunt amoris Divinis gratiam, quam illi, qui in eadem perſtiterunt : aut ſi utrique boni æqualiter creati ſunt, iſtis mala voluntate cadentibus, illi AMPLIUS ADJUTI *ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſime ſcirent, pervenerunt.* Hæc verba, AMPLIUS ADJUTI, decretoria eſſe in gratiam Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, a S. *Auguſtino* aſſertæ, & tam Adamo in ſtatu innocentiæ, quam Angelis viatoribus ad bene agendum, & perſeverandum in accepta juſtitia omnino neceſſariæ, luculenta iſta argumentatione evinco. Docet S. *Auguſtinus*, amplius adjutorium, ſeu potentiorem gratiam, accepiſſe bonos Angelos, qui in accepta juſtitia perſeverarunt, quam malos Angelos, qui ceciderunt. Atqui amplius illud adjutorium, ſeu gratia potentior, eſt Gratia per ſe efficax, non autem Gratia ſufficiens, quæ in omnibus Angelis, ſive bonis, ſive malis, æqualis fuit, igitur ex S. *Auguſtino* palam colligitur, Angelis ad perſeverandum in accepta juſtitia opus fuiſſe Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci.

Reſpondet *Janſenius* cap. 18. libri *De Gratia primi hominis & Angelorum*, doctrinam, quam S. *Auguſtinus* his verbis tradit, a præſenti, quam verſamus, quæſtione eſſe remotiſſimam, nec ad eam, citra abſurditatem, flecti ac detorqueri poſſe. Exiſtimat itaque *Janſenius*, docere quidem S. *Auguſtinum*, bonos Angelos, qui in accepta juſtitia perſeverarunt, habuiſſe amplius adjutorium, quam malos Angelos, qui ceciderunt; ait tamen *Janſenius*, Sanctum illum Doctorem per illud *amplius adjutorium* non intellexiſſe adjutorium in ſtatu viæ, qualis eſt Gratia actualis per ſe efficax, quaſi ea ad perſeverandum in bono indiguerint Angeli, ſed Sanctum *Auguſtinum* per illud *amplius adjutorium* intellexiſſe tantummodo adjutorium in ſtatu patriæ, ſitum vel in lumine gloriæ, vel in certa notitia de beatitudine, ad quam pervenerunt, nunquam deinceps amittenda. Quam certam de beatitudinis ſuæ perennitate notitiam bonis Angelis fuiſſe a Deo datam in præmium illorum in accepta juſtitia perſeverantiæ aſſerit *Janſenius*, & hanc eſſe germanam mentem S. *Auguſtini* pronunciare non veretur.

At, hæc *Janſenii*, & aliorum, qui ei hac in parte adhærent, Reſponſio aliena eſt a mente S. *Auguſtini*, eique hunc tribuit ſcopum, quem a Sancto illo doctore non fuiſſe intentum multis momentis evinco. Primò, quia ait Sanctus *Auguſtinus*, bonos Angelos AMPLIUS ADJUTOS perveniſſe ad beatitudinem: Igitur de eo adjutorio, quo boni Angeli ad beatitudinem pervenerunt, loquitur S. *Auguſtinus*, non vero de illo adjutorio, quod Deus bonis Angelis, poſt adeptam beatitudinem, tanquam præmium ipſorum perſeverantiæ, conceſſit. Repugnat enim, adjutorium patriæ medium eſſe, quo pervenitur ad beatitudinem, cum potius iſtud adjutorium detur tantum, cum ad beatitudinem ventum eſt. Præterea, docet S. *Auguſtinus*, bonos Angelos, qui perſeverarunt, majorem accepiſſe Divini amoris gratiam, atque certa illa de perpetuitate beatitudinis notitia non eſt Divini amoris gratia, ſed eſt tantum poſſeſſæ æternæ beatitudinis præmium, appendix & corollarium; non igitur de certa illa æternæ Angelorum beatitudinis notitia loquitur ibi S. *Auguſtinus*, ſed de potentiori auxilio Gratiæ, ſeu de ipſo perſeverantiæ dono, quod bonis Angelis viatoribus a Deo collotum eſt, aliis vero Angelis juſto Dei judicio denegatum. Tertiò, S. *Auguſtinus* eo in capite nono libro XII. *De Civitate Dei* hanc quæſtionem explicandam ſibi proponit, cur, aliis Angelis cadentibus, alii in accepta juſtitia perſtiterint? Cumque Sanctus ille Doctor malorum Angelorum ruinam in liberum & voluntarium eorum defectum, ſeu in nihilum, tanquam in radicem, referat, dicens. *Ut mali cauſa non ſit bonum, ſed defectus a bono*, inde proclive eſt ut credamus, voluiſſe itidem S. *Auguſtinum* affere ibidem cauſam bonorum Angelorum perſeverantiæ, dum ait, bonos Angelos, aliis mala voluntate cadentibus, *amplius adjutos* ad beatitudinem perveniſſe.

Porro, ſi per illud amplius adjutorium

An-

Angelis ad perſeverandum a Deo conceſſam, intellexiſſet S. *Auguſtinus* adjutorium patriæ, ſive certam notitiam, quam boni Angeli, poſtquam perſeverarunt, & æternam beatitudinem ſunt adepti, habuerunt, ſe nunquam è poſſeſſa beatitudine caſuros, ſed ea æternum potituros; ſi, inquam, illud adjutorium patriæ indigitare duntaxat voluiſſet Sanctus *Auguſtinus*, hanc, quam ſibi proponit, quæſtionem minime ſolviſſet; nec cauſam aſſignaſſet, cur boni Angeli perſeverarint? Quandoquidem certum eſt apud omes Theologos, non habuiſſe bonos Angelos iſtud patriæ adjutorium, ſeu certam hanc notitiam, ſe nunquam è beatitudine caſuros, niſi poſtquam perſeverarunt & æternam beatitudinem ſunt aſſecuti. Non potuit ergo iſtud adjutorium patriæ aſſignari a Sancto *Auguſtino* tanquam cauſa cur boni Angeli perſeverarunt, cum iſtud patriæ adjutorium (ut fatentur omnes Theologi) fuerit duntaxat præmium Angelis bonis a Deo conceſſum propter illorum jam factam perſeverantiam, & ſimul æternæ, jam ab ipſis obtentæ, beatitudinis corollarium. Addo etiam, hæc verba S. Auguſtini: *Iſtis*, ſeu Angelis, *mala voluntate cadentibus*, ad litteræ apicem intellecta, indicare ſtatum viæ, in quo adhuc erant mali Angeli dum ceciderunt: ergo hæc eſt vera S. *Auguſtini* mens, quod eodem inſtanti, quo ceciderunt mali Angeli, ac proinde dum in via adhuc erant utrique, ideſt, boni & mali Angeli; tum demum amplius illud adjutorium aſſecutos eſſe Sanctos Angelos, quod malis fuit denegatum.

Sed, ut in evidentiori lumine germana mens S. *Auguſtini* circa Gratiam Adami innocentis, & Angelorum viatorum conſtituatur, luculentiſſimum hic proferam Sancti *Auguſtini* teſtimonium, ex quo Sole clarius conſtabit, Sanctum illum Doctorem aperte ſenſiſſe, Angelos, ad perſeverandum in bono, opus habuiſſe Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, eumque Sanctorum Angelorum a malis diſcretionem in Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem referendam eſſe docuiſſe. Ex qua S. *Auguſtini* doctrina probatum itidem manebit, Adamum in ſtatu innocentiæ indiguiſſe Gratia per ſe efficaci ad perſeverandum in accepta juſtitia; quia (fatente ipſomet *Janſenio*) idem judicium ferendum eſt de Gratia neceſſaria Adamo in ſtatu innocentiæ, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, ac de Gratia neceſſaria Angelis viatoribus tam ad agendum, quam ad perſeverandum. Audi igitur S. *Auguſtinum*, qui bonorum Angelorum a malis diſcretionem non bonam Angelorum voluntatem, ſed ad Deum, ſeu ad Gratiam per ſe efficacem, cap. 9. lib. XI. *De Civitate Dei* refert his verbis: *Non mihi videtur*, inquit Sanctus ille Doctor, *ab operibus Dei abſurda ſententia, ſi cum lux illa prima facta eſt, Angeli creati intelliguntur, & inter Sanctos Angelos & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt*: Et diviſit Deus inter lucem & tenebras, & vocavit Deus lucem diem & tenebras noctem; *ſolus quippe ille iſta diſcernere potuit*.

Ex quibus S. *Auguſtini* verbis ſic argumentor: Niſi bonis Angelis in accepta juſtitia perſeverantibus collata fuiſſet a Deo Gratia per ſe efficax, Angeli boni ſe ſe a malis per bonum uſum Gratiæ verſatilis diſcreviſſent, cum in bono ſtetiſſent, non majori, ac potentiori adjuti auxilio, quam mali Angeli, ſicut contendit *Janſenius*: Atque S. *Auguſtinus* conceptis verbis docet, bonos Angelos non ſe ipſos diſcreviſſe a malis, ſed hanc diſcretionem refert in Deum: *Solus quippe ille* (ſeu Deus) *iſta diſcernere potuit*: Igitur Deus, juxta doctrinam S. *Auguſtini*, dedit bonis Angelis in accepta juſtitia perſeverantibus auxilium per ſe efficax, quo Adamus pariter in ſtatu innocentiæ ad agendum & perſeverandum indigebat, cum idem prorſus in hac cauſa ferendum ſit judicium de Adamo in ſtatu naturæ innocentis, ac de Angelis viatoribus, fatente ipſomet *Janſenio*, ſicut jam obſervavimus.

Reſpondent illi, qui huic *Janſenii* ſententiæ ſuffragantur, Deum diſcreviſſe bonos Angelos a malis per Præſcientiam perſeverantiæ aliquorum, & caſus aliorum. Hinc S. *Auguſtinus* loco mox laudato ait: *Solus quippe ille* (ſeu Deus) *iſtas*

Digitized by Google

iſta diſcernère potuit, qui potuit priuſquam caderent (Angeli) *præſcire caſuros, & lùmine privatos veritatis, in tenebroſa ſuperbia remanſuros*. Quibus verbis innuere videtur S. *Auguſtinus*, bonos Angelos fuiſſe a malis diſcretos ſola Dei præſcientia, non vero beneficio alicujus uberioribus, & per ſe efficacis Gratiæ, aliquibus Angelis, præ aliis, conceſſæ a Deo.

Sed iſta Reſpoſio multis momentis refellitur. Primò, quia, juxta principia doctrinæ S. *Auguſtini*, Deus non potuit præſcire quorumdam Angelorum perſeverantiam, niſi & ipſam operaretur per Gratiam ab intrinſeco efficacem, atqui Deus ſine Gratia per ſe efficaci non potuiſſe operari perſeverantiam bonorum Angelorum per Gratiam ſufficientem, quia hæc Gratia ſufficiens (fatente *Janſenio*) erat verſatilis, & communis omnibus Angelis tam cadentibus, quam perſeverantibus, eorumque ſubdita Libero Arbitrio; proindeque Deus non potuiſſet per illam Gratiam ſufficientem aliquid in bonis Angelis operari, quod in malis, qui ciciderunt, non eſſet operatus.

Quando igitur S. *Auguſtinus* aſſerit, Deum diſcreviſſe bonos Angelos a malis per præſcientiam futuræ ipſorum perſeverantiæ, vult etiam Sanctus ille Doctor, Deum diſcreviſſe bonos Angelos a malis per auxilium ſe ipſo & ab intrinſeco efficax; quia (juxta inconcuſſum Auguſtinianæ Doctrinæ principium, quod Sanctus ille Doctor pluribus in locis inculcat) ideo Deus aliquid præſcit, quia illud facturus eſt: *Univerſas creaturas ſuas* (inquit S. *Auguſtinus* cap. 13. lib. 15. De Trinitate) *ſpirituales, aut corporales, non quia ſunt, ideo novit Deus; ſed ideo ſunt, quia novit: non enim neſcit quæ fuerat creaturus, quia ergo ſcivit, creavit, non quia creavit, ſcivit*. Et lib. 13. *Confeſſionum* cap. 38. ſic Deum alloquitur Aquilinus ille Doctor: *Nos itaque ea, quæ feciſti, videmus; quia ſunt; Tu autem quia vides, ea ſunt & nos foris videmus, quia ſunt, & intus quia bona ſunt. Tu autem ubi vidiſti facta, ibi vidiſti facienda*. Hinc S. *Thomas*, fidiſſimus S. *Auguſtini* Diſcipulus, ejuſque doctrinæ interpres, 1. Part. ſuæ Summæ Quæſt. 14. *De Scientia Dei*, Art. 8. & in 1. Sent. Diſtinct. 38. Quæſt. 1. Art. 1. docet cum S. *Auguſtino*, ſcientiam Dei eſſe cauſam rerum non tantum directivam, verum etiam efficientem.

Præterea, ſi Deus per Gratiam ſe ipſa efficacem non diſcreviſſet bonos Angelos a malis, ſed ſi boni Angeli per ſe ſe, Liberi Arbitrii viribus perſeverando, diſcreviſſent a malis, potuiſſent boni Angeli de ſua perſeverantia, & de bono uſu Gratiæ in ſe ipſis, & non in Domino, gloriari. Ille enim licite poteſt in ſe ipſo gloriari, qui, alio cadente, ſtat ac perſeverat in bono, pari cum ipſo munitus auxilio, ſicut invictis momentis in ſuperioribus noſtris Epiſtolis probavimus. Quod ſi ita ſit, ruit penitus, aut ſaltem inexplicabili confuſione perturbatur doctrina S. *Auguſtini*, qui innumeris in locis profert ac commendat celebre iſtud Apoſtoli *Pauli* Oraculum: *Qui gloriatur, in Domino glorietur: Quis eſt, qui te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?*

Scio, nonnullos Theologos, Scholæ Thomiſticæ adverſarios, ut hujus argumenti vim effugiant, reponere ſolitos eſſe, bonos Angelos, qui in accepta juſtitia perſeverarunt, in ſe ipſis non potuiſſe, præ aliis, qui ceciderunt, gloriari; quia, inquiunt, non ſe diſcreverunt boni Angeli ſine Gratia ſaltem verſatili ſibi a Deo conceſſa. Sed in hac confutanda reſponſione non eſt quod diutius immorer, tum quia in præcedentibus meis Epiſtolis pluribus momentis evici, ex doctrina Molinianæ Scholæ de Gratia verſatili, indifferenti, & ſubdita Libero hominis & Angelorum Arbitrio aperte conſequi, homines & Angelos hac Gratia duntaxat verſatili ad bene agendum præventos, ſi poſtea bene agant, & ſuo conſenſu prædictam Gratiam reddant efficacem, ſe ſe revera diſcernere ab aliis, qui eadem Gratia verſatili inſtructi male ea uſi ſunt: Tum quia etiamſi boni Angeli, qui Gratiam verſatilem ſuo conſenſu efficacem reddiderunt, non ſe diſtinxerint a malis Angelis, ſine Gratia verſatili, ſicut

aſſe-

aſſerunt Moliniſtæ, non tamen boni Angeli ſe a malis diſcreverunt per Gratiam illam verſatilem, Gratia quippe verſatilis & indifferens, quæ eſt communis bono & malo Angelo, non diſtinguit bonum Angelum a malo: Præterquam quod, hæc Reſponſio a *Janſenio*, quem hic præſertim impugnandum ſuſcepi, tanquam omnino falſa repudiatur: *Janſenius* enim, & quidam Theologi, qui ejus ſententiæ adſtipulantur, docent, bonos Angelos, ſola præventos Gratia verſatili & eorum Libero ſubdita Arbitrio, ſe per Liberi Arbitrii vires diſcreviſſe, dum perſeverarunt, a malis Angelis, qui eadem Gratia verſatili inſtructi, non preſeverarunt, ſubindeque *Janſenius*, & alii, qui ejus ſententiam ſectantur, ultro fatentur, bonos Angelos habuiſſe, unde poſſent in ſe ipſis gloriari, ſuaque propria merita venditare.

Denique, iſta reſponſio ſupponit, datam eſſe duntaxat Angelis ad perſeverandum Gratiam verſatilem, eorum ſubditam Libero Arbitrio, quam boni Angeli conſenſu ſuo reddentes efficacem, perſeverarunt in bono, alii vero mali Angeli eadem Gratia male utentes, conciderunt. Hanc autem hypoteſim falſam eſſe, & principiis doctrinæ S. *Auguſtini* penitus adverſari jam probavi, idque confirmare non pigebit altero ejuſdem S. Doctoris teſtimonio, deprompto ex cap. X. lib. XI. *De Geneſi ad litteram,* ubi cauſam quærens caſus Angelorum, fatetur, ſe nullam poſſe adhibere rationem, immo totum iſtud negotium ad inſcrutabilia Dei judicia provocat. Sic enim habet ſummus ille Gratiæ Doctor: *Sed poſſet* (Deus) *etiam ipſorum* (malorum Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quia omnipotens eſt; poſſet, plane. Cur ergo non fecit? quia noluit; cur noluit? penes ipſum eſt*. Aſt, ſi Sanctus *Auguſtinus* exiſtimaſſet, Angelos viatores non indiguiſſe ad perſeverandum Gratia per ſe efficaci, ſed tantummodo Gratia verſatili, indifferenti, & eorum ſubdita Libero Arbitrio, nulla profecto cauſa fuiſſet, cur hic S. Doctor recurreret ad inſcrutabilia Dei judicia, potuiſſet enim dicere, quod, ſicut boni Angeli perſeverarunt in bono, quia Gratiam verſatilem & indifferentem reddiderunt efficacem conſenſu ſuo, ea bene utendo; ita mali Angeli non perſeverarunt, quia eadem Gratia verſatili & indifferenti per Liberum Arbitrium ſuum male uſi ſunt. Cum igitur S. *Auguſtinus* in ſolutione iſtius nodi de caſu Angelorum hanc reſponſionem, quæ in promptu erat, non adhibuerit, ſed potius ad inſcrutabilia Dei judicia confugerit, argumento eſt, Aquilinum illum Doctorem ſenſiſſe, Angelos viatores (idem de Adamo in ſtatu innocentiæ ferendum eſt iudicium) eguiſſe, ad perſeverandum in accepta juſtitia, auxilio per ſe efficaci, ideoque malos Angelos cecidiſſe, quia tale auxilium per ſe efficax eis occulto quidem, ſed juſto Dei judicio, fuit denegatum.

Hanc eſſe veram S. *Auguſtini* mentem declarant tres Sancti illius Doctoris Diſcipuli, ſumma eruditione, & eximia ſanctitate conſpicui, videlicet S. *Fulgentius*, Ruſpenſis Epiſcopus, S. *Bernardus*, Abbas Claræ vallenſis, & S. *Thomas*, Doctor Angelicus, qui Gratiam per ſe efficacem in ſtatu naturæ innocentis, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, neceſſariam fuiſſe ita diſerte docent, ut nullum & de ſua, & de S. *Auguſtini* mente, quam apprime callebant, dubitandi locum relinquant.

In primis, S. *Fulgentius* cap. 3. libri 2. ad *Traſimundum*, Vandalorum Regem in Africa, hæc habet, quæ rem plane conficiunt: *Profecto cognoſcitur uniformi cunctos* (ſeu Angelos) *opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet a caſu pravitatis virtus illa defenderet, quæ ſola naturaliter mutari depravarive non poſſet. Ipſa igitur etiam homini reparando fuit neceſſaria, quia non alia ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire, niſi illa, quæ lapſum hominem poſt ruinam potuit reparare. Una eſt in utroque Gratia operata, in hoc ut ſurgeret, in illo ne caderet; in illo ne vulneraretur, in iſto ut ſanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non ſivit; illius eſca, iſtius medicina*. Diſertus ſane eſt, ſi quis unquam fuit, iſte S. *Fulgen-*

gentii locus ad explodendam Gratiam verſatilem, & ad ſtabiliendam in ſtatu naturæ innocentis Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem; neque enim, ut candide fatear, quo pacto alium in ſenſum detorqueri poſſit, video.

Negabit fortaſſe quiſpiam, de auxilio Angelis viatoribus conceſſo intelligendum eſſe hunc S. *Fulgentii* locum, ſed de auxilio patriæ, ſeu de beatitudine; quaſi S. *Fulgentii* ſenſus ſit; Deum, accelerato lumine gloriæ, Angelos ſanctos, ne forte ſicut cæteri Angeli laberentur, quamprimum ſtabiliviſſe, confirmaſſe & ſolidaſſe in bono.

At, Reſponſum iſtud quo minus admittatur, plura, eaque graviſſima, momenta obſtant. Primò, S. *Fulgentius* loquitur de ea Gratia, quæ Angelis ſanctis a lapſu cuſtodiendis erat neceſſaria, & ſine qua univerſi Angeli revera cecidiſſent: *Profecto cognoſcitur uniformi cunctos opprimi potuiſſe ruinæ conſortio, niſi quos vellet virtus illa defenderet* &c. Addit etiam S. Fulgentius: *Ipſa igitur* ETIAM *homini reparando fuit neceſſaria*. Porro, vocula iſta ETIAM ſignificat Gratiam non modo hominibus lapſis, ſed ipſis quoque Angelis fuiſſe neceſſariam: Addit etiam: *Non alia ſtantem Angelum a ruina potuit cuſtodire*. Quæ omnia dilucide probant, S. *Fulgentium* loqui de adjutorio viæ, non de adjutorio patriæ, ſeu de beatitudine, quam ſolum ſancti Angeli conſecuti ſunt poſtquam in bono perſeverarunt, & fuerunt in termino.

Præterea, S. *Fulgentius* eodem in capite de Angelo affirmat quod de homine dixerat, & quemadmodum hominem *alienæ opus indigum* eſſe docuerat, ita naturam Angelicam *juvaminis egenam* aſſerit; atqui Sanctus ille Doctor de homine viatore dictum vult quidquid de homine dicit; ergo ſimiliter de Angelo viatore intelligendum vult Sanctus *Fulgentius*, quidquid ibi de Angelo affirmat.

Tertiò, palam eſt, S. *Fulgentium* Gratiam bonorum Angelorum, qui perſeverarunt, conferre cum Gratia conceſſa homini lapſo ut reſurgat: *Una eſt in utroque Gratia operata, in hoc, ut ſurgeret, in iſto, ne caderet*; ſed ineptum eſſet Gratiam homini lapſo, dum eſt in via, conceſſam conferre cum Gratia Angelis non jam viatoribus data, ergo S. *Fulgentius* ibi ſermonem non habet de adjutorio patriæ Angelis dato, ſed de, adjutorio, quod ipſis conceſſum eſt, quando adhuc erant in via.

Denique, S. *Fulgentius* hanc ibi Gratiam deſignat, per quam facta eſt bonorum Angelorum, a malis Angelis, qui ceciderunt, diſcretio, & per quam Deus eos, *quos voluit*, a ruina ſervavit; atqui ejuſmodi Gratiam receperunt boni Angeli, dum adhuc eſſent in via; ergo S. *Fulgentius* loquitur de illa Gratia, quæ conceſſa eſt Angelis, dum adhuc viatores eſſent, non vero de adjutorio patriæ, ſeu de beatitudine, quæ bonis Angelis, poſtquam perſeveraſſent, fuit retributa in patria.

Quod autem iſtud auxilium, quod Angelis viatoribus ad perſeverandum in bono conceſſum eſſe aſſerit S. *Fulgentius*, non fuerit auxilium verſatile, indifferens & ſubditum Libero eorum Arbitrio, ſed vere auxilium prædeterminans, ſeu per ſe efficax, quod ſua intrinſeca virtute fecit ut boni Angeli in accepta juſtitia perſeverarent, facile ex eodem S. *Fulgentio* demonſtro. Primò, docet S. *Fulgentius*, Deum per ejuſmodi adjutorium, Angelis viatoribus conceſſum, diſcreviſſe Angelos perſeverantes, *quos vellet*, ab Angelis, qui ceciderunt. Atqui auxilium, quod vim habet diſcernendi, non eſt auxilium verſatile & indifferens, ſed eſt auxilium prædeterminans ac per ſe efficax, ſicut in Epiſtolis 2. ac 3. quas ad te ſcripſi, liquido oſtendi, idque ultro fatetur *Janſenius*, quocum mihi potiſſimum hic diſputatio eſt. Secundò, ait S. *Fulgentius*, auxilium illud, a Deo Angelis viatoribus datum, non fuiſſe omnibus Angelis viatoribus conceſſum, quia Deus, diſcernendo ſtantes Angelos a lapſis, bonos Angelos perſeverantes amplius adjuvit, nec niſi illos, *quos voluit*, a ruina cuſtodivit; ſed auxilium verſatile & indifferens omnibus Angelis viatoribus, ſive bonis, ſive malis, fuiſſe indiſcri-

mi-

minatim a Deo conceſſum pertendit *Janſenius*; ergo auxilium illud viæ, quod Deus bonis Angelis ad perſeverandum in bono impertivit, non fuit, juxta mentem S. *Fulgentii*, auxilium verſatile & ſubditum Libero eorum Arbitrio, ſed fuit auxilium prædeterminans ac per ſe efficax. Tertiò, affirmat Sanctus *Fulgentius*, adjutorium illud, quod Deus bonis Angelis viatoribus ad perſeverandum ſuppeditavit, certiſſime cum effectu fuiſſe conjunctum; ait enim, Angelorum naturam *juvaminis egenam* eſſe, hic maxime probari, quod multi ex Angelis ceciderint: quaſi diceret Sanctus ille Doctor, malos Angelos, qui cecidere, ſi iſto auxilii genere fuiſſent adjuti, ideſt, illo adjutorio, quo Deus ſtantes Angelos ſervare voluit, & revera, ut dixit S. *Fulgentius*, ſervati ſunt, non fuiſſe caſuros: Atqui Gratia verſatilis, fatente *Janſenio*, non eſt certiſſime cum effectu conjuncta, ergo &c. Quartò, S. *Fulgentius* eamdem Gratiam dicit Angelo & homini lapſo ſuccurriſſe. Atqui Gratia, quæ eſt neceſſaria homini lapſo, non eſt Gratia verſatilis & indifferens, fatente ipſomet *Janſenio*, ſed eſt Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax, ergo *Janſenius*, velit nolit, fateri debet, Sanctum *Fulgentium* exiſtimaſſe, Gratiam per ſe efficacem fuiſſe pariter neceſſariam bonis Angelis ut in accepta juſtitia perſeverarent. Denique, S. *Fulgentius*, poſtquam dixit, Deum eadem Gratia, qua ab homine lapſo infirmitatem repulit, bonos, ſeu ſtantes Angelos infirmari non ſiviſſe, hæc immediate ſubdit: *Hunc autem* (ſeu eum, qui bonos Angelos infirmari non ſivit) *quiſquis ſanum ſapit, Filium Dei eſſe non ambigit*, qui eſt virtus & ſapientia Patris: *Sapientia, quæ cuncta diſponit; virtus, quæ omnia creavit; ſapientia, quæ illuminat; virtus, quæ adjutorium præſtat; ſapientia, quia immutabilis; virtus, quia inſuperabilis*. Quibus verbis palam innuit S. *Fulgentius*, datum fuiſſe a Deo bonis Angelis perſeverantibus auxilium, cujus *virtus inſuperabilis*, quoque nec mutatur unquam, nec vitiatur, nec vincitur a Libero Arbitrio, quoties illud efficax ſuppeditare vult Deus; ſat igitur probatum manet, S. *Fulgentium*, qui fuit fideliſſimus S. *Auguſtini* Diſcipulus, admiſiſſe auxilium prædeterminans, ſeu per ſe & ab intrinſeco efficax, ad efficiendam in natura, etiam innocente, voluntatem bonam, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia.

Quam vero de S. *Fulgentio* argumentationem inſtitui, hæc de S. *Bernardo*, & de S. *Thoma*, fideliſſimis itidem S. *Auguſtini* Diſcipulis, inſtitui poteſt, novum inde pondus acceptura. At enim, S. *Bernardus* Sermone XXII. in Cantica hæc habet: *Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laberetur: Sic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc a captiuitate defendens*. Hæc autem collatio & comparatio inepta eſſet omnino, ni S. *Bernardus* ſupponeret, Deum dediſſe *Angelo ſtanti ne laberetur*, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, quam confert homini lapſo ut erigatur.

Echo illorum Patrum S. *Thomas* eamdem doctrinam, quam hauſit ex S. *Auguſtino*, pluribus in locis trait: *Manifeſtum eſt* (inquit Angelicus Doctor 1. 2. Quæſt. 109. Art. 1.), *quod ſicut omnes motus corporales, reducuntur in motum cæleſtis corporis, ſicut in primum movens corporale, ita omnes motus, tam corporales, quam ſpirituales, reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus, & ideo quantumcumque corporalis aut ſpiritualis creatura ponatur perfecta, non poteſt prodire in actum niſi a Deo moveatur*. Et Art. 2. ejuſdem quæſtionis ait: *Natura hominis dupliciter poteſt conſiderari, uno modo in ſui integritate, ſicut fuit in primo parente ante peccatum; alio modo ſecundum quod eſt corrupta in nobis poſt peccatum primi parentis: ſecundum autem omnem ſtatum natura humana indiget auxilio ad faciendum & ad volendum quodcumque bonum, ſicut a primo movente*. Et infra: *Sic igitur virtute gratuita ſuperaddita virtuti naturæ indiget homo in ſtatu naturæ integræ quantum ad unum, ſcilicet ad operandum, vel volendum bonum ſupernaturale, ſed in ſtatu naturæ corruptæ quantum*

tum

rum ad duo ſcilicet ut ſanetur, & ut bonum ſupernaturalis virtutis operetur, quod eſt meritorium. Ulterius autem in utroque ſtatu indiget homo auxilio Divino, ut ab ipſo moveatur ad bene agendum. His conſentanea ſunt illa, quæ habet idem Angelicus Doctor 1. 2. Quæſt. 109. Art. 9. itam Quæſt. 3. de Malo Art. 1: ad 9. & Quæſt. 27. de veritate Art. 5.

Ex qua doctrina S. *Thomæ* hoc colligo argumentum: Quando aliquid pluribus titulis neceſſarium eſt, etiamſi aliquis ipſius neceſſitatis titulus deſit, nihilo minus neceſſarium eſt; Atqui Gratia per ſe efficax in ſtatu naturæ lapſæ duobus titulis neceſſaria eſt, ſcilicet ad ſanandam naturam hominis peccato Adami ſauciatam, & ad ipſam movendam ad opera ſupernaturalia; ergo etiamſi Gratia per ſe efficax non eſſet neceſſaria titulo medicinæ, eſſet tamen neceſſaria titulo motionis Divinæ, ut homo eliceret opera ſupernaturalia, quæ vires naturæ excedunt. Cum itaque in ſtatu innocentiæ homo opus haberet Divina motione ad elicienda opera ſupernaturalia, indigebat etiam in illo ſtatu Gratia per ſe efficaci.

Hoc argumento, quod puram exibet S. *Thomæ* doctrinam, refellitur error *Janſenii*, qui cap. 7. libri *De gratia primi hominis, & Angelorum* adeo extollit vires Liberi Arbitrii Adami innocentis, ut non dubitet aſſerere, etiam ſupernaturalia per ſolam Arbitrii Libertatem ab Adamo in ſtatu naturæ innocentis ſic fieri potuiſſe, ut prædicta opera ſupernaturalia Adamo non daret Gratia Dei, ſed ea duntaxat efficeret ſola per ſuas naturales vires Adami innocentis Libertas. Sic enim mentem ſuam clare exprimit Janſenius: *Nos igitur*, inquit, *hic aſſerimus tanquam ſine dubitatione veriſſimum juxta doctrinam S. Auguſtini & Eccleſiæ, omnia ejuſmodi* (ſupernaturalia) *opera, adeoque & ipſam fidem, & dilectionem Dei, ab eo* (ſeu Adamo) *potuiſſe per Arbitrii Libertatem fieri ſic, ut ea non daret ei Gratia Dei. Quod quamvis alicui fortaſſe paradoxum videatur, non poterit tamen non admittere, ſi Auguſtini, & Conciliorum doctrinam admittere velit.* Hoc vere *Janſenii* paradoxum deteſtantur, poſt S. *Thomam*, omnes Thomiſtæ, quia tantum abeſt, ut vel leviſſime tinctum ſit doctrinæ S. *Auguſtini* principiis, ut potius totam Auguſtinianam doctrinam ab imis fundamentis evertat, neque illud admitti poſſit, niſi omnia, quæ de Gratia Chriſti in alio naturæ lapſæ ſtatu jecit S. *Auguſtinus*, ſolidiſſima principia plane convellantur, ſicut ex his, quæ mox dicturus ſum, certiſſime conſtabit.

III. Venio itaque nunc ad alterum probationum caput, &, ne longior ſim, breviter evinco, *Janſenium*, dum negavit neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis, in ſtatu naturæ innocentis, & in eo tantum admiſit Gratiam verſatilem, indifferentem, & ſubditam tum Adami innocentis, tum Angelorum viatorum Libero Arbitrio, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia; evinco, inquam, *Janſenium*, hujus doctrinæ aſſertorem ac vindicem, vim omnem ademiſſe principiis, quibus (fatente ipſomet *Janſenio*) invicte probat S. *Auguſtinus* contra Pelagianos & Semipelagianos neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia in ſtatu naturæ lapſæ.

Principia autem S. *Auguſtini* firmiſſima, quibus Gratiæ ſe ipſa efficacis doctrinam incumbere fatentur ac docent quotquot illo Doctore ac Magiſtro gloriantur, poſſunt ad iſtæc revocari: *Non poſſe hominem ſe ipſum meliorem facere, quam Deus eum fecerit: Nihil poſſe hominem in ordine ſupernaturali habere a ſemetipſo, in quo poſſit a ſe ipſo gloriari: Nihil a ſemetipſo habere hominem, ratione cujus poſſit ſe ſe ab altero quocumque diſcernere: Penes Deum ſtare omnipotentiſſimam poteſtatem; quæ a nullius creaturæ adverſa voluntate vincatur ac ſuperetur, cui volenti aliquem ſalvum facere nullum humanum reſiſtit Arbitrium: incumbere omni homini neceſſitatem orandi Deum ad obtinenda beneficia, vel de perceptis gratias agendi: Denique, Myſterium eſſe inſcrutabile, cur unus homo præ alio prædeſtinetur a Deo ad gloriam? Cur unum præ alio Gratia ſic trahat, ut con-*

ſentiat? *Cur unus in accepta juſtitia perſeveret, non item alter?* Hæc ſunt principia, quibus, fatente ipſomet *Janſenio*, ſolide probat S. *Auguſtinus* contra Pelagianos & Semipelagianos, neceſſariam eſſe homini in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam per ſe efficacem, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia; Atqui S. *Auguſtinus* eadem principia ad ſtatum naturæ innocentis dilatat, ergo *Janſenius*, dum negat, Gratiam per ſe efficacem fuiſſe Adamo, & Angelis viatoribus, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum neceſſariam, vim adimit principiis, quibus S. *Auguſtinus* adſtruit contra Pelagianos, & Semipelagianos neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia.

Hujus minoris propoſitionis veritas evidenter patet ex his, quæ ſuperius adduximus, S. *Auguſtini* teſtimoniis, quibus liquet, Sanctum illum Doctorem aſſerere primò, *bonam voluntatem*, qua boni Angeli in accepta juſtitia perſeverarunt, factam *eſſe a Deo*, quia Angeli *non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quam Deus illos fecerat*. Secundo, bonos Angelos, qui in accepta juſtitia perſeverarunt, fuiſſe *amplius adjutos*, ideſt, donatos eſſe a Deo auxilio per ſe efficaci ad perſeverandum, quo deſtituti mali Angeli ceciderunt. Tertiò, S. *Auguſtinus* diſerte docet, Deum diſcreviſſe bonos Angelos a malis, ſubindeque bonos Angelos nihil habuiſſe a ſemetipſis, ratione cujus poſſent ſe ſe a malis Angelis diſcernere, vel in ſe ipſis gloriari. Quartò, S. *Auguſtinus*, quærens, cur boni Angeli, præ aliis Angelis cadentibus, prædeſtinati ſint a Deo ad gloriam? Cur etiam boni Angeli, præ aliis malis, Divinæ vocationi conſenſerint, & in accepta juſtitia perſeverarint, non item mali Angeli? In his, inquam, dirimendis quæſtionibus recurrit ſummus ille Gratiæ Doctor ad inſcrutabilia judicia Dei: *Sed poſſet Deus* (inquit Auguſtinus ille Doctor) *etiam ipſorum* (ſeu malorum Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quia omnipotens eſt; poſſet planè; cur ergo non fecit? quia noluit; quare noluit? penes ipſum eſt.* Cap X. lib XI. de Geneſi ad litteram. Denique, S. *Auguſtinum* admiſiſſe in ſtatu naturæ innocentis neceſſitatem orandi Deum, qua Adamus innocens, & Angeli viatores obſtringebantur, ut a Deo obtinerent beneficia, vel de perceptis gratias agerent, nemo dubitabit, ſi ea de re diſſerentem auſcultare voluerit eximium Pontificem Romanum, qui fuit S. *Auguſtino* ſuppar, ejuſque doctrinæ addictiſſimus.

Gelaſium loquor, qui in Epiſtola quinta ad Epiſcopos, per Picenum conſtitutos, hoc argumento Pelagianos & Semipelagianos premit: *Ecce ſine Divino ſuffragio, quod illa beatitudine poſitus* (Adamus) *nunquam legitur expetiiſſe, non ſolum homini naturale bonum prodeſſe non potuit, non ſolum non effecit beatum; ſed cum hoc ſolo confidit, atque ad ejus non recurritur largitorem, & beatitudinem potius amiſit, & malorum omnium ſumpſit exordium*. Et in libello, quem adverſus Pelagianam Hæreſim adornavit idem ſanctiſſimus juxta ac doctiſſimus Pontifex, eamdem ſententiam promit his verbis: *Si in ipſis primis hominibus: dum ſua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei Gratiam in vacuum recipientes, non orando, quod utique nuſquam feciſſe refferuntur, nec de perceptis Gratias referendo, nec, ut eadem intemerata manerent, ſuppliciter implorando, incolumes conſtare nequiverunt: quanto magis poſt prevaricationis ruinam, in quam, mala ſui confidentia creatorem nullatenus inquirendo, lethaliter inciderunt, abſque Divino munere ſuis viribus vel ægri ſtare non poſſunt, ſine quo nec integri perſiſtere valuerunt. Hinc illa primæ conditionis integritas, dum ita de ſe fidit, tanquam ipſo, qui condiderat, non egeret; nec de perceptis agit Gratias, quod nuſquam feciſſe memoratur, nec pro conſervandis, quæ ſumpſerat, poſcit auxilium, nec ad eum etiam pulſato tentationis acceſſu, devota concurit, & conſulit, ſuæque ſe credit interproſpera voluntati, facile ſine præſidio creatoris patuit inſidiis deceptoris, & in prævaricationem tracta conſequenter illiciti, conditionem præfixæ mortis invenit*. Ex quibus verbis ſic argumentor.

Au-

Auxilium illud, quod, ut docet S. *Gelaſius* Papa, protoparentes noſtri implorare neglexere, & quo demum deſtituti, ceciderunt, vel fuit auxilium ſufficiens ac verſatile, aut auxilium peculiare & per ſe efficax, eis ad perſeverandum prorſus neceſſarium; atqui non fuit auxilium ſufficiens ac verſatile, quia tale auxilium poſtulare a Deo fuiſſet primis parentibus omnino ſupervacaneum, cum prædicto auxilio, antequam caderent, nunquam privati fuerunt; ergo ex mente S. Pontificis *Gelaſii* illud auxilium, quod Protoparentes noſtri implorare neglexerunt, & quo deſtituti ſtare incolumes nequiverunt, fuit auxilium efficax, eis ad perſeverandum penitus neceſſarium. Præterea, S. *Gelaſius* a Protoparentum exemplo argumentum petit ad probandum ideo hominibus in ſtatu naturæ lapſæ ad perſeverandum in bono neceſſarium eſſe auxilium per ſe efficax: quia eo deſtituti primi Parentes noſtri, in ſtatu innocentiæ conſtituti, in accepta juſtitia non perſeverarunt; at quis non videt, futile ac ludicrum fore iſtud argumentum, niſi Sanctus ille Pontifex admiſiſſet in utroque ſtatu, tam naturæ innocentis quam naturæ lapſæ, peculiare Dei donum, ſeu auxilium per ſe efficax ad perſeverandum omnino neceſſarium?

Patet itaque, S. *Auguſtinum* hæc ad ſtatum naturæ innocentis dilataſſe doctrinæ ſuæ principia, quibus adverſus Pelagianos & Semipelagianos probat, neceſſario in ſtatu naturæ lapſæ admittendam eſſe Gratiam per ſe efficacem ad agendum, & perſeverandum in accepta juſtitia, ſubindeque Sanctum illum Doctorem ultro agnoviſſe in ſtatu naturæ innocentis neceſſitatem Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis, qua Adamus, & Angeli viatores ad agendum, & perſeverandum in accepta juſtitia opus habebant. Hanc eſſe germanam Sancti *Auguſtini* doctrinam non ſolum teſtantur quatuor inſignes S. *Auguſtini* Diſcipuli quorum ſuperius locupletiſſima produximus teſtimonia, videlicet S. *Fulgentius*, Summus Pontifex *Gelaſius*, S. *Bernardus*, & S. *Thomas*, verum etiam omnes Theologi Scholæ Thomiſticæ, a cujus doctrina non deflectunt, eo in capite, Auguſtinianæ Scholæ illuſtriores Theologi, quos inter cenſetur *Ægidius Columna* S. R. E. Cardinalis, & Archiep. Bituricenſis: in *Hexameron* Part. 1. cap. 15. & Part. 2. cap. 3. & 31. *Thomas de Argentina* in lib. 2. Sent. Diſtinct. 4. & 5. Art. 3. *Gaſpar Caſalius*, Epiſcopus Leirenſis, lib. 1. *De quadripartita Juſtitia*, cap. 5. 9. 11. & 32. *Leonardus Coquæus* in Commentario ad caput 9. lib. 12. *De Civitate Dei*, *Fridericus Nicolaus Gavardi* in *Theologia exantiquata* Quæſtione 5. de Voluntate Dei conſequente Art. 3. *Nicolaus Girken* Tom. 1. Summæ Theologiæ Tract. 10. Quæſt. 3. De neceſſitate Gratiæ Dub. 1. Quibus jure optimo accenſeri debent alii, ſin minus vitæ regularis inſtituto, at certe doctrinæ profeſſione veri S. *Auguſtini* Diſcipuli, *Gulielmus Eſtius* in lib. 1. Sent. Diſtinct. 41. parag. 14. & in lib. 2. Sent. Diſtinct. 26. parag. 7. *Franciſcus Sylvius* Tractatu *De primo Motore*, & Commentario in 1. 2. Quæſt. 109. art. 1. & 9. Denique *Thomas Angelus* in Opuſculo *De Mente Auguſtini circa Gratiam Adami*.

IV. Sed, ut magis perſpicuum fiat, quantum a principiis doctrinæ S. *Auguſtini* Circa Gratiam primi hominis & Angelorum abſceſſerit *Janſenius*, velim obiter obſerves, *Janſenium* Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem repetiiſſe duntaxat ex fauciatæ, & vulneratæ per peccatum originale voluntatis infirmitate, depravatione, corruptione, quæ in privatum bonum cum tota propenſa ſit, inclinata, ac velut incurva, ad Deum erigi, niſi Gratia per ſe efficaci adjuta & ſublevata, haud poteſt (intellige) potentia conſequenti. Negat autem *Janſenius*, Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem deſumendam eſſe ex indifferentia, quam habet voluntas creata agendi, vel non agendi, &, qua ſtante, voluntas eſt ſuſpenſa ac pendula; aut etiam ex naturæ creatæ a Deo pendentis ſubordinatione ac ſubjectione. Quo fit, ut cum in ſtatu innocentiæ nulla fuerit tam Adami, quam Angelorum viatorum voluntatis corruptio, depravatio nulla; inde inferat *Janſenius*, nullam in ſtatu innocen-

tiæ admittendam eſſe Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, ſive in Adamo; ſive in Angelis viatoribus. Una quippe apud *Janſenium* eſt primi hominis, & Angelorum viatorum ratio.

Hanc autem *Janſenii* doctrinam recta fronte pugnare cum principiis doctrinæ S. *Auguſtini* duplici momento breviter demonſtro. Primò, quia ſi neceſſitas Gratiæ per ſe efficacis petenda duntaxat eſſet ex infirmitate naturæ per peccatum originale ſauciatæ, ſequeretur nullam in Chriſto Domino, qui, ut Fides docet, fuit expers peccati originalis, extitiſſe Gratiam per ſe efficacem; Atqui hanc conſecutionem aperte negat S. *Auguſtinus* cap. 15. lib. *De Prædeſtinatione Sanctorum*, ubi ait, omnis Gratiæ cumulum eo maxime titulo in Chriſto fuiſſe, quod ex illo, tanquam ex capite, ad nos omnes, tanquam in membra, Gratiæ dimanent: *Apparet*, inquit, *nobis in noſtro capite ipſe fons Gratiæ . . . . Ea Gratia fit ab initio Fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua Gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus*, &c. Probat etiam S. *Auguſtinus* ibidem, ideò Prædeſtinationem noſtram eſſe gratuitam, & independentem a prævisione meritorum, quia itidem gratuita fuit & citra prævisionem meritorum Prædeſtinatio Chriſti: *Eſt etiam præclariſſimum lumen Prædeſtinationis & Gratiæ ipſe Salvator ipſe Mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui, ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis vel operibus, vel Fidei præcedentibus meritis natura humana, quæ in illa eſt, comparavit?* Cum igitur Prædeſtinatio gratuita, fatente ipſomet *Janſenio*, det nobis ad agendum Gratias per ſe efficaces, inde manifeſta conſecutione deducitur, Chriſtum, cujus Prædeſtinatio fuit gratuita, habuiſſe Gratias per ſe efficaces, proindeque neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis non derivari, juxta mentem S. *Auguſtini*, ex infirmitate naturæ humanæ vulneratæ per peccatum originale. cum Sanctus ille Doctor admiſerit in Chriſto Domino neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis, & tamen ab illo, juxta conſtantem ac perpetuam Catholicæ Eccleſiæ Fidem, omnem naturæ infirmitatem, corruptionem ac depravationem ex primigenia Protoparentis labe contractum, procul ablegaverit.

Præterea, S. *Auguſtinus* innumeris in locis Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem repetit ex generali cauſarum ſecundarum reſpectu primi moventis (ſeu Dei) ſubordinatione ac dependentia, ita ut Deus Gratia per ſe efficaci flectat & inclinet corda hominum, eaque prævie & phyſice moveat & applicet etiam ad actus ordinis naturalis. Hoc doctrinæ S. *Auguſtini* principium, quod aperte negat *Janſenius*, colligo ex multis Sancti illius Doctoris teſtimoniis, quæ exploratiſſimam illius mentem, Soleque clariorem, reddunt. In primis, Aquilinus ille Doctor cap. 20. libri *De Gratia & Libero Arbitrio* hæc habet: *Scriptura Divina, ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & haſce factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam, verum etiam illas, quæ conſervant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinare*. Et cap. 14. lib. *De Correptione & Gratia* loquens S. *Auguſtinus* de electione *Saulis* in Regem, quæ procul omni dubio actus ordinis naturalis erat, ait, quod Deus *per ipſorum hominum voluntates* hanc electionem fecit: *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*. Et, paucis interjectis, de electione *Davidis* in Regem, quæ perinde civilis vitæ actus fuit, ſermonem habens: *Omnipotens Deus* (inquit) *adduxit illos* (ſeu Iſraelitas) *ut eum Regem conſtituerent. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eoſque voluntatibus eorum; quas ipſe in illis operatus eſt, traxit. Cum ergo voluerit Reges in terra Deus conſtituere, magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quam ipſi ſuas*, &c.

Quibus verbis patet, S. *Auguſtinum* docuiſſe, neceſſariam eſſe Gratiam per ſe efficacem, ſeu præviam & phyſicam motionem Dei, non tantum propter infirmitatem naturæ humanæ per

pec-

Digitized by Google

peccatum originale vitiatæ, ſed etiam propter ſubordinationem & dependentiam cujuslibet voluntatis, ſive Angelicæ, ſive humanæ, a Deo, qui (ſicut late probavi in ſecunda, quam ad te ſcripſi, Epiſtola) eſt cauſa univerſalis efficiens rerum omnium, influens prævie & phyſice in omnes actus naturales & ſupernaturales cujuslibet creatæ voluntatis Angelicæ & humanæ tam in ſtatu naturæ innocentis, quam in ſtatu naturæ lapſæ. Quam doctrinam (quæ in Schola S. *Thomæ* conſecrata eſt) approbat, multiſque in locis confirmat S. *Auguſtinus*, omne bonum tam naturalis, quam ſupernaturalis ordinis, in Deum, tanquam in cauſam primam univerſaliſſimam, & per ſuum prævium & phyſicum influxum, effectricem, refundens: *Et quia* (inquit S. ille Doctor lib. 1. Retract. cap. 9.) *omnia bona, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt, ſequitur ut ex Deo ſit etiam bonus uſus Liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis bonis numeratur*. Et Tractatu 85. in Joannem: *Ab ipſo* (ſeu Deo) *quidquid boni eſt donatur, ut ſciatur a quo bonum omne donetur, ut omnino de omnibus bonis, qui glorìatur, in Domino glorietur*. Ex quo S. *Auguſtinus* lib. 3. de Trinitate cap. 4. infert: *Ac per hoc voluntas Dei eſt prima & ſumma cauſa omnium motionum*.

Ex ſubordinatione itaque cauſarum ſecundarum a prima, non minus quam ex vitiatæ per peccatum originale naturæ humanæ infirmitate, corruptione, ac depravatione petendum eſſe duxit Sanctus *Auguſtinus* Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem; ac tum maxime ad edendos actus ſupernaturales, in quibus homo a Deo, non modo ut auctore naturæ, verum etiam ut auctore Gratiæ pendet, eique novo ſubditur titulo, a corruptione naturæ valde diverſo, videlicet propter operis, ratione ſupernaturalitatis, vires creaturæ ſuperantis, excellentiam, juxta illud Apoſtoli *Jacobi* cap. 1. ſuæ Epiſtolæ Catholicæ: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum*.

Ruit itaque ac ſolo penitus æquatur unicum illud fundamentum, cui *Janſenius* totam doctrinæ ſuæ molem ſuperſtruxit, ex ſola infirmitate naturæ humanæ per peccatum originalæ vulneratæ neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis repetens, contra apertam mentem S. *Auguſtini*, *Fulgentii*, *Gelaſii*, Summi Pontificis, S *Bernardi*, & S. *Thomæ*, aliorumque ejuſdem Aquilini Doctoris Diſcipulorum, quos ſupra laudavi, quoſque longe melius intellexiſſe & aſſecutos fuiſſe veram S. *Auguſtini* mentem, quam *Janſenium*, ultro fatebitur quicumque in eorum doctrina peregrinus & hoſpes non erit.

V. Supereſt nunc, ut palam faciam, *Janſenium*, ejuſque Diſcipulos ſibi minime conſtare, ſed potius calidum ſimul ac frigidum ex eodem ore perflare, dum neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ totis ſuis viribus defendunt, & tamen Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem in ſtatu naturæ innocentis penitus explodunt ac de medio tollunt, ſic una manu deſtruentes quod altera manu adſtruere moliuntur. Verum enim verò, *Janſenius* & Janſeniſtæ Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem admittunt, quia, inquiunt, Deus habet ſupremam & omnipotentiſſimam poteſtatem in voluntates hominum, quas poteſt, quocumque voluerit, flectere & inclinare, juxta illud S. *Auguſtini* cap. 21. libri De Gratia & Libero Arbitrio: *Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quidquid agere ipſe voluerit*: Atqui S. *Auguſtinus* docet etiam, Deum habuiſſe omnipotentiſſimam poteſtatem in voluntates Adami innocentis, & Angelorum viatorum; ait enim cap. 102. Enchiridii: *Quantælibet ſint voluntates Angelorum & hominum, vel bonorum vel malorum, omnipotens voluntas Dei ſemper invicta eſt*. Et lib. 14. De Civitate Dei cap. 27. *Quis audeat dicere & credere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe*? Non igitur ſibi conſtat *Janſenius*, & Janſeniſtæ, dum Gratiam per ſe efficacem, quam in ſtatu naturæ lapſæ ad omnes pietatis actus necceſſariam admitunt, a ſtatu naturæ innocentis excludunt,

L 3 cum

cum tamen S. *Auguſtinus* diſerte dicat, Deum ſuprema, qua pollet, poteſtate agere in Angelorum viatorum, & innocentum hominum voluntates, ut eas etiam quocumque velit inflectat; idque invicto plane modo, ne divinæ voluntatis impediatur effectus. Quod certe Gratia verſatili & indifferenti (ut fatetur ipſemet *Janſenius*) non præſtatur, ſed tantum beneficio Gratiæ per ſe efficacis.

Secundò, *Janſenius* & Janſeniſtæ neceſſariam eſſe in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam per ſe efficacem contendunt, quia Deus habet abſolutum in voluntates hominum dominium; Atqui etiam Deus in voluntates hominis innocentis & Angelorum viatorum abſolutum habebat dominium, ergo ſibi palam contradicunt *Janſenius* & Janſeniſtæ, dum a ſtatu innocentiæ exulaſſe dicunt Gratias per ſe efficaces.

Denique (ut cætera alia prætermittam argumenta, certum eſt, *Janſenium* & Janſeniſtas agnoſcere in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis ad eliciendos actus ſupernaturales, quia ejuſmodi actus ſuperant congenitam virtutem, & modum operandi creaturæ, ergo *Janſenius* & Janſeniſtæ ſe ſe manifeſta implicant contradictione, quando negant, Adamo innocenti, & Angelis viatoribus neceſſariam fuiſſe Gratiam per ſe efficacem ad eliciendos actus ſupernaturales cum nullo pacto negare poſſint, productionem actuum ſupernaturalium exceſſiſſe modum & facultatem naturalem operandi tam Adami innocentis, quam Angelorum viatorum.

His, & aliis rationibus adducti doctiſſimi Conſultores Congregationum *De Auxiliis Divinæ Gratiæ*, poſtquam in Congregatione octava, habita coram *Paulo V.* Summo Pontifice, die 22. menſis Novembris anni MDCV. auſcultaſſent omnia momenta, quæ, P. *Ferdinandus de Baſtida* adduxit ad probandum, nullam a S. *Auguſtino* fuiſſe in ſtatu naturæ innocentis admiſſam Gratiam prædeterminantem, ſeu ſe ipſa efficacem, tam ad agendum, quam ad perſeverandum, Adamo neceſſariam; hæc, inquam, omnia momenta poſtquam audiſſent, & maturo examine expediſſent doctiſſimi Conſultores; ſtatuerunt, ſtandum eſſe in ſententia de neceſſitate Gratiæ per ſe efficacis admittendæ in ſtatu naturæ innocentis; tantumque abeſſe, ut teſtimoniis S. *Auguſtini*, quæ *Ferdinandus de Baſtida* ex cap. XI. & XII. libri Sancti illius Doctoris *De Correptione & Gratia* protulerat, impeti aut expugnari poſſit, ut potius ex illis, recte intellectis, magis ac magis ſtabiliatur. Hoc a Conſultoribus latum judicium legitur, in *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis* edita a noſtro *Jacobo Hyacintho Serry*, Doctore Sorbonico libro 4. cap. XII. his verbis conceptum: *Die 29. Novembris 1605. poſt horam XV. reſolvit Congregatio, perſiſtendum in ſententia, non obſtantibus ex adverſo productis, ex Scripturis, quæ ad rem non ſpectant, & ex Concilio Tridentino, quod non adverſantur veritati aſſertæ, aut teſtimoniis S. Auguſtini De Correptione & Gratia cap. 12. quo potius firmatur explicata, quod Deus* &c.

Ex his, quæ a nobis hactenus dicta ſunt, duo conſectaria colligere debes; primò, *Cornelium Janſenium*, Iprenſem Epiſcopum, peſſime de Schola Tomiſtica mereri, dum lib. 8. *De Gratia Salvatoris* cap. 2. ait, *Gratiam efficacem ad omnes humanæ naturæ ſtatus dilatatam, ab Auguſtini ſenſibus eſſe remotiſſimam, & vi potius humanæ philoſophiæ, quam Auguſtinianæ Theologiæ expreſſam, atque inventam ...... Totum Fundamentum Gratiæ medicinalis Chriſti ſubverti, & Scripturam ſubnervari, dum Gratiæ neceſſitas, non ex vulnere voluntatis, ſed naturali ejus indifferentia, & omnium cauſarum ſubordinatione ſuſpenditur .... Eos, qui medicinalem Chriſti Gratiam ſic defendere conantur, ut eam in Prædeterminationem phyſicam transformet, omni ſtatui hominum lapſorum, & innocentum, ex vi cauſæ primæ, & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis Ariſtotelicos eſſe, quam Auguſtinianos.* Hoc putidum, & plenum contumeliæ convicium, quo perperam *Janſenius* Thomiſtas onerat, luculentiſſimis S. *Auguſtini*, ejuſque Diſcipulorum teſtimoniis falſi convicimus, ad quæ profecto *Janſeniſtæ*, quantumvis ſe ſe torqueant, & in omne

la-

latus verſent, nihil ſolidi hiſcere ac muſſitare poſſunt.

Oſtendi etiam in prima, quam ad te ſcripſi, Epiſtola, *Janſenium* ſic ſuum de Gratia concinnaſſe Syſtema, ut Gratiam ſe ipſa efficacem ad ſingulos pietatis actus neceſſariam fateatur; nullumque lapidem non movere, ut eam in ſtatu naturæ lapſæ adſtruere adnitatur, & Scholæ Molinianæ Theologos, quod Gratiam per ſe efficacem in ſtatu naturæ lapſæ negent, acriter inſectetur; at, ubi de ſtatu naturæ innocentis ſermonem inſtituit, nullam prorſus eo in ſtatu Gratiam per ſe efficacem agnoſci a *Janſenio*, ſed eam tantum Gratiam Adamo innocenti, & Angelis viatoribus neceſſariam admitti, quæ ſit verſatilis, indifferens, & cujus efficacitas ex Adami innocentis, & Angelorum viatorum aſſenſu, vel diſſenſu ſuſpenditur, ſubindeque *Janſenium*, dum de ſtatu naturæ lapſæ agit, ſimulare de induſtria, ſe ad caſtra Thomiſtarum, Gratiæ per ſe efficacis defenſorum, accedere velle: dum verò diſputat de ſtatu naturæ innocentis, totum in doctrinam Scholæ Molinianæ Theologorum, Gratiæ verſatilis aſſertorum, propenſum ac inclinatum videri, revera tamen nec Molinianum, nec Thomiſtam eſſe quamvis utramque Scholam ex parte ſectari videatur, quia licet *Janſenius* conveniat in ſtatu naturæ innocentis cum Molinianis in hoc doctrinæ principio de admittenda duntaxat eo in ſtatu neceſſitate Gratiæ verſatilis, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, attamen *Janſenius* ex eo principio elicit conſecutiones, quas Scholæ Molinianæ Theologi aperte negant. Cum Thomiſtis verò *Janſenius* nullo pacto conſentit tam in ſtatu naturæ innocentis, quam in ſtatu naturæ lapſæ, quia non ſolum principia, quæ ſtatuit in utroque ſtatu, ſed etiam conſecutiones, quas ex illis principiis deducit, ab omnibus Thomiſtis rejiciuntur ac proſcribuntur, ſicut jam commonſtravi in prælaudata Epiſtola, ubi *Janſenii* de Gratia male procuſum Syſtema expoſui, & poſtea uberius, auxiliante Deo, evincam in Epiſtolis, quas ad te perſcribam, & in quibus errores ab Eccleſia jure merito confixos, in quos *Janſenius* circa Gratiam per ſe efficacem, male ab ipſo explicatam, impegit, data opera confutabo.

Secundò colligere debes, *Janſenium* Syſtematis ſui, de diſcrimine Gratiæ in ſtatu hominis innocentis, & hominis lapſi, principia, & concluſiones, quas ex illis deduxit, ab hæreticis fuiſſe mutuatum. Quamvis enim omnes Catholici ultro fateantur cum Sancto *Auguſtino*, maximum eſſe diſcrimen inter Gratiam, quæ Adamo innocenti erat neceſſaria ad agendum, & perſeverandum in bono; & Gratiam, qua nunc homo lapſus ad agendum, & ad perſeverandum opus habet; improbant tamen omnes Catholici illud diſcrimen, quod juxta *Janſenium*, in hoc ſitum eſt; quod Adamus innocens inſtructus ſolum auxilio, *ſine quo ſit opus* (per quod Auxilium intelligit *Janſenius* Gratiam verſatilem & ſubditam Libero Adami innocentis Arbitrio) perſeveraſſet in accepta juſtitia, ſi hanc Gratiam verſatilem voluiſſet reddere efficacem; cum contra homo lapſus, & originali vulnere ſauciatus egeat, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum auxilio, *quo ſit opus*, per quod Auxilium intelligit *Janſenius* Gratiam per ſe efficacem, quæ juxta falſum & hæreticum illius ſenſum, neceſſitatem imponit voluntati hominis lapſi agendi & perſeverandi in bono.

Hoc, inquam, diſcrimen, quod *Janſenius* ſtatuit hominem innocentem inter & hominem lapſum, ideo damnant Catholici Doctores, quia Hæreſiarcha *Calvinus* idem diſcrimen hominem innocentem inter & hominem lapſum ubique crepat, & in eo totius doctrinæ ſuæ, quæ erroribus ſcatet, præſidium collocat. Sed enim effrons ille Hæreſiarcha in *Antidoto Concilii Tridentini* ad Seſſionem VI. perfricta fronte loquitur de Patribus Tridentinis: *Denique, in eo falluntur, quod nullum obſervant inter regenerationis Gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubvenit, & primam, quæ Adæ data fuerat, diſcrimen: quod diligenter Auguſtinus exponit. Iſtam* (inquit) *Gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet eſſe malus. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cum vellet, non quo fieret ut vellet.*

Digitized by Google

let. *Sed potentior eſt Gratia in ſecundo Adam, qua fit etiam ut velimus.* Idem docet *Calvinus* lib. 5. contra *Pighium* pag. 204. & lib. 2. *Inſtitutionum* cap. 3. Legeſis *Stephanum Dechamps*, elegantem Societatis Jeſu Scriptorem, qui in libro, quem edidit *De Janſeniana Hæreſi*, diſertiſſime oſtendit, *Janſenium* iſtud, quod hominem innocentem inter & hominem lapſum ſtatuit, diſcrimen deſumpſiſſe ex *Calvino*, *& Luthero*, & aliis hujuſce farinæ peſtibus.

Quod quidem hic breviter obſervaſſe, ſat ſuperque tibi ſufficere debet, ut hinc intelligas, quam perperam jactitet *Janſenius*, ex hac duplicis auxilii, *quo fit opus*, & *ſine quo non fit*, diſtinctione, totam oriri differentiam, quæ eſt lapſum inter & ſanum hominem; Quam falsò itidem aſſerat, hanc duplicis auxilii diſtinctionem eſſe unicam doctrinæ Auguſtinianæ clavim, qua prætermiſſa, neceſſe eſt ut univerſa S. *Auguſtini* doctrina innexplicabili confuſione perturbetur: Quam inepte dictitet, hanc duplicis auxilii diſtinctionem eſſe baſim, cui tota quanta eſt incumbit doctrina S. *Auguſtini*; qua ſubmota, totum ruat oportet ædificium: Quam immerito denique *Janſenius* hanc duplicis auxilii diſtinctionem appellet *Armamentarium*, unde arma victricia adverſus quoſcumque Gratiæ hoſtes petenda ſint: *Annulum*, qui cæterorum de Divina Gratia dogmatum catenam trahit: *Filum*, velut *Ariadnæum*, quo niſi quis regatur, tota *Auguſtini* doctrina merus evadit labyrinthus.

Has verborum phaleras, quibus *Janſenius*, ut incautis fucum faciat, mercibus ſuis pretium facere ſolet, nullo negotio, ut ſpero, exſufflabis, poſtquam hancce meam legeris Epiſtolam. Quod ſi tamen in diluendis argumentis, aut in explicandis nonnullis S. *Auguſtini* teſtimoniis, quibus *Janſenius*, ſuam ſufſulcit ſententiam, aliquas patiaris difficultates, teque his enodandis imparem eſſe ſentias, eas in proxima, quam ad me ſcribes, Epiſtola proponere non te pigeat, ut ipſe, explicatis omnibus ingenii mei viribus, poſſim (bene favente Minerva) ſingulas amoliri difficultates, & doctrinam Scholæ Thomiſticæ, de neceſſitate admittendæ Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ innocentis, magis ac magis conciliare cum doctrina Sancti Auguſtini.

Vale, cariſſime Diſcipule, & ſedulo meditare, quod ſi Adamus, in ſtatu feliciſſimo naturæ innocentis conſtitutus, opus habuit Gratia ſe ipſa efficaci, ut acceptam innocentiam cuſtodiret, & ea Gratia deſtitutus, cecidit, quanto magis tu, qui in miſerrimo naturæ lapſæ ſtatu tot inter tentationes, pericula, & diaboli inſidias verſaris, indigeas ad reparandam innocentiam amiſſam Gratia per ſe efficaci, qua ſi tua culpa priveris, infallibiliter cades; juxta illam S. *Auguſtini* præclaram Sententiam, quæ legitur in ejus Epiſtola olim 106. nunc. 186. quamque Concilii ſecundi Arauſicani Patres in unum ex his, quos contra Semipelagianos ediderunt, canonibus, videlicet in canonem decimum nonum transfuderunt: *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret, nullo tamen modo ſe ipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde, cum ſine Gratia Dei ſalutem non poſſet cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine Gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?*

EPI-

EPISTOLA DECIMA

THEOLOGICA.

In qua ſolvuntur argumenta Janſenii, *& explicantur aliquot S.* Auguſtini *teſtimonia, quibus Sanctus ille Doctor a ſtatu naturæ innocentis excludere videtur Gratias per ſe efficaces, & admittere duntaxat Gratias ſufficientes, verſatiles, & ſubditas libero Adami innocentis, & Angelorum viatorum arbitrio, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia.*

NOn minus late, quam invicte (ni meus me fallat animus) oſtendi adverſus *Janſenium*, in ſuperiori, quam ad te ſcripſi, Epiſtola, multis doctrinæ principiis, quæ S. *Auguſtinus* paſſim uſurpat ad aſtruendam neceſſariam in ſingulis actibus Gratiam per ſe efficacem in ſtatu naturæ lapſæ, probari itidem ejuſdem Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem in ſtatu naturæ innocentis ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia; ſubindeque Thomiſtas, Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, in utroque ſtatu naturæ innocentis, & lapſæ, omnino neceſſariæ, ſtrenuos defenſores, non modo S. *Auguſtino* non adverſari, ſed potius illos huic Sancto Doctori acceptum referre debere ſuum de Gratia Syſtema, quod è fæcundiſſimo doctrinæ S. *Auguſtini* fonte hauſerunt, quique hujus principiis fulti, eo præeunte Duce, eo docente, ita diſputant, ut jure ac merito Syſtema de neceſſitate Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis in utroque ſtatu haberi debeat pro concluſione Theologica, ex Auguſtinianis principiis deducta; tantum abeſt, ut illud Thomiſtarum Syſtema explodi ac traduci debeat tanquam S. *Auguſtini* doctrinæ prorſus adverſum, ſicut nonnulli, qui *Janſenium*, hac in parte necdum ab Eccleſia proſcriptum, ſectantur, etiamnum factitare ſolent. Hæc, inquam, ſat ſuperque probata manent his momentis, quæ in ſuperiori Epiſtola adduxi.

I. Nunc Provinciam ſuſcipio diluendi argumenta, quæ magno ſtudio ſive ex *Janſenio*, ſive ex aliis Scriptoribus, qui ejus ſententiæ adhærent, collegiſti, mihique in poſtrema tua Epiſtola, quam heri accepi, propoſuiſti.

Duplicis autem generis ſunt iſthæc, quæ proponis, argumenta. Alia ſunt generalia, quæ impetunt Præmotionem phyſicam; alia ſpecialia, quæ probant, ſententiam Thomiſtarum, qui docent, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem fuiſſe neceſſariam Adamo innocenti, & Angelis viatoribus, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, eſſe penitus aliena a mente S. *Auguſtini*.

In ſolvendis argumentis, quæ in genere contra Præmotionem phyſicam in ſtatu innocentiæ proponis, non multum immorabor, quia jam in prioribus meis Epiſtolis ea præoccupavi, ac retudi. Ais enim, quod Præmotio phyſica ſi fuiſſet neceſſaria ad agendum in ſtatu naturæ innocentis, Deum feciſſet auctorem peccati Adami, & malorum Angelorum; libertatem ademiſſe Adamo innocenti, & Angelis viatoribus; eorumque voluntatibus abſolutam & antecedentem neceſſitatem impoſuiſſet. Fateris autem, te in multis *Janſenii* Diſcipulorum libris ejuſmodi contra Præmotionem phyſicam in ſtatu naturæ

ræ innocentis argumenta legiſſe, præſertim in Libro, Gallice ſcripto, & cui titulus eſt: *Expoſition de la Foy Catholique*, ſeu *Expoſitio Fidei Catholicæ*, ubi Auctor. pag. 40. & 41. temere aſſerit, *Thomiſtarum opinionem, quæ neceſſitatem Gratiæ efficacis admittit pro ſtatu innocentiæ, Manichæiſmum inducere, Deum peccati auctorem facere, hominem vero neceſſario impotentem ad bonum, & neceſſitate etiam involuntaria exhibere peccantem.*

Verum hæc, & ſimilia argumenta, quæ contra Præmotionem phyſicam in ſtatu naturæ innocentis obtrudunt *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli, abunde ſoluta manent ex his, quæ copioſe tractavi in tertia, quarta, & ſequentibus Epiſtolis, quas ad te ſcripſi, & in quibus oſtendi, Præmotionem phyſicam non facere Deum auctorem peccati, nullam imponere neceſſitatem, ſed libertatem perficere, & efficere ut voluntas creata, dum prodit in actum, ſemper retineat potentiam agendi, vel non agendi, ſeu indifferentiam activam, immunem non ſolum a violentia & coactione, ſed etiam a quacumque neceſſitate, quæ deſtruere poteſt eſſentiam libertatis creatæ. Addo etiam, hunc librum, qui inſcribitur: *Expoſitio Fidei Catholicæ*, a capite uſque ad calcem ſcatere *Janſenii* erroribus, & hac de cauſa jure optimo fuiſſe proſcriptum ab Eminentiſſimo Cardinali *Noaillio*, Archiepiſcopo Pariſienſi, die 20. menſis Auguſti anni 1696. Quocirca auctor tibi ſum, ut ejuſmodi librum, jam ſuis natalitiis tenebris damnatum, nunquam manibus tuis amplius teras, quia facilius omnes Oceani aquas exaurires, quam illum a *Janſenii* erroribus, quibus eſt infartus, poſſes repurgare. Hæc igitur rancida, millies decantata, jamque a me abunde retuſa ac confutata argumenta, quæ in genere contra phyſicam Præmotionem proponis, lubens in præſentia miſſa faciam, ne actum agere videar, & velis paſſis accedo ad diſquiſitionem ſententiæ S. *Auguſtini*, quam pertendis eſſe penitus oppoſita doctrinæ Scholæ Thomiſticæ, quæ Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem admittit in ſtatu innocentiæ, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia.

II. Multa autem argumenta proponis, quæ potiſſimum ex libro S. *Auguſtini De Correptione & Gratia* petuntur, quæ profecto diſſimulare animus non eſt, ſed ea univerſa ex ordine recenſebo, ſummatim perſtringam, & in maxima, qua fieri poterit, claritate explanabo.

In primis opponis, quod S. *Auguſtinus* cap. XII. lib. *De Correptione & Gratia* duplex diſtinguit adjutorium, ſcilicet *adjutorium quo*, ſeu *per ſe efficax*, & *adjutorium ſine quo*, ſeu *adjutorium ſufficiens*, aſſeritque Sanctus ille Doctor, auxilium *ſine quo*, ſeu *ſufficiens*, Adamo innocenti datum eſſe, hoc eſt, ei duntaxat eſſe datum adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per Liberum Arbitrium perſeverare non poſſet: *Iſtam Gratiam* inquit S. Auguſtinus, *non habuit primus homo, qua nunquam vellet eſſe malus, ſed hanc habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet; & ſine qua etiam cum Libero Arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per Liberum Arbitrium deſerere poſſet; nec ipſum ergo* (Adamum innocentem) *voluit eſſe Deus ſine Gratia, quam reliquit in ſuo Libero Arbitrio..... Tale quippe erat adjutorium, quod dereſeret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; non quo fieret, ut vellet.*

Ex quo S. *Auguſtini* teſtimonio duplex colligis argumentum. Primum iſtud eſt: Adjutorium, quo fit, ut velit homo, eſt Gratia per ſe efficax, atque ex S. *Auguſtino* non habuit Adamus in ſtatu innocentiæ adjutorium, quo fieret, ut vellet, ergo Adamus innocens caruit Gratia per ſe efficaci.

Alterum argumentum ſic proponis: Adjutorium, quod Deus reliquit in Libero Adami innocentis Arbitrio, taliſque naturæ erat, ut illud dereſeret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non eſt Gratia per ſe efficax, atqui ex S. *Auguſtino* adjutorium, quod Deus dedit Adamo innocenti, fuit relictum

ctum in Libero ejus Arbitrio, taleque fuit, ut illud Adamus desereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet; ergo Adamus in ſtatu naturæ innocentis opus non habuit, juxta veram S. *Auguſtini* mentem, Gratia per ſe efficaci, ſubindeque Præmotione phyſica, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia.

Ab iſto duplici argumento me actutum expedio, & ad primum bifariam reſpondeo. In primis dico, S. *Auguſtinum*, dum ait, adamo innocenti datum non fuiſſe *adjutorium, quo fieret ut vellet*, ſeu Gratiam per ſe efficacem; ſed tantum ei datum eſſe *adjutorium ſine quo*, ſeu Gratiam ſufficientem, loqui duntaxat *de adjutorio quo*, ſeu de Gratia per ſe efficaci, quæ neceſſaria erat Adamo innocenti ad perſeverandum in accepta juſtitia, ſubindeque S. *Auguſtinum* non adverſari doctrinæ Thomiſtarum, qui ultro fatentur, Adamum in ſtatu innocentiæ donatum tantummodo fuiſſe auxilio ſufficienti, & caruiſſe auxilio per ſe efficaci, ei ad perſeverandum prorſus neceſſario. Hoc igitur, quod adducis Sancti *Auguſtini* teſtimonium, & alia, his ſimilia, quæ ex eodem Sancto Doctore cum ſtudio congerit *Janſenius*, ab iſta quæſtione noſtra ſunt remotiſſima; nec ad illam poſſunt citra abſurditatem detorqueri. Cardo quippe difficultatis in hoc vertitur, utrum S. *Auguſtinus* docuerit, præter adjutorium *ſine quo*, ſeu præter auxilium ſufficiens, quod Adamo innocenti conferebat completiſſimam & expeditiſſimam facultatem, ſeu potentiam perſeverandi, neceſſarium adhuc fuerit auxilium per ſe efficax ad perſeverandum ſeu ad actualem perſeverantiam. Hoc autem a te adductum S. *Auguſtini* teſtimonium, & alia quamplurima hinc inde ſparſa ejuſdem Sancti Doctoris loca, quæ refert *Janſenius*, probant quidem, habuiſſe duntaxat Adamum in ſtatu naturæ innocentis *auxilium, ſine quo*, ſeu auxilium ſufficiens perſeverandi, & non habuiſſe *auxilium quo*, ſeu Gratiam per ſe efficacem ad perſeverandum; at ex illis locis & teſtimoniis S. *Auguſtini* nullo pacto inferri poteſt, Sanctum illum Doctorem exiſtimaſſe, *adjutorium quo*, ſeu auxilium, per ſe efficax, non fuiſſe neceſſarium Adamo innocenti, ut reipſa perſeveraret, hanc, inquam, conſecutionem, etiamſi centum juba boum ducerentur, nunquam ex his Sancti *Auguſtini* teſtimoniis trahere poſſent.

Præterea dico, S. *Auguſtinum*, dum aſſerit, Adamum in ſtatu naturæ innocentis non habuiſſe, vel non eguiſſe *adjutorio quo*, ſeu auxilio per ſe efficaci ad agendum, id unum tantum voluiſſe Sanctum illum Doctorem, videlicet non indiguiſſe Adamum, in ſtatu innocentiæ conſtitutum, auxilio per ſe efficaci ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, quod eſſet *Medicinale* & ſanans naturam, quo certe auxilio Adamus in ſtatu innocentiæ opus non habebat, cum ejus natura eſſet ſana, & omnes motus illius animi deliberatæ voluntati perfecte obtemperarent.

Sed Gratiam per ſe efficacem, ſeu Præmotionem phyſicam, Adamo in ſtatu innocentiæ ad eliciendos actus, præſertim ſupernaturales, & ad perſeverandum in bono omnino neceſſariam, admiſiſſe S. *Auguſtinum* luculentiſſime patet his verbis, quæ Sanctus ille Doctor habet cap. XI. libri *De Correptione & Gratia*, & quibus mentem ſuam radiis quaſi ſolaribus deſcripſiſſe videtur. Sic enim ſcribit; *Quid ergo Adam non habuit Dei Gratiam? immo vero habuit magnam, ſed diſparem: ille* (ſeu Adamus) *in bonis erat, quæ bonitate ſui conditoris acceperat; neq; enim ea bona ille ſuis meritis comparaverat, in quibus nullum patiebatur malum: Sancti vero, ad quos pertinet liberationis gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum: Libera nos a malo..... Ille*, ſeu Adamus, *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant ipſi* (ideſt, juſti in ſtatu naturæ lapſæ) *cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis; infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adver-*

ſus

ſus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes, dari ſibi pugnandi vincendique virtutem per Chriſti Gratiam poſcunt. Ille vero, ſeu Adamus *nulla tali rixa a ſe ipſo adverſus ſe ipſum tentatus atque turbatus, in illo beatitudinis loco ſua ſecum pace fruentur. Proindeque, etſi non interim lætiore nunc, verumtatem potentiore gratia indigent iſti*. Ex quibus verbis S. *Auguſtini* liquido patet, totum diſcrimen, quod ſtatuit Sanctus ille doctor inter gratiam datam homini ſano, & gratiam, quæ nunc confertur homini lapſo, non in hoc ſitum eſſe, quod in ſtatu naturæ innocentis ſufficeret Adamo ad agendum & perſeverandum Gratia verſatilis & ſubdita Libero ejus Arbitrio, in ſtatu vero naturæ lapſæ neceſſaria ſit Gratia per ſe efficax; ſed in hoc utriuſque hominis ſtatu diſcrimen poſitum eſſe, quod Adamus in ſtatu naturæ innocentis, cum nullos perſentiret inordinatos concupiſcentiæ motus, non opus haberet Gratia Salvatoris, ſeu Gratia medicinali; homo vero in ſtatu naturæ lapſæ, propter rebellionem carnis, & perduellem concupiſcentiam, opus habeat, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in bono, Gratia per ſe efficaci *medicinali*, ſanante naturam, multis vulneribus per peccatum originale ſauciatam.

Hinc S. *Auguſtinus*, loco mox a me laudato, ait: *Proinde, etſi non interim lætiore nunc, verum tamen potentiore Gratia indigent iſti* (ſeu homines in ſtatu naturæ lapſæ non quod Sanctus ille Doctor per hæc verba: *Nunc iſti*, ſeu homines lapſi, *potentiore Gratia indigent*, innuere velit, Adamum in ſtatu naturæ innocentis non eguiſſe auxilio per ſe efficaci, quo opus habent homines in ſtatu naturæ lapſæ; ſed quod duntaxat velit Sanctus Doctor Adamum innocentem non tam potenti eguiſſe auxilio, quo homines, etiam juſti, ad domandos concupiſcentiæ motus indigent, in ſtatu naturæ lapſæ. Suam mentem dilucide Sanctus Doctor aperit his verbis: *Denique Adam ille* (in ſtatu naturæ innocentis conſtitutus) *& terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium, Libero uſus Arbitrio, non ſtetit in tanta felicitate, & in tanta non cadendi facilitate; ſed iſti*, ſeu Sancti Martyres, *non dico terrente Mundo*, ſed *ſæviente ne ſtarent, ſteterunt in Fide*. Ex quibus verbis liquet, fuiſſe in Adamo innocenti majorem ſtandi facilitatem, ſubindeque illum non tam potenti eguiſſe auxilio, quo nunc indigent homines in ſtatu naturæ lapſæ, etiam Sancti Martyres, qui terrente & ſæviente Mundo ne ſtarent, in Fide nihilominus ſteterunt in tanta licet ſtandi difficultate, ſicut docet S. *Auguſtinus*. Addo etiam, viam in ſtatu naturæ innocentis fuiſſe quidem facilem, & expeditam, ſed lubricam tamen & periculoſam, in qua ſubinde Adamus egebat Gratia per ſe efficaci, ut acceptam a Deo juſtitiam conſervaret, & ne, ob excellentiſſima dona, quibus in creatione ſua fuerat a Deo donatus, in ſuperbiam elatus, a ſuo innocentiæ ſtatu excideret. Sicut revera propria ſua culpa, &, (ut ait S. *Thomas*) æſtu ſuperbiæ abreptus ex illo excidit.

Hanc eſſe veram & germanam S. *Auguſtini* mentem circa diſcrimem, quod ſtatuit, utriuſque ſtatus, videlicet hominis innocentis, & lapſi, aperte declarat S. *Thomas*, fideliſſimus ejus Diſcipulus, 1. 2. Quæſt. 109. Art. 10. ad 3. ubi hæc habet: *Sicut Auguſtinus dicit in libro De Natura & Gratia* (cap. 148. & lib. *De Correptione & Gratia* cap. 12. *homo in primo ſtatu accepit donum, per quod perſeverare poſſet, non autem accepit ut perſeveraret: Nunc autem* (id eſt, in ſtatu naturæ lapſæ) *per Gratiam Chriſti multi accipiunt & donum Gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulterius eis datur quod perſeverent; & ſic donum Chriſti eſt majus quam delictum Adæ. Et tamen facilius homo per Gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo non erat rebellio carnis ad ſpiritum, quam nunc poſſimus* &c. & 2. 2. Quæſt. 139. Art. 4. ad 2. ait. *Dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in libro De Correptione & Gratia, primo homini datum eſt, non ut perſeveraret, ſed ut perſeverare poſſet per Liberum Arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humana natura, quæ perſeverandi difficultatem præberet; ſed nunc Prædeſti-*

ſtinatis per Gratiam Chriſti, non ſolum datur ut perſeverare poſſint, ſed etiam ut perſeverent. Unde primus homo, nullo terrente, contra Dei terrentis imperium, Libero uſus Arbitrio, non ſtetit in tanta fœlicitate, cum tanta non peccandi facilitate: Iſti autem, ſæviente Mundo ne ſtarent, ſteterunt in Fide.

Quo loco S. *Thomas* clariſſime explicat diſcrimen, quod S. *Auguſtinus* ſtatuit inter utrumque ſtatum hominis, innocentis & lapſi, & in hoc maxime ſiſtit, quod Gratia per ſe efficax, quæ collata eſt Adamo innocenti, præſupponebat Adamum ſanum, nullis difficultatibus præpeditum ad bene operandum, & Deo per juſtitiam originalem perfecte ſubjectum; ita ut voluntatem Adami innocentis, qui per Gratiam ſufficientem habebat completiſſimam & expeditiſſimam poteſtatem bene agendi, applicaret ad opus Gratia per ſe efficax; ſed nullam infirmitatem ſanaret, nullam pravæ cupiditatis impulſionem vinceret in Adamo, cui in ſtatu innocentiæ conſtituto, nulla prorſus inerat vis concupiſcentiæ ſuperanda; At, Gratia per ſe efficax, quæ nunc datur homini lapſo, non ſolum ejus voluntatem applicat ad opus, ſed etiam ejus infirmitate ſanat, efficitque ut pravas cupiditatis motiones vincat, & indeliberatis concupiſcentiæ erumpentis motibus obſiſtat. Quo fit, ut Gratia per ſe efficax, quæ eſt neceſſaria in ſtatu naturæ lapſæ, ſæpius a S. *Auguſtino* appelletur *Gratia Salvatoris*; *Gratia Medicinalis*; eamque Adamo in ſtatu naturæ innocentis fuiſſe neceſſariam jure ac merito inficiatur S. *Auguſtinus*, & cum ipſo tota Schola Thomiſtica. Cæterum, non negat S. *Auguſtinus* (interprete S. *Thoma*) Adamum, in ſtatu naturæ innocentis conſtitutum, indiguiſſe Divina motione, quæ ipſum prævie & phyſice moveret & applicaret ad operandum, quia iſta generalis motio in omni ſtatu, etiam perfectiſſimo, neceſſaria fuit ex eſſentiali ſubordinatione & intima dependentia, quam habet omnis cauſa ſecunda ut moveatur a Deo, qui eſt prima, univerſalis, & effectrix rerum omnium cauſa, ſicut oſtendi in ſecunda (quam ad te ſcripſi) Epiſtola, idque dilucide docet S. *Thomas*, præſertim 1. 2. Quæſt. 109. Art. 1. ad 9. ubi ait, hominem in ſtatu naturæ corruptæ indigere auxilio Divino duplici ratione: Primò ratione generali, quia nulla creatura operatur ſine motione Divina, & ſecundò ratione ſpeciali, quia eſt in natura corrupta.

Fallitur itaque primò *Janſenius*, dum aſſerit, diſcrimen illud, quod S. *Auguſtinus* ſtatuit eſſe inter adjutorium Gratiæ naturæ lapſæ, & adjutorium Gratiæ naturæ innocentis, ſanæ & integræ, in eo unice reponi, quod Gratia, quæ Adamo in ſtatu innocentiæ erat neceſſaria ad bene agendum & perſeverandum in accepta juſtitia, fuerit tantum adjutorium *ſine quo non*, ſeu (juxta ſenſum *Janſenii*) Gratia ſufficiens, verſatilis, & ſubdita Libero Adami innocentis Arbitrio: E contra vero homo in ſtatu naturæ lapſæ opus habeat adjutorio *quo*, ſeu Gratia per ſe efficaci, per quam non tantum poſſit bene agere & perſeverare, ſed etiam per quam reipſa agat & perſeveret.

Secundò, fallitur *Janſenius*, dum aſſirmat, facta hypotheſi, quod Adamus in ſtatu naturæ innocentis eguerit Gratia per ſe efficaci, quæ illum prævie & phyſice præmoveret ad bene agendum & perſeverandum, ruere funditus diſcrimen, quod S. *Auguſtinus* ſtatuit eſſe inter Gratiam naturæ lapſæ & innocentis; quia (inquit *Janſenius*) facta illa hypotheſi, par & æqualis omnino fuiſſet in utroque ſtatu Gratiæ per ſe efficacis, ſeu phyſicæ Præmotionis neceſſitas; in hoc, inquam, turpiter hallucinatur *Janſenius*, quia licet Thomiſtæ doceant, hominem innocentem & hominem lapſum, propter ſubordinationem & dependentiam, quam habent a Deo, tanquam a cauſa prima, indigere in utroque ſtatu Gratia per ſe efficaci, ſeu Præmotione phyſica, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in bono; hoc tamen amplum diſcrimen admittunt Thomiſtæ inter Gratiam per ſe efficacem Adamo in ſtatu naturæ innocentis neceſſariam, & Gratiam, qua opus habet homo in ſtatu naturæ lapſæ, quod Gratia per ſe efficax, quæ Adamo innocenti erat ne-

ceſſa-

Digitized by Google

ceſſaria, ſuam quidem accipiebat efficaciam ab omnipotentia Dei, a ſupremo ejus dominio in Adamum, & ex ſubordinatione eſſentiali ac dependentia a Deo, quam habebat Adamus in ſtatu naturæ innocentis, integræ & ſanæ conſtitutus, hæc tamen Gratia per ſe efficax in hoc feliciſſimo ſtatu non erat neceſſaria Adamo innocentis ad vincendos inordinatos concupiſcentiæ motus, quorum penitus expers erat, indeque non erat *Gratia Salvatoris*, ſeu *Gratia medicinalis*, ſed erat *Gratia Creatoris*, ſeu *Gratia ſanitatis*: aſt Gratia per ſe efficax, qua homo ad bene agendum & perſeverandum in bono opus habet in ſtatu naturæ lapſæ, eſt ei prorſus neceſſaria non ſolum (ut docet S *Thomas*) propter generalem illam rationem, qua homo in ſtatu naturæ lapſæ dependet a Deo, & a ſupremo ipſius dominio, ſicut dependebat in ſtatu naturæ innocentis, ſed etiam propter ſpecialem rationem, petitam ex infirmitate hominis lapſi, qui, ut bene agat & perſeveret in gratia, opus habet Gratia per ſe efficaci, quæ ſit *medicinalis*, ſanetque vulnera, quæ ipſius naturæ inflixit peccatum originale, videlicet ignorantiam in intellectu. malitiam in voluntate, difficultatem operandi bonum in appetitu iraſcibili, & proclivitatem ad malum in appetitu concupiſcibili. Porro, in hac ſpeciali ratione, qua homo lapſus indiget Gratia per ſe efficaci medicinali, & qua non opus habebat Adamus innocens, cui nulla concupiſcentiæ vis erat ſuperanda, totum ſiſtit diſcrimen, quod S. *Auguſtinus* ſtatuit inter utrumque ſtatum hominis lapſi & innocentis.

Poſtremo, graviter hallucinatur *Janſenius*, dum pertendit, S. *Auguſtinum* exiſtimaſſe, neceſſitatem auxilii per ſe efficacis, quo creata voluntas ad bonum infallibiliter inclinatur, unice repetendam eſſe ex infirmitate & corruptione naturæ lapſæ, non vero ex neceſſitate Præmotionis phyſicæ ad omnem hominis ſtatum dilatandæ; in hoc, inquam, graviter hallucinari *Janſenium*, & ab imo ſuffodere ac demoliri multa principia doctrinæ S. *Auguſtini*, qui Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem deſumit, non tantum ex infirmitate naturæ læſæ per culpam originalem, verum etiam ex ſubordinatione & dependentia cujuslibet creaturæ a Deo, velut a prima cauſa, primo rerum omnium principio, primoque motore, ſat prolixe oſtendi in ſuperiori (quam ad te ſcripſi) Epiſtola. Quæ doctrinæ S. *Auguſtini* principia dum *Janſenius* non expendit, Sanctum illum Doctorem ſecum ipſo pugnantem exhibuit. Contra vero Thomiſtæ, qui principiis doctrinæ S. *Auguſtini*, juxta germanam S. *Thomæ* interpretationem intellectis, firmiter adhærent, miram ubique principiorum Sancti *Auguſtini* conſonantiam experiuntur, ſibique ſemper conſtantem illius doctrinæ faciem repræſentant. Sed ſatis, opinior, dilutum manet primum, quod propoſuiſti, argumentum.

III. Alterum, quod ex eodem S. *Auguſtini* textu colligis, argumentum pari facilitate ſolvitur. Quando enim S. *Auguſtinus* ait, Gratiam, quam Deus dedit Adamo innocenti, permiſſam fuiſſe Libero ipſius Arbitrio: *Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret* (Adamus in ſtatu innocentiæ) *cum vellet*, *& in quo permaneret, ſi vellet*; *non quo fieret ut vellet*: Per hæc verba innuit duntaxat Sanctus ille Doctor, potuiſſe potentia conſequenti Adamum in ſtatu innocentię perſeverare per Liberum Arbitrium, excluſa Gratia per ſe efficaci medicinali & ſanante naturam, ſed non excluſa Gratia per ſe efficaci, quæ ſiſtit in Divina motione, quæ prævie & phyſice voluntatem Adami innocentis applicabat ad omne opus bonum, & cujus ope ac beneficio ipſum quoque bonum opus, & perſeverantia in bono, bonuſque Gratiæ uſus in primo homine ſano & integro præſtaretur a Deo.

Non aliam certe fuiſſe S. *Auguſtini* mentem, quadruplici momento evinco. Primò, quia Sanctus ille Doctor eoſdem uſurpat loquendi modos, dum de homine lapſo ſermonem facit. Docet enim S. *Auguſtinus* pluribus in locis (quorum unum duntaxat hic, brevitatis ergo, laudabo) hominem in ſtatu naturæ lapſæ per Liberum Arbitrium bene agere, & in bono perſeverare poſſe; quamvis tamen ne-

Digitized by Google

nemo prudens inde elicere poſſit, S. *Auguſtinum* admiſiſſe in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam verſatilem, Libero ſubditam Arbitrio, & è ſola hominis lapſi voluntate pendentem perſeverantiam uſque in finem.

Auſculta, ſi placet, quam luculentiſſime mentem ſuam ſuper hac re aperiat Aquilinus hic Doctor lib. 1. *Retractationum* cap. 9. ubi pares loquendi formulas, quas, de hominibus in ſtatu naturæ lapſæ loquendo, uſurpaverat exponens monet, id a ſe, abſque Divinæ Gratiæ præjudicio, dictum eſſe, qua Deus in hominibus operatur, ut velint, ut bene agant, & perſeverent in bono: *Quod vero dixi* (hæc ſunt Sancti illius Doctoris verba) *Illud autem lumen non irrationabilium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum ac temporalium ſe ad ejus præcepta convertunt; quod omnes poſſunt, ſi velint: non exiſtiment novi hæretici Pelagiani, ſecundum eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino, omnes homines hoc poſſe ſi velint, ſed præparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut poſſint*. Quibus verbis palam oſtendit, ejuſmodi locutiones, quibus interdum uſus eſt, & quibus Pelagiani perperam abutebantur, quod ipſe non ſemel homines in ſtatu naturæ lapſæ bene agere poſſe dixiſſet, & mandata ſervare, *ſi vellent*, non excludere actionem Dei operantis in homine lapſo ipſum velle, nec Pelagianorum cauſam ullo pacto juvare. Porro, ſi prædeterminatricem hanc Dei operationem a præſenti naturæ lapſæ ſtatu non excludant iſtæ loquendi rationes, quas nonnunquam adhibet S. *Auguſtinus*, nec etiam prædeterminatricem Dei operationem a ſtatu naturæ innocentis excludere cenſendæ ſunt.

Præterea, S. *Auguſtinus*, dum ait, Adamum innocentem potuiſſe per Liberum Arbitrium perſeverare in accepta juſtitia, & a Deo Gratiam accepiſſe ſuo Libero Arbitrio relictam, pro certo ſemper ſupponit neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis, ſeu motionis Divinæ applicantis voluntatem Adami innocentis ad conſentiendum, ad volendum, ad agendum, ad perſeverandum. Ait enim lib. XI. *De Geneſi ad litteram* cap. 4. ſummus ille Gratiæ Doctor: *In ſua poteſtate habebat* (Adamus) *velle non conſentire ſuadenti; adjuvante tamen illo, qui ſuperbi reſiſtit, humilibus autem dat Gratiam*. Et cap. 106. Enchiridii ad Laurentium: *Etſi peccatum in ſolo Libero Arbitrio* (Adami) *erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat Liberum Arbitrium, niſi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur*. Idem repetit cap. ſequenti: *Factus eſt*, inquit, *homo rectus, ut & manere in ea rectitudine poſſet, non ſine adjutorio Divino*. Denique cap. 8. libro *De novo Cantico* ait S. Auguſtinus: *Quid poſſit Liberum Arbitrium non adjutum, in Adam demonſtratum eſt; ad malum ſufficit ſibi, ad bonum nonniſi adjuvetur a Deo*. Per adjutorium verò, quo Adami innocentis Liberum Arbitrium eguiſſe docet S. *Auguſtinus*, non eſſe intelligendum auxilium verſatile, ſed auxilium per ſe efficax, ſeu prædeterminatricem Dei operationem, oſtendi in ſuperiori, quam ad te ſcripſi, Epiſtola, non tantum ex variis Auguſtinianæ doctrinæ principiis, verum etiam ex locupletiſſimis Sanctorum Patrum, qui eidem doctrinæ fuerunt addictiſſimi, teſtimoniis, videlicet *Fulgentii*, *Gelaſii*, Summi Pontificis, *Bernardi*, & Doctoris Angelici, qui omnes *Auguſtini* lingua loquuntur.

Tertiò, quemadmodum S. *Auguſtinus* cap. 10. libri *De Correptione & Gratia* ait, Adamum in ſtatu naturæ innocentis potuiſſe perſeverare in accepta juſtitia *per Liberum Arbitrium*, ita ibidem aſſerit, bonos Angelos perſtitiſſe *per Liberum Arbitrium*; atqui tamen S. *Auguſtinus* ea loquendi formula non innuit, bonos Angelos perſeveraſſe in accepta juſtitia per vires Liberi Arbitrii, ſed potius docet, bonos Angelos, malis cadentibus Angelis, AMPLIUS adjutos, ideſt, auxilio per ſe efficaci adjutos, perſeveraſse in bono, ſicut in ſuperiori Epiſtola late commonſtravi, idque nunc confirmare non pigebit alio clariſſimo S. *Auguſtini* teſtimonio, deprom-

promptoex ipſius Commentario in Pſalmum ſeptuageſimum, Conc. 2. ubi explanans hæc verba: *Donec annuntiem potentiam tuam & juſtitiam tuam* &c. oſtendit, non tantum homines, ſed & Angelos, quidquid boni habent, non Gratiæ verſatili, non ſui Liberi Arbitrii viribus, ſed Dei omnipotentiæ acceptum referre debere: *Dicam* (inquit Aquilinus ille Doctor) *omni homini naſcituro, nihil es per te .... Dicam omni generationi venturæ, nullas vires meas, nullam juſtitiam meam, ſed potentiam tuam & juſtitiam tuam uſque ad altiſſima, quæ feciſti, magnalia. In altis cœli ſunt, in altis Angeli ſunt, Sedes, Dominationes, Principatus & Poteſtates; tibi debent quod ſunt, tibi debent quod vivunt. Potentiam tuam, juſtitiam tuam uſquequo? uſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia. Ne putes, hominem ſolum pertinere ad Gratiam Dei. Quid erat Angelus, antequam fieret? Quid eſt Angelus, ſi deſerat qui creavit? Ergo potentiam tuam & juſtitiam tuam uſque in altiſſima, quæ feceſti, magnalia* &c.

Cæcus profecto ſit oportet, qui in his perſpicuis S. *Auguſtini* verbis non videt, bonos Angelos perſtitiſſe in bono per Liberum quidem Arbitrium, ſed adjutum Gratia per ſe efficaci; idemque (juxta genuinam S. *Auguſtini* mentem) dicendum eſſe de neceſſitate Gratiæ ſe ipſa efficacis, qua Adamus in ſtatu innocentiæ ſive ad bene agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia opus omnino habuit; quia de Angelis viatoribus, & de Adamo, in ſtatu innocentiæ conſtituto, circa neceſſitatem Gratiæ tum ad agendum, tum ad perſeverandum, debet (fatente *Janſenio*) eſſe par utrobique ratio.

Poſtremo, ſi hæc S. *Auguſtini* verba: *Adamus potuit perſeverare per Liberum Arbitrium: Boni Angeli perſteterunt per Liberum Arbitrium*; hæc, inquam, & ſimilia S. *Auguſtini* verba, ſi ad litteram & quam late patent accipias, excluſum ſenties quodvis auxilium Dei a ſtatu naturæ innocentis; quod cum a S. Doctoris mente prorſus abhorreat, conſequens eſt, ut prædicta illius verba inter preteris, ſeu potius ſequatis genuinam ejuſmodi locutionum interpretationem, quam ſuppeditat S. *Auguſtinus* variis in locis, quæ indicavimus, & ex quibus luce meridiana clarius liquet, S. *Auguſtinum* his loquendi formulis innuere duntaxat voluiſſe, bonos Angelos perſtitiſſe in accepta juſtitia per Liberum Arbitrium adjutum Gratia per ſe efficaci; & quod Adamus itidem potentia conſequente perſeverare potuiſſet per Liberum Arbitrium roboratum Gratia per ſe efficaci, non quidem medicinali & ſanante naturam; ſed Gratia per ſe efficaci, quæ in ſtatu naturæ innocentis nihil aliud erat, quam Prædeterminatrix operatio Dei, quæque tam Adamo innocenti, quam Angelis viatoribus, ſive ad bene agendum, ſive ad perſeverandum, erat prorſus neceſſaria propter ſubordinationem & dependentiam, quam Adamus in ſtatu innocentiæ, & Angeli viatores a Deo, ſupremo rerum conditore, habebant, & propter alia varia momenta, quibus S. *Auguſtinus*, ſicut jam oſtendimus, Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem ad ſtatum naturæ innocentis dilatat: quæ Sancti *Auguſtini* momenta, *Janſenius*, dum Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem unice repetit ex infirmate naturæ humanæ per peccatum originale vulneratæ, reddit plane inutilia, immo ea exſufflat, tanquam tela plumbea, bruta fulmina, & exeſa rubigine argumenta, accerſita ex Ariſtotelis Philoſophia. Sed de tuis duobus prioribus argumentis ſatis hactenus dictum ſit.

IV. Opponis ſecundò: ut exploratiſſima reddatur mens Sancti *Auguſtini*, accurate inſcipiendus eſt ſcopus, in quem potiſſimum collimabat S. *Auguſtinus* eo in libro, quem edidit, *De Correptione & Gratia*; atqui (inquis) præcipuus ſcopus, in quem in eo in libro intendit Sanctus ille Doctor, eſt, ut oſtendat contra Monachos Adrumentinos, jure merito corripi atque increpari poſſe homines, dum in juſtitia non perſeverant & in peccata prolabuntur. Et quidem, ſi excuſationem inde prætexere voluerunt peccatores in ſtatu naturæ lapſæ, quod perſeverantiæ donum non acceperint, reſponſum ſtatim referent, ideo perſeve-

ran-

rantiæ donum non accepiſſe, quod è perditionis maſſa non fuerint a Deo ſecreti; At, Adamo in ſtatu naturæ innocentis conſtituto, minime competit iſta reſponſio. Huic difficultati occurrit S. *Auguſtinus*, dum auxilium Gratiæ homini innocenti datum ſecernit ab adjutorio, quod nunc datur homini lapſo, priuſque relictum affirmat Libero hominis Arbitrio, qui perſeveraret, aut non perſeveraret, ſi vellet. *Non ipſum* (ſeu Adamum) *Deus eſſe voluit ſine ſua Gratia, quam reliquit in ejus Libero Arbitrio..... Quod adjutorium ſi homo ille per Liberum Arbitrium non deſeruiſſet, ſemper eſſet bonus; ſed deſeruit, & deſertus eſt: Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet*. Porro (ſubdis) ſi Sanctus *Auguſtinus* exiſtimaſſet, Præmotionem phiſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, fuiſſe neceſſariam primo homini in ſtatu innocentiæ ad perſeverandum, inſolutam reliquiſſet, quam ſibimet ipſi propoſuit quæſtionem: *Quid ipſe* (Adamus innocens) *non perſeverando peccavit, qui perſeverantiam non accepit?* Nullam igitur S. *Auguſtinus* Gratiæ per ſe efficacis, ſeu Præmotionis Phyſicæ neceſſitatem in ſtatu naturæ innocentis admiſit.

Hanc tuam objectionem priuſquam diluam, præſtat ut obſerves, S. *Auguſtinum* in lib. *De Correptione, & Gratia*, ſicut & in aliis ſuis contra Pelagianos & Semipelagianos Scriptionibus, Polemici Doctoris partes agere, cujus officium eſt diſputationem ſuam coercere, objectantem adverſarium pedetentim ſequi, conceſſis uti, objectis ſibi ab adverſa parte nodis alios non adjicere nodos, & propoſitis ſibi quæſtionibus facere ſatis, non hac illac divagando, ſed quantum ſufficere poteſt ad ſolvenda interrogantium dubia, reliquis longe miſſis, quæ minus nunc neceſſaria videntur.

Hoc in genere diſputandi quantum excelluit S. *Auguſtinus*, facile ſentiet quiſquis adhibitam ab eo diſceptandi methodum inſpexerit. Ille quippe, ut accuratiſſimus erat pariter ac modeſtiſſimus diſputator, quæſtiones multas diſcutit, profundioribus aliis quæſtionibus non præjudicatis ſicut multis patet exemplis, quorum unum potiſſimum dumtaxat hic referam, quod extat Opuſculo *de ſex quæſtionibus Paganorum*. Epiſtola nunc 102. aliàs 149. ubi Ethnico *Porphyrio* quærenti, *cur Chriſtus celerius non adveniſſet?* repoſuerat S. *Auguſtinus*: *Tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant crediturі.* Hæc, quæ in prædicto Opuſculo dixerat S. *Auguſtinus*, vera eſſe confirmat cap. 9. lib. *De prædeſtinatione Sanctorum*; fatetur tamen ibidem, ſe addere quidem potuiſſe, idcirco tum crediturоs fuiſſe in Chriſtum homines iſtos, quia credendi affectum eis tum temporis inſpirare ſtatuerat Deus; id autem de induſtria prætermiſiſſe, ne novas diſputationi necteret ambages; ratum ſatis ſuperque fore, ſi quæcumque dixerat eo loco, dicta eſſe monet ſine præjudicio aliarum, quas afferre quis poſſet, ejuſdem rei rationum: *Sed quoniam, ſi iſta dicerentur* (ideſt, ſi idcirco crediturоs illos homines in Chriſtum affirmaretur, quia eis tunc credendi affectum inſpiraturus erat Deus) *lectorem faceret attentum ad ea requirenda, quæ nunc & admonitione Pelagiani erroris neceſſe eſt copioſius & laborioſius diſputari; viſum mihi eſt, quod tunc ſatis erat, breviter eſſe dicendum excepta, ut dixi, altitudine ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ſine præjudicio aliarum cauſarum, de quibus non tunc, ſed aliàs opportunius diſputandum putavi*. Ex quibus verbis patet, ſolemne fuiſſe S. *Auguſtino* propoſitas ſibi quæſtiones ſolvere quantum neceſſe erat, & conſulto prætermittere nonnullas difficultates, quibus hujuſmodi quæſtiones implicari poterant, quæquæ ad propoſitarum ſibi quæſtionum ſolutionem non pertinebant. Legeſis lib. 1. *Retractationum* cap. 9. & lib. 2. *De peccatorum Meritis & Remiſſione* cap. 17. & facile intelliges, hanc methodum, cum maxima cautela ventilandi & ſolvendi propoſitas quæſtiones, valde familiarem fuiſſe Sancto *Auguſtino*.

M Hac

Hac præmiſſa obſervatione, quæ ad aſſequendam veram S. *Auguſtini* mentem eſt plane neceſſaria, Dico, Sanctum illum Doctorem in hoc libro *De Correptione & Gratia* id tantum probandum ſuſcepiſſe adverſus Monachos Adrumentinos, hominem, qui in ſtatu naturæ lapſæ Gratia per ſe efficaci, ei ad perſeverandum neceſſaria, deſtitutus, non perſeverat, juſte eſſe corripiendum; cumque Monachi Adrumentini huic difficultati (de qua potiſſimum illos inter & S. *Auguſtinum* controvertebatur) aliam incidentem de perſeverantia Adami proponerent difficultatem, noluiſſe Sanctum illum Doctorem hanc novam difficultatem diſcutere, cujus dilucidatio ad ſolutionem præcipuæ quæſtionis, de qua tota lis erat ipſum inter & Monachos Adrumentinos, non pertinebat. Præcipua enim quæſtio, cui adverſus illos Monachos explanandæ ac dirimendæ eo in libro totus incumbebat *Auguſtinus*, ſpectabat Gratiam per ſe efficacem Salvatoris, ſeu medicinalem, qua ad perſeverandum in bono indigent juſti in ſtatu naturæ lapſæ; & qua non egebat Adamus in ſtatu naturæ innocentis; ex quo diſcrimine inter Adamum innocentem & hominem lapſum, ſat ſuperque oſtendebat Sanctus *Auguſtinus*, lapſum Adami in exemplum modo trahi non poſſe, eumque a Monachis Adrumentinis perperam obtrudi, ut inde probarent, juſtos, qui in præſenti ſtatu naturæ lapſæ è juſtitia excidunt, & in ea non perſeverant, juſte corripi non poſſe. Hoc enim longum latumque diſcrimen Gratiæ utriuſque ſtatus exiſtimavit S. *Auguſtinus* abunde ſufficere ad hunc eximendum illis Monachis ſcrupulum, & ad declinandam hanc novam difficultatem, qua prædicti Monachi præcipuam quæſtionem de neceſſitate Gratiæ per ſe efficacis in ſtatu naturæ lapſæ ad perſeverandum, obſcure ac implicate totis viribus ſatagebant.

Mirari itaque non ſubit, ſi Sanctus *Auguſtinus* in hoc libro *De Correptione & Gratia* partes agens Diſceptatoris Polemici, & nolens geminare difficultates, non expenderit, an Gratia per ſe efficax, ſtatus innocentiæ propria, & alterius conditionis ac ſortis a Gratia per ſe efficaci medicinali, qua indiget homo in ſtatu naturæ lapſæ, fuerit Adamo innocenti ad perſeverandum neceſſaria, & eidem occultis de cauſis, ad illum ſtatum attinentibus, denegata, atque adeo an Adamus juſte corripi potuerit, quod in accepta juſtitia non perſeveraverit? Mirari, inquam, non ſubit, ſi S. *Auguſtinus* hanc difficultatem, quæ ad præcipuam quæſtionem, ſibi a Monachis Adrumentinis propoſitam, non attinebat, intactam eo loci prætermiſerit, nec eam ventilare, aut penitus rimari ac perſcrutari noluerit. Cæterum, S. *Auguſtinus* hanc difficultatem, cujus examine ac diſcuſſione ſuperſedendum in libro *De Correptione & Gratiâ* conſultius judicavit, in aliis ſuis Operibus, quoties opportuna ſe ſe dat occaſio, expendit ac dirimit; Gratiamque per ſe ſe efficacem, ſeu Prædeterminatricem Dei operationem, Adamo, Angeliſque cadentibus ad perſeverandum fuiſſe neceſſariam, & occultis Divinæ rationibus, in quas inquirere non debemus, eis negatam oſtendit, ſicut patet ex his, quæ in ſuperiori Epiſtola laudavi, S. *Auguſtini* teſtimoniis, & qua hic denuo inſerere ſupervacaneum omnino eſſet.

V. Opponis tertiò: Si Adamo in ſtatu innocentiæ ad bene agendum, & perſeverandum neceſſaria fuiſſet Gratia a ſe efficax, ſeu prædeterminatrix operatio Dei, lapſus Adami non poſſet ei vitio verti; quia ei defuiſſet ex parte Dei aliquid omnino necceſſarium ad perſeverandum, ſeu auxilium per ſe efficax; Atqui Adamum ſua culpa cecidiſſe in confeſſo eſt apud omnes Catholicos; ergo Adamus in ſtatu innocentiæ opus non habuit auxilio per ſe efficaci ad perſeverandum. Pertendis etiam, nullius plane momenti eſſe reſponſionem, quæ adhiberi poſſet, videlicet auxilium per ſe efficax ad perſeverandum ideo defuiſſe Adamo, quia ipſemet Adamus, ne ejuſmodi auxilium a Deo reciperet, obicem ac impedimentum volens appoſuit; hanc (inquam) reſponſionem tanquam futilem, & ſtatui Adami innocentis minime convenientem, rejicis, quia obex,

obex, qui receptioni Gratiæ per ſe efficacis ad perſeverandum neceſſariæ opponitur, nullus alius eſſe poteſt, quam peccatum actuale, vel originale; atque in primo homine, antequam laberetur, nullum præceſſit peccatum, ſubindeque Adamus nullum recipiendæ Gratiæ per ſe efficaci, ad perſeverandum in accepta juſtitia neceſſariæ, præbuit impedimentum.

Hanc objectionem (cui præcipue inſiſtis) triplici reſponſione diluunt noſtrates Thomiſtæ. In primis dicunt, Adamum jure merito culpari debere, quod non perſeveraverit, quia licet ei ad actu perſeverandum defuerit auxilium per ſe efficax, quod ſe tenet ex parte actus ſecundi; habuit tamen Adamus auxilium ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellectum, quod ei conferebat pleniſſimam & expeditiſſimam potentiam perſeverandi, ita ut illi ex parte potentiæ nihil deeſſet; quo quidem ſufficienti auxilio ſi Adamus caruiſſet, omni procul dubio ſine ſua culpa cecidiſſet. Id totum hoc familiari illuſtro exemplo: Lux corporalis neceſſaria eſt ex parte actus primi; ſeu potentiæ ad videndum; unde, ſi lux deſit, quamvis facultas viſus ſit ſana & integra, videre haud poſſumus, proindeque culpæ nobis non tribuitur, quod, abſente luce, non videremus: At, affulgente luce, præſente objecto, & facultate viſiva recte diſpoſita, adhuc neceſſe eſt ex parte actus ſecundi, ut oculi aperti ſint, & in objectum tendant; quod ſi de induſtria, aut ex malitia oculos claudamus, nec eos aperire velimus, jure merito nobis vitio vertitur, quod non videamus.

Ita non abſimili ratione primus homo in ſtatu naturæ innocenti inſtructus erat omni adjutorio, quod ipſi neceſſarium erat ex parte actus primi, ut videlicet in accepta juſtitia poſſet perſeverare; ipſi ſiquidem contulerat Deus auxilium *ſine quo*, ſeu auxilium ſufficiens, quo poſſet perſeverare: Gratia autem per ſe efficax ad perſeverandum erat Adamo duntaxat neceſſaria ex parte actus ſecundi, & ſine ea poterat Adamus bonum agere, & in accepta juſtitia perſeverare; atque adeo ei etiam potiori ratione in culpam adſcribi debet quod non perſeveraverit, quia in hoc feliciſſimo innocentiæ ſtatu integras vires habebat Adamus, nullamque in ſe partem ſentiebat minus ſanam & integram, cujus tentationibus traheretur ad ruinam. At ſunt contra in homine lapſo graves internæ tentationes, quæ emergunt ex conflictu paſſionum, & quibus, velit nolit, ſæpius exagitatur. In Adamo innocente inclinatum non erat, nec viribus attenuatum Liberum Arbitrium, ſed in homine lapſo valde debilitatum eſt, multiſque vulneribus ſauciatum. Quod itaque Adamus in tanta felicitate, & tanta non cadendi facilitate ceciderit, jure ac merito culpandus eſt. Præterea, reſpondent Thomiſtæ, tam Adamum in ſtatu innocentiæ, quam Angelos in ſtatu viæ, ſua culpa cecidiſſe, quia prius Deum deſeruerunt, quam Deus illos deſereret, eiſque auxilium per ſe efficax ad perſeverandum denegaret. Docent quippe multi doctiſſimi Thomiſtæ cum *Joanne a S. Thoma* Diſputatione quinta de Voluntate Dei Art. 6. primam ipſam culpam Adami & Angelorum non tantum comitatam fuiſſe privationem Gratiæ per ſe efficacis ad actualem perſeverantiam prorſus neceſſariæ, ſed etiam ei præiviſſe ſecundum genus cauſæ materialis, eodem plane ordine, quo corruptio, ſeu veteris formæ abſceſſus, antecedit generationem, qua inducitur nova forma in materiam, priori forma vacuam, quia materia duas ſimul formas ſubſtantiales nullo inſtanti ſimul jungere poteſt, quibus perficiatur, & integrum ens componat; atque hanc anteceſſionem primæ culpæ Adami, & Angelorum juxta cauſæ materialis ordinem, fat eſſe docent illi Thomiſtæ, ut illam primam culpam & Adamus, & Angeli viatores libere admiſerint, indeque Gratiæ per ſe efficaci, quæ ipſius ad actu perſeverandum erat omnino neceſſaria, voluntarium impedimentum appoſuiſſe cenſeantur, ſicut ex omnium Theologorum ſententia, dicitur, ſua culpa juſtum a Gratia ſanctificante excidere, qui eo, quo Gratia ſanctificans abſcedit, momento, libere

M 2 pec-

Digitized by Google

peccat, & tum adeſt peccatum & inconſideratio, & utrumque Liberum eſt ac voluntarium.

Sic noſtra voluntate & culpa, Gratiæ per ſe efficacis recipiendæ ponimus obicem, qui ejuſdem Gratiæ privatione ſaltem anteceſſionibus ordine prior eſt, quo mox diximus, corruptionem generationi præviam eſſe ſecundum ordinem cauſæ materialis, licet generatio antecedat in genere cauſæ formalis & efficientis. Sicut enim nova forma ſubſtantialis induci nequit, niſi in materiam aptam & ſubactam, ideſt, priore, & quacumque alia forma ſubſtantiali vacuam; ita nec Gratia habitualis, nec actualis quæcumque ineſt ſubjecto deficienti, cujus culpa, cum ſuas vices prius ſecundum genus cauſæ diſponentis & materialis obeat, jure ac merito dici poteſt obex, qui impedit receptionem Gratiæ per ſe efficacis, & in eo ſenſu facile tam de Gratia habituali, ſeu Gratia ſanctificante, quam de Gratia actuali, ſeu per ſe efficaci, intelligitur commune iſtud Sanctorum Patrum, præſertim Sancti *Auguſtini*, & Theologorum effatum: ***Deus neminem deſerit niſi prius deſeratur***. Deus enim nos deſerit, quia prius illum deſerimus, & voluntarium ac liberum Divinæ ipſius Gratiæ receptioni apponimus impedimentum. Hinc S. *Auguſtinus* in lib. *De Correptione & Gratia* de primo homine loquens, ait: *Deum deſeruit & deſertus eſt ab illo*, & S. *Thomas* 5. Part. Quæſt. 95. Art. 4. ad 5. hæc habet: *In tentatione non fuit ei* (ſeu Adamo) *ſubventum ne deciperetur, licet tum maxime indigeret, quia jam præceſſerat peccatum in animo*. Fateor hanc reſponſionem non omnibus probari, & in hac re obſcuriſſima necdum factum ſatis illis eſſe. Eam tamen perutilem eſſe judico ad ſolvendam præſentem difficultatem, quæ multum habet caliginis & ſalebrarum. Si enim hæc cauſarum anteceſſio ſemel admittatur, & capiatur, omnis evaneſcet difficultas, ſaltem quantum pati poteſt mortalis hæc conditio ad ignorantiam & tenebras damnata.

Denique, reſpondent Thomiſtæ, nullam humano ſtudio rationem ſeu cauſam inveſtigari aut reddi poſſe, cur Adamo denegata fuerit Gratia per ſe efficax, quæ ei ad perſeverandum in accepta juſtitia erat omnino neceſſaria, ſed hanc negationem ad inſcrutabilia judicia Dei eſſe referendam, occulta illa quidem, ſed tamen juſta. Sane, ſi P. *Daniel*, aliique Theologi Congruiſtæ (ſicut oſtendi in quarta, quam ad te ſcripſi, Epiſtola) dum quærunt, quorſum ex tam multis hominibus in ſtatu naturæ lapſæ eodem originali peccato infectis, uni potius quam alteri prima Gratia efficax congrua denegetur ad Fidem ſuſcipiendam? tunc, velint nolint, ad inſcrutabilia Dei judicia confugiunt, ut quid, amabò, ægre ferent, quod Thomiſtæ, dum ab ipſis poſtulatur, cur in Adamo in ſtatu innocentiæ, & malis Angelis viatoribus denegatum fuerit donum per ſe efficax perſeverantiæ, quod bonis Angelis conceſſum eſt? confugiant in hoc reſerando myſterio ad inſcrutabilia judicia Dei, ad quæ ipſemet S. *Auguſtinus* confugere compulſus eſt, cujus doctrina ſecuti Thomiſtæ dicunt, hanc primæ Gratiæ per ſe efficacis, ad perſeverandum Adamo & Angelis neceſſariæ, denegationem, quovis tandem occulto Dei judicio factam, peccati & lapſus Adami & Angelorum non fuiſſe cauſam, ſed primam, & unicam illorum peccati & lapſus rationem extitiſſe propriæ illorum voluntatis malitiam.

Dicunt etiam Thomiſtæ, cum eodem Sancto Doctore, Gratiam per ſe efficacem Adamo, Angeliſque cadentibus ad perſeverandum neceſſariam, occultis Divinæ voluntatibus rationibus eſſe denegatam, tum quia beneficium erat eis prorſus indebitum; tum quia Leges Divinæ Providentiæ poſtulant, ut Deus creaturam ſuæ ipſius defectibilitati aliquando permittat; *ut de malis benefacere poſſit*: tum denique, ut ipſa Gratiæ per ſe efficacis denegatione, quæ interdum aliquibus ſubtrahitur, majorem erga alios, quibus eam ſuppeditare lubet, ſuam dilectionem Deus oſtendat, ſicut ait Apoſtolus *Paulus* cap. 9. Epiſtolæ ad Romanos: ***Suſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet*** di-

divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.

Addo demum, hanc difficultatem de cauſa denegationis Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, Adamo & Angelis ad perſeverandum neceſſariæ, non eſſe Scholæ Thomiſticæ peculiarem, ſed Scholæ Molinianæ Theologos Congruiſtas perinde contingere. Enim vero, in illorum Theologorum ſententia erat neceſſaria Adamo Gratia congrua ad perſeverandum in accepta juſtitia, & tamen Deus Gratiam congruam ad perſeverandum neceſſariam ei denegavit. Vidit Deus, juxta illos Congruiſtas, circumſtantias rerum numero infinitas, in quibus poſitus Adamus non peccaſſet, quibus tamen ſingulis prætermiſſis, in ea potiſſimum circumſtantiarum ſerie collocare decrevit Adamum, in qua certo peccaturum illum prænoverat. Quam vero ob cauſam id præſtitit Deus? Quare Adamo denegavit Gratiam congruam, eumque conſtituit in hac ipſa circumſtantiarum congerie, ex qua peccandi occaſionem ſumeret Adamus? Operoſa profecto quæſtio eſt, quæ Premotionis phyſicæ propria non eſt, ſed in omnibus paſſim Syſtematis faceſſit negotium, & ſolvenda occurrit.

Concludo itaque, Adamum nullam peccati ſui rationem prætexere potuiſſe, neque in Deum revolvi poſſe ipſius culpam, quia Deus neque poſitiva & efficiens, neque negativa & deficiens eſſe poteſt peccati hominis cauſa, ſicut late commonſtravi in quarta, quam ad te ſcripſi, Epiſtola: Tum quia etiam Deus dederat Adamo corpus menti plane obediens, dominium in omnes res ſenſibiles & creatas, intellectum nulli evagationi, nulli incogitantiæ obnoxium, niſi quam imperaret voluntas, illum a paſſionibus, & ab indeliberatis concupiſcentiæ motibus liberum effecerat, & contra omnes Diaboli tentationes, infeſtaſque ſuaſiones, abunde muniverat. Sileo cætera bona, quæ Deus, optimus maximus, in Adamum plena manu contulerat, tantas videlicet gratiæ largitates, tam multa dona cæleſtia, colluſtrationes animi tam ſplendidas, amorem Dei tam ſuavem & potentem, immenſam illam pacis, juſtitiæ, letitiæ, felicitatis ubertatem, aliaque id genus, quæ evidenter oſtendunt; quam graviter deliquerit ingrati animi vitio Adamus, quod Deum tantorum beneficiorum largiorem, vel momento tenus oblviſci potuit.

Suam igitur duntaxat voluntatem, quæ erat cauſa deficiens, culpare debet Adamus, ſibique uni lapſum ac peccatum imputare. Peccavit Adamus, quia peccare voluit, perdidit ſe ipſum, bonis, quæ acceperat a Deo, male utendo. Poterat quidem Deus, cum ſit omnipotens, impedire ne peccaret Adamus, cur ergo non impedierit? Penes ipſum eſt. Tam inſcrutabile Myſterium prono capite, ut par eſt, adorare debemus, & in illud curioſius inquirere certe noſtrum non eſt. Quis enim ſenſum Dei intellexit, aut quis conſiliarius ejus fuit? Unum id certiſſime ſcimus, Deum ex peccato Adami, ſicut ex aliis permiſſis in rerum natura defectibus & peccatis ejuſmodi, occaſionem ſumpſiſſe excellentiora illa & plane mirabilia opera faciendi, miſericordiam ſuam amplificandi, divitias Gratiæ ſuę & infinitum erga homines amorem declarandi, denique palam faciendi bonum ex malo elicere ſe poſſe, quamlibet creaturam ex nihilo factam eſſe, & ad nihilum, ſeu ad peccatum, ex naturæ ſuæ conditione tendere, Deumque ſolum per eſſentiam ſanctum, ſuiſque omnibus numeris eſſe perfectum.

VI. Opponis quartò: Admiſſa ſemel in ſtatu naturæ innocentis Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, neceſſario dicendum eſt, Deum ab æterno quoſdam Angelos prædeſtinaſſe gratuito ad gloriam, eiſque Premotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem, conferre ſtatuiſſe, qua illos perſeverantes faceret in bono; cæteris vero Angelis Gratiam per ſe efficacem denegare, eoſque a gloria ante ullam prævisionem demeritorum excludere decreviſſe. Atqui hanc Prædeſtinatorum a reprobis diſcretionem injuſtam fore, ſecluſo peccato originali, diſerte teſtatur S. *Auguſtinus*, paſſimque declarat, ideo

aliquos homines in ſtatu naturæ lapſæ eligi a Deo ad gloriam gratuito, & fieri vaſa miſericordiæ, alios vero reprobari, & fieri vaſa iræ, quia univerſa natura humana per peccatum originale vitiata eſt, & damnationi obnoxia. Cum igitur natura Angelorum viatorum nullo fædata eſſet peccato originali, Deus, juxta mentem S. *Auguſtini*, non aliquos Angelos viatores gratuito prædeſtinavit ad gloriam, ſed præſuppoſita meritorum prævifione; nec etiam Deus Angelos adhuc viatores reprobare, & excludere potuit a gloria, quia reprobatio, juxta doctrinam S. *Auguſtini*, non fit a Deo niſi poſt prævifionem peccati originalis, quod contraximus in Adamo, atqui in Angelis viatoribus nullum erat peccatum, ſive originale, ſive actuale, propter quod digni eſſent, qui reprobarentur, & ab æterna gloria excluderentur, non igitur Deus Angelos viatores reprobavit, denegando eis Præmotionem phyſicam, eis ad perſeverandum neceſſariam, ſed potius mali Angeli auctores fuerunt ſuæ reprobationis, quippe qui Gratiæ verſatili ad bonum & malum, & ſubditæ eorum Libero Arbitrio, quam Deus eis dederat, aſſenſum præſtare noluerunt, eamque ad malum, ſeu ad non perſeverandum in bono, propria voluntate determinarunt.

Huic objectioni, quæ prima fronte, ut candide fatear, propter quædam S. *Auguſtini* teſtimonia, non nihil negotii faceſſere videtur, occurrunt Tomiſtæ, duplicemque diſtingunt reprobationem, unam nimirum, quæ importat duntaxat Dei decretum non largiendi reprobis gloriam, tanquam beneficium eis indebitum, & hanc reprobationem appellant *negativam*: Alteram vero, quæ ſecum involvit Dei decretum pœnis afficiendi reprobos, & iſtam reprobationem vocant Thomiſtæ *poſitivam*. Quoties autem de reprobatione ſermonem inſtituit S. *Auguſtinus*, de illa tantum agit, quæ pœnarum ſeu ſuppliciorum inflictionem adjunctam habet. De reprobatione enim ſicut de Prædeſtinatione diſputat Sanctus ille Doctor.

Porro, Prædeſtinationis nomine intelligit beneficiorum ſeriem, quibus certiſſimè liberantur quicumque liberantur, nulla facta diſtinctione, quam Theologi recentiores admittunt, videlicet Prædeſtinationis ad gloriam, quam dicunt pendere ex prævifione meritorum, & Prædeſtinationis ad gratiam, quam profitentur eſſe pure gratuitam. Nam S. *Auguſtinus*, de rebus, prout ſunt, diſſerit, ſicut Polemicum decet Diſputatorem, qui ſublimiores quæſtiones, & diſtinctiones, recens excogitatas, diſcutere non debet, id enim officii ad Theologum commentatorem pertinet.

Jam vero, quid nomine reprobationis intelligat S. *Auguſtinus*, multis in locis aperte ipſemet declarat, ſed præſertim cap. XI. lib. 4. *De anima & ejus origine*, ubi hæc habet: *Simpliciter teneo ex uno homine omnes homines ire in condemnationem, qui naſcuntur ex Adam, niſi ita renaſcantur in Chriſto, ſicut inſtituit ut renaſcantur antequam corpore moriantur, quos prædeſtinavit ad æternam vitam miſericordioſiſſimus vitæ largitor, qui eſt illis, quos prædeſtinavit ad æternam mortem, juſtiſſimi ſupplicii retributor, non ſolum propter illa, quæ volentes adjiciunt, verum etiam ſi infantes nihil adjiciant, propter originale peccatum*. Quibus verbis palam indicat S. *Auguſtinus*, de reprobatione, quæ indicit pœnas ac ſupplicia, ſe ibi loqui. Porrò reprobationi, prout pœnam ac ſuplicia involuit; hoc eſt, *reprobationi poſitivæ*, prævium ſupponi opportere peccatum aliquod, ſive originale, ſive actuale, extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, nec minima Catholicos inter Theologos diſceptatio. Reprobationi vero *negativæ*, ideſt, Dei decreto non largiendi Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem ad perſeverandum. & non conferendi gloriam, quia ſunt beneficia indebita, an præire itidem debeat aliquod peccatum? non certe inquirit, nec ullibi definit Sanctus *Auguſtinus*.

Sed mens Sancti illius Doctoris evidentius adhuc pateſcit ex ipſius Epiſtola 190. ad *Optatum*, ubi ſic mentem ſuam aperit: *Merito*, inquit, *videretur injuſtum, quod ſiunt vaſa iræ ad perditionem*,

ſi non

ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adami maſſa damnata. Quod ergo fiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam. Quod autem fiunt renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam. Idem ferme aſſerit Aquilinus ille Doctor in Epiſt. 186. ad *Paulinum*, ibidemque non obſcure innuit, ſe tantummodo loqui de reprobatione poſitiva, quam indigitat per *pœnam debitam*, *perditionem*, *vindictam*, *iram*, *ſupplicia* &c. Quæ voces ad poſitivam duntaxat reprobationem ſpectant, non autem ad reprobationem negativam. Vult ergo tantum S. *Auguſtinus*, Deum fore injuſtum, ſi quemquam reprobaret reprobatione poſitiva abſque ullo præcedente peccato, quod ſane apud Orthodoxos omnes Theologos tam certum eſt quam quod maxime. Reprobatio autem Angelorum, qui erant adhuc in via, non fuit reprobatio poſitiva, quæ videlicet adjunctum haberet Dei decretum plectendi illos æternis pœnis ac ſuppliciis, ſed fuit tantummodo reprobatio negativa, ſeu non largitio Præmotionis phyſicæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis ad perſeverandum, & gloriæ æternæ, quia Gratia per ſe efficax ad perſeverandum, & gloria æterna erant beneficia Angelis indebita, ergo Deus non fuit injuſtus.

Hæc eſt, ni fallor, Thomiſtarum ſententia, quæ nullatenus diſcrepat a doctrina S. *Auguſtini*, ſed potius cum ejus principiis arctiſſime connectitur. Verum enim vero, ſi S. *Auguſtinus* admiſiſſet tantum gratiam verſatilem, & ex Liberi Arbitrii aſſenſu pendulam in Angelis ſi exiſtimaſſet, bonorum Angelorum Prædeſtinationem ad gloriam non fuiſſe pure gratuitam, ſed ſuppoſuiſſe præviſionem meritorum, ſicut mordicus pertendit *Janſenius*, neceſſario dicendum eſſet, Deum Scientia Media uſum eſſe in Prædeſtinatione Angelorum. Eliminata ſiquidem a ſtatu naturæ innocentis Gratia per ſe efficaci, repudiatiſque Divinis decretis a ſe efficacibus, neceſſaria Deo erat Scientia Media, cujus lumine ac beneficio futurum bonorum Angelorum aſſenſum futuramque illorum perſeverantiam explorare poſſet. Aſt, quo pacto, quæſo, probare quis unquam poterit, S. *Auguſtinum* admiſiſſe in ſtatu naturæ innocentis Scientiam Mediam, cum tamen (ſicut ex luculentiſſimis etiam Moliniſtarum teſtimoniis in ſeptima Epiſtola evici) Scientia Media fuerit penitus ignota S. *Auguſtino*, novumque ſit commentum paucis ab hinc annis a *Fonſeca*, & *Molina* excogitatum?

Quo pacto etiam *Janſenius*, aliique qui hac in parte ipſius ſententiæ patrocinantur, agnoſcere poſſunt in ſtatu naturæ innocentis Scientiam Mediam, quam tamen ipſimet, ſibi parum conſtantes, fatentur aliunde, & pluſquam ſexcentis momentis probant, eſſe è diametro oppoſitam principiis doctrinæ S. *Auguſtini*, omnipotentiæ Dei, & ſupremo, quod in omnem creaturam obtinet, dominio penitus adverſam, quam denique ut fictitiam, & ex naturæ ſuæ intimis principiis metaphyſice impoſſibilem confutant, exſufflant, & exſibilant? Certe, ſi Scientia Media, ſicut fatetur *Janſenius*, eſt omnipotentiæ Dei contraria, in nullo ſtatu eſt admittenda, cùm in omni ſtatu Deus ſit omnipotens. Si Scientia Media ex intimis naturæ principiis eſt impoſſibilis, ſicut pluribus in locis docet *Janſenius*; ergo in nullo ſtatu recipi debet. Quæ enim ex eſſentia ſua pugnant, nullo in ſtatu nullo in ordine poni, immo nec mente concipi poſſunt.

VII. Opponis denique bene multa ſimul conglobata momenta, petita ex libro S. *Auguſtini de Correptione & Gratia*, quorum mole (ut ais) ſe gravari diffitebitur nemo, niſi qui aut nimium præoccupatus fuerit animo, aut parum ingenuus & candidus; addiſque, te, quo curioſius ejuſmodi momenta, abdicatis præjudiciis, omnique ſepoſito partium ſtudium, expendis, eo minus ſperare, fore ut Thomiſtæ circa Gratiam primi hominis & Angelorum poſſint conciliari cum S. *Auguſtino*. In primis, ſic argumentaris: Merita Adami innocentis Sanctus *Auguſtinus* vocat *Merita humana*; atque ſi merita Adami innocentis profecta fuiſſent è Præmotione phyſica, ſeu ex Gratia per ſe efficaci, dici non deberent *merita humana*, ſed de-

dona Dei, ſicut nunc vocantur in ſtatu naturæ lapſæ; ergo ex S. *Auguſtino* nulla fuit in ſtatu innocentiæ Gratia per ſe efficax, ſed tantum Gratia verſatilis ſubdita Libero Adami Arbitrio, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in bono.

Præterea, S. *Auguſtinus* (inquis) eodem in capite undecimo libri *De Correptione & Gratia* affirmat, meritorum Adami innocentis & Angelorum viatorum mercedem futuram gloriam æternam, quæ nobis in ſtatu naturæ lapſæ eſt donum Gratiæ Dei: *Quæ futura erat*, ait Sanctus ille Doctor, *& homini, ſicut facta eſt Angelis Sanctis, merces meriti: nunc autem*, idest in ſtatu naturæ lapſæ, *perdito bono merito, in his, qui liberantur factum eſt donum Gratiæ, quæ merces meriti futura erat*. Tertiò, S. *Auguſtinus* cap. 12. lib. *De Correptione & Gratia* ait, Adamum in ſtatu innocentiæ potuiſſe gloriari de meritis ſuis, nunc autem in ſtatu naturæ lapſæ hominem in nullo bono opere, quod elicit, poſſe gloriari. Quartò, S. *Auguſtinus* cap. 10. libri *De Correptione & Gratia* ait, *ſic Deum ordinaſſe angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet eorum Liberum Arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ Gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium*. Porro, ſi in ſtatu naturæ innocentis Præmotio phyſica, ſeu Gratia per ſe efficax, operata eſſet in Adamo & in Angelis viatoribus ipſum velle, & agere non magis eo in ſtatu fuiſſet oſtenſum, quid poſſet Liberum Arbitrium, quam in præſenti ſtatu naturæ lapſæ.

Denique S. *Auguſtinus* Deum orandi neceſſitatem, ex qua Sanctus ille Doctor invicte probat, neceſſariam eſſe in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam per ſe efficacem, a ſtatu naturæ innocentis procul eliminare videtur lib. 6. Operis imperfecti Num. xv. contra *Julianum* Pelagianum, ubi ait, quod ſi eamdem in ſtatu naturæ lapſæ obtineremus quam Adamus habuit, non peccandi poteſtatem, nobis prorſus agendum eſſet, non vero orandum: *Unde & Apoſtolus dicit* (ſunt verba S. Auguſtini) *oramus autem ad Dominum, ne quid faciamus mali. Quod ſi ita eſſet in poteſtate, quomodo fuit priuſquam eſſet humana natura viziata, non utique poſceretur orando, ſed agendo potius teneretur*. Concludis itaque nullam a S. *Auguſtino* fuiſſe in ſtatu naturæ innocentis admiſſam Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem.

His momentis, quæ è Sancto *Auguſtino* petita opponis, priuſquan ſingillatim reſpondeam, percontor a te num prædicta momenta fuerint nota Sanctis *Fulgentio*, *Gelaſio*, Summo Pontifici, *Proſpero*, *Bernardo*, & *Thomæ Aquinati*, Doctori Angelico? Non inficias ibis, opinor, his Sanctis Doctoribus, inter Sancti *Auguſtini* Diſcipulos præcipuis, qui ejus mentem, ſententias, locutiones ipſas diligentiſſime imitati, atque fideliſſime aſſecuti ſunt, prædicta momenta fuiſſe apprime nota, atque explorata. Cum igitur in ſuperiori Epiſtola oſtenderim, illos Sanctos Doctores de Gratiæ utriuſque ſtatus diſparitate ita ad mentem S. *Auguſtini* diſſeruiſſe, ut ſive ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ, ſive ad diſcretionem Sanctorum Angelorum a malis neceſſariam eſſe exiſtimaverint Gratiam per ſe efficacem, ſicut nunc docent omnes Thomiſtæ; ſtandum igitur eſt huic genuinæ S *Auguſtini* mentis interpretationi, quam tradiderunt Sancti illi Scriptores in doctrina Sancti *Auguſtini*, quem, ceu Magiſtrum, ſemper venerati ſunt, verſatiſſimi, ejuſque acerrimi fuerunt defenſores; nec ſubinde debemus S. *Auguſtino* alienum ac peregrinum proprio marte affingere ſenſum, qui (ut jam commonſtravi) funditus convellit ac diſſipat potiſſima principia, quibus S. *Auguſtinus* innumeris in locis Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem adſtruit. Hac præmiſſa reſponſione, modo ſingulis momentis peculiarem adhibeo reſponſionem.

Ad primum dico, merita Adami in ſtatu innocentiæ a S. Auguſtino appellari *merita humana*, qui propter Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam efficacem per ſe, qua indigebat primus homo in ſtatu innocentiæ, non deſiiſſent opera bona, quæ eo in ſtatu feliciſſimo exeruiſſet Adamus eſſe humana: Abſit enim, ut

ut quis dicat, Gratiam per ſe efficacem merito poſſe obeſſe, aut meritum Gratiæ. Omnia opera bona, quæ Adamus innocens edidiſſet, fuiſſent producta ab ipſius voluntate, determinata per Præmotionem phyſicam, ſeu per Gratiam ſe ipſam efficacem, quo in ſenſu vere dici poteſt, merita Adami fuiſſe ſimul & merita humana & dona Gratiæ; non ſecus ac bona opera, quæ elicimus in ſtatu naturæ lapſæ, S. *Auguſtinus* ſæpius vocat *merita noſtra*, *& dona Dei*; ita ut (ſicut ait idem Doctor) dum Deus munerat *merita noſtra* coronet & *dona ſua*. Quemadmodum igitur, juxta doctrinam S. *Auguſtini*, opera bona, quæ elicimus in ſtatu naturæ lapſæ, ſunt ſimul & merita noſtra, & dona Dei, quia oriuntur ex voluntate noſtra, & ex Gratia per ſe efficaci; ita, bona opera, quæ in ſtatu naturæ innocentis edidiſſet Adamus, jure appellari debuiſſent merita Adami ſimul & dona Dei, quia, tanquam actus humani prodiiſſent ex voluntate Adami, & ex Gratia per ſe efficaci, ſeu Præmotione phyſica; ita ut in quolibet hominis ſtatu ſemper verum ſit illud a Thomiſtis conſecratum Sancti *Auguſtini* effatum: *dum Deus munerat merita hominis*, *coronat dona ſua*.

Quando ergo S. *Auguſtinus* merita Adami innocentis vocat *humana*, ſeu *actus humanos*, non negat, merita Adami innocentis fuiſſe gratuita, hoc eſt, ex Gratia per ſe efficaci profecta; alioqui omnia ferme doctrinæ ſuæ principia, quæ in ſuperiori Epiſtola expendimus, ſusdeque miſcuiſſet, eiſque omnem vim ademiſſet S. *Auguſtinus*, quod ſane de maximo illo Gratiæ doctore vel leviter quidem ſuſpicari ſummum piaculum eſt. Præterquam, quod, S. *Auguſtinus* cap. 106. Enchiridii ad *Laurentium* diſerte pronunciat, nullum meritum eſſe potuiſſe in ſtatu innocentiæ abſque Gratia per ſe efficaci, ſic enim habet: *Sine Gratia nec tunc ullum meritum eſſe poterat, quia etſi peccatum in ſolo Libero Arbitrio erat conſtitutum, non tamen juſtitiæ retinendæ ſufficiebat Liberum Arbitrium, niſi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur*; quod utique de Gratiæ per ſe efficacis adjutorio dictum eſſe a S. *Auguſtino*, ex eo præſertim conſtat, quod Sanctus ille Doctor, de illo loquitur adjutorio, quo, ex occulto Dei judicio, deſtitutus eſt Adamus, & de quo agit etiam Epiſt. olim 105. nunc 186. Atqui Divinæ Gratiæ adjutorium, quo Adamus deſtitutus eſt, certe non fuit auxilium ſufficiens, ſeu *ſine quo* (hoc quippe ſufficienti auxilio nunquam caruit Adamus) ſed fuit auxilium per ſe efficax, quo privatus Adamus cecidit, ergo de illo per ſe efficacis Divinæ Gratiæ adjutorio loquitur S. *Auguſtinus*.

Denique dico, S. *Auguſtinum*, voluiſſe dumtaxat oſtendere majoris meriti fore Angelorum, primorumque Parentum perſeverantiam, quam ſit in ſtatu naturæ lapſæ perſeverantia juſtorum; tum quia neque Angeli, neque primi parentes in ſtatu innocentiæ indigebant Gratia per ſe efficaci *medicinali* ad perſeverandum, qua tamen neceſſario opus habent juſti in ſtatu naturæ lapſæ: Tum quia primi Parentes noſtri in ſtatu naturæ innocentis, liberi cum eſſent ab inordinatis & indeliberatis concupiſcentiæ motibus, facilius perſeverare poterant, quam juſti in ſtatu naturæ lapſæ: Tum quia etiam boni quilibet actus in primis parentibus noſtris, ex eo, quod acceperant a Deo in ſuo innocentiæ ſtatu, promanabant, ſed non item in ſtatu naturæ lapſæ. Homo ſiquidem innocens, ex juſtitia originali præditus, dum opera juſtitiæ exerit, agit ſecundum naturæ ſuæ ſtatum, hoc eſt, agit ut homo, & quidem qualis tunc eſt, ex ſua ipſius origine innocens; quo fit, ut meritum, quod ſibi rectis operibus comparat, non incongrue *humanum* vocitetur, tametſi ſine Gratia per ſe efficaci illud non acquirat.

Aſt homo lapſus, pro ſui ſtatus conditione ſauciatus morbiſque oppreſſus, dum aliquos actus bonos elicit, ſupra naturæ ſuæ conditionem operantur, nec jam agit ut homo, qualis nunc reipſa eſt, lapſus nimirum, & ſauciatus; indeque fit, ut meritum, quod homo lapſus his juſtitiæ, quæ edit, operibus conſequitur, non tam *humanum*, quam *divinum* ſit; nec tam hominis lapſi dicatur eſſe,

eſſe, quam Gratiæ, etſi non poſſit utriuſque non eſſe; ſicut, Exempli gratia, dum Socrus S. *Petri*, a gravi morbo liberata, ſurrexit è lecto, & Chriſto miniſtravit, egit præter id quod erat ex ſtatu infirmitatis, ſubindeque illius operatio non tam humana fuit, quam divina; quamquam & divinam ſimul & humanam fuiſſe nemo inficiari poſſit.

Eo in ſenſu intelligendus venit S. *Auguſtinus*, quando cap. xv. libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*, ait: *Humana hic*, ſeu in ſtatu naturæ lapſæ, *merita conticeſcant, quæ perierunt in Adam; & regnet quæ regnat Dei Gratia, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. His inquam, verbis non innuere voluit S. *Auguſtinus*, hominem, adjutum Gratia per ſe efficaci, non mereri in ſtatu naturæ lapſæ (abſit ut tam gravis error tribuatur S. *Auguſtino*) ſed tantum declarare voluit Sanctus ille Doctor, merita Adami innocentis, adjuti duntaxat Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci non medicinali, fuiſſe, propter rationem mox a me allatam, magis humana, quam ſint hominis lapſis & adjuti gratia medicinali, merita, quæ (ſicut jam dixi) magis divina ſunt, quam humana, nec tam illius ſunt, quam Gratiæ per ſe efficacis medicinalis; quamvis in utroque ſtatu hominis merita ſint divina ſimul & humana, ideſt, tam ex Gratia per ſe efficaci, quam ex voluntate hominis profecta.

Ad alterum momentum reſpondeo, S. *Auguſtinum*, dum aſſerit, gloriam æternam in Adamo innocenti mercedem meritorum futuram, quæ in nobis in ſtatu naturæ lapſæ eſt donum gratiæ; adhibita aliqua interpretatione eſſe intelligendum. Dogma enim Fidei eſt ab ipſo S. *Auguſtino* perpetuo commendatum, gloriam æternam nobis quoque, in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutis, meritorum pariter eſſe mercedem. Igitur, quemadmodum S. *Auguſtinus*, quando affirmat, gloriam æternam eſſe nunc donum Dei, non idcirco negat, gloriam æternam nobis, qui ſumus in ſtatu naturæ lapſæ, fore meritorum mercedem; ita ſimiliter, quando S. *Auguſtinus* aſſerit, gloriam æternam futuram eſſe in ſtatu naturæ innocentis meritorum Adami mercedem, non ideo negat, gloriam æternam futuram in ſtatu innocentiæ gratuitam ac Dei donum. Quid porro cauſæ ſit, cur in ſtatu innocentiæ, potius, quam in ſtatu naturæ lapſæ gloriam æternam dicat S. *Auguſtinus* eſſe meritorum mercedem? hæc potiſſimum occurit hujus rei ratio, quod merita naturæ innocentis potiori jure, quam noſtra in ſtatu naturæ lapſæ merita eſſent *humana*, eo, quo ſuperius expoſui, ſenſu.

Addo etiam, quod ſi Sanctus *Auguſtinus* exiſtimaſſet, merita Adami innocentis eſſe pure *humana*, & non dona Dei, ſubindeque gloriam æternam in ſtatu naturæ innocentis non fore gratuitam, & donum Dei, ſed duntaxat puram meritorum Adami mercedem; debuiſſet etiam S. *Auguſtinus* aſſerere, Adamum in ſtatu innocentiæ potuiſſe juſta de cauſa in ſuis meritis, quæ fuiſſent pure *humana*, & non *dona Dei*, gloriari; atqui tantum abeſt, ut S. *Auguſtinus* cenſuerit, Adamum potuiſſe juſte gloriari in meritis ſuis, ut potius ei anſam omnem in ſeipſo gloriandi, & ſuperba præſumptione ſpem ſuam in ſe collocandi præripiat, & nullam aliam ipſius prævaricationis cauſam aſſignet, præter internam Adami ſuperbam elationem, qua de ſe falſo præſumpſit. Sic etiam lib. xi. *De Geneſi ad litteram* cap. 4. loquitur Sanctus ille Doctor: *Nec arbitrandum eſt*, inquit, *quod eſſet hominem*, ſeu Adamum in ſtatu innocentiæ, *dejecturus iſte tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quedam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de ſe falſo præſumpſerit, diſceret. Veriſſime quippe dictum eſt: Ante ruinam exaltabitur cor, & ante gloriam humiliatur. Et hujus forte hominis* (ſed Adami) *vox eſt in Pſalmo: Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum. Deinde, jam expertus quid mali habeat ſuperba præſumptio propriæ poteſtatis, & quid boni adjutorium Gratiæ Dei; Domine inquit, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem; avertiſti faciem tuam a me, & factus ſum conturbatus.*

Ex

Ex quibus verbis Sancti *Auguſtini* liquet, prævaricationem Adami in ſtatu naturæ innocentis incepiſſe ab interna ejus animi electione, per quam Adamus in ſe ipſo præpoſtere gloriatus eſt, cum debuiſſet agnoſcere, ſe nihil habere boni, niſi quod a Deo eccepiſſet, Deoque uni laudem & gloriam eſſe tribuendam, ut non niſi in Deo liceat cuiquam creaturæ, etiam perfectiſſimę, & in quocumque ordine aut ſtatu conſtituitur, gloriari. Hanc veritatem, & ipſi naturæ medullitus impreſſam, & animis noſtris penitius infixam hærere ſexcentis in locis docet & inculcat S. *Auguſtinus*. Non igitur Sanctus ille Doctor exiſtimavit, hominem in ſtatu naturæ innocentis (idem de Angelis viatoribus judicium ferendum eſt) potuiſſe gloriari in ſuis meritis, quaſi pure humana eſſent, & non dona Dei, ſeu Gratiæ per ſe efficacis; atque expectare debuiſſe gloriam æternam non tanquam gratuitam, ſed ut meritorum ſuorum mercedem.

Ad tertium momentum patet ex precedenti ſolutione reſponſio. Addam duntaxat, S. *Auguſtinum*, a te in objectione laudatum, nihil in eo, quod citaſti, capite 12. libri *De Correptione & Gratia* habere, quod potuerit homo innocens in ſuis meritis gloriari: Bene vero, quod nihil ſit in homine lapſo unde de ſuis meritis, ſuaque perſeverantia glorietur, utpotè qui ea accipiat a Gratia per ſe efficacis quæ efficit in homine lapſo & velle & operari. Non clam me eſt, *Janſenium* ex eo S. *Auguſtini* loquendi modo collegiſſe, homini innocenti, præter auxilium Dei verſatile, & ſubditum Libero ejus Arbitrio, opus non habuiſſe Gratia per ſe efficaci, ſeu prædeterminatrice Dei actione, quæ operaretur in ipſomet Adamo velle & agere, ſubindeque Adamum innocentem habuiſſe in ſuis bonis operibus gloriandi locum. At, cum iſtud minime collegerit S. *Auguſtinus*, ſed potius pluribus in locis ea doctrinæ ſuæ ponat principia, quibus non obſcure innuit, homini etiam in ſtatu naturæ innocentis nullum gloriandi locum fuiſſe, nonne conſecutionem contrariam doctrinæ *Janſenii* inde inferre licet, nempe, juxta genuinam Sancti *Auguſtini* mentem, excludendam non eſſe a ſtatu naturæ innocentis Gratiam per ſe efficacem, quæ non eſt *medicinalis*, quequæ conſiſtit in Præmotione phyſica, ſeu in prædeterminatrice Dei operatione, quæ ipſum velle, ipſamque actionem voluntatis creatæ efficiat; ſed tantum ex mente S. *Auguſtini* arcendam eſſe a ſtatu innocentiæ Gratiam per ſe efficacem *medicinalem*, quæ eſt diverſæ plane conditionis ab illa Gratia per ſe efficaci, ſeu Præmotione phyſica, qua Adamus in ſtatu innocentiæ ad volendum & operandum prorſus indigebat? Gratia enim per ſe efficax *medicinalis*, quæ in ſtatu naturæ lapſæ eſt neceſſaria ad ſanandam infirmitatem naturæ læſæ per primigeniam protoparentis labem, & ad refrænandos æſtuantis concupiſcentiæ motus, erat in feliciſſimo naturæ innocentis ſtatu ſupervacanea, cum Adamus innocens haberet naturam ſanam, integram, & ab inordinatis concupiſcentiæ motibus liberam, Deoque per juſtitiam originalem perfecte ſubjectam.

Ad quartum momentum dico, Deum in duplici hominis ſtatu, ſeu naturæ innocentis, & naturæ lapſæ, oſtendere voluiſſe primùm, quid poſſet Liberum hominis Arbitrium in ſtatu naturæ innocentis non adjutum Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci; Deinde vero quid valeret in ſtatu naturæ lapſæ ſua Gratia per ſe efficax medicinalis ad ſanandam, ſeu reparandam voluntatem hominis, per peccatum Adami læſam, debilitatam, ſauciatam, & ad res creatas inclinatam. Liberum hominis Arbitrium in ſtatu naturæ innocentis erat ſanum, integrum, ab indeliberatis motibus concupiſcentiæ prorſus immune, & tamen non adjutum Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci cecidit, & in tanta felicitate, tantaque facilitate perſeverandi, non perſeveravit. Hoc pacto oſtendit Deus quid poſſet Liberum hominis Arbitrium ſanum & viribus robuſtum in ſtatu innocentiæ. At poſtea oſtendit Deus quid poſſet in ſtatu naturæ lapſæ ſua Gra-

Gratia per ſe efficax medicinalis, quippe quæ, licet ſupponat Liberum hominis Arbitrium per culpam Adami imminutum, elevatum, & attenuatum, habet tamen tantam virtutem & efficaciam, ut illud ſanet, cupiditatem coerceat, omnem moram & obſiſtentem difficultatem ſuperet, efficiatque ut homo lapſus bene operetur, & in bono perſeveret.

Hanc reſponſionem eſſe adamuſſim doctrinæ S. *Auguſtini* exactam, colligo ex tribus clariſſimis Sancti illius Doctoris teſtimoniis, quorum primum extat cap. XI. libri *De correptione & Gratia*, ubi hæc habet: *Liberum Arbitrium* (Adami innocentis, de eo enim ibi loquitur) *ad malum ſufficit ſibi, ad bonum autem nihil eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono*. Rurſus cap. 8. lib. *De novo Cantico* ait: *Quid valeat Liberum Arbitrium non adjutum, in Adam demoſtratum eſt: ad malum ſufficit ſibi, ad bonum non, niſi adjuvetur a Deo*. Demum idem Sanctus ille Doctor Sermone olim XI. nunc XXVI. de Adamo innocenti ſic loquitur: *Regebat eum ipſe qui fecerat, voluit deſerere eum, a quo factus eſt; permiſit Deus, tanquam dicens: Deſerat me, & inveniat ſe; & miſeria ſua probet; quia nihil poteſt ſine me. Hoc modo ergo oſtendere voluit Deus, quid Liberum Arbitrium valeat ſine Deo*. In quibus locis duo aperte docet S. *Auguſtinus*, primò oſtendit, Liberum Adami Arbitrium, quantumvis ſanum, & tamen ſibi relictum, ad malum, hoc eſt, ad Deum deſerendum, & prolabendum in miſeriam, ſibi, abſque Gratiæ beneficio, ſuffeciſſe. Secundò oſtendit, Liberum Adami innocentis Arbitrium, etiamſi ſanum & integrum, indiguiſſe ad bene agendum & perſeverandum in bono, ſpeciali adjutorio Dei; eoque deſtitutum Adamum non perſeveraſſe.

Dicas ergo nunc, ſodes, quid intelligat S. *Auguſtinus* per illud Dei adjutorium, quod aſſerit fuiſſe neceſſarium Adamo innocenti ad perſeverandum, eoque deſtitutum Adamum in accepta juſtitia non perſeveraſſe? Certe non dices, S. *Auguſtinum* intellexiſſe *adjutorium ſine quo*, ſeu Gratiam ſufficientem; id, inquam, dicere non potes; Tum quia adjutorium illud *ſine quo*, ſeu Gratia ſufficiens, dabat duntaxat Adamo innocenti potentiam bene agendi, & perſeverandi; ſed non actualem operationem, & actualem perſeverantiam, ut docet ibidem S. *Auguſtinus*: Tum quia, juxta eumdem Sanctum Doctorem, Adamus fuit deſtitutus eo Dei adjutorio, quod erat ei omnino neceſſarium ad habendam actualem perſeverantiam; Atqui adjutorio *ſine quo*, ſeu Gratia ſufficienti, ad poſſe perſeverare nunquam Adamus in ſtatu innocentiæ fuit privatus, ſed potius hæc Gratia ſufficiens ſemper præſto fuit Adamo innocenti, ſicut ibidem aſſerit S. *Auguſtinus*, ergo Sanctus ille Doctor per iſtud Dei adjutorium, quod dicit Adamo innocenti fuiſſe neceſſarium, eoque orbatum Adamum non perſeveraſſe, intellexit *adjutorium quo*, ſeu Gratiam per ſe efficacem, non quidem *medicinalem* (ea quippe Gratia medicinali non opus habebat Adamus innocens, utpote qui nulla ægritudine laboraret, ſed perfecta mentis & corporis ſanitate gauderet) ſed Gratiam per ſe efficacem, quæ in ſtatu naturæ innocentis virtutem medicam non habebat, ſed tantum ſita erat in Præmotione phyſica, ſeu in actione Dei prædeterminatrice, & voluntatem Adami applicante ad bene agendum.

Relege, ſi placet, præcedentem, quam ad te ſcripſi, Epiſtolam, & ex teſtimoniis Sanctorum *Fulgentii*, *Gelaſii*, Summi Pontificis, *Bernardi*, & Doctoris noſtri Angelici, quæ ibidem laudavi, nullo ſane negotio intelliges, Sanctos illos Doctores ſic mentem S *Auguſtini*, cujus fuerunt fideliſſimi Diſcipuli, eſſe interpretatos; eoſque, principiis Magiſtri ſui indivulſe inhærentes, excluſiſſe quidem a ſtatu naturæ innocentis neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis *medicinalis*; in eodem tamen ſtatu, ſive ad bene agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia conſtanter admiſiſſe Gratiam ſe ipſa efficacem ſitam in Præmotione phyſica, ſeu in actione Dei prædeterminatrice, & ap-

Digitized by Google

& applicante voluntatem Adami innocentis ad omne opus bonum, tam ordinis naturalis, quam ordinis ſupernaturalis; & beneficio ejuſdem Gratiæ per ſe efficacis bonos Angelos diſcretos eſſe a malis, eoſque in bono perſeveraſſe, dum alii mala voluntate ceciderunt.

Ad ultimum, quod propoſuiſti, momentum, petitum ex libro 6. *operis imperfecti S. Auguſtini* contra *Julianum*, Pelagianum; Reſpondeo, non abſolute orandi neceſſitatem a ſtatu naturæ innocentis excluſam voluiſſe S. *Auguſtinum*, ſed tantummodo neceſſitatem orandi ad vincendas pravas cupiditates, & titillantes tentationes carnis, per quas homo in ſtatu naturæ lapſæ a concupiſcentia ſua abſtrahitur & allicitur, quæ quidem tentationes ex infirmitate & imbecillitate noſtra emergunt. Hac autem ex parte, orandi lege certiſſime Adamus in ſtatu naturæ innocentis non obſtringebatur; quippè qui nulla cupiditate, nulla infirmitate laborabat, nec Gratia medicinali egebat; cum naturam ſanam haberet, nullo adhuc peccato corrùptam. Ex hoc capite Protoparentes noſtri in ſtatu naturæ innocentis conſtituti, non poterant orando dicere. *Et ne nos inferas in tentationem*, quando quidem nulla eo in ſtatu imminebat a cupiditate tentatio.

Hac itaque orandi lege, qua nos in ſtatu naturæ lapſæ tenemur, ut a Deo impetremus Gratiam medicinalem, quæ ſanat omnes infirmitates noſtras, non fuiſſe obſtrictum Adamum in ſtatu innocentiæ, docet S. *Auguſtinus* non ſolum eo in loco, quem in objectione laudaſti, ſed etiam cap. 7. Libri *De Dono Perſeverantiæ*, ubi hæc habet: *Si ergo alia documenta non eſſent, hæc Dominica oratio nobis ad cauſam Gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret; quia nihil relinquit, in quo tamquam in noſtro gloriemur, ſiquidem & ut non diſcedamus a Deo, non oſtendit dandum eſſe nonniſi a Deo, cum poſcendum oſtendit a Deo; qui enim non infertur in tentationem, non diſcendit a Deo. Non eſt hoc omnino in viribus Liberi Arbitrii, quaes nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet, quæ tamen Libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantia quantum valuerit, apparuit in Angelis qui Diabolo cum ſuis cadente; in veritate ſteterunt; & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenerunt. Poſt caſum autem hominis non niſi ad Gratiam ſuam voluit Deus pertinere, ut homo accedat ad Deum; neque niſi ad Gratiam ſuam voluit pertinere ut homo non diſcedat a Deo*. Quibus verbis S. *Auguſtinus* a ſtatu naturæ innocentis excludere tantum voluit neceſſitatem orandi, qua nos in ſtatu naturæ lapſæ tenemur, ad impetrandam a Deo Gratiam per ſe efficacem medicinalem, quæ vincat cupiditatem noſtram, & ſuperet internas, quibus vexamur, tentationes carnis.

Cæterum, Sanctus *Auguſtinus* nunquam a ſtatu naturæ innocentis excluſit neceſſitatem abſolute orandi Deum ad percipienda ab ipſo beneficia, præſertim bonum uſum Gratiæ, donum perſeverantiæ, & ſpeciale ejus præſidium ac tutelam adverſus tentationes, ab extrinſecis rebus advenientes; hanc, inquam, neceſſitatem abſolute orandi Deum nunquam S. *Auguſtinus* a ſtatu naturæ innocentis excluſam voluit, ſed potius admiſit, ſicut patet ex pluribus ſententiis, ſolidiſque principiis, quæ ad adſtruendam in utroque hominis ſtatu Gratiæ per ſe efficacis, ſubindeque orationis neceſſitatem in multis ſuis operibus ſtatuit S. *Auguſtinus*. Has Sancti Doctoris ſententias, & inconcuſſa ipſius doctrinæ principia protuli in ſuperiori Epiſtola, quibus nunc pauca adjiciam, ut magis ac magis eluceſcat mens S. *Auguſtini*. In primis, hoc eſt irrefragabile S. *Auguſtini* principium, videlicet, nos orare debere, ut a Deo accipiamus id quod non eſt in noſtra poteſtate, ſed id quod a ſolo Deo datur, & a nobis non accipimus; Atque S. *Auguſtinus* cap. 27. lib. 14. *De Civitate Dei* conceptis verbis aſſerit, non fuiſſe in poteſtate Adami innocentis ſine adjutorio Dei bene vivere, ſed tantùm in illius poteſtate fuiſſe male vivere: *Bene vivere ſine adjutorio Dei, etiam in Paradiſo non erat in poteſtate, erat autem in poteſtate male vivere*; ergo Adamus, juxta hoc

S. *Au-*

S. *Auguſtini* principium, ad impetrandum iſtud adjutorium ad bene vivendum, & in juſtitia perſeverandum omnino neceſſarium, quodque non erat in poteſtate Adami, ideſt, quod ſibi Adamus dare minime poterat; debebat, in quam, Adamus orare, ut a Deo acciperet iſtiuſmodi adjutorium ad bene vivendum, & perſeverandum in juſtitia prorſus neceſſarium, quod in ſua poteſtate (ut inquit S. *Auguſtinus*) non habebat, ideſt, quod nullo pacto ſibi dare poterat.

Præterea, S. *Auguſtinus* millies in ſuis Operibus inculcat, & magna, & media, & minima bona, in quocumque hominis ſtatu eſſe a Deo, deſiderium etiam boni, bonum velle, & primordia bonæ voluntatis tribui a Deo: *Et quia* (inquit Sanctus ille Doctor cap. 9. lib. 1. Retractationum) *omnia bona, ſicut dictum eſt, & magna, & media & minima ex Deo ſunt, ſequitur ut ex Deo ſit etiam bonus uſus liberæ voluntatis, quæ virtus eſt, & in magnis numeratur bonis*. Rurſus cap. 9. lib. 2. ad *Bonifacium* ait Sanctus ille Doctor: *Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo quæ non faciat Deus, ut faciat homo. Proinde cupiditas* (ideſt deſiderium boni) *non homini a Deo eſſet, ſi bonum non eſſet; ſi autem bonum eſt, nonniſi ab illo nobis eſt, qui ſumme & incommutabiliter bonus eſt*. Denique, S. *Auguſtinus* cap. 23. Enchiridii ad *Laurentium* tanquam certum ac indubitatum ſupponit, Deum eſſe cauſam, utrique effectricem, rerum omnium bonarum, quæ ad nos pertinet: *Nequaquam dubitare debemus* inquit, *rerum, quæ ad nos pertinent, bonarum cauſam non eſſe niſi bonitatem Dei*.

Ex quibus S. *Auguſtini* teſtimoniis duplex colligo argumentum. Primum iſtud eſt: bona voluntas, bonus uſus voluntatis, velle bonum, & actuale perſeverandi deſiderium erant omni procul dubio in Adamo innocente res bonæ, ergo a ſupremo bono, ſcilicet Deo, tanquam a cauſa effectrice, proficiſcebantur, quo poſito, vera eſt Thomiſtarum ſententia; aut a ſummo bono non procedebant, quo admiſſo, falſa eſt S. *Auguſtini* argumentatio.

Alterum argumentum hoc eſt: Omne bonum, quod a Deo promanat, & ab ipſo datur, debet homo in oratione poſtulare; juxta principia S. *Auguſtini*; atque bona voluntas, bonus uſus Gratiæ, bonum velle, & actuale deſiderium perſeverandi erant in ſtatu naturæ innocentis res bonæ, quarum auctor ac largitor erat ipſe Deus, quaſque Adamus ſibi dare non poterat, ut docet S. *Auguſtinus*; ergo juxta hæc Sancti *Auguſtini* principia (quæ in ejus libris frequentiſſime occurrunt) debuit Adamus in ſtatu innocentiæ Deum orare, ut ab ipſo obtineret bonam voluntatem, bonum velle, bonum uſum Gratiæ, actuale deſiderium perſeverandi, & actualem perſeverantiam, quia omnia illa bona, ut ait Aquilinus ille Doctor, Adamus innocens ſibi dare non poterat, ſed illa a Deo; prima omnium bonorum cauſa effectrice, erat accepturus.

His omnibus adde locupletiſſimum illud S. *Gelaſii*, fideliſſimi S. *Auguſtini* doctrinæ aſſertoris ac vindicis, teſtimonium, quod ex ejus Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum conſtitutos, & ex libello, quem adverſus Pelagianos lucubravit idem doctiſſimus Pontifex, depromptum eſt, & integrum a me citatum in ſuperiori Epiſtola; & facile intelliges, Summum illum Pontificem, locis a me laudatis, tria tanquam certiſſima in doctrina S. *Auguſtini* ſupponere, quæ perperam inficiatur *Janſenius*. Ait enim primò Sanctiſſimus ille Papa, hominem innocentem & integrum novo eguiſſe auxilio; ut in ea, quam a Deo acceperat, juſtitia originali perſeveraret. Secundò docet, hominem innocentem & integrum hoc ſibi neceſſarium auxilium ſummis votis ac precibus poſtulare debuiſſe, quod tamen quia ille non petiit, non obtinuit. Denique aſſerit, hominem in ſtatu innocentiæ eo auxilio ſua culpa deſtitutum, è juſtitia, in qua a Deo conditus fuerat, excidiſſe.

Hæc tria, quæ in doctrina S. *Auguſtini* tanquam certiſſima adſtruit Sanctiſſimus ille Pontifex, aperte negat *Janſenius*, quo cum hactenus diſceptationem habui. Negat, inquam, primò *Janſenius*, hominem in ſtatu innocentiæ con-

conſtitutum opus habuiſſe novo ad bene agendum & perſeverandum auxilio diſtincto ab auxilio ſufficienti. Secundò negat, debuiſſe Adamum innocentem orare Deum, ut novum peteret ab ipſo, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum, auxilium; Denique negat, Adamum fuiſſe neceſſario ſibi quodam auxilio ad perſeverandum in accepta juſtitia deſtitutum; & mordicus pertendit, Adamo tam ad agendum, quam ad perſeverandum ſat fuiſſe auxilium verſatile, vagum, indifferens, ſubditum ejus Libero Arbitrio, & quo Adamus nunquam deſtitutus eſt, ſed illud Adamus pro ſua congenita Libertate efficax ad perſeverandum reddere noluit.

Verum, quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt; *Janſenius* magno animi æſtu contendit, baſim, cui tota incumbit S. *Auguſtini* doctrina, petendam duntaxat eſſe ex lib. *De Correptione & Gratia*, in quo S. *Auguſtinus* (ſicut falſo ei affingit ille Scriptor) duplex diſtinguit adjutorium, unum videlicet, quod erat homini ſtatu naturæ innocentis neceſſarium ſive ad bene agendum, ſive ad perſeverandum, quodque tantummodo erat verſatile, & Libero Adami innocentis ſubditum Arbitrio: Alterum, quod nunc in ſtatu naturæ lapſæ eſt homini ad bene agendum, & perſeverandum in bono omnino neceſſarium, quodque ex natura ſua, hoc eſt, per ſe, & ab intrinſeco eſt efficax. Ad hoc utriuſque adjutorii diſcrimen, & ad hanc lapſum inter & ſanum hominem differentiam, tanquam polypus ad ſaxum, adhæreſcit *Janſenius*; & ab hac (ut ait) totius doctrinæ Auguſtinianæ baſi divelli ſe non poſſe profitetur.

Sed, præterquam quod multis jam argumentis, nec non egregiis SS. Patrum *Fulgentii*, *Gelaſii* Summi Pontificis, *Bernardi*, & *Thomæ Aquinatis* teſtimoniis palam feci, hanc diſtinctionem, quam *Janſenius* hominem innocentem inter & lapſum conſtituit, eſſe pure commentitiam, & a genuina S. *Auguſtini* doctrina penitus alienam; quis etiam quæſo, tam bonus erit, ut credat S. *Auguſtinum* (ſi reverà, ſicut pertendit obſtinate *Janſenius*, in hoc duplicis adjutorii diſcrimine totius doctrinæ ſuæ baſim ac fundamentum potuiſſet) voluiſſe data opera in omnibus, quæ contra Pelagianos edidit, peribus celare, altoque prætermittere ſilentio iſtud unicum doctinæ ſuæ de Gratia fundamentum; illudque duntaxat propalare, ſtabilire, atque in medium proferre voluiſſe in libro *De Correptione & Gratia*, quem S. *Auguſtinus* ſub finem vitæ ſuæ lucubravit, hoc eſt, poſt viginti annos, per quos Aquilinus ille Doctor, teſte S. *Proſpero*, contra Pelagianos collato pede certavit, ac triumphavit? Quem certe Eccleſiæ triumphum de proſtrata Hæreſi Pelagiana, S. *Auguſtini* armis reportatum, reddit omnino vanum *Janſenius*, ſi verum eſſet quod dictitat; videlicet totius doctrinæ Auguſtinianæ baſim ſitam eſſe in hoc utriuſque hominis ſtatus diſcrimine, ſeu in illa duplicis adjutorii diſtinctione, quam in ſolo libro *De Correptione & Gratia* fuiſſe a S. *Auguſtino* datam plenis buccis affirmat *Janſenius*, quamque (ſi ſuperis placet) totius Auguſtinianæ doctrinæ baſim, clavim, annulum, filum Ariadneum, appellat.

Quis etiam tam bonus, ut ſibi perſuadeat, S. *Auguſtinum* voluiſſe in libro *De Correptione & Gratia*, quem edidit ſub finem vitæ ſuæ, vim omnem adimere quam plurimis doctrinæ ſuæ principiis, quibus adverſus Pelagianos in multis peribus adſtruxit Gratiæ per ſe efficacis in utroque hominis ſtatu neceſſitatem; & in eodem libro *De Correptione & Gratia* Sanctum illum Doctorem novum ſtatuiſſe doctrinæ ſuæ principium, quod palam aperteque contrarium eſt aliis doctrinæ ſuæ principiis, quæ (ſicut jam oſtendi) in bene multis ſuis Operibus & toto vitæ decurſu contra Pelagianos conſtantiſſime propugnavit. Quæ cum ita ſint, aſſerere nullus dubito, *Janſenius* peſſime de S. *Auguſtino* meritum eſſe; quippe qui nobis S. illum Doctorem exhibet in ſuæ doctrinæ principiis ſibi minime coſtantem, ſed potius ſecum collidentem ac pugnantem, cum tamen hæc una ſit omnium Catholicorum ſententia, S. *Auguſtino* neminme certius, neminem firmius jactis ſemel,

qua

Digitized by Google

quacumque de re diſputaret, voctrinæ ſuæ principiis ſtetiſſe.

Cæterum, ſub finem hujuſce Epiſtolæ te ſedulò monitum velim; me licet hanc ſententiam *Janſenii* de admittenda duntaxat in ſtatu naturæ innocentis Gratia verſatili & ſubdita Libero Adami, & Angelorum Arbitrio non poſſim meo approbare calculo, quia principiis Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* doctrinæ de actione Dei prædetermina trice, ſeu de Gratia per ſe efficaci, in omni hominis ſtatu neceſſaria, prorsus oppoſita eſt; nolle tamen huic *Janſenii* ſententiæ aliquam inurere cenſuram, tum quia Catholica Eccleſia hanc *Janſenii* ſententiam non proſcripſit; tum quia etiam plures Theologi, qui vulgò *Auguſtiniani* vocitantur, eamdem *Janſenii* ſententiam ſalva & inculpata Fide in Scholis Catholicis defenſant, quinque tamen famoſas *Janſenii* Propoſitiones, quæ ſpectant ſtatum naturæ lapſæ, quæque tanquam hæreticæ, fuerunt ab Eccleſia jure optimo confixæ, diris devovent, execrantur, ſinceriſque animis deteſtantur.

Quocirca, jure ac merito vapulare debet recens quidam Scriptor, cujus nomini lubens parco, qui, neſcio quo ſpiritu ductus, Theologos illos, quos *Auguſtinianos* vocat, cum *Janſenio*, ejuſque Diſcipulis ab Eccleſia ſæpius damnatis, promiſcue confundit; non advertens, Catholicos iſtos Theologos conſentire quidem cum *Janſenio*, ejuſque Diſcipulis circa Gratiam primi hominis, & Angelorum viatorum, quam volunt fuiſſe dumtaxat verſatilem, & libero Adami innocentis, & Angelorum Arbitrio permiſſam) eos tamen anathema percellere quinque Propoſitiones, Vaticano protritas fulmine, in quibus reconditur totum Janſenianæ Hæreſeos virus; ſententiam vero, quam cum *Janſenio* circa Gratiam primi hominis & Angelorum comunem habent iſti Theologi, dicti *Auguſtiniani*, non fuiſſe hactenus damnatam ab Eccleſia, ſubindeque nulla cenſura perſtringi debere, tantum abeſt ut hæreſi inſimulari poſſit, quia, ut appoſite obſervat doctiſſimus noſter *Melchior Canus* cap. 7. lib. 12. De Locis Theologicis, *Actus Fidei Catholicæ non eſt, niſi ut aſſentiamus Propoſitioni Catholicæ ab Eccleſia definitæ; quamdiu enim res eſt ambigua, neque eccleſia alterutram Controverſiæ partem præſinivit, neutrius opinionis aſſenſus Fidei Catholicæ Judicium eſt. Qua ex re intelligitur, non eſſe hæreſim, niſi quis veritati Catholicæ, quam Eccleſia certo præſcripſit, refragetur. Adde etiam, quod veritatem Catholicam appellare, quam nec Eccleſia credendam proponit, nec fideles per Fidem infuſam creduut, ſed unuſquiſque probabili opinione tenet, videtur a nomine quoque ipſo veritatis Catholicæ alienùm: Atque opinionem, quæ inficias iret, Divinas Perſonas relationibus diſtingui, autequam ab Eccleſia eſſet definitum, nemo hæreſim vocare auderet, nec veritatem Catholicam, quæ adverſam ſententiam tueretur.* Huc uſque *Melchior Canus*, naris emunctæ Theologus, cujus defæcatiſſimo judicio lubens ſubſcribo.

Vale, amantiſſime Diſcipule, & da operam, ut ea, quæ in hacce Epiſtola ad te ſcripſi, nunquam è tua memoria excidant, dum interim ipſe, utilitati tuæ conſulturus, magna cum ſollicitudine colligam præcipua documenta, & Hiſtorica monumenta, quæ ad confirmandam veritatem Doctrinæ Scholæ Thomiſticæ, cujus vindicias contra ejus adverſarios agendi curam in me recepi, plurimum conducent, eaque ſimul collecta, & juxta ordinem temporum ſcite diſpoſita, per proximum veredarium, ſeu tabellarium, ad te mittam.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA UNDECIMA

HISTORICO-GRITICA

In qua referuntur præcipua Documenta, & Hiſtorica Monumenta, quæ confirmant veritatem Doctrinæ Scolæ Thomiſticæ de præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, & oppoſitæ adverſariorum ſententiæ patefaciunt falſitatem; Veraque aperitur mens S. Thomæ de Præmotione phyſica contra P. Danielem.

ETiamſi ad probandam antiquitatem & veritatem Doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, bene multa ſuppetant Documenta & Monumenta Hiſtorica, ea tamen hic duntaxat referam, quæ vel ad rem noſtram magis faciunt, vel difficilius inveniuntur, illaque in tres Claſſes, majoris claritatis ergo, diſtribuam. In Prima Claſſe reponam Monumenta Hiſtorica, quæ ſpectant novitatem vel antiquitatem hujus nominis *Phyſicæ Prædeterminationis*. In altera Claſſe inſeram varia Documenta, queis invicte probatur, Thomiſtarum ſententiam de Præmotione phyſica ad omnes, & ſingulos actus tam ordinis naturalis, quam ordinis ſupernaturalis, ad germanam S. *Thomæ*, Doctoris Angelici; mentem eſſe actam. In poſtrema Claſſe Documenta illa Hiſtorica collocabo, quibus certiſſime conſtabit, Sententiam Thomiſtarum de præmotione, ſeu Prædeterminatione phyſica, fuiſſe a Summis Pontificibus, etiam poſt Concilium Tridentinum, approbatam, & tanquam conſentaneam maxime principiis doctrinæ. S. *Auguſtini*, & *Thomæ* declaratam.

CLASSIS PRIMA DOCUMENTORUM,

Seu Hiſtoricorum Monumentorum, quæ ſpectant novitatem, vel antiquitatem iſtius nominis PHYSICAE PRAEDETERMINATIONIS, *ſeu* PRAEMOTIOMIS PHYSICAE.

OMnia Documenta, ſeu Hiſtorica Monumenta, quæ ſpectant novitatem, vel antiquitatem hujus vocis *Prædeterminationis*, ſeu *Præmotionis phyſicæ*, eruditiſſimus noſter *Antoninus Reginaldus*, publicus in Academia Tholoſana Theologiæ Profeſſor, & quo, dum viveret, neminem in his Controverſiis De Gratia & Divinis auxiliis doctiorem eſſe plurimi exiſtimarunt, accurate complexus eſt in Opuſculo, quod editum eſt, & affixum fronti Operis ajuſdem Auctoris, cui titulus eſt: *Mens Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem*. Idem doctiſſimi Patris *Reginalde* Opuſculum *De novitate, vel antiquitate iſtius vocis Prædeterminationis phyſicæ* aſſervatur adhuc manuſcriptum hic Romæ in Archivio Reverendiſſimi Patris Generalis Ord. Præd. Auſculta, quæſo, cariſſime Diſcipule, clariſſimi illius Scriptoris verba, quæ hic fideliter excribam.

Exorta, inquit, *Calvini* Hæreſi, multi Theologi videntes, alios nimium in

contrariam partem inclinare, conati ſunt concordiam Divinæ Gratiæ efficacis cum Libertate Arbitrii conciliare; neque dubitandum, nova nomina ab illis adinventa fuiſſe, ut tum Gratiæ efficaciam, tum etiam ejuſdem cum libero voluntatis uſu concordiam explicarent. Exemplo ducti ſunt ipſius Eccleſiæ, quæ, ut uno verbo Myſterium converſionis totius ſubſtantiæ panis & vini in totam Corporis & Sanguinis Chriſti ſubſtantiam in SS. Euchariſtia luculenter exprimeret, nomine *Tranſubſtantiationis* tunc novo, in Concilio Lateranenſi ſub *Innocentio* III. uti voluit. Itaque circa tempora Seſſionis ſextæ Sacri Concilii Tridentini, in qua, occaſione Calvinianæ Hæreſis, de hac controverſia concordiæ Libertatis cum Gratiæ Divinæ auxiliis actum fuit; ſub variis nominibus Gratiæ ac motionis Divinæ efficaciam ab ipſis etiam Patribus, qui tum illi ſextæ Seſſioni, tum aliis interfuerunt, invenimus expreſſam, vocaverunt itaque illam.

1 *Motionem Divinam nobis ignotam, & non perceptam; qua prius a Deo movemur*. Cornelius Muſſus, Epiſcopus Bitontinus, Ordinis Minorum, qui hanc ſextam Tridentini Seſſionem in ordinem redegit, lib. 1. *De Divina Hiſtoria* cap. 17.

2 *Vocationem efficacem, cui nullus unquam reſiſtit, immo cui non poteſt reſiſti*)potentia ſcilicet conjuncta cum actu)*certitudinem luminis, & adjunctum robur fortitudinis, immo & Prædeterminationem*. Ambroſius Catharinus, Epiſcopus Minorienſis ex Ordine Prædicatorum, in cap. 8. Epiſtolæ D. Pauli ad Romanos.

3 *Virtutem & impulſum Spiritus Sancti*. Seripandus, tunc Generalis Ordinis D. Auguſtini, poſtea Cardinalis, in cap. 8. Epiſtolæ ad Romanos.

4 *Applicationem, & virtutem, qua Deus prius, & efficacius operatur, quam cauſa ſecunda*. Idem Cornelius Muſſus cap. 15. ejuſdem libri, & Franciſcus Romeus, Generalis Ordinis Prædicatorum, lib. de Libertate Operum, veritate ſeptima.

5 *Operationem Dei prius natura efficientem*. Joannes Antonius Delphinus, e Caſali Majori, Ordinis Minorum Conventualium, Epiſcopus Treviſanus, ſive Torcellanus, l. 4. De Libero Arbitrio, parag. Opera Dei in tres Claſſes.

6 *Efficientiam Divinæ voluntatis, quæ natura antecedit efficientiam noſtræ voluntatis*. Andreas Vega, Ordinis Minorum. Quæſt. XI. De juſtificatione.

7 *Ignotam Divinæ virtutis applicationem: & voluntatis noſtræ mirificam inclinationem, & inflexionem*. Idem lib 6. in Trident. cap. 6.

8 *Concurſum Dei natura prærequiſitum, ſine quo non poſſumus agere* (potentia cum actu conjuncta)*& quo poſito implicat non agere. Præmotionem*. Dominicus Soto, Ordinis Prædicatorum, lib. 1. De Natura & Gratia cap. 16. qui liber dicatus eſt Patribus Tridentinis, qui ſextæ & ſeptimæ Seſſioni interfuerunt, & a Legatis approbatus.

9 *Motionem inſtrumentalem, at quaſi inſtrumentalem*. Alphonſius a Caſtro. Ord. Minorum, lib. 7. Adverſus Hæreſes, Verbo, Gratia.

10 *Cauſam efficientem, moventem, impetum*. Melchior Canus, Ordinis Prædicatorum, lib. 2. De Locis Theologicis cap. 8. & lib. 12. cap. 12.

11 *Firmam, & efficacem vocationem, cui Liberum Arbitrium non renuat, immo, & firmam, atque immobilem Prædeterminationem*. Alphonſus Salmeron, Societatis Jeſu, Diſputatione 19. in Epiſtolam ad Romanos.

Hi omnes interfuerunt ſextę Seſſioni Concilii Tridentini.

12 *Tacitum impulſum*. Marcus Hieronymus Vida, in primo Hymno de Deo, & in Hymno de Spiritu Sancto.

13 *Uſum cauſarum ſecundarum, tanquam inſtrumentum*. Federicus Nauſea, Epiſcopus Viennenſis, Cent. 1. Homilia 72.

14 *Gratiam Prævenientem, qua homo coopera-*

peratur alteri Gratiæ prævenienti, ſcilicet vocationi. Joannes Gropæus in Enchiridio Colonienſi, Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ.

15 *Impulſum*. Stanislaus Hoſius; Cardinalis, in Doctrina Fidei cap. 67. & 72.

16 *Applicationem cauſæ ſecundæ*. Bernardus Bonjoannes, Epiſcopus Camerinus, in Compendio Summæ D. Thomæ 1.Part.cap.106.

17 *Vim, diſpoſitionem, & impreſſionem, qualitatem, qua Deus nos prius movet*. Jacobus Nanclatus Epiſcopus Clodienſis, ex Ordine Prædicatorum, lib.De Origine contingentiæ.

18 *Applicationem, & impreſſionem Dei, cum qua implicat non agere*. Joannes Antonius Panthura, Epiſcopus Conſentinus, ex Ordine Prædicatorum, Tom. 2. Op. Tractatu 1.cap. 31. & Tractatu 3.cap.22.

19 *Auxilium ſpeciale præveniens primitate operationis facientis nos facere*. Gaſpar Caſalius, Epiſcopus Lactienſis, ex Ordine D. Auguſtini lib. 1. De quadripartita Juſtitia cap.32.

20 *Tactum Dei efficacem quo cor aperit*. Joannes Xuares, ex Ordine D. Auguſtini, Epiſcopus Conimbricenſis. in caput 1. Marci, & Ludovicus Soto major, Ordinis Predicatorum in cap. 5.Cant.

21 *Concurſum Dei prævenientis, & auxilium, quo Deus ſpecialiter adjuvat, movet, inflectit*. Didacus Covarruvias, Epiſcopus Civitanenſis, & poſtea S.Dominici, in caput Alma Mater, de Sent. Excommunicationis,in 6.p.1.parag.4.n.2. & 3.

22 *Cauſam primam & efficacem operationem Dei priorem natura*. Petrus Soto, Ordinis Prædicatorum, lib.De Inſtituti.Sacerdotum,lect.9.

23 *Auxilium ut Dei inſpirationi obediatur: Motionem Dei prævenientem ſimul tempore*. Ferdinandus Vellotinus, poſtea Epiſcopus Lucenſis, in Advertentiis ad SS. Patres, ad S. Ambroſium. Q.21.& ad Tom. 1. Auguſtini Q.4.qui etiam approbat dicta Dominici Soto.

24 *Intrinſecum Divinum impulſum, efficacem motionem, apertionem cordis priorem, quam nos obtemperemus*. Michael Medina, Ord.Minorum, lib. 1. De recta in Deum Fide, cap. 2.& lib. 2.cap.1.

25 *Impulſum & efficacem excitationem, qua Deus nos trahit*. Cornelius Janſenius poſtea Epiſcopus Gandavenſis, in cap. 21. Proverbiorum, & caput 59.Concordiæ Evangelicæ.

27 *Inſtinctum, afflatum, energiam operandi*. Joannes Aſſelius in cap. 8. ad Rom.& in cap.2.ad Philippenſes.

27 *Efficacem Dei operationem, & non tantum vocationem, inſpirationem, & boni propoſiti ſuggeſtionem, ſed impulſum & potentiſſimam motionem*. Diadacus Payva de Andrade lib.4. Orthodoxarum Explicationum ex Patribus Societatis Colonienſibus in Cenſura adverſus Joannem Monemyum.fol.36.

28 *Operationem Dei noſtra priorem prioritate naturæ*. Crantzius, Ordinis Minorum, lib. 1. Locorum Catholicorum cap.57.

29 *Efficientiam Divinam, qua Deus opera noſtra*. Arias Montanus in cap. 26.Iſaiæ.

30 *Divinam occultam Gratiam, moventem Liberum Arbitrium: Uſum, quo Deus inclinat nos; Auxilium ſpeciale, quo prius movemur*. Taddæus, Peruſinus, Ordinis D. Auguſtini in cap.2.10 & 64.Iſaiæ.

31 *Impulſum*. Adeodatus Senenſis, Ordinis S. Auguſtini, in Oratione habita in Concilio Tridentino Feria 4.Cinerum.

32 *Motionem inſtrumentalem*. Franciſcus Turrianus, Societatis Jeſu, lib. 4. pro Epiſtolis cap. 2.

33 *Intimam atque virtutem, qua Deus ad motum atque actionem ita impellit, ut præveniat*. Catechiſmus Romanus, Mandato Concilii Tridentini, juſſu Pii V.editus, ab eodem, & a Gregorio XIII.approbatus, receptus in 20. aut 22. Synodis Provincialibus per univerſum Orbem habitis, & a S Sede approbatis.

34 Et ipſa Synodus Tridentina eamdem, ſeu Gratiæ efficaciam expreſſit nomi-

ne *Vocationis Dei*. Nomine autem Vocationis quandoque intelligi, juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ, veram efficientiam, conſtat ex illo : *Vocat ea quę non ſunt , tanquam ea quę ſunt*.

35 Eamdem efficientiam docuerunt Patres Tridentini. Lippomanus, Epiſcopus Veronenſis, in cap. 1. Geneſis. Hieronymus Vvillelmus, Epiſcopus Argolicenſis, Ord. Prædicatorum, lib. De ſex diebus conditi Orbis lectione 9. Hieronymus Oleaſter, Ordinis Prædicatorum ad cap. 30. Iſaiæ. Cornelius Aluſto lib. 2. cit. cap. 10. Cornelius Janſenius in Concordia Evangelica cap. 56. Alphonſus Salmeron Diſput. 8. in Epiſtolas D. Pauli.

36. *Gratiam adjuvantem*, *prævenientem, qua homines diſponuntur ad convertendum ſe , adjutorium præveniens, ſine quo non poteſt homo agere* (potentia conjuncta cum actu) *Tactum Dei, quo homo aliquid agit: Gratiam prævenientem, qua Deus nos convertit, & convertimur*. Tridentina Synodus. Seſſ. 6. cap. 6. & canone 3.

37 *Virtutem, quæ bona opera antecedit.* ibidem cap. 16.

38 *Impulſum Spiritus Sancti , animam moventis*. ibidem Seſſ. 14. cap. 4.

39 Motionem, cui Liberum Arbitrium motum cooperatur. Ib. Seſſ. 6. can. 4.

40 Dum hæc aguntur , Molina ſuam Concordiam meditatur . *Colligitur ex Molina* 1. *P.* Q. 14. *Art* 23. *Diſput.* 18. *Memb.* 2. *parag. Authore*.

41 Non audet tamen typis mandare . *Valentinus Herice* , *Societatis Jeſu* , 1. *P. Diſput.* 7. *cap.* 10.

42 Negat Molina , Liberum Arbitrium agere ; ut prius motum & applicatum a Deo . *Molina in Concordia Diſp.* 26. *parag. Dicendum* .

43 P. Prudentius de Monte Major Theoremata actus majoris. Salmanticæ , juxta Molinæ placita tuetur ; quæ ab Academia cenſura notantur . Paulus Leonardus , ſeu P. Scherlogus, Societatis Jeſu, De Scientia Mediæ P. 3. num. 35.

44 Conficitur a ſex Patribus Societatis Jeſu , juſſu quartæ Congregationis ; & cura Præpoſiti Generalis liber de ratione ſtudiorum , in quo D. Thomæ opinio , quod cauſæ ſecundæ moventur a Deo , ut inſtrumenta a cauſa principali, libera relinquitur, *ſicut legitur ipſo initio*, & pag. 11. ejuſdem libri , editi anno 1586.

45 Leſſius Lovanii negat Gratiam efficacem , aſſeritque ſolum ſufficientem, juxta ſenſum Molinę. Academia Lovanienſis illius Aſſerta notat, & mox Duacenſis. *Patet ex Cenſura Academiæ Lovanienſis, & Duacenſis.*

46 Res ad Sixtum V. defertur : Tulit Leſſius acrem reprehenſionem. *Henricus Henriques* , *Societatis Jeſu*, *lib. De ultimo fine hominis cap.* 12. *in Com.*

47 Sixtus V. anno 1588. utrique parti ſilentium indicit. *Imago primi ſæculi Societatis Jeſu* , *lib. ultimo* .

48 Molina typis mandat eodem anno Concordiam Ulyſſipone , negatque loc cit. num. 42. Liberum Arbitrium prius a Deo motum , & applicatum eſſe, quam agat. Patet ex ipſa Editione.

Contendunt Patres Prædicatores ; ipſum (ſeu Liberum hominis Arbitrium) *prius* a Deo moveri : hinc cœperunt uno verbo dicere , illud *præmoveri* , quo etiam nomine uſi fuerunt quidam antiquiores,

Cum viderent Prædicatores, æquivocationes diverſas in Diſputationibus de hac re, cœperunt varia ſcribere: Bannes, Ordinis ejuſdem , poſt Cenſuram adverſus Theoremata P. Prudentii de Monte Major, ſcripſerat Commentaria in primam Partem, & mox in Secundam Secundæ, approbata a Didaco Caves , ejuſdem Ordinis, Regi Catholico a Sacris Confeſſionibus, qui & ipſe Tridentino Concilio interfuerat; nuſquam tamen (quod legerim) uſus eſt nomine *Præmotionis*, vel *Prædeterminationis phyſicæ* , quamvis in re dicat, auxilium ſcilicet præveniens determinare voluntatem. Sed poſt Theſes P. Antonii de Padiglia cœperunt communiter uti nomine *Præ-*

Digitized by Google

Præmotionis, *concurſus previi*, &c.

Sed Patres Societatis utebantur etiam eiſdem nominibus, in explicatione tamen multum diſcrepabant. Nam cum duplex ſit cauſalitas, altera metaphorica & moralis per modum finis & objecti, altera efficiens vere ac proprie per modum agentis, Patres Societatis, quando dicebant, Deum *præmovere*, intelligebant, ipſum præmovere per modum cauſalitatis metaphoricæ & moralis; Patres vero Prædicatores intelligebant per modum cauſalitatis efficientis vere & proprie. Et quia cauſalitas hæc, ut diſtinguitur a morali, ſolet vocari in Scholis Cauſalitas *phyſica*, ideſt, vera, & propria, non metaphorica, realis, non objectiva: ad tollendam omnem æquivocationem, cæperunt uti nomine *Præmotionis phyſicę*. Verum, neque per hoc nomen ablata eſt omnis æquivocatio: Nam Patres Societatis etiam uſi ſunt eo nomine, & dixerunt. Deum Præmovere non ſolum ex parte objecti, ſed etiam ex parte potentiæ, & præmovere phyſice, & Præmotione phyſica, intelligentes tamen hoc nomine inſpirationem & motionem moralem, quæ, quia in ſua entitate eſt quid morale & phyſicum, vocata eſt ab illis Præmotio phyſica, & dictum eſt, quod Deus præmovet phyſice. Et præterea, quia juxta Molinam in Concordia Quæſt. 14. Art. 13. diſput. 38. illa gratia præveniens, quæ ut prævenit conſenſum Liberi Arbitrii, moraliter illud duntaxat excitat, eodem tamen jam conſentiente Libero Arbitrio, & una cum illo eſt inſtrumentum Dei, quo ſcilicet Deus influit vere ac realem ſupernaturalitatem in actum Liberi Arbitrii, ut ſit qualis ad ſalutem oportet: idcirco Gratiam illam prævenientem dixerunt pręmovere, & concurrere phyſice; præmovere ſcilicet moraliter, & concurrere phyſice.

Et cum PP. Prædicatores inſtarent, quod concurſus cauſæ univerſalis, & ſuperioris, qualis eſt Deus, debet eſſe prior natura concurſu cauſæ inferioris, particularis, & ſubordinatæ; Patres Societatis ex hac ipſa ratione ſumpſerunt occaſionem ſtabiliendi ſuam ſententiam, dicentes, quod, ſicut concurſus cauſæ ſuperioris eſt quidem aliquo modo prior, determinatur tamen a cauſa ſecunda, ſicut concurſus Solis ad productionem plantæ determinatur a planta, terra, & aliis cauſis inferioribus; ad productionem equi determinatur ab equo generante, & ſic de aliis: Ita etiam cuncurſus Dei determinatur ad ſpeciem actus ab ipſo Libero Arbitrio.

Patres Prædicatores inſtantes oſtendebant diſparitatem, volentes quod Deus *præmotione* illa ſua *phyſica* determinabat Liberum Arbitrium, ſive movebat ad actum determinatum, ut etiam loquitur S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 9. Art. 6. ad 3. Unde tandem, ut omnes æquivocationes tollerent, uſi ſunt hoc nomine *Prædeterminationis phyſicæ*: quo nomine, non ſolum in ſua entitate, verum etiam in modo movendi, qui non eſt tantum moralis & metaphoricus, ſed realis, phyſicus, & per modum cauſæ efficientis, qua Deus prius natura movet voluntatem ad actum certum & determinatum.

Quare, cum ex Mandato Clementis VIII. ad quem jam relatæ fuerant hæ Controverſiæ, Inquiſitio Hiſpaniæ pręcepiſſet, ut doctiſſimi quique ſuas ſententias ſcriberent de Concordia Molinę, & de modo loquendi Banneſii ac Zumel (quorum ille erat Ordinis Prædicatorum, iſte ex Ordine S. Mariæ de Mercede) & Scripta ad ipſum mitterentur. *Conſtant hæc ex Brevi Clementis VIII. promulgato in Hiſpania, refert Paulus Leonardus, ideſt, Scherlogus, Societ. Jeſu, de Scientia Media 3. P. num. 21.*)

Intimato hoc Summi Pontificis pręcepto tum Patribus Societatis, tum Provinciali Provinciæ Hiſpaniæ, Ordinis Prædicatorum (*conſtant hæc ex actis Capituli Provincialis, & refert Petrus a S. Joſeph. in libro gallice ſcripto: La Theologie du temps, ipſo fere initio.*) Iſte in Capitulo Provinciali Segobiæ 1595. ſelegit ex conſenſu Capituli octo Patres, P. Joannem de la Fuente Magiſtrum, P. Dominicum Bannem Magiſtrum, & primarium in Academia Salmanticenſi S. Theologiæ Profeſſorem, P. Didacum Janquas Magiſtrum, P. Petrum

de Herrera Magiſtrum , & in eadem Academia publicum Theologiæ Profeſſorem; P. Petrum Ledeſma Magiſtrum Cathedraticum Salmanticenſem; P. Didacum Alvares Magiſtrum , & Lectorem Theologiæ in Conventu S. Pauli Valliſoletano ; P. Chryſtophorum Rodrigues Præſentatum, & Priorem , & P. Didacum Nunno Cabeſudo Præſentatum , & Regentem Collegii S. Gregorii Valliſoletani . Horum ſinguli ſeorſim compoſuere proprias elucubrationes , quæ cum ſimul oblatæ fuiſſent Sacro Tribunali, & prolixiores fuiſſent inventæ, P. Dominico Bannes cura demandatur eaſdem, juxta ſenſum ab illis octo Patribus communi conſenſu intentum , redigendi in compendium (*conſtant hæc ex ipſa Apologia*) quod ille præſtitit Compoſito Scripto, cui præfixus eſt hic titulus: *Apologia Fratrum Prædicatorum in Provintia Hiſpaniæ S. Theologiæ Profeſſorum, adverſus quaſdam novas aſſertiones cujuſdam Doctoris, Ludovici Molinæ nuncupati*, &c.

Huic Apologiæ ſubſcripſerunt octo illi Patres, illamque cum Libello ſupplici Sacro Tribunali obtulerunt; & hoc eſt primum Opus, in quo primùm viderim , Patres Prædicatores uſos eſſe nomine illo *Prædeterminationis phyſicæ*, ſub hac conjunctione, ideſt, conjungendo particulam illam *Phyſicæ*, cum nomine *Prædeterminationis*; nam quantum ad nomen *Prædeterminationis*, jam vidimus ſupra, illo uſos fuiſſe Catharinum, & Salmeronem , & ante illos , ipſum Sanctum *Thomam* in 1. ad Anibaldum Diſtinct. 47. Quæſt unica Art. 4. & Quodlibeto 12. Art. 6. & in cap. 5. Dionyſii; quin & ante S. *Thomam*, illud idem nomen uſurpaſſe S. Methodium Oratione in Sanctum Martyrem Agatham, juxta translationem Leonis, atque etiam S. Dionyſium cap. illo quinto . Et ubicumque in Epiſtolis D. Pauli habemus nomen Prædeſtinationis , in Græco habetur *Prurismos*; quod vocabulum de verbo ad verbum redditur latine prædefinitio, & prædeterminatio . Immo nomen ipſum *Prædeterminationis phyſicæ* confeſſi ſunt publice Patres Societatis recte inventum , ſi aliunde de re ipſa per hoc nomen ſignificata conſtaret: Confeſſi, inquam , id ſunt in Congregatione, ſive Diſputatione ſecunda, tertia, & quarta ſub Paulo V. Rem autem eſſe antiquam ſatis conſtat , quia Patres Prædicatores nomine *Prædeterminationis phyſicæ* intelligunt motionem Dei , qua Deus in tempore exequitur quod ab æterno decrevit & prædefinivit.

Cum igitur Sanctus *Thomas* , & SS. Patres dicant, Deum Decreto ſuo omnia etiam opera libera ab æterno definiiſſe , & prædeſtinaſſe ; ſane executio , ſive motio executiva illius voluntatis congrue vocari poterit prædefinitio, prædeſtinatio & *Prædeterminatio* executiva : Et cum voluntas Divina cauſet omne ens non ſolum moraliter, ſed etiam phyſice ; & hoc quod eſt cauſas ſecundas agere, ſit quoddam ens, profecto poterit hæc prædeterminatio vocari *phyſica*. Addendum, quod antiqui verbis æquivalentibus utebantur. *Cajetanus* dicebat eſſe inevitabile quod Deus vult (1. P. Quæſt. 14. Art. 13.) *Thomas Braduardinus*, Ordinis Prædicatorum , Archiepiſcopus Cantuarienſis, non utitur nomine Prædeterminationis, ſed præefficientiæ lib. 3. *De Cauſa Dei* & ipſe S. *Auguſtinus* lib. *De Correptione & Gratia* cap. 12. & 14. dicit, quod voluntas humana, Divina Gratia *inſuperabiliter & indeclinabiliter agit* , & quod Deus inclinet corda humana *omnipotentiſſima poteſtate*, quo vult, quando vult, ubi vult, & quod humanæ voluntates ei non poſſunt reſiſtere (potentia conjuncta cum actu) ſane ſi nomen attendamus, aliquid majus videtur, agi hominem *inſuperabiliter, & indeclinabiliter* , & inclinari *omnipotentiſſima poteſtate*, quam prædeterminari phyſice.

Denique, ſicut Adverſarii non negant, ſe adinveniſſe nomen Scientiæ Mediæ (de qua ſub hoc nomine nullum verbum eſt in Antiquis) immo & rem ipſam, ſi credamus Molinæ in Concordia 1. P. Quæſt. 14. Art. 13. Diſp. 18. memb. 2. parag. Authores; Fonſecæ lib. 6. Metaphyſicæ cap. 2. Quæſt. 14. ; Vaſqui 1. P. Quæſt. 14. Diſp. 67. cap. 4. Herico 1. P. Diſput. 7. cap. 10. & aliis;

Cur

Digitized by Google

Cur non liceat nobis ad tuendam antiquam doctrinam uti novo nomine? In quo ſane multis eos ſuperamus; nam & res, quam defendimus, antiqua eſt, clariſſime in Sancto *Auguſtino*, & aliis SS. Patribus tradita: & nomen ipſum etiam aliquatenus, ut conſtat ex dictis, etiam in hac materia eſt uſurpatum: illorum vero (ſeu Moliniſtarum) & res nova eſt, ut plurimi ex ipſis jam citati contendunt; & nomen novum, &c.

Habes nunc, chariſſime Diſcipule, breve iſtud, & ſimplici ſtylo ſcriptum doctiſſimi noſtri *Antonini Reginaldi* Opuſculum, quod extat typis editum Tomo 1. eruditiſſimi noſtri *Antonini Maſſoulie* Operis, cui titulus eſt: *Sanctus Thomas ſui Interpres*, Diſſertatione 1. De Divina Motione, Quæſt. 111. Art. ult. & in Præloquio, quod eſt in fronte egregii Operis noſtri *Antonini Reginaldi*, quod hunc præfert titulum: *De Mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem.* Ex lectione autem iſtius Opuſculi poteris tres præcipue percipere utilitates. Primò quidem in eo invenies omnia ferme, quæ de Thomiſtarum doctrina de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, nominatim ad te hactenus ſcripſi, luculentiſſime confirmari.

Dein, intelliges, Gratiæ, ſeu Motionis Divinæ, efficaciam a Sanctis Patribus præſertim *Auguſtino*, & *Thoma*, ab Epiſcopis, & Theologis, qui Concilio Tridentino interfuerunt, & ea de re perdoctas lucubrationes ediderunt, his vocibus eſſe expreſſam, quæ aperte adſtruunt veritatem & antiquitatem doctrinæ Thomiſtarum de Prędeterminatione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, ſubindeque parvi facies illum declamandi modum, quo P. *Gabriel Daniel* in ſua Epiſtola nona ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, tanquam S. *Auguſtino* & aliis Patribus penitus ignotam traducere conatur doctrinam Thomiſtarum, quos ſic alioquitur: *Durum eſset ac prope injurium a vobis exigere, ut oſtenderetis in Auguſtino, & Patribus veſtrorū Decretorum Prædeterminantium Syſtema quale a veſtris Doctoribus proponitur.* Demum, facile confutabis, hanc, quam ibidem Molinianus ille Scriptor novitatis notam inurit doctrinæ Thomiſtarum de Prædeterminatione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, *quia* inquit, *hæc vocabula Prædeterminationis phyſicæ*, & *Gratiæ per ſe efficacis nova ſunt*, *& omnes iſtæ appellationes in Schola ſunt natæ*; hanc, inquam, injuriam facile retundes illo diſcrimine, quod noſter *Antonius Reginaldus* in ſuo Opuſculo aſſignat doctrinam Thomiſticam de Prædeterminatione phyſica & de Gratia per ſe efficaci inter & Molinianam doctrinam de Scientia Media, & de Gratia verſatili, ſubdita Libero hominis Arbitrio. Id autem diſcriminis in hoc potiſſimum ſiſtit, quod etiamſi verum eſſet, hæc vocabula *Prædeterminationis phyſicæ*, & *Gratiæ per ſe efficacis* nova eſſe, & in Scholis nata, rem tamen, per has voces ſignificatam, eſſe antiquiſſimam, & è Sacris Litteris, Conciliis, maxime Tridentino, & Sanctis Patribus, præſertim *Auguſtino* & *Thoma*, hauſtam ac deprompta invictis argumentis Thomiſtæ demonſtrant, & demoſtrare commendabili ſtudio gloriantur, ut diſertis verbis declaravit Summus Pontifex *Benedictus XIII.* non ſolum in Pontificio Diplomate dato, die VI. menſis Novembris anni MDCCXXIV. verum etiam in ſpeciali Conſtitutione, quam ſeptimo Kalendas menſis Junii anni MDCCXXVII. promulgavit, quamque ipſe una cum Sanctiſſimi illius Pontificis Decreto, ſub finem iſtius Epiſtolæ exhibebo.

At vero, vocabula Scientiæ Mediæ, & Gratiæ verſatilis, non tantum nova ſunt, & a *Molina*, vel *Fonſeca* (ſicut oſtendi in ſeptima, quam ad te ſcripſi, Epiſtola) recens procuſa, ſed etiam res ipſa per hæc vocabula ſignificata Sacris Litteris, Decretis Summorum Pontificum, Canonibus Conciliorum, & doctrinæ SS. *Auguſtini*, & *Thomæ*, adverſatur; ut nihil impræſentiarum dicam de celeberrimis Congregationibus, habitis coram Summis Pontificibus *Clemente VIII.* & *Paulo V.* in quibus Scientia Media appenſa eſt in ſtatera, & inventa eſt minus habens.

Sed quoniam de *Riginaldo* noſtro, & de Opuſculo, quod edidit in defenſionem iſtius vocis, *Præmotionis*, ſeu *Prædeterminationis phyſicæ*, verba facere cæpimus, non abs re erit, certiſſima hîc citare monumenta, quibus refellitur fabula, ludis omnibus ac cachinnis digna, quam, occaſione publicarum Theſium, quas propugnavit doctiſſimus noſter *Antonius Reginaldus* in Generalibus Ordinis Comitiis, Valentiæ in Hiſpania anno 1647. habitis, commenti ſunt Moliniani Profeſſores. Ajunt enim, *Thomam Turcum*, Ordinis Prædicatorum Generalem Præpoſitum, finita externorum diſputantium argumentatione, brevem cum *Reginaldo* habuiſſe velitationem, eumque ſic affatum eſſe; *Fateor, Prædeterminationes phyſicas eſſe doctrinam plurium Thomiſtarum, ſed a S. Thoma longe aberrantium: quibus ſi mihi oſtenderis S. Thomam alicubi favere, creabo te Magiſtrum contra Conſtitutiones Provinciæ tuæ*, ſeu Tholoſanæ.

Hæc autem fabula indubitatis monumentis falſi convincitur. Primò, quia ſtatim ac fabula hæc in vulgus ſparſa eſt, P. *Antonius Reginaldus* e re ſua duxit totius rei geſtæ ſeriem ſincero animo declarare authentico Inſtrumento Notarii publici, ac Teſtium fide recognito coram *Joanne Du Four*, Diæceſis Tholoſanæ Vicario Generali, ſede vacante, anno 1674. in quo Inſtrumento, tactis Sacroſanctis Evangeliis, & interpoſito Sacramento, rem longe ſecus accidiſſe conteſtatur, nec *de phyſicis Prędeterminationibus* in illa velitatione, quam cum Reverendiſſimo P. *Thoma Turco* habuit, actum eſſe, ſed *de phyſica rerum præſentia in æternitate Divina*.

Secundò, huic publicæ P. *Reginaldi* teſtificationi robur addit Epiſtola *Ambroſii Capelli*, Epiſcopi Antuerpienſis, qui præſens Valentinæ diſputationi interfuit. In ea quippe Epiſtola laudatus hic Epiſcopus reſpondens viro clariſſimo *Joſepho de la Verdure*, in Academia Duacena Regio profeſſori, a quo interrogatus fuerat, an vera eſſent, quæ *Gabriel Henao*, Societatis Jeſu, ejuſque exſcriptor *Henricus de Cerf*, ejuſdem Academiæ Doctor, de Reverendiſſimo P. *Thoma Turco* retuliſſent: Fidenter aſſerit, tanquam teſtis auritus & oculatus, ad aniles fabulas ableganda eſſe quæ duo illi Scriptores affinxerunt Reverendiſſimo Generali Patri *Turco*, quem phyſicæ Prædeterminationis acerrimum ſemper aſſertorem & propugnatorem fuiſſe ex eo irrefragabiliter liquere ait, *quod ubi legebat* (Reverendiſ. P. Generalis Turcus) *libellum eximii D. Sylvii* De motione primi Motoris, *in quo Prædeterminatio Thomiſtica acerrime defenditur, & propugnatur, non contentus libellum vidiſſe, niſi & Authorem videret, & cognoſceret, me ſocio & comite, ipſo Generalis integri Ordinis, & vir ſummæ auctoritatis, Duaci præfatum Sylvium in ſuo Collegio viſitaverit, eidem, me præſente, gratulatus, applaudens, immo & gratias agens de illo ſuo Opuſculo, tanquam genuino fœtu Diſcipuli S. Thomę, in materia Prædeterminationis Thomiſticæ*. Subdit etiam idem Epiſcopus, ſibi innumeris argumentis conſtare de mente Reverendiſ. *Turci*, ſeque de illius, quo Prædeterminatione phyſica, zelo & ardore, hoc cum certa fiducia affirmare poſſe, *quod ſi quem reperiſſet eidem, contra communem Thomiſtarum ſenſum, contradicentem, abſolviſſet eum ab omni non ſolum gradu, ſed & a docendi munere*, &c.

Tertiò, hanc fabulam explodunt alii probatiſſimæ fidei, & oculati teſtes, qui Comitiis Generalibus Ordinis noſtri Valentiæ celebratis, noſtrique *Reginaldi*, Tholoſani Profeſſoris, diſputationibus interfuerunt; videlicet *Vincentius Baronius* in Epiſtola ad R. P. *Martinum Harnay*, in Lovanienſi Academia S. Theologiæ Profeſſorem, data die 15. Septembris 1673. & Prior Conventus noſtri Valentini, una cum duobus S. Theologiæ Magiſtris in Epiſtola, data die 20. Februarii 1674. ubi adverſus teſtes, a *Gabriele Henao* productos, falſi crimen intendunt. Has Epiſtolas, ſicut & alia (quæ mox indicavi) monumenta, ad hoc factum hiſtoricum attinentia, legeſis apud noſtrum *Franci-*

ſcum

Digitized by Google

ſcum Jaſſens Elinga, Opuſculo, cui titulus *Veritas manifeſtata*, &c. Antuerpiæ typis edito, anno 1675.

Denique, extat Cremonæ in communi FF. Prædicatorum Bibliotheca Manuſcriptus Codex foliorum 833. quo Reverendiſſimi Patris *Thomæ Turci* Prælectiones Theologicæ continentur, manu ejuſdem exaratæ. A folio autem 392. ad folium 426. prolixa de *Prædeterminatione phyſica* tractatio legitur, in qua a doctrina Thomiſtica de Prædeterminatione phyſica ne latum quidem unguem deſciſcere eruditiſſimum illum vitum, ſed potius ei ſemper fuiſſe addictiſſimum, omnibus compertum eſt atque exploratum. Hujus Manuſcripti Codicis tranſumptum, publici Notarii fide recognitum teſtatur doctiſſimus noſter *Hyacinthus Serry* penes ſe habere, & aliquot ex eo excerpta fragmenta inſeruit ſuæ *Hiſtoriæ Congregationis de Auxiliis*, lib. v. Sect. 111. cap. xi. pag. 782. & 783. quæ (ſi tibi per otium liceat) lectitare poteris. Similem palinodiam clariſſimo viro, omni laude ſuperiori, pietate, eruditione, Religionis zelo commendatiſſimo affinxerunt Moliniani *Guillelmo Eſtio*, Univerſitatis Duacenſis Cancellario, qui actutum hanc ſibi impactam calumniam confutavit in publica Oratione, quam habuit, & cujus fragmentum hic exhibeo.

FRAGMENTUM ORATIONIS.

Quam die xix. menſis Decembris anni. MDCLX. *publice habuit Guillelmus Eſtius, Univerſitatis Duacenſis Cancellarius, ut a ſe amoliretur calumniam, quam ei nonnulli impegerant, dictitantes illum decantaſſe palinodiam, atque valere juſſa Scholæ Thomiſticæ doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem, ſive abſolutam, ſive conditionatam, meritorum prævisionem, ad Moliniſtarum caſtra tranſiviſſe.*

SUperioribus diebus allatum eſt ad me Scriptum quoddam, publice dictatum a Patre Lectore Theologiæ in Aquicinctino Collegio, in quo ille, dum oſtendere vult, doctrinam ſuam, quam prolixe tradit de Gratia & Prædeſtinatione non eſſe novam, neque in Lovanienſi Schola Theologica, neque in Duacenſi; id inter alia probare nititur ex quibuſdam verbis meis, quæ a me in hac Duacenſi Schola dicta vel dictat fuerunt, cum docerem primum & ſecundùm Sententiarum, videlicet ante annos quinque vel ſex. Cui, ut ſalva charitate Chriſtiana, quam invicem debemus, reſpondeam, primùm omnium, ne quis ex hujuſmodi Scripti lectione ſuſpicetur, me, vel affectu quopiam ſiniſtro, vel alia quavis occaſione, ſententiam de Prædeſtinatione & Gratia Chriſti, quam aliquando tenuerim, mutaſſe in contrariam; plane declaro, me, ex quo tempore in dogmatibus Theologicis aliquid intelligere cœpi, ſemper ab illis opinionibus, quas Lector ſe tradidiſſe profitetur, fuiſſe alieniſſimum, ſemperque exiſtimaſſe, eas & Sacræ Scripturæ, & doctrinæ SS. Patrum, maxime eorum qui de Gratia Chriſti contra Pelagianos accuratius ſcripſerunt, ut Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, neutiquam eſſe conſentaneas; adeoque meæ intentionis nuſquam fuiſſe, ut in prælectionibus meis, aut diſputationibus aliquid dicerem aut dictarem, ex quo illæ opiniones probari poſſent; ac multo minus me eas,

vel

vel earum aliqua ex profeſſo de Cathedra docuiſſe.

Quare, ſi quid forte eſſet alicubi in Scriptis ac dictatis meis, ex quo per apparentem ratiocinationem deduci poſſet aliquid talium opinionum, nullo modo exiſtimare debent ſtudioſi, me propterea tale quid aut ſenſiſſe, aut docuiſſe: niſi putare velimus, omnes Patres, aut Doctores Scholaſticos, adoque & in Scripturis Spiritum Sanctum ſenſiſſe & docuiſſe ea omnia, quæ homines diverſiſſima opinantes, pro ſuis opinionibus, ex illis ſe credunt deducere; quod quam ſit abſurdum exiſtimare, nemo eſt qui non videat. Si quid autem meam de abſoluta Dei Prædeſtinatione, deque efficacia Gratiæ Chriſti ſententiam agnoſcere cupit, eum remitto ad ea, quæ de utroque argumento ex profeſſo docui & dictavi ſuper Primum & Secundum Sententiarum. Nam iis locis tam aperte meam ſententiam expoſui, & quidem cum expreſſa refutatione dogmatum contrariorum, ut ſi quis eam requirere dignatus fuerit, facile ſit intellecturus, quam ego doctrinam illo tempore tenuerim ac publice de Cathedra tradiderim, nempe conſentientem plane cum ea, quam ego ipſe hodie teneo, & Facultas hæc Theologica ab Initio ſemper tenuit; longiſſime vero diſcrepantem ab ea, quam Lector ſe tradere profitetur; & idcirco fruſtra ab eo in meis Scriptis quæri; unde ſua confirmet, & Scholam Duacenſem in ſuas partes vel invitam pertrahat.

CLASSIS ALTERA DOCUMENTORUM.

Quibus manifeſto oſtenditur, pervulgatam Thomiſtarum doctrinam de Præmotione, ſeu Prædeterminatione phyſica, eſſe exactam ad genuinam S. Thomæ Doctoris Angelici mentem.

IN ſecunda (ſi bene memini) quam ad te ſcripſi, Epiſtola, probavi, S. *Thomam* pluribus in locis docere, Deum eſſe primam cauſam univerſalem, &, per ſuum prævium ac phyſicum influxum, effectricem omnis entis; ex quo ſolidiſſimo S. *Thomæ* principio manifeſta conſecutione deducitur, quod cum determinatio, ſeu actio voluntatis creatæ habeat rationem entis, neceſſe eſt, ut a Deo producatur per prævium & phyſicum influxum, quem ideo Thomiſtæ appellant *Præmotionem* ſeu *Prædeterminationem phyſicam*: *ipſum enim eſſe* (inquit S. *Thomas* Art. 7. Quæſt. 3. De Potentia) *eſt communiſſimus effectus primus & intimior omnibus aliis effectibus. Et ideo ſoli Deo competit, ſecundum virtutem propriam talis effectus.* Ex quo hæc infert Sanctus ille Doctor eodem in Articulo. *Sic ergo Deus eſt cauſa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conſervat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit...* Et paulo ſuperius ait idem Doctor Angelicus: *Tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius in quantum movet eam ad agendum in quo non intelligitur collatio aut conſervatio virtutis activæ, ſed applicatio virtutis ad actionem; ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo quod applicat acumen ad inciſendum, movendo ipſum. Et quia natura inferior agens non agit niſi mota, & hoc non ceſſat, quouſque perveniatur ad Deum, ſequitur de neceſſitate quod Deus ſit cauſa cujuslibet rei naturalis, ut movens & applicans virtutem ad agendum.*

I. Hæc diſertiſſima S. *Thomæ* verba ex-

expendens P. *Daniel Gabriel*, Societ. Jeſu, in Epiſt. X. ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, fateor ingenue primò, S. *Thomam* eo loci ſuam apperuiſſe mentem, & actionem Dei, de qua ibi agit, non poſſe eſſe concurſum, qui vocatur a Theologis *ſimultaneus*, per quem Deus nobiſcum eodem temporis momento ſimul concurrit; *quia*, ait ille Scriptor, *actio Dei, de qua loquitur hic S. Thomas, præcedit actionem cauſæ creatæ: Se habet, inquit S. Thomas, ut prius ad poſterius. Quamobrem Theologos, qui, ne deſerere S. Thomam videantur, hanc actionem dei explicant, interpretanturque de ſimultaneo concurſu, vim huic aſferre loco patet*. Secundò, fatetur ibidem P. *Daniel*, audiri non debere illos Philoſophos, qui dictitant, *explicandum eo loci Sanctum Thomam eſſe de agendi potentia, quam Deus creatæ cauſæ largitur, cujus potentiæ ratione fit, ut in earum quoque actionibus ipſe quoque agere cenſeatur, quia, dum agunt, acceptas ab illo vires exercent. Expoſitio iſta* (pergit P. *Daniel*) *ut maxime communis & pervagata, ita minimum veritatis, ut conſtat; habet. Hanc enim ibidem & recitat & refellit: Diſtinguitque actionem, qua creatam cauſam a Deo moveri vult, ab ea facultate & agendi potentia, quam accepit a Deo*.

Id poſtquam laudatis clariſſimis S. *Thomæ* verbis probavit P. *Daniel*, ſubdit: *Hæc D. Thomæ verba palam oſtendunt, eam motionem, ſeu Præmotionem, quam propugnat omnino eſſe diverſam ab agendi virtute creatis rebus collata: & aliquid ab eo requiri proximius adhuc, ut Deus actionis cujuslibet cauſa vere dici poſſit. Liquet igitur a Divo Thoma hic admitti motionem a concurſu, facultate agendi, cæteriſque id genus rebus diſtinctam, qua Deus applicet cauſam creatam ad agendum; eam denique motionem non eſſe quidpiam inhærens ac ſtabile, ſed aliquid eſſe adventitium & tranſiens, nempe motionem, ſeu Præmotionem, qua Deus applicet, impellatque cauſam creatam ad quamlibet actionem, & cujus ea ratio, viſque ſit, ut propterea Deus ejuſmodi actionis cauſa eſſe dicatur*.

Hactenus, ut candide dicam, P. *Daniel* in iſtis duabus verborum S. *Thomæ* explicationibus ſincere cauſam S. *Thomæ*, & Thomiſtarum egit contra illos Theologos, qui anticipatæ opinionis præjudiciis male affecti, auctoritatem S. *Thomæ* variis modis perperam interpretari, & in alienum prorſus ſenſum contorquere pro viribus nituntur.

Aſt, in tertia verborum S. *Thomæ* explicatione, velut in *tertio ſigno*, defecit plane, & germana mente S. *Thomæ* longiſſime abivit P. *Daniel*. Ait quippe, negari non poſſe, S. *Thomam* admiſiſſe Præmotionem, qua Deus cauſam ſecundam liberam prædeterminet ad agendum in genere; ſed in hoc vehementer hallucinari Thomiſtas, quod velint, S. *Thomam* admiſiſſe Præmotionem, qua Deus cauſam ſecundam liberam prædeterminet ad hoc vel illud agendum, cum tamen S. *Thomas* doceat *primum* (ſunt ipſiſſima P. *Danielis* verba) *quod Deus cauſam ſecundam liberam prædeterminet ad agendum: Deinde, quod eamdem ad agendum prædeterminans in ipſius arbitrio ac poteſtate relinquit agendi modum & ſolutam hujus illiuſque actionis optionem. An non* (pergit P. Daniel) *iſta duo dilucide in eo, quem ſum veluti commentatus, loco, & aliis, quos per occaſionem hanc laudavi explicantur? At nonne perſpicuum itidem eſt, vos* (idest, Thomiſtas) *Sancto Doctori, quod ad ſecundum caput attinet, repugnare, ſiquidem prædeterminatio veſtra determinat voluntatem non ſolum ad agendum; ſed etiam ad talem actionem: Cum ipſe contra clamet, ac ſurdas licet aures verberet. Per Præmotionem, inquit S. Thomas, voluntas non eſt determinata ad unum: Non eſt obligata ad alteram partem contradictionis: Quod exeat determinate in hunc, vel illum actum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate; Determinatio actus relinquitur in poteſtate voluntatis & rationis. Hæc eſt* (inquit P. Daniel) *vera Præmotionis imago, quam S. Thomas informavit. Hæc eſt germana S. Thomæ doctrina, ejus verbis nativum ac ſuum acceptis in ſenſum expoſita; quem vos* (Thomiſtæ) *præpoſtere accipien-*

pientes, *& in alienum ejus verba ſenſum detorquentes*, *laboratis graviter*, *ut hoc leviſſime dicam*, *& æſtuatis in explicanda libertatis cum prædeterminbtione concordia*.

II. In hac nova (ut gloriatur P. *Daniel*) confutanda Præmotionis idea, non eſt quod hic diutius immorer; manet enim jam abunde confutata in ſecunda, quam ad te ſcripſi Epiſtola, ubi oſtendi, P. *Danielem* in hac inaudita hactenus in Sholis noſtris effingenda Præmotionis idea ſibi non conſtare, & a principiis doctrinæ S. *Thomæ* longe lateque diſcrepare. Verum, quia P. *Daniel* in hac mox a me laudata Epiſtola x ad noſtrum *Natalem Alexandrum* aſſerere audet, Thomiſtas in ea, quam nunc defendunt, *Præmotione phyſica*, a S. *Thomę* mente prorſus diſſidere; & inſuper gloriatur, ſe accuratius & attentius in hanc Angelicæ doctrinæ partem perpendendam ac ſuis librandam momentis incubuiſſe, veramque S. *Thomæ* mentem circa Præmotionem fuiſſe aſſecutum, quam omnes ad unum Thomiſtæ, talpa cæciores, nec aſſequi: nec intelligere unquam potuerunt; neceſſe eſt, ut hanc Moliniani Scriptoris nimiam & omnibus Thomiſtis injuriam jactantiam hic pauliſper retundam. Et primò quidem negari non poteſt, totam Scholam Thomiſticam, cujus tutelæ ſuam doctrinam concredidit Sanctus *Thomas*, omni ævo invicte propugnaſſe, Angelicum illum Doctorem admiſiſſe *Præmotionem phyſicam* non ſolum ad bene agendum in genere, ſicut falſo contendit P. *Daniel*; ſed etiam ad eliciendam hanc vel illam actionem, ſeu ad hoc vel tali modo agendum. Hæc fuit perpetua, ſibique ſemper conſtans Scholæ Thomiſticæ traditio, ab ipſis Sancti *Thomæ* temporibus ad hanc uſque ætatem noſtram jugiter conſervata, a qua ne latum quidem unguem deſcriverunt omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi, qui S. *Thomam* ſuper hac re ſunt interpretati.

Legeſis, ſi placet, egregium Opus, cui titulus eſt: *D. Thomas ſui interpres*, in quo Cl. auctor *Antoninus Maſſaulie* a p. 2. uſq; ad p. 225. totus in id incumbit, ut oſtendat *Præmotionem phyſicam*, ſive nomen attendas, ſive rem, per id nominis ſignificatam ſpectes, ſepoſita omni obſcuritate tradi pluribus in locis a S. *Thoma*, eoque collimare omnia, quæ in doctrina de Gratia, ſeu de Motione Divina Sanctiſſimus ille Præceptor jecit principia, eaque toto vitæ ſuæ decurſu conſtantiſſime defenſavit. Diluit ibidem *Maſſoulieus* nonnullas argutias, quibus Moliniſtæ S. *Thomam* conantur obtorto collo in ſuam trahere ſententiam, dum tamen ab ejus doctrinæ principiis divelluntur aliaque pro arbitrio conſtituunt, quæ cum S. *Thomæ* doctrinæ principiis aperte colliduntur, nedum cum illis conciliari poſſunt.

III. Denique, doctiſſimus ille Scriptor multis argumentis refellit putidiſſimam illam fabulam. a Moliniſtis ſæpius decantatam, & quam refricat P. *Daniel*, aſſerens, *Banneſii* doctrinam de *Prædeterminatione phyſica* fuiſſe a Schola Thomiſtica adoptatam, ſubindeque hanc doctrinam non S. *Thomæ*, ſed *Banneſio* acceptam referri debere. Hæc omnia, quæ (ne actum agere videar) hic lubens prætermitto, ita ſolide, & accurate loco mox a me laudato pertractavit noſter *Antoninus Maſſaulie*, ut mihi ea de re ſcribendi ampliſſimum otium fecerit. Sufficiet abunde ſi dixerim, Scholam Thomiſticam tam curæ ac cordi ſemper habuiſſe doctrinam de *Præmotione*, ſeu *Prædeterminatione phyſica*, ut paucos, duos videlicet, aut tres, alumnos ſuos, quos ab hac doctrina recedere non puduit, impune abire non permiſerit; ſed illos, tanquam Scholæ, & doctrinæ S. *Thomæ* transfugas, acerbis pænis affecerit. Nota eſt omnibus Sententia, quam die 31. menſis Octobris anni 1674. tulit noſter M. Generalis *Joanes Thomas De Rocaberti* in librum editum ab uno Profeſſore Ordinis noſtri, videlicet *Joſepho De Vita*, Siculo Calaxibettenſi, cui titulus: *Tomus primus*, *de proprio & per ſe principio*, *unde proveniat peccatum in actionibus voluntariis*, &c. Hujus Sententiæ, quam integram exhibet doctiſſimus noſter *Hyacinthus Herry* lib. v. Sect. 111. cap. xi. *Hiſtoriæ Congregationum De Auxiliis*, exordium duntaxat hic, brevitati conſulturus, inſeram.

Nos

Nos Fr. Joannes Thomas de Rocaberti, S. Theologiæ Profeſſor, totius Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis & Servus: Univerſis Angelici noſtri Doctoris fidis ac ſinceris Diſcipulis ſalutem.

Panormi typis Andreæ Colichia anno 1665. prodiit in lucem, dignior tenebris liber cujuſdam ex Ordine noſtro Fratris Joſephi de Vita, Siculi Calaxibettenſis, cui titulus: Tomus primus, de proprio & per ſe principio, unde proveniat peccatum in actionibus voluntariis, &c. *In eo præſumptuoſus Author nimiæ ſingularitatis ſtudio, privatique ingenii abreptus fiducia, de Divina in actus Liberos cauſalitate ac præmotione ſic diſputat, ut paſſim introducat propoſitiones a communi vera Thomiſticæ Scholæ doctrina & ſenſu alienas; quodque intolerabilius eſt, eaſdem nititur Angelico Doctori, quem crebrius allegat, palam affingere; quaſi mens genuina D. Thomæ hactenus univerſam illius Scholam, totque præclares ejuſdem Commentatores latuiſſet a ſæculo, donec exurgeret homo obſcurus, qui hanc Orbi Litterario aptius declararet*, &c.

Haud diſſimilem ſortem (dum ipſe anno 1688. Pariſiis in Majori Conventu & Collegio San Jacobæo, Ordinis Præd. Philoſophiæ operam navarem) nactus eſt quidam Baccalaureus ejuſdem Ordinis Theologiæ Profeſſor *Vincentius Rigaltius*, quippe qui cum novitatis plus æquo amans, Theſæs, pro actu (ut vocant) Sorbonico, contra communem Scholæ Thomiſticæ doctrinam de *Præmotione Phyſica*, ad omnes & ſingulos actus neceſſaria, defendendas paraſſet; jamque, inſciis plane ejuſdem Collegii Moderatoribus, typis mandari curaſſet, actutum temeritatis ſuæ pœnas luit, nec ſolum ejuſmodi Thæſes publice propugnare unquam potuit, verum etiam a Reverendiſſ. P. *Antonino Clocbe*, totius Ordinis Præd. Generali Magiſtro, Licentiæ gradu, quem in Sacra Facultate Pariſienſi obtinuerat, exutus eſt, & coactus ad publicam decantandam palinodiam, cujus authentica Inſtrumenta extant ad calcem libri, paulo poſt in lucem editi, cui titulus eſt: *Le Notaire Apoſtolique*, Auctore D. *Cheron*, qui tum temporis Illuſtriſſimi Domini *Franciſci de Harlay*, Archiepiſcopi Pariſienſis, erat Miniſter Officialis.

IV. Sed quid opus eſt, ut hic varia colligam Monumenta, quibus certiſſime probatur, omnes Thomiſtas ſemper docuiſſe, ſententiam de *Præmotione phyſica*, ſicut nunc docetur in Schola Thomiſtica, vere eſſe de mente S. *Thomæ*, & ex ejus doctrinæ principiis immediate hauſtam; cum id nunquam Adverſarii noſtri, ante P. *Danielem*, inficias iverint, aut in dubium revocaverint. Extat enim libellus *De ratione ſtudiorum Societatis*, compoſitus a Patribus Societatis Jeſu; extat, inquam libellus ille, non qui circumfertur poſteriorum Editionum, in quibus nonnulla fuerunt de induſtria expuncta ac reſecta, ſed primæ Editionis Romanæ anni 1486. quem libellum primæ Editionis Romanæ, qui etiamnum in Conventu Tholoſano Ordinis noſtri aſſervatur, exhibet noſter *Antonius Maſſoulie* Quæſt. 1. Art. 1. Tom. 1. ſui Operis, cui titulus eſt: *Thomas ſui interpres*.

Porro, in hoc libello, quem & ſæpius ſe legiſſe, & præ manibus habuiſſe teſtatur idem pius ac eruditus Scriptor, inter regulas de Opinionum delectu, quæ Theologiæ Profeſſoribus præſcribuntur, hæc ordine quinta eſt. *In Theologia doctrinam S. Thomæ, ut cavetur quarta parte Conſtitutionum cap. 4. noſtri ſequantur, paucis exceptis:* Tum quæ ſint pauca illa, declaratur hunc in modum: *Noſtri itaque non cogantur defendere quæ ſequuntur.... Secundas cauſas eſſe proprie & univoce inſtrumenta Dei, Deum in illas primum influere, aut eas movere.* Ex quibus verbis perſpicue colligas, tunc primum, ultroque falſos eſſe Societatis Theologos, univerſi Ordinis nomine, & auctoritate Præpoſiti Generalis munitos, Doctoris Angelici eam eſſe ſententiam, quæ præviam motionem, & phyſicum influxum in cauſis ſecundis ad omnes omnino actiones a Deo impreſſum defendit; ſubindeque altiorem eſſe hujus ſententiæ originem, quam ut *Banneſio* adſcribi poſſit, ſicut nuperrime ſuum in animum indu-

xit

Digitized by Google

xit P. *Daniel* , hæc non minus falſo , quam inſcite in ſua X. Epiſtola ſcribens: *Vix anni centum ſunt , ex quo Bannis de Prædeterminatione phyſica doctrinam adoptavit Schola veſtra* (Thomiſtica) *ſæculum unum in Theologica re ſatis nunquam fuit ad inducendum præſcriptionem , præſertim ſi reclamatum ſemper eſt* .

V. Hanc male concinnatam P. *Danielis* fabulam falſi convincunt ſex doctiſſimi Societatis Jeſu Theologi, videlicet RR. PP. Pater *Joannes Azor* , Hiſpanus, P. *Gaſpar Gonzales*, Luſitanas, P. *Jacobus Tirio* , Gallus, P. *Petrus Buſæus* , Auſtriacus , P. *Antonius Guiſanus* , Teutonicus , & P. *Stephanus Tutius*, Italus , qui omnes ex variis diverſiſque Societatis Provinciis a Præpoſito Generali ejuſdem Societatis Romam anno 1584. accerſiti , unanimiter in eumdem ſcopum collimantes , hunc prædictum libellum ediderunt , qui inſcribitur : *Ratio atque Inſtitutio ſtudiorum Societatis Jeſu* , & de quo , ſi plura ſcire aveas , legeſis doctiſſimi noſtri *Thomæ de Lemos* Tom 1. *Panopliæ Gratiæ* , Tractatus ſexti *De Molina & aliorum recentiorum Placitis* , & *Sententiis* &c. Caput primum , ubi de prædicto libello *De ratione ſtudiorum Societatis Jeſu* diſſerit.

Poſſem hic facile Diſcipulis Sancti *Thomæ* clypeum efficere ex viginti ad minus inclytæ Societatis Jeſu Scriptoribus , qui agnoſcunt , doctrinam de *Præmotione phyſica* , ſicut nunc defenditur in Schola Thomiſtica , eſſe ſanam , Orthodoxam , eamque nullo pacto Calviniſmi & Janſeniſmi inſimulari debere ; vel qui ultro profitentur, originem iſtius doctrinæ de *Præmotione phyſica*, quæ in Thomiſtarum Schola conſecrata eſt , ad S. *Thomam* eſſe referendam ; ſed (ne Epiſtolæ metas excedam) aliquos duntaxat laudabo , vel loca in quibus mentem ſuam produnt , breviter indicabo.

Et primò quidem inter Theologos Societatis Jeſu, qui doctrinam de Præmotione phyſica ſanam , veram , Catholicam, & ab omni cenſura liberam pronunciant, recenſentur *Ferrerius* lib. 8. *De Cauſis* cap. 7. ubi loquens de *Præmotione phyſica* ait : *Hęc doctrina non eſt probabilis tantum , ſed omnino vera , certa & indubitata , de qua fas non eſt Chriſtiano Philoſopho dubitare* . Claudius Thyphanius in libro *De Priori ac poſteriori* pag. 362. ait , doctrinam de Præmotione phyſica *aptam eſſe ad ingenerandam & alendam noſtram erga Deum reverentiam , & gratitudinem , eaque potentiam Dei , & ejuſdem erga nos beneficientiam commendari* . Per ſcientiam vero Mediam , Prædeterminationi phyſicæ oppoſitam, ait , *orandi ſtudium imminui , & debitum Dei honoremque erga ipſum gratitudinis ſenſum facile extingui* . Salmeron Diſp. 19. in Epiſt. ad Rom. loquens de Prædeſtinatis, ait , illos eſſe a Deo dilectos *firma ſua , & immobili prędeterminatione*. Henricus Henriquez lib. *de ultimo fine hominis* hæc habet : *Prędeterminatio antecedens , quamvis e natura rei non eſſet neceſſaria ut fierent ſingula bona opera , pertinet tamen ad rationem perſectæ providentię, qualis eſt in Deo* . Apologias pro doctrina Thomiſtarum de Præmotione phyſica , ſeu de Gratia per ſe efficaci contra *Bajum* , & *Janſenium* , ejuſque Diſcipulos , adornarunt doctiſſimi Soc. Jeſu Theologi , *Joannes Martinus Ripalba* lib. 2. Operis adverſus *Michaelis Baij errores* Diſput. 14. Sect. 5. *Joannes Martinonus* , ſeu per anagramma purum, *Antonius Moraines*, in ſuo *Antijanſenio*. Duode viginti diſcrimina, quæ reperiuntur doctrinam Thomiſtarum de *Pręmotione* , ſeu *Prædeterminatione phyſica* inter & doctrinam *Janſenii* , de Gratia per ſe efficaci neceſſitante, late proſequitur, & explicat *Franciſcus Annatus* . Thomiſtas , qui Prædeterminationem phyſicam defendunt , diſtare toto cælo a *Janſenii* doctrina oſtendit *Stephanus Dechamps* lib. 2. *De Hęreſi Janſeniana* Diſputatione 3. cap. 3. & Diſput. 6. cap. 9. ubi ait: *Glorientur licet Janſeniani , tot ſe nuperi dogmatis patronos habere , quot phyſicę Prædeterminationis defenſores extiterunt ; vere tamen nihil videor dicturus , nullos huic doctrinę infenſiores reperiri , quam qui , poſt natam Calvini*

hære-

hæreſim, *ex S. Dominici Ordine*, *aliiſque ejuſdem Sacramenti Theologis*, *majoris eruditionis & ingenii laude floruerunt*. Deinde pro hac S. *Thomæ* doctrina laudat hic cultiſſimus Societatis Jeſu Scriptor, *Petrum Ledeſmam*, *Banneſium*, *Alvarem*, *Medinam*, pluresque alios Ordinis S. *Dominici* Theologos, quos ait eſſe *Prædeterminationis phyſicæ propugnatores nobiliſſimos*.

Poſtremo, inter Theologos Societatis Jeſu, qui fatentur, admiſſam eſſe a S. *Thoma* Divinam *motionem prævīam*, ſeu *Præmotionem phyſicam*, in cauſis potiſſimum liberis, cenſetur *Molina* in *Concordia* Quæſt. 14. Art. 13. Diſputationis 26 *Suarez* in Metaphyſica Diſput. 22. Sect. 4. *Bellarminus* lib. 4. *De Gratia & Libero Arbitrio* cap. 16. & Profeſſores Philoſophiæ Soc. Jeſu Collegii Conimbricenſis, qui lib. 2. Phyſic. cap. 7. Quæſt. 13. ultro fatentur, admiſſam fuiſſe a S. *Thoma* motionem præviam, qua Deus cauſas ſecundas ad agendum movet & applicat, eo fere modo, quo artifex inſtrumentum ad conficiendum opus movet & impellit, citantque S. *Thomam*, in 1. P. Q. 105. & 1. 2. Q. 109. Art. 1. & Quæſt. 3. de Potentia Art. 7. ejuſque Diſcipulos *Capitulum* in 2. lib. Sent. Diſtinct. 1. Quæſt. 2. *Ferrarienſem* lib. 3. contra Gentes cap. 70.

Præter laudatos illos Patres Societatis Jeſu, qui doctrinam de Gratia per ſe efficaci & phyſice prædeterminatrice propugnarunt, recenſeri merito debet *Ferdinandus de Baſtida*, Societatis Jeſu inſignis Theologus, qui, poſtquam *Molinæ* doctrinam magno animi æſtu Romæ in Congregationibus De Auxiliis Divinis coram Summis Pontificibus *Clemente VIII.* & *Paulo V.* defendiſſet, tandem anno 1608. in Hiſpaniam reverſus eſt, ubi, relicta Jeſuitica Profeſſione, munus Cancellarii in Academia Valliſoletana adeptus eſt, hacque nova dignitate auctus, Gratiam *per ſe efficacem*, ſeu *phyſice prędeterminatricem*, ea animi firmitate ſuis in Prælectionibus defendit, qua illam oppugnaverat Romæ. Teſtem nobis locupletiſſimum profert *Joannes Martinez de Prado* in *Controverſiis Metaphyſicis* Part. 2. Controverſia 12. Art. 2. parag. 3. ubi data opera de illis agens, qui *phyſicam prędeterminationem* docuere: *Publice*, inquit, *noſtram ſententiam*, de Prædeterminatione phyſica, *docuit P. Ferdinandus de Baſtida*, *olim Romę unus ex Scientiæ Mediæ defenſoribus pro Patribus Societatis; a quibus poſtquam abſceſſit*, *propriam mentem explicuit Abulæ & Valliſoleti*. *Cujus facti teſtem adhibeo graviſſimum*, *omni exceptione majorem*, *nempe Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. F. Petrum de Tapia*, *Seguntinum Antiſtitem*; *qui totum hoc publice teſtatus eſt in Tractatu de Gratia*, *quem dictavit publice cum eſſet Primarius Complutenſis*. Idem referunt *Thomas Soveges* in *Elucidatione ad menſem Majum*, Auctor Apologiæ Cenſur. *Paulus Faſſeau* cap. 2. Sect. 6 Compendium Hiſtoriæ de Auxiliis, *Seraphinus Piccinardus* Tom. 3. *De Approbatione Doctrinæ S. Thomæ*, & denique *Franciſcus Oviedo*, Societatis Jeſu, qui Controverſia decima Phyſicorum puncto 3. de hac *Ferdinandi de Baſtida* decantata palinodia ſic ſcribit: *Phyſicam Prædeterminationem Ferdinandus de Baſtida Abulæ defendit*, *inter Clauſtra Dominicanorum*, *in Pręlectionibus habitis pro laurea doctorali*. Nec *Franciſco Oviedo* refragatur alter ejuſdem Societ. Jeſu Scriptor, & Scientiæ Mediæ accerrimus defenſor, *Gabriel Henao*, qui in libro, quem pro hujus Scientiæ Mediæ vindiciis edidit, ait, *Ferdinandum de Baſtida* in petitione Canonicatus, vel in Laureæ Doctoralis ſuſceptione, ut demereretur Patrum Prædicatorum gratiam, & aliquam ſui oſtentationem faceret; doctrinam de Gratia *per ſe efficaci*, & *phyſice prædeterminante*, in Dominicano S. Thomæ Collegio, aut Univerſitate, propugnaſſe. Si de hac *Ferdinandi de Baſtida* palinodia plura ſcire aveas, legeſis doctiſſimum noſtrum *Jacobum Hyacinthum Serry*, Doctorem Sacræ Facult. Pariſ. qui in ſua *Hiſtoria Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ*, quam Antuerpiæ anno MDCCIX. ſecundis curis adornavit, hanc *Ferdinandi de Baſtida* palinodiam in optimo lumine collocavit lib. IV. cap. 25. pag. 602. & lib. V. Sect. VII. cap. V. pag. 920.

Sed,

Sed, quorſum hic diutius immoror in recenſendis teſtimoniis doctiſſimorum Societatis Jeſu Theologorum, qui Angelicæ Scholæ doctrinam de *Præmotione phyſica* ſanam & ad genuinam S.*Thomæ* mentem eſſe exactam conſtanter profeſſi ſunt; cum totam iſtam controverſiam extra omnem dubitationis aleam poſuerit R. P. *Joſephus Sanfelicius*, Societatis Jeſu Theologus, qui hoc labenti anno MDCCXXVIII. Neapoli Opus in lucem emiſit, in quo non tantum profert unum ſupra quadraginta diſcrimina, quibus Thomiſtarum doctrina de *Præmotione phyſica* diſcrepat a damnata *Janſenii* doctrina de Gratia neceſſitante; verum etiam idem clariſſimus Auctor ultro fatetur, doctrinam Thomiſticam de *Præmotione phyſica* eſſe menti S. *Thomæ* apprime conſentaneam? Sic enim in ſua Epiſtola nuncupatoria ſanctiſſimum Pontificem *Benedictum XIII.* affatur: *His accedit, quod Opus, a me antea ſponte ſuſceptum, ut perficerem, ipſe mihi ſtimulos addidiſti Litteris ad Angelici Doctoris Diſcipulos, atque in Thomiſtica Schola Magiſtros nuper datis, quibus non ſolum eos hortaris, ut Divi Thomæ doctrinam tueri naviter porro pergant: Sed cum etiam maxime ob finem pergant, quod S.Thomæ exploratiſſimis Sententiis damnati errores diſertiſſime confutantur.* Titulus autem, quem huic ſuo Operi præfixit laudatus ille Societatis Jeſu Theologus, hic eſt: *Janſenii Doctrina ex Thomiſticæ Theologiæ Præceptis atque Inſtitutis damnata* Neapoli MDCCXXVIII. *Typis Stephani Abbatis, ſuperiorum facultate.*

De his ſi plura ſcire deſideres, legeſis ſæpe laudatum noſtrum *Antoninum Maſſaulie*, qui primo Tomo ſui Operis, quod inſcribitur: *S. Thomas ſui Interpres*, Diſſert. 1. Quæſt. 1. Art. 2. accurate refert diſertiſſima teſtimonia Societatis Jeſu Scriptorum, qui faſſi ſunt, *Præmotionem phyſicam*, ſicut nunc docetur in Schola Thomiſtica, vere a Doctore Angelico fuiſſe admiſſam, & cum ejuſdem doctrinæ principiis ad amuſſim quadrare.

IV. Quæ cum ita ſint, quis, amabo, non obſtupeſcat, quod modernus Scriptor P. *Daniel* contra tot luculentiſſimorum Societatis Jeſu teſtium nubem auſus ſit aſſerere loco mox a me citato, *novam eſſe doctrinam de Prædeterminatione phyſica*, quam totam nunc amplectitur Schola Thomiſtica: *hujus auctorem ac parentem nequaquam D. Thomam, ſed Bannem, aut quemlibet alium, eo non antiquiorem, ac nullo modo Thomiſtam, hoc eſt, D. Thomæ Diſcipulum.* Numquid ſane Schola Thomiſtica, non minus injuſte, quam atrociter a P.*Daniele* laceſſita, poteſt in ipſum æquiſſime hæc S. *Bernardi* verba uſurpare? *Nonne in ſe omnium provocat manus, cujus manus contra omnes? Quid ergo tu, quid melius offers? quid ſubtilius invenis? quid ſecretius tibi revelatum jactas, quod effugerit ſapientes? . . . . Hoc plane nemini, te excepto, videtur, tu videris, ubi videris.*

Sed ait P.*Daniel* in eadem Epiſtola ſua decima, *non poſſe Thomiſtarum doctrinam & ideam Præmotionis conciliari & congruere cum multis, quæ a D.Thoma in hac quæſtione proferuntur.* Id autem hoc pacto probare ſe poſſe putat: *Omnia revoco*, inquit, *ad hæc duo. Ajunt Thomiſtæ voluntatem a Prædeterminatione ad unum agendi modum determinari, verbi gratia, ad objectum tale amplectendum. At S. Thomas diſertis verbis contrarium docet: Non eſt*) inquit Sanctus Thomas) *determinata ad unum. Non eſt obligata ad alteram partem contradictionis: Quod exeat determinate in hunc vel illum actum, non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate: Determinatio actus relinquitur in poteſtate voluntatis & rationis. S. Thomas, ut mihi quidem ac merito videtur*, (pergit P. Daniel) *affirmat, voluntatem, a Deo motam, determinari duntaxat ad agendum, non item ad agendi modum: Id certe ex iis, quæ laudavi modo, verbis patet. Immo, quod determinate exeat in hunc vel illum actum, non eſt* (inquit S.Thomas) *ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate. Hæc ſunt ejus* (S.Thomæ) *concepta verba, quibus ipſius mens ſine amphibolia & circuitione exprimitur. His pugnantia loquuntur Thomiſtæ: aliter igitur ac Divus Thomas & loquuntur, & ſentiunt.*

Ut

Digitized by Google

Ut iſtæ offuciæ, quibus P. *Daniel* veram S. *Thomæ* mentem obſcurare tentavit, objecta veritatis luce, diſſipentur, & ut etiam conſtet, Thomiſtas non aliter ac S. *Thomam* loqui ac ſentire, ſex hic referam certiſſima doctrinæ S. *Thomæ* principia, quæ veram Angelici illius Doctoris mentem, & perfectam Thomiſtarum cum ſuo Sanctiſſimo Præceptore conſenſionem in aperto ponent. Primum igitur principium doctrinæ S. *Thomæ* iſtud eſt, quo probat hominem in hoc diſcrepare a belluis quod homo habet dominium ſupra ſuum actum, idque ex proprio judicio & deliberatione, necnon formali cognitione finis, ita ut, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis; poſſit operari, vel non operari; Belluæ vero, quæ libertate carent, ſolo naturæ inſtinctu per judicium, neceſſario determinatum ad unum, citra ullam formalem cognitionem finis, operantur. Hujus diſcriminis, quo homo differt a brutis, meminit S. *Thomas* lib. 2. contra Gentes cap. 48. & Quæſt. 16. de Malo Art. 5. ubi ait: *Judicium, quo belluæ aliquid proſequuntur, vel fugiunt, eſt in eis determinatum ad unum: ita ut ipſum præterire non poſſint, ſicut ovis non poteſt fugere viſum lupum.* Juxta veritatem hujuſce principii, recte docet S. *Thomas*, voluntatem hominis non eſſe per motionem Divinam *neceſſario determinatam ad unum, nec obligatam ad alteram partem contradictionis*, idemque cum Sancto illo Doctore profitentur veri illius Diſcipuli Thomiſtæ.

Alterum doctrinæ S. *Thomæ* principium in hoc poſitum eſt, quod nullum agens extrinſecum, ſive nulla creatura, ſeu Angelica, ſeu humana, poteſt mutare voluntatem humanam, nec in eam intrinſece agere, ſed id ſoli Deo eximium eſt ac peculiare jus: *Voluntas* (inquit S. *Thomas* Q. 22. de Veritate Art. 9.) ***poteſt immutari ab aliquo dupliciter: uno modo ſicut ab objecto appetibili: alio vero modo per modum cauſæ efficientis: & ſic dicimus, quod nulla creatura poteſt cogere voluntatem agendo in ipſam .... Sed nec etiam poteſt directe agere in voluntatem, ut eam immutet neceſſario,*** *vel qualitercumque inclinet ..... Ex parte voluntatis immutare actum voluntatis non poteſt, niſi quod operatur intra voluntatem; & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quod ſecundum fidem ſolus eſt Deus: unde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis de uno in aliud transferre, ſecundum quod vult.* Idem docet S. *Thomas* Quæſt. 6. de Malo Art. unico, & 1. 2. Quæſt. 80. Art. 1. ad 2. ubi hæc habet; *Deus cauſat bona in bonis, interius movendo voluntatem, quod diabolo convenire non poteſt.* Juxta igitur veritatem ſecundi iſtius doctrinæ Angelicæ principii, jure merito ait S. Thomas: *Quod voluntas creata exeat in hunc vel illum actum: non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate*, hoc eſt, non eſt ab alio determinante Agente extrinſeco creato, ſed a ſolo Deo, qui, ut inquit S. Thomas, *poteſt inclinationem voluntatis de uno in aliud transferre ſecundum quod vult*: Deus etiam, ut docet S. *Thomas*, non eſt reſpectu voluntatis humanę Agens extrinſecum, ſed eſt Agens nobis intimum per ſuam eſſentiam, præſentiam, & potentiam, ſeu operationem, atque in ipſo (ut ait Apoſtolus Paulus) *vivimus, movemur & ſumus*. Hæc eſt vera S. *Thomæ* mens, quam omnes ad unum tuentur Thomiſtæ.

Tertium doctrinæ Angelicæ principium in hoc ſitum eſt, quod homo in præſenti ſtatu viæ neceſſario ſit determinatus quantum ad ſpecificationem (ut loquuntur Theologi) ad amandum bonum in communi, ita ut, ſi velit aliquem actum elicere circa bonum in communi, debeat neceſſario eſſe actus amoris; quamvis tamen homo in ſtatu viæ, ſicut docet *S. Thomas*, non ſit neceſſario determinatus quantum ad exercitium ad amandum ſummum bonum, ſeu ultimum finem, ad diſcrimen Beatorum in cælis, quorum voluntas, ſicut late expoſui in octava (quam ad te ſcripſi) Epiſtola, eſt neceſſario determinata ad continuo & jugiter diligendum ſummum bonum, ſeu Deum clare & intuitive cognitum, ita ut, perſtante viſione Beatifica, nullo pacto poſſit ſuſpendere actum amoris Dei. At vero, volun-

tas hominis in ſtatu viæ licet neceſſario quantum ad ſpecificationem ſit determinata ad amandum ſummum bonum, ſeu ultimum finem, pleniſſima tamen libertate ac poteſtate gaudet eligendi & amore proſequendi omnia bona, quæ ſunt finita & limitata, quæque explere ac ſatiare nullatenus poſſunt infinitam, quam habet voluntas hominis appetendi ſummi boni capacitatem. Quo fit, ut voluntas hominis omnia bona creata, finita, & limitata, quæ ſunt media ordinata ad finem ultimum, liberrime appetat, ad ea eligenda, vel amanda ſe ſe determinet, & in eorum electione vel amore ſuam ſemper intactam & illæſam conſervet indifferentiam objectivam judicii rationis, & indifferentiam activam agendi, vel non agendi, eligendi, vel non eligendi, amandi, vel non amandi omnia bona, quæ finitam & limitatam tantummodo habent bonitatem ſive actus ſint, ſive objecta, ſive media ordinata ad ultimum finem, quemadmodum in prælaudata Epiſtola, juxta mentem S. *Thomæ*, demonſtravi. Quæ cum ita ſint, quid mirum; quod S. *Thomas* dicat, *determinationem actus* (circa nimirum bona creata & finita, quæ ſunt media ad ſummum bonum, ſeu ad ultimum finem) relinqui *in poteſtate voluntatis & rationis*? Ecquis Thomiſta, proh Deum, hominunque fidem id unquam negavit!

Quartum doctrinæ Angelicæ principium in hoc ſiſtit; quod cauſa libera ſe ſe determinat per virtutem motionis Dei, quia omnis cauſa libera eſt ſubordinata Deo, & ab ipſo pendet in eſſe & operari: *Et ideo* (inquit S. *Thomas* 1. 2. Quæſt. 109. Art. 1.) *quantumvis aliqua natura corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere niſi moveatur a Deo*. Quamvis ergo S. *Thomas* dicat, *determinationem actus relinqui in poteſtate voluntatis & rationis*, non excludit tamen præviam motionem Dei determinantem cauſam liberam ad actum, immo eam neceſſario prærequirit; ait enim 1. P. Q. 105. Art. 3. *hoc ipſum quod cauſæ ſecundæ determinantur ad ſuos actus, eſt illis a Deo*. Et 1. 2. Quæſt. 10. Art. 4. inquit: *Quia voluntas eſt activum principium non determinatum ad unum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam movet, quod non ex neceſſitate ad unum determinat*. Quæ verba S. *Thomæ* ponderans noſter *Joannes Nicolai*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, invehitur in illos, qui eo in loco præviam motionem a S. *Thoma* admiſſam non animadvertunt: *En*, inquit, *quam indigne quidam negant, quod S. Thomas præmotionem vel prædeterminationem agnoverit: quid eſt enim determinari, vel moveri voluntatem a Deo ut agat, niſi ab eo præveniri?*

Quintum doctrinæ Angelicæ principium in hoc præſertim verſatur, quod ſoli voluntati Divinæ proprium, ac eximium ſit ſe ſe ipſam, independenter a quacumque alia cauſa, determinare; voluntatem autem creatam, priuſquam ſe determinet, a Deo debeat determinari, quod ſcilicet indifferens ſit, eaque indifferentia non aliter ſolvatur quam per præviam Dei motionem, qua voluntas creata determinatur & applicatur ad agendum.

Denique, Sextum doctrinæ ſuæ principium, quod pluribus in locis inculcat S. *Thomas*, petitur ex ratione entis. Nullum quippe poteſt eſſe ens, nulla formalitas, aut entis modalitas, quæ per prævium & phyſicum influxum non producatur a Deo, tanquam a cauſa prima effectrice omnium entium: Atqui omnis actio, & determinatio eſt aliquod ens (ſicut fuſe probavi in ſecunda, quam ad te ſcripſi Epiſtola) ergo omnis actio & determinatio voluntatis creatæ producitur a Deo per ſuum prævium & phyſicum influxum, hoc eſt, per Præmotionem phyſicam.

Ex his, quæ hactenus dixi, contra novam (ut gloriatur) præmotionis ideam quam producit P. *Daniel*, duplex colligo argumentum. Primum iſtud eſt: Sed illa, quæ percenſui, Angelicæ doctrinæ principia, & quæ S. *Thomas* millies in ſuis Operibus repetit. clariſſime evincunt, Deum non ſolum præmovere voluntatem creatam ad agendum in genere, ſed etiam ad hoc, vel illud in particulari, ſeu tali modo agendum: Atqui, juxta Præmotionis ideam, quam defenſat P. *Daniel*, Deus præmovet tan-

Digitized by Google

tantum voluntatem creatam ad agendum in genere, ſed non præmovet ad agendum hoc vel illud in particulari, ſeu ad tali modo agendum, ergo hæc Præmotionis idea, quam defenſat Pater *Daniel*, a principiis doctrinæ S. *Thomæ* prorſus eſt aliena.

Alterum argumentum ſic conficio: Si S.*Thomas*,dum ait: ***Quod voluntas exeat in hunc vel illum actum non eſt ab alio determinante, ſed ab ipſa voluntate***, vel ſi dum aſſerit, ***determinatione actus relinqui in poteſtate voluntatis & rationis*** eſſet intelligendus in eo ſenſu, quem ei affingit P. *Daniel*, hoc eſt, ſi vellet S. *Thomas*, voluntatem creatam ad producendum hunc vel illum actum non determinari a Deo, ſed a ſe ſola, & determinationem actus ita relinqui in poteſtate voluntatis & rationis, ut prædicta determinatio actus a ſola voluntate creata ponatur, & a Deo, tanquam a cauſa prima, non producatur per verum, realem, prævium & phyſicum influxum; ſi, inquam, eo in ſenſu (ut pertendit P. *Daniel*) hæc a ſe dicta intellexiſſet S. *Thomas*, omni procul dubio univerſa doctrinæ ſuæ principia, quæ mox indicavi, quæque, ad adſtruendam intimam dependentiam & ſubordinationem cauſarum ſecundarum a Deo, qui eſt univerſalis & effectrix omnium entium per prævium & phyſicum influxum cauſa, millies in ſuis Operibus Sanctus ille Doctor ſtabilivit; hæc, inquam, omnia ſuæ doctrinæ principia deſeruiſſet S. *Thomas*, evertiſſet, labefactaſſet, novumque poſuiſſet doctrinæ ſuæ principium, non ſolum ab his principiis, quæ conſtantiſſime defenderat; toto cælo diverſum, ſed etiam illis palam aperteque contrarium: Atqui hoc aſſerere, nihil aliud eſt, quam ſummam injuriam irrogare, huic Sancto Doctori Angelico, quo nemo certius ac firmius jactis ſemel quacumque de re diſputaret, doctrinæ ſuæ principiis ſtetit, ſicut fatentur omnes, qui ejus in Operum lectione ſunt verſati. Peſſime ergo de S.*Thoma* meretur P. *Daniel*, dum ei attribuit novam (ut ſibi blanditur) a ſe confictam Præmotionis ideam, quæ non tantum omnibus S. *Thomæ* Interpretibus, tam antiquis, quam recentioribus, tam domeſticis, quam extraneis, fuit hactenus prorſus inviſa, verum etiam omnia ipſius Angelicæ doctrinæ principia funditus convellit.

Plura ad refellendam hanc Præmotionis ideam, quam (ut jactat) commentus eſt P. *Daniel*, non addam (de eo quippe argumento ſat ſuperque, in ſecunda, quam ad te direxi, Epiſtola, diſſerui), ſed duntaxat in eos, qui pervivaciter negant, Præmotionem phyſicam, ſicut nunc in Schola Thomiſtica docetur, fuiſſe a S.*Thoma* admiſſam, hic verba uſurpabo, quæ doctiſſimus noſter *Joannes Nicolai in ſuis Annotationibus* in 1. 2. Quæſt. 109. Art. 1. habet: ***Quam ſponte***, inquit, ***cæcos eſſe oportet, qui phyſicam Præmotionem S. Thomam non vident agnoviſſe? Quid eſt enim moveri ad agendum, niſi omnino præmoveri? Quomodo ad agendum quis movet, niſi de non agente faciat agens? facitne porro de non agente agens, niſi prius in illud agat, aut præveniat ejus motum? an prævenire ejus motum ut agat, vel facere ut moveatur ad agendum, non eſt phyſice præmovere, ideſt, efficienter ac realiter? Deus eſt*** (inquit Apoſtolus Paulus cap. 2. ad Philippenſes. ***qui operatur in nobis velle & perficere***) ***Hoc eſt pium, hoc verum, ut ſit humilis, & ſubmiſſa confeſſio, & detur totum Deo*** (ait S. *Auguſtinus* cap. 13. lib. De Dono perſeverantiæ.) ***An porro velle operatur Deus; & non præmovet voluntatem? an operatur ipſum operari, ſi tantummodo operatur, vel concurrit cum operante, ſeu parato ad operandum? an totum Deo datur, ſi primus ipſe motus, vel initium operationis a Deo non eſt, ſed ſe applicat homo ex ſe ipſo?***

CLASSIS ULTIMA DOCUMENTORUM.

Seu Hiſtoricorum Monumentorum, quibus probatur, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem (ſicut nunc docetur in Schola Thomiſtica) fuiſſe Summis Pontificibus probatam, & ab ipſis maxime commendatam.

NOn eſt certe animus hìc litteris conſignare omnia Documenta, ſeu Acta & Monumenta hiſtorica, quibus evincitur, doctrinam de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia per ſe efficaci, quam propugnarunt Sancti Patres, præſertim *Auguſtinus*, & *Thomas*, fuiſſe omni ævo a Summis Pontificibus probatam, & plurimum commendatam. Si enim id oneris ſuſcipere vellem, deſcribendæ hic eſſent omnes Epiſtolę Summorum Pontificum *Innocentii* I. *Zozimi, Cæleſtini*, *Bonifacii*, *Joannis II. Hormiſdæ*, *Gelaſii* &c. qui omnes doctrinam S. *Auguſtini* de Prædeſtinatione & Gratia auctoritate Pontificia confirmarunt.

Inferenda itidem hìc eſſent Acta Conciliorum, quæ antiquitus contra Hæreticos Pelagianos, & Semipelagianos celebrata, & a Summis Pontificibus approbata, eidem S. *Auguſtini* doctrinæ maximum robur, & auctoritatis pondus addiderunt. Inferenda quoque hic eſſent Acta Oecumenici Concilii Tridentini, quibus Summi Pontificis *Pii IV.* acceſſit confirmatio, & ex quibus certiſſime conſtat (ſicut oſtendi in ſeptima, quam ad te ſcripſi, Epiſtola) Patres, qui huic Concilio interfuerunt, in confingendis Lutheranorum & Calviniſtarum circa Gratiam, Prædeſtinationem, & Liberum hominis Arbitrium hæreſibus, uſos fuiſſe avita Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina de Prædeſtinatione gratuita & de Gratia per ſe efficaci.

Integra etiam hic referri deberet narratio Facti hiſtorici *Joannis Grimani*, Patriarchæ Aquilejenſis, cujus doctrina de Prædeſtinatione & Gratia, a quibuſdam malevolis hæreſeos inſimulata, non ſolum a *Pio IV.* Pontifice Maximo, ſed etiam a Cardinalibus, Epiſcopis, & Theologis, ad id potiſſimum a Concilio Tridentino ſpecialiter deputatis, fuit ab omni hæreſeos ſuſpicione in materia Prędeſtinationis & Gratiæ immunis prorſus declarata, ſicut indubitatis monumentis palam faciunt noſtri doctiſſimi Scriptores *Antoninus Reginaldus* in ſuo aureo Opere, cui titulus eſt: *De Mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem*, & *Hyacinthus Serry* cap. 17. libri qui inſcribitur. *Auguſtinus vindicatus*, ubi ſingula monumenta, quæ ad iſtud *Joannis Grimani*, Patriarchæ Aquilejenſis, Factum hiſtoricum ſpectant, ſummatim refert, eaque ſe excerpſiſſe fatetur ex *Ughello* in Italia Sacra, ex *Andrea Mauroceno* in Hiſtoria Veneta, ex *Tyberio Decano* in Reſponſo 9. & ex Cardinali *Pallavicino* in Hiſtoria Concilii Tridentini.

Denique, arduum mihi incumberet onus producendi hic in medium ſincera Acta celeberrimarum Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ, quæ ſub *Clemente VIII.* & *Paulo V.* Sanctiſſimis & doctiſſimis Pontificibus habitæ ſunt, & in quibus quam ſtrenue, quam glorioſe pro defenſione doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Prædeſtinatione gratuita ante omnem prævisionem meritorum, & de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, decertarint doctiſſimi Scholæ Thomiſticæ Theologi, *Thomas de Lemos*, & *Didacus Alvarez*, his etiam probe notum eſt, qui Hiſtoriam harumce Congregationum primoribus duntaxat labris delibarunt. Hæc, inquam, antiqua Documenta, Acta, & hiſtorica Monumenta neceſſario hic repræſentare deberem, ſi omnium Summorum Pontificum, qui doctrinam Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* de Prædeſtinatione gratuita & de Gratia per ſe efficaci commendarunt, approbarunt, vindicarunt, longam ſeriem in præſentia attexere vellem. Poteris (ſi tibi per otium liceat) legere Epiſtolas Summorum Pontificum *Innocentii I. Leonis I. Cæleſtini I.* nec non Acta Conciliorum Carthaginenſis, Valentini, Arauſicani, & alia id genus Monumenta, quæ ſtudioſe collegit doctiſſimus noſter *Thomas*

De

De Lemos, & extant in fronte Tomi primi ejus *Panopliæ*, quæ typis mandata fuit Leodii anno MDCLXXVI. Legeſis etiam in eodem Thomo 1. *Panopliç Gratiæ* noſtri *Thomæ De Lemos* Tractatum quartum *De Hæreſibus Pelagiana*, & *Semipelagiana*, *impugnatis*, *expugnatis*, & *condemnatis*, a pag. 69. uſque ad pag. 125. ubi doctiſſimus ille Scriptor late diſſerit de Conciliis, in quibus prædictæ hæreſes fuerunt profligatæ, & aſſerta ac vindicata S. *Auguſtini* doctrina de Gratia.

Verum, cum hic labor eſſet immenſus, & aliunde omnia, quæ mox laudavi, Acta & Monumenta hiſtorica ad manum nullo negotio habere poſſis, conſulto (ne in immenſum diffundar) his referendis ſuperſedebo, & illos duntaxat proferam Summos Pontifices, qui a Sixto IV. Pontifice Maximo ad hæc uſque noſtra tempora Catholicam Eccleſiam ſapientiſſime rexerunt, nihilque ſecundum Deum prius & antiquius habuerunt, quam ut Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam de Prædeſtinatione gratuita, & de Gratia ſe ipſa efficaci ſartam tectam conſervarent, eamque ab æmulorum obtrectatorum calumniis vindicarent.

Agmen Summorum Pontificum, qui doctrinæ SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia per ſe efficaci vindicias egerunt, ducet SIXTUS IV. qui anno 1474. damnavit *Petrum Rivium*, publicum in Academia Lovanienſi Philoſophiæ Profeſſorem, qui Divina Decreta atque auxilia ſe ipſis efficacia eo potiſſimum nomine eliminanda cenſebat, quod ea Libertati humanæ officere affirmaret, eo nixus axiomate, ſeu fundamento: *Quod per neceſſariam conſequentiam ſequitur ex inimpedibili, hoc eſt inimpedibile & neceſſarium*. Hunc, inquam, *Petrum Rivium*, Ludovici Molinæ patronum, damnavit *Sixtus IV.* Pontifex Maximus; hujuſce Facti hiſtorici locupletiſſimam fidem faciunt non tantum celeberrimæ hujus Academiæ Lovanienſis Tabulæ, ſeu Commentarii, verum etiam Sapientiſſimi ejuſdem Academiæ Magiſtri in Præfatione ſuæ *Juſtificationis*, *ſeu Defenſionis Cenſuræ* (quam contra quaſdam *Leonardi Leſſii*, Theologiæ Profeſſoris, Societatis Jeſu, aſſertiones anno 1586. tulerant) prædictæ damnationis *Petri Rivii*, factæ a *Sixto IV.* diſertam mentionem faciunt, teſtanturque, hoc *Petri Rivii* axioma, ſeu fundamentum, quo etiam *Leonardus Leſſius* ad adſtruenda Decreta & auxilia Dei, ex ſe ipſis indifferentia & ſubdita Libero hominis Arbitrio, utebatur, fuiſſe a *Sixto IV.* confixum: *Quæ proinde* (dicunt doctiſſimi illi Magiſtri) *quando de purgandis rivulis fruſtra laboratur*, *niſi fontis ante omnia vitium curetur*, *diligenter expendi ac conſiderari velimus*, *præſertim cum hoc principium olim ante annos 112. Univerſitatem hanc noſtram in caſu contra quemdam Petrum De Rivo non parum exercuerit*, & *Romę agente procuranteque noſtra Facultate ſub Sixto IV. damnatum poſtea*, & *ab ipſo Authore ibidem preſente*, *revocatum ſit*; *quemadmodum ex illius temporis Actis publicis ibidem conſtare poterit*. Eidem damnationi *Petri Rivii* latæ a *Sixto IV.* fidem conciliant *Franciſcus Sylvius*, Duacenſis Academiæ lumen, in libro, quem edidit *De primo Motore*; *Balduinus Rythovius* Declamatione Academica contra Joannem Deckerium; *Didacus Alvares* Opuſculo de origine Hæreſis Pelagianæ cap. 32. *Thomas de Lemos* Part. 1. Tomi 1. *Panoplię Divinę Gratię*, & *Jacobus Hyacinthus Serry* in ea elegantiſſima, quam adornavit, *Hiſtoria Congregationum De Auxiliis Divinę Gratię*, pag. 78. 79. 80.

SIXTUS V. pro doctrina Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomę* de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, quam pro aris ac focis propugnabat Academia Lovanienſis, tuliſſe ſuffragium, aperte innuit *Henricus Henriquez*, doctiſſimus Societatis Jeſu Theologus, in libro *De fine hominis* cap. 12. ubi hæc habet: *Satis videtur*, *ſi ſententia affirmans*, *electionem ad gloriam*, *factam eſſe ex pręviſis electorum meritis*, *damnetur nota temeritatis*, *ex Doctoribus Scholaſticis ſupra citatis*, *eſſeque plane contra Auguſtinum conflat*; *quam Auguſtinum Patres in Conciliis*, & *major meliorque pars Theologorum antiquorum*, & *torrens recentiorum*

Sapientum ſequitur in omni fere Academia Orbis Chriſtiani. Quidam doctus prædicavit in Academia Lovanienſi oppoſitum cum magno ſcandalo Accademiæ; & re ad Sixtum V. delata ſuſtinuit ſuæ temeritatis acrem reprehenſionem. Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, *Sixtum V.* Pontificem Maximum, Aſſertoribus Gratiæ per ſe efficacis, & Prædeſtinationis gratuitæ ad gloriam ante omnem meritorum prævisionem ita adfaviſſe atque patrocinatum fuiſſe, ut *Henricum Gravium*, Doctorem Lovanienſem, qui cenſuram *in Leſſium & Hamelium*, totius Lovanienſis Accademiæ nomine, adornaverat, Romam, ob eximiam illius eruditionem, adſciverit, iſque clariſſimus Doctor (mortuo Sixto V.) a Gregorio XIV. ejus Succeſſore, fuerit in Aulam honorifice exceptus, Bibliothecæ Vaticanæ & Apoſtolicæ Typographiæ Præfectus inſtitutus; Eminentiſſimis Cardinalibus, ac præſertim Sancto *Carolo Borromæo*, & *Cæſari Baronio* ob egregia merita, chariſſimus, ſicut conſtat ex Epitaphio, quod ejus tumulo mærens idem Eminentiſſimus Cardinalis *Baronius* appoſuit, his verbis conceptum:

D. O. M.

Henrico Gravio, eximiæ probitatis, ſpectatæque eruditionis Viro. Quem, poſt quatuor Luſtrorum in florentiſſima Lovanienſi Academia S. Theologiæ publicam profeſſionem, Sixtus V. Pontifex Maximus, inſignis eruditionis ergo, Romam evocavit: Gregorius XIV. in Pontificiam Aulam excepit: Sed amplioribus dignum honoribus Chriſtus in Cœlum evexit, die 11. Aprilis anno 1651. ætatis ſuæ LV.

CLEMENS VIII. ad ſedandas ortas ætate ſua de Divinis auxiliis controverſias Orationem habuit die 20. menſis Martii anni 1602. in prima Congregatione de auxiliis Divinis, quæ coram ipſo habita eſt; in qua Oratione hanc primariam legem edixit, ut cuncta in examine harumce controverſiarum ad Sancti *Auguſtini* mentem eo potiſſimum nomine exigerentur; *quod ille S. Doctor nihil videatur prætеriiſſe eorum, quæ ad præſentes controverſias pertinent: quando quidem ſi agitur de neceſſitate Gratiæ, eam deſcribit dicens, eſſe neceſſe ut nos præveniat, comitetur, & ſequatur: Si de vi, aſſerit, vires efficaciſſimas præbere voluntati: Si de effectu, teſtatur facere de nolente volentem: Si de modo, aſſerit Deum id facere omnipotentiſſima facilitate.* Præter hanc Orationem, quam in Proluſione Congregationum de Divinis Auxiliis habuit *Clemens VIII.* & in qua clariſſime expreſſit Divinæ Gratiæ efficaciam, non ex conſenſu humanæ voluntatis provenientem, non ex circumſtantiis, locis, & temporibus pendentem, non ex Scientia Media futurorum conditionatorum exploratrice ortam, ſed profectam ex omnipotentia Dei, qui per gratiam ſuam facit *ex nolente volentem, præbetque vires efficaciſſimas voluntati*; præter hanc, inquam, *Clementis VIII.* Orationem, edidit idem Summus Pontifex prolixum Scriptum in quindecim Articulos partitum, in quorum quinto probat iiſdem S. *Auguſtini* teſtimoniis, quibus etiamnum utuntur Thomiſtæ, Gratiam haurire ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod ſumma Divina Majeſtas habet in voluntates hominum. Prolixum iſtud *Clementis VIII.* Scriptum inſeruit doctiſſimus noſter *Hyacinthus Serry* Appendici ſuæ *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis Divinæ Gratiæ* a pag. 95. uſque ad pag. 115. & extat etiam in fronte Tom. 1. *Panopliæ* noſtri *Thomæ De Lemos*.

INNODENTIUS X. a quo primum quinque famoſæ *Janſenii* Propoſitiones confixæ ſunt, ſæpius teſtatus eſt, SS. *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci in tuto eſſe atque in nullum diſcrimen adduci, ſed illæſam prorſus atque illibatam permanere Idem confirmaſſe Summum illum Pontificem, etiam poſt latum in quinque *Janſenii* Propoſitiones judicium. certiſſimam fidem facit Dominus *de Vallencey*, pro Chriſtianiſſimo Rege apud *Innocentium* X. Orator, in Epiſtola, quam Romæ ſcripſit die ſexta Junii anni 1653. ad Comitem *de Brienne*; in qua ei

ſigni-

Digitized by Google

ſignificat, *Innocentium X.* palam dixiſſe *ſe intactam penitus reliquiſſe Divi Auguſtini ac D. Thomæ doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci; illudque dogma ac totam ea de re controverſiam, eodem loco ſtare velle, quo fuerant a Clemente VIII. & Paulo V. conſtituta*. Hæc Domini *de Valences* Epiſtola typis edita eſt, ejuſque breve iſtud fragmentum ex gallico idiomate latine fideliter reddidi. Quin & idem Summus Pontifex *Innocentius X.* ſuam ſuper hac re voluntatem ſolemni Decreto, dato die 23. Aprilis anni 1653. teſtatam reliquit. In eo quippe conceptis verbis profitetur, *ſuper quæſtione de Divinis Auxiliis, obſervanda eſſe Decreta Pauli V. & Urbani VIII. ſuorum Prædeceſſorum*. Eodem igitur loco extant nunc Controverſiæ de Gratia ſe ipſa efficaci & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam citra ullam prævisionem merito rum, quo, ſolutis celeberrimis Congregationibus de Auxiliis, ad ſopiendas iſtas controverſias habitis ab Apoſtolica Sede relictæ ſunt.

ALEXANDER VII. qui iterato fulmine quinque *Janſenii* Propoſitiones profligavit, Doctores Lovanienſes, qui a nonnullis æmulis fuerant Janſenianæ Hæreſeos perperam inſimulati, quique datis ad hunc Summum Pontificem Epiſtolis, quibus aperte declarabant, ſe in materia Prædeſtinationis & Gratiæ ſectari doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*; Doctores, inquam, Lovanienſes *Alexander VII.* dato Diplomate die 7. menſis Auguſti anni 1660. vehementer adhortatus eſt, ut in materia Prędeſtinationis & Gratiæ firmiter & intrepide doctrinę Sanctorum *Auguſtini* & *Thomę* inhærerent, eoſque ſibi patronos adſciſcerent. *Non dubitamus*; ait ille Summus Pontifex, *quin vos pro ſingulari ſcientiæ pietatiſque ſtudio, ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicę Sedis declarationes, & Sanctorum Patrum traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri, & adverſus Orthodoxæ Religionis hoſtes defenſuri ſitis: nec non Præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum, Auguſtini & Thomę Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper & impenſe revereri velitis. Quorum profecto ſanctiſſimorum virorum, penes Catholicos univerſos, ingentia & omnem laudem ſupergreſſa merita, novi præconii commendatione non egent*. Noverat ſane *Alexander* VII. Doctores Lovanienſes eſſe acerrimos vindices & aſſertores doctrinæ de Gratia per ſe efficaci, & de Prędeſtinatione gratuita ad gloriam; noverat etiam, Doctores Lovanienſes in ſua perſtare Cenſura, quam anno 1588. tulerant in *Leſſium* & *Hamelium*, duos in Belgio Soc. Jeſu Profeſſores, qui anno 1686. *Molinæ* doctrinam publicis Concluſionibus propugnaverant; & tamen Summus ille Pontifex Doctores Lovanienſes maxime adhortatur, ut doctrinæ, quam defenſabant, indivulſe adhærerent, ac ſemper ſequerentur *præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini* & *Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata*.

Sedente INNOCENTIO. XI. Summo Pontifice, duas Propoſitiones Eminentiſſimis Cardinalibus, in univerſa Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoribus generalibus, delatæ ſunt, in quibus dicebatur: *Deum ſuam Libero noſtro Arbitrio dare ac ſubjicere omnipotentiam, ut ea, ſeu verius, donis & gratiis ejus pro nutu & imperio noſtro utamur*. Quæ duæ Propoſitiones damnatæ ac proſcriptæ ſunt, ſicut patet ex latæ cenſuræ Decreto, quod hic in rem tuam ſubjicio.

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

In Congregatione generali S. R. & Univerſalis Inquiſitionis, babita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram Sanctiſſimo D. N. Innocentio Papa XI. ac Eminentiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in univerſa Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Inquſitoribus generalibus, a Santa Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis. Cum ſupradictis Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis delatæ fuerint duæ Propoſitiones, ſcilicet: Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, ut ea utamur, ſicut aliquis donat alteri villam vel librum: *Et*, Deus ſubjicit nobis omnipotentiam ſuam, *eorumdem juſſu, per Theologos ad id ſpe-*

Digitized by Google

cialiter deputatos, diligenter examinatæ fuerunt: quorum votis auditis, & re Sanctiſſimo Domino noſtro relata, & coram Sua Sanctitate propoſita, una cum votis ipſorum Eminentiſſimorum & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium, Sanctitas Sua decrevit & mandavit, ut ambæ Propoſitiones omnino prohiberentur, ſicut eas præſenti Decreto damnat & prohibet, ut temerarias ut minimum & novas; mandatque, ne quis deinceps cujuſcumque ſit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis, aut etiam oretenus docere, vel aſſerere, ſub pœnis & cenſuris in Indice Librorum prohibitorum contentis, aliiſque Sanctitati Suæ bene viſis.

Franciſcus Ricardus, Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis *Notarius.*

INNOCENTIUS XII. Reſcripto ad Academiam Lovanienſem dato die 6. Februarii anni 1594. non ſolum veterum Pontificum de Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma Aquinate* repetit elogia, ſed etiam eidem Academiæ ſpondet certum de Orthodoxæ Fidei hoſtibus triumphum, ſi hos duos rarioris doctrinæ Magiſtros ſequantur: *Apoſtolica*, inquit Sanctiſſimus ille Pontifex, *vos primum auctoritate commonemus, ut, ſublatis contentionibus, ſapientiæ, quæ deſurſum & pacifica eſt, vacetis; profitentes, ut aſſeritis, doctrinam præclariſſimorum Doctorum Auguſtini & Thomæ: quorum ille tantæ ſcientiæ fuit, ut inter Magiſtros optimos, etiam a noſtris Prædeceſſoribus haberetur, & cujus doctrinam, ſecundum eorumdem Prædeceſſorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſervat Eccleſia: alter vero mira eruditione eamdem Dei* Eccleſiam *clarificat, & ſancta operatione fœcundat. Hos dum Univerſitas veſtra doctrinæ duces ſecuta fuerit, ſecure certabit, contra hoſtes Orthodoxæ Fidei, in Eccleſiæ gloriam & ædificationem; excitabitque in dies hanc Apoſtolicam Sedem, ut cumulatius ei præſtet paternæ caritatis officia.*

CLEMENS XI. die 28. menſis Januarii anni 1704. diris devovit quemdam male natum ac temere in vulgus ſparſum libellum, cujus Auctor *Joannes Launojus* eo veſaniæ prorupit, ut Semipelagianorum errorum, quos Eccleſia confixit, patrocinium ſuſciperet, & perfrictæ frontis audacia aſſereret, S. *Auguſtinum* docuiſſe, Chriſtum pro ſolis Electis mortem ſubiiſſe, & in materia de Gratia & Prædeſtinatione ignotos antiquis Eccleſias Patribus aperuiſſe calles, Fidelium animos turbaſſe, motus tota paſſim Africa, Gallia, Italia conciviſſe *Vvikleffo*, *Zuinglio*, *Luthero*, *Calvino*, *Janſenio* præluſiſſe: Sanctos *Proſperum*, *Fulgentium*, *Cæſarium*, *Prudentium*, *Hilarium*, *Remigium*, S. *Auguſtini* Diſcipulos, a vetuſta Sanctorum Patrum traditione in materia de Prædeſtinatione & Gratia deſciviſſe; hunc, inquam, male conſarcinatum libellum, quem ceu abortivum fœtum natalitiis tenebris damnaverat *Joannes Launojus* ne publicam ſubiret invidiam, ſtatim, ac *Launojo* humanis jamdudum rebus exempto, prodiit in lucem, Cenſura confixit *Clemens XI.* tanquam *impium, blaſphemum, necnon fulgidiſſimo Eccleſiæ lumini, maximoque Doctori Sancto Auguſtino, quin immo ipſimet Eccleſiæ, atque Romanis Pontificibus, qui ejuſdem Sancti Doctoris precelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt: injurioſum*. Conſtitutionem, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius* &c. promulgavit idem Summus Pontifex die 8. Septembris anni 1713. in qua centum & unam damnavit Propoſitiones, quarum aliquot ad Gratiam attinentes proſcripſit in ſenſu *Janſenii*, qui Gratiam, ut vocant, *neceſſitantem* admiſit; cumque, poſt promulgatam hanc *Clementis XI.* Conſtitutionem, nonnulli eſſent quietis impatientes, paciſque perturbatores, qui ab hac ſuſcipienda Conſtitutione ſe retardari affirmabant, quod ſuſpicarentur, per illam damnari ſententias, atque doctrinas, quas inſignes Catholicorum Scholæ abſque ulla cenſura hactenus tradiderant, ac tenuerant, præſertim doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de Prędeſtinatione gratuita ad gloriam ut hanc in quorumdam animis natam ſuſpicionem amoliretur Summus ille Pontifex

Digitized by Google

tifex, Litteras *ad univerſos Chriſti Fideles* die 1. menſis Septembris anni 1718. direxit; quæ ſic incipiunt: *Paſtoralis Officii*, &c. in quibus ſic mentem ſuam aperit: *Cæterum in hoc ipſo præpoſtero judicio conſuetum calumniandi modum non derelinquunt; niſi enim excæcaret eos malitia eorum, ac niſi diligerent magis tenebras, quam lucem, ignorare non deberent Sententias illas ac Doctrinas, quas ipſi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam & libere in Catholicis Scholis, etiam poſt editam a nobis memoratam Conſtitutionem, ſub oculis noſtris doceri, atque defendi, illaſque propterea minime per eam fuiſſe proſcriptas*. Sic Summus Pontifex *Clemens XI.* compeſcuit illos calumniatores, qui, ſparſis undique infauſtis ac ſeditioſis libellis, clamitabant, doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam, ſicut omni ævo in Scholis Thomiſtarum fuit propugnata, eſſe ab ipſo damnatam in hac Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*. &c.

BENEDICTUS XIII. Ordinis Prædicatorum, qui nunc Clavum univerſæ Eccleſiæ ſapientiſſime regit, & quem utinam Deus Optimus Maximus nobis diu ſoſpitem & incolumen ſervet; animadvertens, bene multos eſſe, qui doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci, & Prædeſtinatione gratuita ante omnem meritorum prævifionem, ut doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ Aquinatis* oppoſitam, eo potiſſimum nomine repudiabant, quod per ſummam & a ſæculis inauditam calumniam voce & ſcriptis palam affirmarent, hanc doctrinam a Summo Pontifice *Clemente XI.* una cum *Janſenii* & *Queſnelli* erroribus fuiſſe damnatam; voluit Summus ille Pontifex, Eccleſiaſticæ pacis amantiſſimus, & in avita Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina verſatiſſimus, ſecurim ad radicem admovere, & horunce calumniatorum ora (ſi fieri poſſet) in perpetuum obturare. Eam ob rem *Benedictus XIII.* in ſuis *Litteris in forma Brevis* datis die VI. Novembris anni MDCCXXIV. *ad univerſos Fratres Ordinis Prædicatorum*, *adverſus calumnias Doctrinæ SS. Auguſtini & Thomæ intentatas*, his verbis, laminæ aureæ inſcribendis, illos ad conſtantem doctrinæ de Gratia per ſe efficaci, & Prædeſtinatione gratuita ante prævifionem meritorum defenſionem adhortatur: *Magno igitur animo contemnite, Dilecti Filii, calumnias intentatas Sententiis veſtris, de Gratia præſertim per ſe efficaci, ac de gratuita Prædeſtinatione ad gloriam ſine ulla prævifione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuiſtis, & quas ab ipſis SS. Doctoribus Auguſtino & Thoma ſe hauſiſſe, & Verbo Dei, Summorum Pontificum, & Conciliorum Decretis, & Patrum dictis conſonas eſſe Schola veſtra commendabili ſtudio gloriatur. Cum igitur bonis & rectis corde ſatis conſtet, ipſique calumniatores, niſi dolum loqui velint, ſatis perſpiciant, SS. Auguſtini, & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque dogmata nullis prorſus antedictæ Conſtitutionis cenſuris eſſe perſtricta; ne quis in poſterum eo nomine calumnias ſtruere, & diſſenſiones ſerere audeat, ſub canonicis pœnis diſtricte inhibemus. Pergite porro Doctoris veſtri Opera Sole clariora ſine ullo prorſus errore conſcripta, quibus Eccleſiam Chriſti mira eruditione clarificavit, inoffenſo pede decurrere, ac per certiſſimam illam Chriſtianæ Doctrinæ regulam Sacroſanctæ Religionis veritatem, incorruptæque diſciplinæ ſanctitatem tueri ac vindicare. Hæc ſunt enim, Dilecti Filii, quæ Prædeceſſores noſtri de Sancti Thomæ doctrina ſenſerunt & prædicarunt; quæque nos, non modo ad curarum veſtrarum lenimentum, ſed ad animi quoque noſtri ſolatium libentiſſime uſurpamus, & præconio Apoſtolicæ vocis efferimus. Inclytus enim Ordo iſte, cui nomen dedimus, & quem expreſſe, Domino miſerante profeſſi ſumus, eodem Angelicæ Doctrinæ lacte nos abluit, ac licet impari inſtitutionis fructu ad gerendam Eccleſiarum ſollicitudinem eduxit, ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento ediſcere potuerimus, quod ex Apoſtolatus ſpecula per haſce Litteras annunciamus*, &c.

Verum, quia calumniatores Scholæ Thomiſticæ haſce Litteras Pontificias clanculum arrodere, ac palam etiam ſal-

falſis ac detortis interpretationibus eludere atque interpolare pro viribus moliebantur, meruerunt habere fulmen ſecundum. At enim, idem Summus Pontifex *Benedictus XIII.* ſeptimo Kal. Junii anni 1727. *Conſtitutionem* promulgavit, qua confirmavit Privilegia Ordini Prædicatorum a S. Sede hactenus indulta, noviſque conceſſionibus ampliavit. In hac autem *Conſtitutione* paragrapho quadrageſimo primo, non ſolum Summus ille Pontifex Litteris ſuis *in forma Brevis*, ad univerſos Fratres Prædicatores die VI. menſis Novembris anni MDCCXXIV. directis, quæ incipiunt: *Demiſſas preces* &c. novum addit robur, ſed etiam turbulentorum ac pertinacium Eccleſiæ Catholicæ perturbatorum calumnias retundit his verbis: *Ut autem turbulenti ac pertinaces tranquillitatis Eccleſiæ Catholicæ perturbatores deſinant Orthodoxam S. Thomæ Doctrinam calumniari, ac ne deinceps præpoſteris & a veritate alienis interpretationibus Apoſtolicas ipſas Literas noſtras, non ſine aperta, ut accepimus, verbis noſtris, ac etiam Deceſſorum noſtrorum irrogata violentia, tam Prædicatorum Ordinem, quam alios veros illius Aſſeclas, & Sectatores inceſſere audeant; Conſtitutioni nonageſimæ octavæ, quæ incipit*: Paſtoralis Officii &c. *Fel. rec. Clementis XI. omnibuſque in ea contentis firmiter inhærentes, ſub Divini interminatione judicii, iterumque ſub Canonicis pœnis omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus mandamus, ne Doctrinam memorati Sancti Doctoris, ejuſque inſignem in Eccleſia Scholam, præſertim ubi in eadem Schola de* DIVINA GRATIA PER SE ET AB INTRINSECO EFFICACI, AC DE GRATUITA PRÆDESTINATIONE AD GLORIAM SINE ULLA MERITORUM PRÆVISIONE *agitur, ullatenus dicto, vel ſcripto contumelioſe impetant, ac velut conſentientem cum damnatis ab Apoſtolica Sede, & ſignanter a Conſtitutione ſexageſima quarta dicti felicis recordationis Clementis XI. incipiente*: Unigenitus, *Janſenii, Queſnelli, & aliorum erroribus, traducant, a quibus S. Thomas, & vera Sbola Thomiſtica quam longiſſime abeſt, & abfuit, univerſis tam antiquis, quam nunc Chriſti Eccleſiam vexantibus hæreſibus, & pernicioſis aſſertis adverſans. Damnamus item folia, Theſes & libros ante hac Typis impreſſos, vel etiam, quod Deus avertat, imprimendos; in quibus ad procreandam, ſeu fovendam Doctrinæ S. Thomæ, Prædicatorum Ordini aliiſque genuinæ Thomiſticę Doctrinę Aſſeclis invidiam, deſignatæ atque damnatæ a nobis calumnię aſſertive renovantur, vel in aliam a germana prædictarum noſtrarum Litterarum ſententia, ſive Deceſsorum noſtrorum mente, honorifica, atque faventia Doctrinę Thomiſticę verba fallaciſſime detorquentur.*

Poſtquam hæc Summi Pontificis *Benedicti XIII.* Conſtitutio, quæ incipit: *Pretioſus in conſpectu Domini*; & in qua tot elogiis celebratur Doctrina *S. Tho. Aquinatis de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam citra prævifionem meritorum* prodiiſſet in lucem VII. Kal Junii anni MDCC. XXVII. vetuſtiſſima Placentina Theologorum Univerſitas (in Italia ſub dominio Ducis Parmenſis) die ſexta menſis Novembris ejuſdem anni MDCC. XXVII. congregata unanimi conſenſu ſtatuit ac decrevit, ut omnes in eadem Univerſitate Theologica laureati & aggregati, præſentes & abſentes, laureandi & ſimul aggregati, vel dumtaxat aggregandi, tenerentur ad profitendam, tuendam, & promovendam inconcuſſam D. *Thomę Aquinatis* doctrinam pro omnibus futuris temporibus; & ad perpetuam hujus rei memoriam condidit publicum Inſtrumentum his verbis conceptum.

„ Cum ad pias aures Sereniſs. & Clementiſs. Ducis Antonii Farneſii pervenţum fuerit, vetuſtiſſimam hanc „ Theologorum Univerſitatem a felicis „ memoriæ Innoc. IV. Pont. Max. Lugduni ſedente, octavo Idus Febr. anni „ 1242. Epiſcopo, Clero, cunctiſq; Placentiæ Proceribus ſubmiſſe flagitantibus „ per Bullam, quæ incipit: *Quia profectum Terræ veſtræ in viſceribus amplectimur charitatis, &c.* erectam, ac eiſdem Privilegiis, indulgentiis, libertatibus & immunitatibus, quibus Pariſienſis, aliięque Studiorum generalium univerſitates fruuntur, decoratam, ex

San-

„ Sanctorum Patrum Catalogo ab exordio ſuæ inſtitutionis S. Hieronymum pro peculiari Protectore ſelegiſſe, & die vigeſima Aprilis anni 1718. D. Thomam Aquinatem Comprotectorem adjunxiſſe; idem Sereniſſimus ac religioſiſſimus Dux & beneficentiſſimus Patronus ſuæ maximę devotionis ſpiritu ductus in Sacrum Prædicatorum Ordinem, præcipueque venerationis in mirabilem S. Thomæ Doctrinam, poſt accuratam ponderationem ut de præfata Doctrina ſequenda & amplianda Decretum efformaretur, & in Actis Collegii deſcriberetur, ab omnibus tam laureatis & aggregatis; quam laureandis & aggregandis in poſterum inviolabiliter obſervandum approbavit. Siquidem tãtum Eccleſiæ Doctorem, tanquam Sanctum Advocatum magno cum apparatu & cultu, annuo recurrente feſto, in Altaribus collegialiter adorare, ſimulque tanquam Sapientiſſimum Magiſtrum in Cathedris proſequi ſolet hæc Placentina Univerſitas, quemadmodũ declarant duo nova Collegii Sigilla, novaque deaurata Clava, impreſſam utriuſque doctoris imaginẽ exhibentia, expenſis Comitis Theologi Coſtæ effabre elaborata, una cum glorioſa inſcriptione aureis caracteribus in marmorea Tabula ſculpta ſupra fores Dominicani Capituli, in quo Collegiati Doctores vigore licentiæ ab admodum RR. Patribus Prædicatoribus S. Joannis in Canalibus conceſſæ & ab eorumdem Patre Reverendiſſimo Magiſtro Generali Auguſtino Pipia, nunc Eminentiſſimo S. R. Eccleſiæ Cardinali, in perpetuum firmatæ, congregari ſolent.

„ Quapropter, omnibus & ſingulis Theologis Collegiatis, Placentiæ commorantibus, per Dominum Decanum Laurentium Bazani, Eccleſiæ Parochialis S. Martini Rectorem, die ſexta Novembris anni 1727. in eodem loco convocatis, & audito ore tenus Sereniſſimæ Celſitudinis prælaudato ſenſu, a Decano expreſſo & confirmato per Epiſtolam, quam de Sereniſſimi Ducis ordine Comes & Eques Vincentius Piazza, præclarus Ducalis Aulæ Magiſter, Patri Magiſtro Fr. Decio Bonaventuræ Graſinio, Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium, ſcripſerat, alta & intelligibili voce lectam a Carolo Patritio Suſſano, Notario Collegii publici, & Cancellario hujus Collegii prædicti; Patres Theologi, unanimes, intenta cordis hilaritate, externoque plauſu annuerunt. Decanus igitur, aliique Theologi, adherentes plurium celeberrimarum Religionum & Academiarum veſtigiis, quæ Angelici Doctoris veridicam & Catholicam Doctrinam profiteri, docere, & toto virium conatu cuſtodire non deſinunt; Apoſtolicis Eccleſiæ Traditionibus; cęleſtibus Orthodoxorum Patrum Hieronymi, Auguſtini, Ambroſii, & Gregorii documentis; & Canonicis Scripturis, quibus omnino conſonat; Oecumenicorum Conciliorum Florentini, & Tridentini præſertim definitionibus, quæ ad extirpandas Hæreſes, & noſtræ Fidei Dogmata firmius corroboranda, Angelicas veritates adhibuerunt: Et ulterius perpendentes iidem Theologi egregias laudes excelſaque encomia, quibus extollitur & celebratur Angelicæ Doctrinæ ſecuritas a Summis Pontificibus Innocentio VI. Urbano V. Alexandro VII. Clemente VIII. Paulo V. Sixto V. & nuper Benedicto XIII. in Litteris in forma Brevis incipientibus: *Demiſſas preces*, emanatis quoque die Novembris anni 1724. & in Conſtitutione, in lucem edita hoc ipſo anno VII. Kalendas Junii, incipiente: *Pretioſus in conſpectu Domini* §. 41. &, quod mirabilius eſt, ab ineffabili incarnati Verbi Oraculo illis verbis prolatis: Bene ſcripſiſti de me Thoma; libenter decreverunt & decernunt, omnes & ſingulos laureatos & aggregatos, præſentes & abſentes, laureandos & ſimul aggregandos, vel duntaxat aggregandos, teneri & auctorari ad profitendam, tuendam, & promovendam inconcuſſam D. Thomæ Doctrinam pro omnibus futuris temporibus; utque hoc Decretum in viridi obſervantia adeo neceſſaria ad Angelicæ Doctrinę & Catholicæ Religionis incrementum ſemper vigeat & conſervetur, pariter in Actis & Statutis Collegii exarari debere ſanxerunt Interim,

„ rim, peractis Omnipotenti Deo gra- „ tiis de accepto beneficio, hos duos ita „ acclamatos ſapientia & pietate San- „ ctæ Eccl. Doctores, Hieronymum, & „ Thomam Aquinatem, coætaneum „ Pariſiis & alibi familiariſſimum Se- „ raphici Doctoris Bonaventuræ Colle- „ gam, non ſolum particulares Advo- „ catos, ſed etiam Magiſtros noſtros „ electos, venerabimur, Divinam cle- „ mentiam exorantes, ut, eorum in- „ tercedentibus meritis, quæ in veri „ ſenſu Sacrarum Scriptorum gloſſa & „ expoſitione, nec non in perſpicua „ cujuslibet Theologiæ dilucidatione & „ methodo, Divino Spiritu afflati re- „ ſpective docuerunt, intellectu con- „ ſpicere, & quæ ambo in via Chri- „ ſtianæ perfectionis egerunt, imitatio- „ ne complere valeamus.

Epiſtola Domini *Bartholomæi Saſſarini*, Univerſitatis Mutinenſis Rectoris ampliſſimi, ad Sanctiſſimum BENEDICTUM XIII. Pontificem Maximum.

BEATISSIME PATER.

CUm Pater Magiſter F. Joannes Dominicus Agnani ex inſigni Ordine Prædicatorum probare vellet egregio beneficio amorem, quo proſequitur hanc Mutinenſem Univerſitatem, in qua ille pridem, non ſine magna ſui laude, publice Scientias edocuit, Sanctitati Veſtræ humillimas preces exhibuit, eidem huic Univerſitati Privilegii, ac facultatis confirmationem, & quatenus opus eſſet, conceſſionem impetraturus, donandi laurea Theologali quotquot in hac Scientia ſatis excelluiſſe probaſſet: Annuit votis clementiſſima Veſtra Beatitudo, atque ille ad me ejuſdem Univerſitatis, & S. Caroli Congregationis Rectorem ſupplices libellos gratioſo reſcripto ſignatos tranſmiſit, quos quanto exceperim gaudio, difficile dictu eſt. Intelligebam enim quanta fieret huic Univerſitati decoris acceſſio, quantum exinde Scientiis ipſi accederet Dignitatis, & ornamenti, unde diſcentium animi in dies ad hæc ſtudia capeſſenda incitarentur acrius, atque inflammarentur. Quare, cum tota hæc Congregatio mecum plane videat, Diſcipulos Divi Thomæ non tantum firmitate, & ſublimitate Doctrinæ magno ſibi eſſe ornamento, ſed etiam pro viribus augere decorem, atque incrementa promovere, ideo mecum ſtatuit, ut in poſterum, quod fieri jamjam cœperat Doctrina publice tradenda, ab Angelici Doctoris fonte hauriatur, quippe quæ quantum ſublimitate eminet, tantum ab omni prorſus erroris ſuſpicione remotiſſima eſt, quod eo fidentius aſſerere poſſumus, poſtquam ſupremo Sanctitatis Veſtræ oraculo extra omnem dubitationis aleam poſitum fuiſſe libentiſſime, ac gratulanter accepimus.

Fulgebit ergo nitidius Angelici Doctoris lumen in hac etiam Univerſitate, poſtquam invidas nebulas Veſtra Beatitudo deterſit, atque fugavit. Fulgebit, inquam, & radios ab una ſaltem ex hiſce Cathedris effundet, quæ ſemper uni, ex inſigni Prædicatorum Ordine patebit, ut etiam nunc de facto patet egregio & erudito viro Patri Frati Jo: Paulo Ricci publico Profeſſori. At ſi tanto grati animi ſenſu efficior erga rivulum per quem ad me beneficia tanta fluxerunt, quis meus erit ſenſus erga fontem, unde illa eadem profluxerunt? En itaque Solio Sanctitatis Veſtræ venerabundus provolvor, & quoniam beneficii amplitudo omnem dicendi copiam excedit, ideo illud unum uſurpaverim, quo nihil poteſt facundius, ſcilicet gratias, quas poſſum, humiliter ago, atque hoc ipſum ſentiendo copioſius, quam loquendo. Interim vota concipio, ut D. O. M. incolumitati Beatitudinis Veſtræ proſpiciens, felicitati noſtræ conſulat, conſulat univerſalis Eccleſiæ utilitati, & Apoſtolicam Benedictionem demiſſiſſime expoſcens ſanctiſſimis pedibus oſcula libo.

SANCTITATIS VESTRÆ

Mutinæ 10. *Aprilis* 1728.

Humillimus, obedientiſſimus Servus obſequentiſſimus
Bartholomæus Saſſarini.

Lit-

Litteræ, In forma Brevis, BENEDICTI XIII. ad *Bartholomæum Saſſarinum*, Univerſitatis Mutinenſis Rectorem.

Dilecto filio Bartholomæo Saſſarino, *Rectori Univerſitatis Mutinenſis*:

BENEDICTUS PP. XIII.

Dilecte fili, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm primum oblatas per dilectum filium *Joannem Dominicum Agnanum*, noſtri Ordinis Prædicatorum Profeſſorem, ſupplices pro Univerſitatis iſtius rationibus preces accepimus, libenter communibus votis obſecundantes, curavimus, ne quis ſollicitudinis ſcrupulus cuiquam ſupereſſet de facultate Laureæ Theologalis, ſive antea delatæ, ſive in poſterum deferendę. Nam ejuſdem dilecti filii merita perſpecta nobis admodum & commendata, tum præclara inſignis Collegii Studia in Angelicam Sancti *Thomæ* Doctrinam, non obſcurum propenſæ noſtræ voluntatis argumentum depoſcere videbantur Nuper vero in tuæ obſervantiæ ſignificationibus, pios, gratoſque Univerſitatis ſenſus paterne complexi, illud ipſum Pontificiæ benevolentiæ teſtimonium novo Apoſtolicæ benignitatis monumento conſignandum reputavimus. Itaque per haſce etiam noſtras in forma Brevis Litteras, ratam, firmamque eſſe decernimus, & declaramus Theologalis Laureæ juris emeritis conferendæ, quam antea diximus facultatem. Cum autem ad fovendum, augendumque ſacrarum artium cultum, & diſciplinam intenta eſſe providentiæ veſtræ conſilia ſatis intelligas, enitere, dilecte fili, ut pari contentione virtutis charitati noſtræ, & publicæ expectationi Collegarum opera cumulatiſſimæ reſpodeat, ſanæque Doctrinæ, & Eccleſiaſticis Studiis fructus noſtræ beneficentiæ conſtet in dies uberior. Ac tibi, dilecte fili, Collegiſque tuis Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIII. Junii MDCCXXVIII.

Carolus Archiep. Emiſſenus.

En, cariſſime Diſcipule, præcipua Documenta, & hiſtorica Monumenta, quibus certiſſime conſtat, doctrinam S. *Thomæ* de Gratia *prædeterminatrice & per ſe efficaci*, ad omnes & ſingulos pietatis actus pręſertim neceſſaria, noſtra etiam ætate, poſt damnatos errores *Janſenii*, & *Queſnelli*, fuiſſe a Summis Pontificibus, potiſſimum a *Benedicto XIII.* in maximo pretio habitam, illiuſque Angelici Doctoris Scholam, quæ, eidem doctrinę firmiter adhærens ſemper de Eccleſia bene merita eſt, impenſe eſſe laudatam ac commendatam. Quod ſane, ut obiter dicam, non ſine ſpeciali providentia Dei factum eſſe exiſtimo. Voluit quippe Deus in hiſce turbulentis & periculoſis temporibus dare Eccleſiæ ſuæ, tot tempeſtatibus agitatæ, Sanctiſſimum Pontificem *Benedictum XIII.* Ordinis Prædicatorum, qui Doctrinam S. *Thomæ*, ejuſque celeberrimæ Schole, qua a teneris annis ipſe imbutus eſt, vindicaret a calumniis obtrectatorum. Æquiſſimum enim erat, ut quem univerſa Eccleſia Doctorem Angelicum jam venerabatur; quem Sacroſancta Synodus Tridentina, Spiritus Sancti lumine pleniſſime affuſa, in dirimendis Fidei Coutroverſiis (ut refert Sacer ejus Orator) Lydium lapidem probaverat; cujus Doctrinam *a Deo infuſam & miraculis plenam* dixerat *Joannes XXII.* Quam *ut veridicam & Catholicam, totiſque viribus ampliandam* curaverat *Urbanus V.* Quam velut *certiſſimam Chriſtianæ Doctinæ regulam, omniumque Hæreſum peremptricem* commendarat S. *Pius V.* Quam ut ſequeretur florentiſſima Societas Jeſu deſiderabat vehementer *Clemens VIII.* ſicut in executionem hujus ſancti deſiderii ſtatutum legimus in Conſtitutionibus ejuſdem Societatis, Decreto quinquageſimo ſexto Congregationis quintæ: Cujus Angelicæ Doctrinæ Auctorem, ſcilicet S. *Thomam*, idem *Clemens VIII.* appellaverat *Divinæ voluntatis Interpretem*, *ingentemque ab illo Librorum numerum in omni fere diſciplinarum genere*, *abſque*

ullo

ullo prorſus errore fuiſse conſcriptum, teſtatus erat: Quem etiam *Paulus V.* *ſplendidiſſimum Catholicæ veritatis Athletam* proclamaverat: Cujus Dogmata *Alexander VII.* in Brevi Apoſtolico, ad Doctores Lovanienſes miſſo, *Tutiſſima & inconcuſsa* eſſe declaraverat: Ad cujus denique illibatam Doctrinam in materia de Gratia fideliter ſectandam, & ſtrenue propugnandam, eoſdem Doctores Lovanienſes ſollicite adhortatus erat *Innocentius XII.* in ſuo Reſcripto ad Academiam Lovanienſem: Æquiſſimum (inquam) erat, ut poſt tot Summos Pontifices, qui tam præclaris encomiis & laudibus Doctrinam S. *Thomæ* extulerant, tandem *Benedictus XIII.* Ordinis Prædicatorum, veſtigiis ſuorum Prædeceſſorum inſiſtens, novum eidem doctrinæ S. *Thomæ*, quam apprime callet, ſplendorem conciliaret, palamque declararet, ſententiam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci ac prædeterminatrice, quæ ad germanam mentem Sancti illius Doctoris Angelici exacta eſt, non modo nihil, ex *Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* errorum damnatione, detrimenti cœpiſſe, verum etiam multo majorem exinde in Eccleſia Catholica auctoritatem obtinuiſſe.

O utinam! tot Summorum Pontificum Decretis & Conſtitutionibus tandem aliquando obtemperarent Scholæ Thomiſticæ oſores, & deſinerent eaſdem recoquere calumnias, quas Thomiſtarum Doctrinæ de Gratia per ſe efficaci & Prædeterminatrice, perperam intentarunt duo nuperrimi, quos hactenus in meis Epiſtolis confutavi, Societatis Jeſu Scriptores, *Gabriel Daniel*, & *Livinus De Meyer*, quorum prior in ſuis ad noſtrum *Natalem Alexandrum* Epiſtolis aſſerere audet, Sententiam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice eſſe penitus alienam a mente SS. *Auguſtini & Thomæ*, per eam Deum fieri auctorem peccati, tolli Liberum Arbitrium, proſcriptos inſtaurari errores *Janſenii*: alter vero in ſuis Diſſertationibus *De Mente Concilii Tridentini* fidenter pronunciat, *Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci eſse Hæreſiarcharum Lutheri*, & *Calvini purum putumque commentum, quod in Concilio Tridentino damnatum eſt*. Certe hujuſmodi Scriptores, qui S. *Thomæ*, ipſiuſque celeberrimæ Scholæ Doctrinam, a tot Summis Pontificibus approbatam, impetere non deſinunt, appoſite doctiſſimus noſter *Joannes S. Thoma* in *Approbatione Doctrinæ a S. Thomæ* Diſput. 1. Art. 2. ſic jure optimo perſtringit: *Quid de privatis in Sanctam Virum* (ſeu Doctorem Angelicum) *laudationibus dicent, qui Eccleſiæ ſic approbanti non acquieſcunt? Sic laudanti non obſecundant? Ecce tanta laudum cumulatio, qualis pro nullo alio Doctore amplior invenitur, quæ maxime animos omnium adſequendam venerandamque tam admirabilem Doctrinam incitare debuit, in amaritudinem convertitur, & in zelum æmulationis: & nec ipſa tanti viri ſanctitas, ac beatitudo, nec Eccleſiæ univerſalis commendatio, nec tot Pontificum tam gravis & deliberata approbatio & laus, coercere ingenia libera poteſt, quin ſe in S. Doctorem, ejuſque Scholam minus propenſos & gratos oſtendant, nec tantam Beati Viri gloriam in ejus commendanda Doctrina ſe poſſe ferre palam manifeſtent.*

Si igitur peregrinis opinionibus & erroribus, qui hac noſtra tempeſtate circumferuntur, aditum præcludere velimus; ſi jam diu ejectam ac profligatam Eccleſiæ pacem poſtliminio revocare, & omnes diſſenſiones, quibus, proh dolor! in materia de Gratia perſtrepit univerſus Orbis, tollere peroptemus; S. *Thomam*, verum S. *Auguſtini*, Summi Gratiæ Doctoris Diſcipulum & Interpretem, audiamus; ejus illibatam Doctrinam, quæ, a Summis Pontificibus tot encomiis celebrata, nec deficere unquam, nec periclitari poteſt, ſtudioſe ſequamur; ab ea ne latum quidem unguem diſcedentes, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, ſed huic ſacræ anchoræ jugiter, & indivulſe adhærentes. *Felix etenim eſſet totus qua late patet Orbis* (dicebat olim ſæpius Eminentiſſimus Cardinalis *Hieronymus Caſanate*, cujus memoria

in

in Ordine Prædicatorum, ſed præſertim in Collegio noſtro Caſanatenſi, ſemper in benedictione erit) *felix eſſet totus Orbis* (inquiebat ille Cardinalis omni laude ſuperior) *ſi una D. Thomæ Doctrina ubique obtineret; ſi unus in Scholis & Academiis Thomas Doctor audiretur, & conſuleretur in dubiis; nullę eſſent in Orbe Hæreſes, nulla emergeret aut pullularet in Doctrina Morali, quæ conſcientias hominum regit, relaxatio, aut corruptela morum; nulla in Myſtica Theologia, quæ ſanctitati viam ſternit, exerratio vel illuſio*.

Sed tempus eſt ut vela contraham, & finem tandem imponam huic argumento, de quo hactenus in meis Epiſtolis ſat ſuperque differui, videlicet de *Præmotione phyſica*, ſeu de *Gratia per ſe efficaci prędeterminatrice*, quam ad omnes omnino actus cum naturales, tum ſupernaturales, tam in ſtatu naturæ lapſæ, quam in ſtatu naturæ innocentis, neceſſariam eſſe commonſtravi: Quam ab objectionibus, ſeu potius a cavillationibus & calumniis, quibus duo moderni Societatis Jeſu Scriptores, Scholæ Thomiſticæ adverſarii, *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer*, eam impetunt, totis Ingenii mei viribus vindicare ſtudui: Quam multis locupletiſſimis Documentis & hiſtoricis Monumentis, petitis ex Oecumenico Concilio Tridentino, & ex variis Oraculis, Decretis, & Conſtitutionibus Summorum Pontificum valavi ac munivi: Quam demum genuinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ Aquinatis* menti, eorumque doctrinæ inconcuſſis principiis maxime conſentaneam eſſe pluribus argumentis evici.

Aliud argumentum in his, quas ad te deinceps ſcripturus ſum, Epiſtolis, tractandum ſuſcipiam, quod ſane ſummi momenti eſt, & tua ſingulari cura, diligentia & attentione dignum. Cum enim ſæpe laudatus *Gabriel Daniel* in ſuis Epiſtolis ad noſtrum *Natalem Alexandrum* doctrinam Scholæ Thomiſticæ de *Gratia ſe ipſa efficaci prędeterminatrice* non tantum vanis paralogiſmis (quos abunde dilui) impugnare tentaverit, verum etiam eidem doctrinæ, quam ignorare haud poterat fuiſſe a Summis Pontificibus ſæpe approbatam, illiberalem Ianſeniſmi notam affricuerit; exiſtimavi, tam atrocem injuriam ſurda aure me præterire non debere, ſed potius indictam mihi omnino eſſe vindicandi Scholam Thomiſticam neceſſitatem, quam non liceat eluctari, niſi cum maximi criminis confeſſione, & infamia.

Memini, me olim legiſſe in Vitis Eremi Patrum, fuiſſe unum ex his SS. Cænobitis, qui alterum rogavit, ut in ipſum jaceret omne convitiorum genus, nec ab ullo quamvis aſpero abſtineret. Hanc conditionem accepit ille, & Sanctiſſimum hunc Cænobitam ad virtutis exercitationem aggreſſus, a minoribus convitiis ad majora proceſſit; & exhauſtis omnium vitiorum nominibus, tandem illum pleno ore Hæreticum vocavit. Exultabat Vir ſanctus ad reliqua convitia, ſed ubi hæreſis crimen audivit ſibi impoſitum; excanduit, nec potuit ſe continere, atque animi ſui mutationem excuſavit his verbis: *Cæterorum peccatorum me reum agnoſco, & haberi lætor: At, Hæreſis accuſari non feram, non patiar, non ſinam. Nam licet omnium criminum genere gravarer præſto eſſet remedium a Fide; ſed ſi ſemel a Fide deficerem, nulla mihi ſpes ſalutis reſidua eſſet*.

Hoc ego Sancti illius Cænobitæ exemplum pro viribus imitabor. & æquo, lætoque animo patiar cæteras injurias, quæ meam qualemcumque famam in diſcrimen adducere poſſent; aſt, publicam Calviniſmi, & Janſeniſmi dicam, quam Scholæ Thomiſticæ ſcribere non verentur duo illi ſæpius citati recentiores Scriptores nullo pacto feram; ſed juſtam tam gravis accuſationis vindicationem a me extorquebit eorum importunitas. Adverſus iſtam Hæreſeos accuſationem præſentiſſimum in his (quas deinceps ad te, cariſſime Diſcipule, ſcribam) Epiſtolis, parabo Antidotum; omnique argumentorum genere demonſtrabo, doctrinam *Calvini*, & *Janſenii*, & quantum ad virulenta pricipia, quibus nititur, & quantum ad conſecutiones erroneas & hæreticas quæ ex his effluunt, tantum diſtare a

Do-

Doctrina Scholæ Thomiſticæ de *Gratia ſe ipſa efficaci ac prædeterminatrice*, quantum lux a tenebris, a die nox, & Oriens diſtat ab Occidente; ex quibus aperte conſtabit, Janſeniſtas de Thomiſtarum contubernio perperam gloriari. Quin etiam evincam, inter omnia, quæ nunc de Divina Gratia iu Scholis Catholicis Syſtemata docentur, nullum eſſe, quod *Janſenii* doctrinæ, ab Eccleſia profligatæ, infeſtis principiis, & hęreticis conſecutionibus, quæ ex illis principiis deducuntur, magis ſit oppoſitum ac contrarium, quam Syſtema Thomiſtarum de *Gratia per ſe efficaci ac prædeterminatrice*. Quod ſi invictis, ut ſpero, argumentis, citra ullam tamen verborum acerbitatem ſemel demonſtravero; profecto in auras fumumque evaneſcet teterrima illa Calviniſmi, & Janſeniſmi accuſatio, quam *Gabriel Daniel*, *Livinus Meyer*, & alli quidam Scriptores, per ſummam injuriam intentarunt Scholæ noſtræ Thomiſticæ. Vale, cariſſime Diſcipule, & ad puriſſimum Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* Doctrine fontem anhela, ibique limpidiſſimas aquas Divinæ Gratiæ (quam hactenus in meis Epiſtolis juxtu Sanctorum illorum Patrum mentem, expoſui) largiſſime bibe, ut ſitim omnem hac ſpirituali potione depellas. Fuge potiſſimum Doctrinas his temporibus a Sancta Sede damnatas, quæ, ex lutoſis lacunis derivatæ, tanto nocent periculoſius quanto alienos menaitæ colores ſerpunt occultius.

FINIS

Primæ Claſſis Epiſtolarum de Præmotione, ſeu de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci.

I N-

R. P. F. IGNATII HIACYNTHI
AMAT DE GRAVESON

Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, & Collegii Caſanatenſis Theologi, Ord. Prædicatorum,

EPISTOLÆ
AD AMICUM SCRIPTÆ
THEOLOGICO-HISTORICO-POLEMICÆ

IN QUIBUS

Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem prævíſionem meritorum, contra Scholæ Thomiſticæ Adverſarios aſſeritur ac vindicatur.

CLASSIS SECUNDA.

OPUS

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIII. PONTIF. MAX.

NUNCUPATUM.

VENETIIS, M. DCCXXX.
Apud Joannem Baptiſtam Recurti.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

MONITUM AUCTORIS AD LECTOREM.

PRODIT in lucem bonis avibus, beneque fortunante DEO, *SECUNDA CLASSIS EPISTOLARUM*, quas de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem meritorum præviſionem ſcripſi ad Amicum, & in quibus data opera Scholam Thomiſticam, de Eccleſia optimè meritam, vindico, ut par eſt, à teterrima Calviniſmi & Janſeniſmi nota, quam nuperrimè *Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer*, ambo Societatis Jeſu Theologi, ei perperàm impegerunt. Hanc putidam calumniam in iſtis Epiſtolis diſpungo invictis (ni meus me fallit animus) momentis, necnon locupletiſſimis, & omni exceptione majoribus teſtimoniis plurium inſignium ejuſdem Societatis Jeſu Theologorum, qui benè multis doctiſſimis editis lucubrationibus luce meridiana clariùs probarunt, Thomiſtas nihil planè negotii, commercii, & ſocietatis in materia de Gratia habere cum *Janſenii*, & Janſeniſtarum doctrina, ſæpiùs ab Eccleſia Catholica anathemate perculſa.

Verùm, ut ingenuè dicam, cùm in tot Scriptorum citandis teſtimoniis aliqua mihi exciderint, quæ rem omninò conficere poſſunt, neceſſarium duxi ea hìc inſerere, præſertim cùm nec dubia, nec ſuſpecta ſint, utpotè data à viris probatiſſimæ fidei, quos ipſimet Scholæ Molinianæ Theologi ſuæ doctrinæ patronos ac defenſores ſe habere gloriantur.

In primis, profero egregium teſtimonium Illuſtriſſimi Domini *Franciſci Solignac De Fenelon*, Archiepiſcopi Cameracenſis, qui in *Decreto & Documento Paſtorali ad Clerum & Populum ſuæ Diœceſis*, quod anno MDCCIV. contra Janſeniſtas promulgavit, hæc in gratiam doctrinæ Scholæ Thomiſticæ habet, *Abſit à nobis* (inquit Illuſtriſſimus ille Archiepiſcopus) *ut velimus bono loco*

laudes elevare , quæ ab omnibus Eccleſiis Thomiſticæ Scholæ idcircò tributæ ſunt , quòd prima neceſſitantem Lutheri & Calvini Gratiam oppugnaverit . Thomiſtæ ad hanc refellendam hæreſim aggreſſi , primum id pro Fidei dogmate poſuerunt , juſto peccanti, ac peccato ſuo æterna inferorum ſupplicia promerenti, præſto eſſe proximam non peccandi poteſtatem ; neque deeſſe Gratiam verè ſufficientem , qui præceptum poſitivum eo temporis puncto , quo præceptum urget , exequi poſſit ...... Cum autem Fides doceat , voluntatem ſolis , quas ipſa per ſeſe habet , viribus utentem , nunquàm poſſe actum quempiam ſupernaturalem exprimere , neceſſarium eſt ad ſtabiliendam proximam in actibus ſupernaturalibus poteſtatem , ut in hanc Gratia verè ſufficiens, quæ ad illos actus pertineat , admittatur . Hinc eorum , qui veri ac germani Thomiſtæ ſunt , ſententia ad poteſtatem verè in his occaſionibus proximam , Gratiæ verè ſufficientis beneficio ſtabiliendam , revocatur .

Hanc Thomiſtarum doctrinam poſtquàm perſpicuè expoſuit Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Cameracenſis , ab ea doctrinam *Janſenii* , ejuſque Diſcipulorum quàm longiſſimè diſtare circà hæc duo capita *de poteſtate proxima* , & *de Gratia ſufficienti* liquidò probat ex ipſamet confeſſione Auctoris *Litterarum Provincialium* , ſeu *Blaſii Paſchalis* , qui in Epiſtola I. Janſenianorum partes agens . & *de poteſtate proxima* diſputans , hæc habet : *Felices , quibus iſtud poteſtatis proximæ nomen incognitum eſt ! Felices , qui ejus ortum anteceſſerunt : omninò hujus mali unam video medicinam , ſi noſtri Academici barbaram hanc vocem , tot turbarum ſemen , pro imperio è Sorbona ejiciant*. Et in Epiſtola ſecunda idem Auctor *Litterarum Provincialium* , differens *de Gratia ſufficienti* , ait : *Janſeniſtæ diſputant , nullam reipſa Gratiam ſufficientem eſſe , niſi quæ eadem ſit efficax ; hoc eſt , omnia adjutoria , quibus voluntas non flectitur ad agendum , re ipſa non ſufficere .* Hanc Authoris *Litterarum Provincialium* confeſſionem expendens Illuſtriſſimus Cameracenſis Archiepiſcopus , iſtud de ea profert judicium : *Hæc verba manifeſtò declarant , quantùm à Dominicanorum Schola hæc Secta* (ſeu Janſeniſtarum) *diſſentiat . Ita ſcilicèt ludit hic Litterarum Provincialium Auctor doctrinam Thomiſticam , quam tamen pro Fidei dogmate amplexi ſeſe univerſa Secta profitetur , & ad quam Auctor ipſe , ubi urgeri ſe ſentit , ſtatim convolat . Acta hæc in Thomiſtarum*

comæ-

Digitized by Google

comœdia etiamnum alacri Sectæ totius (Janſeniſtarum) *plauſu atque acclamatione quotidiè excipitur . Sed dum ex una parte , inter ſincera & non fucata , quæ cum Viris Sectæ habentur , Colloquia , poteſtatem proximam , unà cum Gratia ſufficienti Thomiſtarum , irridendi nulla ſatietas eſt .*

Præterea , Janſenianis patrocinio doctrinæ Scholæ Thomiſticæ gloriandi omnem præcludit aditum idem Illuſtriſſimus Cameracenſis Archiepiſcopus in Epiſtola , quam anno MDCCVIII. ſcripſit ad Epiſcopum S. *Pontii* , in qua , pag 96 & 97. diſcipulis *Janſenii* , qui Thomiſtas ſe eſſe (ut incautis fucum faciant) oppidò mentiuntur , larvam detrahit his verbis : *Nihil eſt , Præſul Illuſtriſſime , tam expeditum ac facile , quàm hoc pacto , nulloque probandi labore ſuſcepto , id ſumere confidenter , ſe doctrinam S Auguſtini ac S. Thomæ defendere . Id homines è Secta nunquam non habent in ore . Nihil tam aſſiduè prædicant quàm , ſe utriuſque Sancti Doctoris eſſe Diſcipulos ...... Sed quid eſt illud , quod homines è Secta volunt intelligi , cum S Auguſtini Doctrinam appellant ? intelligunt nimirum illius doctrinæ ſeriem , quæ nulla alia Gratia interior poſt Adami lapſum agnoſcitur prætèr delectationem prævenientem atque indeliberatam , eamque minimè poſitam in arbitrii libertate , tum quia indeclinabilis eſt , atque inſuperabilis , hoc eſt , irreſiſtibilis & afferens neceſſitatem ; tum quia prorſus neceſſe eſt , ut eam voluntas ſequatur , ubi ſemel eſt in nobis potentior . Sed quid eſt illud , quod homines è Secta volunt intelligi , cum jactant , ſuam eſſe S. Thomæ doctrinam? Si intelligant illam doctrinæ ſeriem , quam Religioſi ex S Dominici familia propugnant , profectò , ſi doctrina familiæ Dominicanæ Theologorum paulò diligentius conferatur cum eorum doctrina , qui ſe S. Auguſtini Diſcipulos appellari volunt ; incredibile dictu eſt , quàm manifeſtum ſit utriuſque Syſtematis diſcrimen . Id , Illuſtriſſime Præſul , vel ex Patribus Dominicanis ſuſcitare . Conſule etiam Libros Alvaris ac Lemoſii , quibus diſputandi partes in Congregationibus DE AUXILIIS traditæ ſunt . Nuſquàm in iis reperies delectationem illam indeliberatam , indeclinabilem , atque inſuperabilem , quam poſt Adami lapſum omninò neceſſe eſt ut voluntas ſequatur . Verbo dicam , hæc duo Syſtemata , quæ homines è Secta miſerè inter ſe confundere moliuntur , ut ſcilicet partes ſuas illa veluti acceſſione & coagmentatione amplificent ; comperies tàm manifeſtè eſſe contraria , ut conſiſtere unum cum altero non poſſit .*

His

Digitized by Google

His Illuſtriſſimi Cameracenſis Archiepiſcopi veſtigiis inſiſtunt doctiſſimi illi Scriptores, qui hac noſtra tempeſtate in oppugnandis *Janſenii*, & *Queſnelli* erroribus ſtudium & operam poſuerunt, quos inter præcipuè emicant Eminentiſſimus Cardinalis *De Biſſy*, Epiſcopus Meldenſis, Illuſtriſſimus D. *Languet*, Epiſcopus Sueſſionenſis, *Honoratus Tournely*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, *Franciſcus Maria Aſſermet*, Ordinis S. Franciſci, & Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Pater *Deſirant*, Auguſtinianus, & Academiæ Duacenſis Doctor, denique Pater *De la Fontaine*, & Pater *San Felicius*, ambo Societatis Jeſu Theologi. Hi, inquam, inſignes Scriptores (quorum teſtimonium non poteſt eſſe Moliniſtis ſuſpectum) fatentur, multiſque momentis evincunt, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci immenſo diſtare intervallo a damnata doctrina *Janſenii*, & *Queſnelli*, qui Gratiam efficacem *neceſſitantem* invexerunt, dùm obſtinatis animis pertendunt, efficaciam Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ ſitam eſſe in cœleſti indeliberata delectatione, quæ; dùm relativè victrix eſt, fortior ac ſuperior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, tunc voluntatis humanæ neceſſariò rapit aſſenſum, eamque ad benè agendum inevitabili neceſſitate determinat. Ab hoc certè hæretico Doctrinæ *Janſenii* principio (ex quo, velut è virulento fonte, ſcaturiunt erroneæ conſecutiones, quas in quinque famoſis Propoſitionibus Catholica damnavit Eccleſia penitùs abhorrere Scholæ Thomiſticæ doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci conſtanter, & unanimi conſenſu fatentur hi omnes, mox à me laudati Scriptores, qui recentiſſimè, ad profligandos iſtorum Novatorum errores, eruditas concinnarunt lucubrationes, quas ſi, abdicatis omnibus præjudiciis, *Gabriel Daniel*, *Livinus de Meyer*, & nonnulli alii Moliniſtæ lectitaſſent, nunquàm, opinor, hanc illiberalem Janſeniſmi notam clariſſimæ Scholæ Thomiſticæ affricuiſſent, nec mihi ſubindè illis reſpondendi, eorumque calumniam repellendi, ineluctabilem neceſſitatem impoſuiſſent. Utrùm autem rem planè confecerim, & ea, quæ doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci inter & proſcriptam Janſenianam, Queſnellianamve, interſunt, diſcrimina optimo in lumine collocaverim? tuum erit, erudite Lector, ſtatuere ac judicare. Hoc unum in præſentia certò affirmare poſ-

poſſum, me nihil intentatum reliquiſſe, ut doctrinam Scholæ Thomiſticæ pro aris ac focis defenderem & ab æmulorum obtrectatorum calumniis ſtrenuè vindicarem: Ut *Janſenii*, & *Queſnelli* diſcipulorum errores totis meis viribus confutarem, & præcluderem effugia, ad quæ ſeſe nunc recipere ſolent: Ut denique, artes, fraudes, & machinationes, quibus vel ſuam doctrinam de induſtria occultare, vel ex definitionibus Eccleſiæ elabi pertentant, ſic detegerem ac refellerem, ut tamen præ oculis ſemper habuerim hanc præclaram, & verè auream *Sancti Auguſtini* Sententiam: *Diligite homines, interficite errores: ſine ſuperbia de veritate præſumite, ſine ſævitia pro veritate certate*: *Orate pro iis, quos redarguitis atque convincitis*. Hoc Monitum, erudite Lector, quod in limine iſtius ſecundæ Epiſtolarum mearum Claſſis præmittendum non abs re fore judicavi, æqui bonique conſule, & diù ac feliciter vale.

NOS

Digitized by Google

NOS FRATER THOMAS RIPOLL

Sacræ Theologiæ Profeſſor, totius ordinis FF. Prædicatorum Magiſter Generalis & Servus.

CUM ab adm. Reverendo Patre Magiſtro *Ignatio Hyacintho Amat de Graveſon*, *Provinciæ noſtræ Gallo provinciæ & Conventus Arelatenſis Alumno, Doctore Sacræ Facultatis Pariſienſis, & Collegii Caſanatenſis Theologo, adornata ſit* Secunda Claſſis Epiſtolarum ad Amicum circa Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, cui perperàm à nonnullis æmulis inuritur Calviniſmi & Janſeniſmi nota: *Tenore præſentium, Noſtrique Authoritate officii, licentiam facimus Authori, & ipſi facultatem impertimur prædictum opus recens elaboratum publicam in lucem edendi, dummodò fuerit à duobus Ordinis noſtri in Theologia Magiſtris, à Nobis deputatis, cenſorio judicio comprobatum, ſervatiſque aliis de jure ſervandis. In cujus fidem his ſigillo noſtro munitis manu propria ſubſcripſimus, Romæ in Conventu Noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Minervam, die duodecima Septembris* 1729.

Fr. Thomas Ripoll, Magiſter Ordinis:

Loco ✠ Sigilli.

Regiſt. fol. 94.

Fr. Joannes Sicard, Magiſter & Socius.

AP.

APPROBATIO.

ERuditiſſimas hujus Secundæ Claſſis Epiſtolas, Hiſtorico-Theologico-Polemicas, quas clariſſimus, doctiſſimuſque Pater Magiſter *Fr. Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, & Collegii Caſanatenſis Theologus, ad tuendam & vindicandam SS. *Auguſtini & Thomæ* Doctrinam *de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad Gloriam ante omnem prævisionem meritorum*, mirabiliter pro more ſuo concinnavit, juſſu Reverendiſſimi Patris Fratris *Thomæ Ripoll*, Magiſtri Generalis noſtri Ordinis Prædicatorum, attentè ac ſumma cum animi voluptate perlegi; cumque in eiſdem nihil obſervaverim quod bonis moribus officiat, aut ſanam, Catholicamque Doctrinam non redoleat; dignas propterea cenſeo, ut publici juris fiant ad communem amatorum veritatis utilitatem. Datum Romæ in Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 10. Auguſti 1719.

Fr. Dominicus Ponſi, Ordinis Prædic. Sac. Theologiæ Magiſter, ac Sac. Congregationis Indulgentiarum, & Reliquiarum Conſultor.

APPROBATIO.

QUod in Epiſtolarum ſuarum Tomo I. feliciter inchoaverat Auctor doctiſſimus *R. A. D. Mag. Fr. Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon*, in altero hoc ipſarum Tomo, cui inſcriptio: *F. Ignatii Hiacynthi Amat De Graveſon, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, & Collegii Caſanatenſis Theologi, Ordinis Prædicatorum, Epiſtolæ Hiſtorico Theologico Polemicæ, in quibus doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem meritorum prævisionem, contra Scholæ Thomiſticæ Adverſarios aſſeritur ac vindicatur; Claſſis Secunda*: longè feliciſſimè continuat. Janſenianorum ac Queſnellianorum præcipuè non tam ſanctiſſimè ac ſapientiſſimè proſcripta dogmata, quàm Syſtemata, ad dogmata ipſa conducentia, luculenter confodiens ac invictè, ab eorum variis, fucatis, venenatiſque cavillationibus calumniis, dicteriis, veridicam, ac Catholicam *S. Thomæ*, ejuſdemque Scholæ Doctrinam *de Gratia præſertim per ſe & ab intrinſeco efficaci*, tanquam re vera immenſo intervallo ab illorum Aſſertis diſcretam, firmitate magna, magna perſpicuitate vindicat, adeò ut poſthac penès illuſtre hocce Opus legentes illorum errores & in aperto ponendi, & ad perniciem uſque meritò delendi ſint: iidemque ſub emendicato *SS. Auguſtini & Thomæ*, ſive, ut verbo cum Scholis dicam, *Thomiſmi* pallio latere nequeant amplius; & cæcutire etiam ſub meridiano ſole ſeſe plane oſtenſurus ſit quiſquis *ad procreandam, ſeu fovendam Prædicatorum Ordini, aliiſque, genuinæ Thomiſticæ Doctrinæ aſſeclis, invidiam* contra graviſſimè ac conſtantiſſimè à S. Sede non ſemel; ac nuperrimè per Sanctiſſimum D. N. D. BENEDICTUM Papam XIII. in Conſtitutione *Pretioſus* præſcripta, *Doctrinam memorati S. Doctoris, ejuſque inſignem in Eccleſia Scholam dicto, vel ſcripto, contumelioſè impetat ac veluti conſentientem cum damnatis* eorumdem *erroribus audeat traducere*. Hanc itaque ſecundam Epiſtolarum Claſſim in rem Catholicæ Fidei plurimum profuturam confidens, nihilque in primis in ipſis animadvertens quod Fidei ipſi, ac bonis moribus adverſetur, dignam cenſeo quæ publici juris fiat. In Conventu Sanctæ Mariæ ſuper Minervam die 29. menſis Junii 1729.

Ita ſentio Fr. Joannes Dominicus de Anagnis, Ordinis Prædicatorum, S. T. M. Bibliothecarius Caſanatenſis, ac Sac. Congregationis Indicis Conſultor.

APPROBATIO.

REverendiſs. P. F. Jo: Benedicto Zuanelli, Sac. Apoſt. Palat. Magiſtro, jubente, cum oblectamento vidi ſecundum Tomum Epiſtolarum ad Amicum *Hiſtorico-Theologico-Polemicarum, in quibus Doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice &c. ab adm. Rever. P. Magiſtro* F Ignatio Hiacyntho Amat de Graveſon, *Sac. Ord. Prædicat. Collegii Caſanatenſis Theologo, ac Facultatis Pariſienſis Doctore*, magno cum ſtudio, & non minori. Doctrina compoſitarum. Nihil in ipſis Catholicis Dogmatibus, aut Regulis morum adverſum offendi. ſed potiùs ad Fidei Theologicæ defenſionem inſervientia, ac ad honeſtioris vitæ actiones conducentia ad inveni cuncta, & maxima eruditione plena, & ſolida Argumentorum efficacia, cum ſtyli elegantia de more referta. Cùm enim Auctor, jam in Republica litteraria meritis cumulatiſſimus, nomen ſibi acquiſierit æternum, non niſi Opera immortalitate digna producere valuit. Quarè, publica luce dignum & hoc opus exiſtimavi.

Dabam Romæ in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria, 17. Auguſti 1729.

Fr. Leo à S. Felice, Carmelita Excalceatus, Sac. Theologiæ Prælector, ac Sacrarum Congregationum Indicis, & Rituum Conſultor.

APPROBATIO.

CLaſſem Secundam Epiſtolarum Theologico-Hiſtorico-Polemicarum de Divina Gratia & Prædeſtinatione, mandante Reverendiſſimo Patre Benedicto Zuanelli, Ord Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, attentè perlegi. In ea Clariſſ. auctor *Fr. Ignatius Hiacynthus Amat de Graveſon*, Ordinis Prædicatorum, Facultatis Pariſienſis Doctor, & Theologus Caſanatenſis, eo unicè tendit, ut à Thomiſtica ſententia intentatam ei à nonnullis Calviniſmi & Janſeniſmi notam propulſet. Quæ in id argumenta congerit optimi ſunt generis; quibus novum etiam robur accedit ex falſarum doctrinarum *Janſenii & Calvini* oppugnatione, quam ſelectis Scripturarum, & Patrum teſtimoniis ſtrenuè ipſe aggreditur. Sed nec aliquid omittitur ad plenam diſputationis intelligentiam, cui maximè conducit hiſtorica *Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* deſcriptio; ex qua ſatis abundè colligere licet, quinam fuerint Janſeniſmi ortus & progreſſus ad hæc uſque poſtrema tempora. Elucet prætereà ubique non vulgaris eruditio, ſumma in re perobſcura claritas cum elegantia ſermonis conjuncta, & in admodum lubrica materia Orthodoxa Fides, & Chriſtiana pietas. Quare, nihil obſtat, quominùs ejuſmodi labores publica luce donentur, quinimò ea, uti cenſeo, communis utilitas digniſſimos facit. Romæ VIII. Kalendas Septembris anni MDCCXXIX.

Ego D. Fridericus de Judice, Congregat. Cæleſtinor. Ord. S. Benedicti in Collegio S. Euſebii de Urbe Sacræ Theologiæ Lector.

b 2 NOI

NOI RIFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Riviſione, ed Approbazione del Padre Fr. Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore nel Libro intitolato: *R. P. Fr. Ignatii Hiacynthi Amat de Graveſon Epiſtolæ ad Amicum Scriptæ Theologico-Hiſtorico-Polemicæ, &c. Claſſis II.* non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Principi e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Gio: Battiſta Recurti Stampadore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. 27. Novemb. 1719.

(Gio: Franceſco Moroſini Kav. Riff.
(Andrea Soranzo Proc. Riffor.
(

Agoſtino Gadaldini Segr.

IN-

INDEX EPISTOLARUM

HISTORICO-THEOLOGICO-POLEMICARUM,

Quæ in hac SECUNDA CLASSE continentur,

DE Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice, cui perperàm & per ſummam calumniam à nonnullis *Calviniſmi*, & *Janſeniſmi* nota inuritur. *Pag.* 1

ORDO ET SERIES EPISTOLARUM,

Quæ in hac Secunda Claſſe continentur. 3

EPISTOLA PRIMA THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua contrà Patrem Livinum De Meyer evincitur, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ De Gratia per ſe efficaci penitùs abhorrere ab Hæreſi Lutheri, & Calvini, in Sacro Concilio Tridentino damnata. 9

EPISTOLA SECUNDA THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua expenduntur diſcrimina, quæ occurrunt Doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & Doctrinam Janſenii, quæque evincunt, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ magis diſtare à Syſtemate Janſenii, quàm ab eo diſtare Scholæ Molinianæ doctrina videatur. 32

DISCRI-

Digitized by Google

DISCRIMINA VARIA,

Quæ occurrunt Doctrinam Scholæ Thomiſticæ in materia De Gratia inter & doctrinam Janſenii ab Eccleſia damnatam. 33

ALIA DISCRIMINA,

Quæ manifeſtò probant, doctrinam Scholæ Thomiſticæ magis diſtare à proſcripto Janſenii de Gratia Syſtemate, quàm ab eo diſtare videatur Scholæ Molinianæ Doctrina. 50

EPISTOLA TERTIA THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua explanatur vera & genuina notio Gratiæ ſufficientis; ejus neceſſitas adſtruitur, & aperitur ſenſus, in quo Thomiſtæ dicunt, Gratiam ſufficientem dare veram, completam, proximam, & expeditam agendi, & præcepta Dei obſervandi, poteſtatem. 56

EPISTOLA QUARTA THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua rejicitur Gratia Parva, *quam admittit Janſenius; & latiſſimum aperitur diſcrimen, quod intercedit Gratiam illam* Parvam, *à Janſenio admiſſam, inter & Gratiam ſufficientem, quam conſtanter propugnat univerſa Schola Thomiſtica.* 79

EPISTOLA QUINTA THEOLOGICA,

In qua fit ſatis Objectionibus, queis Janſeniani Gratiam Sufficientem, in Thomiſtico ſenſu intellectam, vulgò impetere ſolent. 97

EPISTOLA SEXTA,

In qua oſtenditur, Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci eſſe Sacris Litteris, doctrinæ Sanctorum Patrum, definitionibus Conciliorum & Summorum Pontificum Decretis apprimè conſentaneam; doctrinam verò Janſenii & Janſeniſtarum de Gratiæ efficacia, ſita in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, ſubindeque neceſſitante, jure merito fuiſſe ab Eccleſiam confixam. 117

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA SEPTIMA,

In qua contra Janſenium *evincitur*, *Chriſtum Dominum opetiiſſe mortem pro omnibus omninò hominibus*; *& ſingulis*, *etiam reprobis*, *præparaſſe Gratias verè ſufficientes*, *in ſenſu tamen Thomiſtico intellectas*, *quibus ſalutem æternam conſequi valeant*. 137

EPISTOLA OCTAVA POLEMICA,

In qua ſatisfit omnibus argumentis, *quæ Janſenii Diſcipuli proponunt*, *ſive ad vindicandum Janſenium ab hæretico ſenſu*, *quem Eccleſia in quinta ejus Propoſitione confixit*, *ſivè ad probandum*, *Chriſtum eſſe mortuum dumtaxat pro æterna ſalute Prædeſtinatorum*, *non verò Reproborum*. 159

EPISTOLA NONA APOLOGETICO-POLEMICA,

In qua oſtenditur primò, *illos eſſe inſignes calumniatores*, *quos non pudet aſſerere*, CLEMENTEM XI. *Pontificem Maximum*, *damnaſſe in ſua Conſtitutione*, *quæ incipit*, Unigenitus, *antiquam Eccleſiæ doctrinam de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci*. *Secundò evincitur*, *Scholam verè Thomiſticam diris devovere* Paſchaſii Queſnelli *de Gratia doctrinam*, *quam*, *multis Propoſitionibus contentam*, *jure optimo* CLEMENS XI *anathemate perculit in eadem Conſtitutione*, *quæ incipit*, Unigenitus. *Poſtremò commonſtratur*, *Scholam verè Thomiſticam averſari & damnare*, *tanquàm rebelles & Schiſmaticos*, *illos*, *qui prædictæ Conſtitutioni* CLEMENTIS XI. *refragantur*, *eamque obſtinatis animis acceptare detrectant*. 189

EPISTOLA DECIMA HISTORICA,

In qua omnia, *quæ in Cauſis Baji*, *Janſenii*, *& Queſnelli*, *atque in eorum profligandis erroribus hactenùs geſſit ac definivit Eccleſia*, *hiſtoricè referuntur*, *& ab obtrectatorum calumniis Vindicantur*. 213

Documenta, quibus doctrinæ S. Thomæ commendatur authoritas.

EPISTOLA BENEDICTI PP. XIII.

Ad Dilectos Filios Decanum & Theologos Collegiatos Univerſitatis Theologiæ Placentinæ. 237

DECRETUM CLAUDII AQUAVIVÆ,

Societatis Jeſu Præpoſiti Generalis, quod de Conſilio ejus Aſſiſtentium editum eſt *die 14. menſis Decembris anni* MDCXIII. & in univerſas Societatis Jeſu Provincias tranſmiſſum, *die 24. menſis Decembris anni* MDCXIII. tanquàm certus docendæ ac tenendæ doctrinæ Canon. ibid.

EPISTOLA CLAUDII AQUAVIVÆ,

Societatis Jeſu Generalis Præfecti, ad univerſos ejuſdem Societatis Provinciales, quibus tenendam S. Thomæ doctrinam imperat, certoſque de ratione ſtudiorum præfigit Canones, ne ab illa pro arbitrio diſcedant. 238

CLAS-

Digitized by Google

CLASSIS SECUNDA

EPISTOLARUM

HISTORICO-THEOLOGICO-POLEMICARUM,

CIRCA' DOCTRINAM

SCHOLÆ THOMISTICÆ

De Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice,

Cui perperàm & per ſummam calumniam à nonnullis Calviniſmi, & Janſeniſmi nota inuritur.

IN his, quas hactenùs ſcripſi, Epiſtolis, omnem curam, induſtriam, & operam poſui, ut omni argumentorum genere evincere poſſem, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice tam ad actus naturales, quam ad actus ordinis ſupernaturalis, ſive in ſtatu naturæ innocentis, ſive in ſtatu naturæ lapſæ, omninò neceſſaria, benè multis, iiſque invictis momentis, tùm Philoſophicis, tùm Theologicis, necnon diſertiſſimis Summorum Pontificum Oraculis, & locupletiſſimis Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, teſtimoniis, ac denique Sacro-ſancti Concilii Tridentini definitionibus comprobari. Abunde etiam (ni mea me fallat mens) diſſolvi ſæpe jam dilutas objectiones, quibus eamdem Scholæ Thomiſticæ Doctrinam arietat, ſeu oppugnat *P. Gabriel Daniel*, paſſim in ſuis Epiſtolis ad noſtrum *Natalem Alexandrum* dictitans, Doctrinam de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice facere Deum auctorem peccati, liberum hominis arbitrium penitùs tollere, fatalem inducere neceſſitatem, eamque à germana mente Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* atque Patrum Synodi Tridentinæ eſſe penitùs alienam.

Scio,(ſed utinam neſcire licuiſſet)eaſdem frigidas,ac plane vitreas in Doctrinam Scholę Thomiſticę objectiones P. *Gabrielis Danielis* fuiſſe reco̅ctas, & denuò ad nauſeam uſque propoſitas a duobus nuperrimis Scriptoribus, videlicet a P. *Livino de Meyer*, Societatis Jeſu, Theologo Belga, in ſuis, quas publicavit, quatuor Diſſertationibus *De Mente Concilii Tridentini*, & à P. *Franciſco Maria Affermet*, Ordinis FF. Minorum Regularis Obſervantiæ, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctore, qui Pariſiis Anno MDCCXV. *Tractatum Scholaſtico-Poſitivum*, *De Divina Gratia* edidit in lucem, ubi à pag. 335. uſque ad pag. 344. eaſdem *Patris Danielis* refricat argutias, & ſimul cum ipſo equitans in arundine longa, pertendit, Doctrinam de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice abhorrere prorsùs à genuina mente *S. Thomæ*. Et pagina 356. idem Scriptor, effractis omnibus modeſtiæ cancellis, ſuum in Scholam Thomiſticam exulceratum animum, & pluſquam vatinianum odium palam his verbis prodere non dubitavit: *Quis ergo*, inquit, *gratiæ per ſe & ex natura ſua efficacis quoad rem, & quoad nomen inventor? Calvinus. Quis primus phyſicæ Prædeterminationis quoad nomen extitit faber? P. Dominicus Bagnez, vel alter ipſius ætatis ſuppar*. Sic duo iſti moderni Scriptores, à capite ad talos Moliniani, ſuccinunt P. *Gabrieli Danieli* eamdem, cum ipſo Scholę Thomiſticę inſultantes, cantilenam canunt, eaſdem edentulas, ac rancidas obtrudunt objectiones, quibus in meis Epiſtolis cùm jam pleniſſimè fecerim ſatis, oleum certè & operam perderem, ſi eas iterùm ad criſim revocare, vel in his confutandis bonas horas male collocare vellem.

His ergò in pręſentia prętermiſſis, nunc me accingo ad refellendam teterrimam Janſenianę Hęreſeos calumniam, quam Scholę Thomiſticę impegit *P. Gabriel Daniel*, aſſerens, principia Doctrinę *Janſenii* eſſe ſimillima principiis Doctrinę Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci, & eaſdem erroneas conſecutiones, quas è Doctrinę ſuę principiis *Janſenius* deduxit, ſponte itidem effluere ex principiis Doctrinę Thomiſtarum de Gratia per ſe efficaci prędeterminatrice. Hanc immanem calumniam (qua ſi non commoverer, ſaxeum me planè eſſe oporteret) à Schola Thomiſtica amoliri ſatagam in hac ſecunda Epiſtolarum Claſſe, multaque proferam diſcrimina, quę, fatentibus ipſiſmet Moliniſtis, interſunt Doctrinam Scholę Thomiſticę de Gratia per ſe efficaci prędeterminatrice inter & Doctrinam *Janſenii* de Gratia per ſe efficaci neceſſitante, ſępius Catholica Eccleſia fulguritam, & anathemate perculſam.

OR-

ORDO ET SERIES
EPISTOLARUM

Quæ in hac Secunda Claſſe continentur.

DUPLEX Adverſariorum genus hodie, proh dolor! experitur Schola Thomiſtica. Alii quippe ſunt, qui magnis animis contendunt, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci tàm in ſuis, quibus nititur, principiis, quàm in conſecutionibus, quæ ex iiſdem principiis naturali fluxu promanant, tantam habere, ſimilitudinem, & affinitatem cum principiis, & conſecutionibus Doctrinæ proſcriptæ *Janſenii*, & *Queſnelli*, ut ovum non ſit ovo ſimilius, quàm Doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci ſimilis ſit Doctrinę *Janſenii*, & *Queſnelli*, jure optimo ab Eccleſia confixæ; indeque inferunt, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci fuiſſe damnatam à Summo Pontifice CLEMENTE XI. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* in qua centum & una Propoſitiones *Queſnelli* variis Cenſuris perſtringuntur: Urgent etiam nos iidem Scholæ Thomiſticæ adverſarii, ut in aprico ponamus, ſeu in apertam proferamus lucem ea, ſi quę nobis ſuppetant, diſcrimina, quę interſunt Doctrinam Scholæ Thomiſticę de Gratia per ſe efficaci inter & Doctrinam *Janſenii*, & *Queſnelli*, de Gratia per ſe efficaci neceſſitante, ſæpiùs ab Eccleſia profligatam; quæ diſcrimina nullibi ſeſe hactenùs offendere, atque exſpiſcari potuiſſe, apertè, ſed ſubdolè declarant; cùm non ſolùm noſtrates Thomiſtæ, ſed etiam clariſſimi Societatis Jeſu Theologi, *Annatus*, *Ripalda*, *Antonius Moraines*, ſeu *Martinonus*, *Stephanus Dechamps*, & alii, ſole evidentius ejuſmodi diſcrimina patefecerint, eaque longo latoque calamo fuerint proſecuti. Hi ſunt primi generis hoſtes, qui Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice aperto marte impetunt.

 Sed

Sed alios non minùs infenſos Schola Thomiſtica his præſertim temporibus nacta eſt adverſarios, *Janſeniſtas* nimirùm & *Queſnelliſtas*, qui ubique clamitant, ſe eamdem de Gratia per ſe efficaci tutari Doctrinam, quam celeberrima Schola Thomiſtica propugnat; eoſque non pudet aſſerere, hanc ipſiſſimam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci Doctrinam à Summo Pontifice CLEMENTE XI. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* fuiſſe una cum Propoſitionibus *Queſnelli* damnatam.

Verbo dicam, eò res hinc inde ab æmulis Scholæ Thomiſticæ obtrectatoribus perducta eſt, ut non poſſint ampliùs Thomiſtæ ſurda aure præterire hanc inſignem calumniam, quæ ſive in Cenſuris, ſive in Theſibus, ſive in Libellis famoſis, temerè in vulgus ſparſis, pluribus in locis publicatur ac jactatur; nec ſolùm Thomiſtas ad hanc propulſandam calumniam urgere debet illibatam Scholæ ſuæ Doctrinam vindicandi neceſſitas, ſed etiam in hac juſta defenſione illos potiſſimùm urere debet commune bonum Matris Eccleſiæ, quam ſine dubio cruentæ horumce Scholæ Thomiſticæ æmulorum obtrectatorum manus dilacerant, dùm illius portionem non contemnendam (ut modeſtè loquar) Scholam Thomiſticam, quæ illi ſemper præſidii & clypei, necnon etiam ornamenti loco fuit, omni telorum genere evertere, & infamare moliuntur.

Ut igitur hanc infamiam ab Eccleſia, & à Schola Thomiſtica penitùs amolirer, has ſequentes conſcripſi Epiſtolas, in quibus citrà cujuſquam offenſionem, & cum inculpatæ tutelæ moderamine, apertiſſimè oſtendam, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice tàm in ſuis principiis, quàm in conſecutionibus, quas ex illis principiis deducunt Thomiſtæ, longè lateque diſcrepare à principiis damnatæ Doctrinæ *Janſenii*, & *Queſnelli*, & à virulentis conſecutionibus, quas Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ ex illis principiis eliciunt; eademque opera diſpungam falſique convincam putidiſſimam calumniam, quam quidam malè feriati, & quietis impatientes homines in tenebris commenti ſunt, dictitantes, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice fuiſſe à Sanctiſſimo Pontifice CLEMENTE XI. in ſua *Conſtitu-*

tio-

Digitized by Google

tione , quę his verbis auſpicatur : *Unigenitus Dei Filius. &c.* profligatam . Quod certè tàm falſum eſſe , quàm quod maximè , multis argumentis exploratiſſimum faciam .

Optaſſent quidem vehementiſſimè omnes Thomiſtę , qui modeſtiam , & patientiam jam pridem in mores induxerunt, ut ab ęmulorum calumniis , uno ſilentii & humilitatis clypeo ſeſe tutarentur , eam in ſpem erecti , fore ut tandem aliquando ab hac calumnia abſtinerent Scholę Thomiſticę adverſarii ; cùm certum ſit , Propoſitiones *Queſnelli* , quę ſpectant Doctrinam Gratię, fuiſſe a Summo Pontifice CLEMENTE XI. damnatas, quatenùs redolent , & exprimunt proſcriptum ſenſum Doctrinę , ſeu quinque Propoſitionum *Janſenii*, ſicut diſertis verbis aſſerit idem Summus Pontifex in ſua *Conſtitutione* , quę incipit : *Unigenitus Dei Filius &c.* Porrò , Doctrinam Scholę Thomiſticę de Gratia per ſe efficaci toto Cœlo diſtare à quinque protritis *Janſenii* Propoſitionibus luce meridiana clarius doctiſſimi Scholę Thomiſticę Theologi in his , quas adornarunt , vindiciis jam demonſtraverant , pręſertim *Joannes Nicolai* , *Bernardus Guyard* , *Sybilla* , *Vincentius Baronius* , *Antoninus Reginaldus* , *Joannes Baptiſta Gonetus* , *Vincentius Caſalas* , *Vincentius Contenſonus* , *Antoninus Maſſouliè* , *Hyacinthus Serry* , & alii doctrina , & pietate conſpicui Prędicatorum Ordinis Scriptores , idque ultro faſſi ſunt celebriores Societatis Jeſu Scriptores , qui in *Janſenium* , & Janſeniſtas calamum acuerunt .

Quod ergò Thomiſtę ad falſam errorum *Queſnelli* accuſationem, quam ipſorum Doctrinę intentarunt nonnulli ęmuli obtrectatores , ſtatim depellendam non ſe accinxerint , mirum nemini videri debet. Sciebant quippe Thomiſtę, Propoſitiones *Queſnelli*, ad Doctrinam Gratię attinentes, à Summo Pontifice CLEMENTE XI. fuiſſe proſcriptas *in ſenſu Janſenii*, & hunc hęreticum ſenſum ab univerſa Schola Thomiſtica ſemper rejectum, exploſum, ac damnatum fuiſſe; videbant pariter Thomiſtę, Doctrinam de Gratia per ſe efficaci prędeterminatrice , etiam poſt promulgatam *Conſtitutionem*, quę incipit: *Unigenitus Dei Filius*, in toto Orbe Chriſtiano, ſcientibus, & approbantibus Summis Pontificibus CLEMENTE XI. INNOCENTIO XIII.& BENEDICTO XIII. propugnari tanquam doctrinam menti Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* magis conſentaneam

Hæc itaque cum probe comperta, atque explorata habe-rent Thomiſtæ, conſultius eſſe duxerunt tacere, & religio-ſum ſilentium ſervare, maxime cum certiſſimi eſſent, Do-ctrinam de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice non fuiſ-ſe a Summo Pontifice CLEMENTE XI. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* damnatam, & ne le-viter quidem perſtrictam, ſubindeque hanc tam male natam & conſarcinatam calumniam, Sedi Apoſtolicæ, ac toti Scholæ Thomiſticæ contumelioſam, propediem in vulgi fabulam abituram, ſuiſque natalitiis tenebris fore conſepeliendam. Neque etiam ſervati religioſiſſimi iſtius ſilentii nos pœniteret, niſi inde adverſarii Scholæ noſtræ Thomiſticæ animos ſum-pſiſſent, modeſtiam noſtram religioſam ignaviæ & inſcientiæ adſcripſiſſent, noſque quaſi victos, dejectos, atque a Sum-mo Pontifice CLEMENTE XI. damnatos, in ſuis famoſis libellis traduxiſſent, nova mendacia, novaſque calumnias cu-dentes.

Cum igitur nunc per illos non liceat nec quieſcere nec ta-cere, ægre profecto ferre non debent, quod ipſe, licet in-fimus Familiæ Dominicanæ Theologus, poſt diuturnum ſi-lentium, defenſionem Scholæ Thomiſticæ ſuſcipiam, & ab ea horribilem Janſeniſmi, & Queſnelliſmi notam, quam ei per ſummam calumniam liberaliter affingunt, depellam in meis ſequentibus Epiſtolis, in quarum prima evincam con-tra *Livinum de Meyer*, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci penitus abhorrere ab Hæreſi *Lutheri*, *& Calvini*, in Sacro Concilio Tridentino damnata. In alte-ra Epiſtola producam diſcrimina, quæ interſunt Doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & Doctrinam *Janſenii*, ex quibus conſtabit, Doctrinam Scholæ Molinianæ Theologorum in ma-teria de Gratia propius accedere ad Syſtema *Janſenii*, quam Thomiſtarum Doctrinam. In tertia explanabo genuinam no-tionem Gratiæ ſufficientis, ejus neceſſitatem adſtruam, ea-demque opera contra *Janſenium* oſtendam, quo pacto Gra-tia ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellecta, det veram, plenam, proximam, completam & expeditam potentiam a-gendi, & obſervandi Divina præcepta, ita ut ex parte po-tentiæ nihil omnino deſit. In quarta medium proferam lon-gum latumque diſcrimen, quod intercedit *Gratiam parvam*,

quam

quam admittit *Janſenius* , inter & Gratiam ſufficientem , quam conſtanter Schola Thomiſtica propugnat . In quinta faciam ſatis objectionibus, quæ adverſus Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam , vulgo proponi ſolent . In ſexta impugnabo modum , quo *Janſenius* probat & explicat Gratiæ efficaciam , pluribuſque momentis commonſtrabo , *Janſenium* , juxta intima Doctrinæ ſuæ principia , admiſiſſe , mordicuſque defendiſſe Gratiam efficacem neceſſitantem, quam averſatur , diriſque devovet tota Schola Thomiſtica , quæ hactenus indivulſe adhæſit antiquæ SS. PP. *Auguſtini* , & *Thomæ* de Gratia per ſe , & ab intrinſeco efficaci Doctrinæ, Conciliis, & Summis Pontificibus probatæ , ſicut ibidem palam faciam . In ſeptima refellam eumdem *Janſenium* , aſſerentem , Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus omnino hominibus , nec reprobis præparaſſe auxilia vere ſufficientia , quibus ſalutem æternam conſequi poſſint , ſed illum dumtaxat mortem oppetiiſſe , ſuumque ſanguinem fudiſſe pro æterna ſalute Electorum ac Prædeſtinatorum . In Octava diluam argumenta , quibus *Janſenius* probandum ſuſcipit , Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus & ſingulis hominibus omniaque effugia , ad quæ ejus Diſcipuli confugere ſolent , ut è cenſura , quam Catholica Eccleſia in quintam *Janſenii* propoſitionem tulit , elabi poſſint , præcludam . In Nona graviſſimam confutabo calumniam quorundam , qui perfrictæ frontis audacia effutire non verentur, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci fuiſſe a Summo Pontifice CLEMENTE XI. una cum erroribus *Paſchaſii Queſnelli* damnatam in *Conſtitutione* , quæ incipit : *Unigenitus Dei Filius &c.* In decima & ultima brevem attexam narrationem hiſtoricam rerum , quæ in proſcriptione Doctrinæ *Michaelis Baii* , *Cornelii Janſenii* , *&* *Paſchaſii Queſnelli* geſtę ſunt in Eccleſia .

Porrò , ex lectione iſtarum Epiſtolarum , quas , ut candidè dicam , ad promptam Doctrinę Scholę Thomiſticę adornandam defenſionem feſtinavi , potiùs quam maturavi , intelligent ſaltem illi , qui tenebras non quęrunt , ſed ſerenum amant , non minùs vaſtum Chaos Thomiſtas inter & *Calvinum* , *Janſenium* , *&* *Queſnellum* jacere in materia de Gratia , quam quo Patriarcha *Abrahamus* Diviti epuloni in-

 clama-

clamabat, illum a *Lazaro* diſtare & eſſe ab eo ſemotum, ſubindeque, ipſa rei veritate convicti, deſpicient artes illorum, qui per latus *Calvini*, *Janſenii*, & *Queſnelli*, Doctrinam Scholę Thomiſticę petere pręſumunt, quique, de nimio contra Thomiſtas, Catholicos Theologos, ardore quidquam remittere nolentes, nihil penſi habent res hęreticorum promovere, vireſque augere, dummodo ipſorum ſocietatem Thomiſtis, quos averſantur, objiciant, & non contemnendam Eccleſię portionem, ſeu Scholam Thomiſticam, in hęreticorum gregem auſu temerario propellant.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA PRIMA
THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua contrà Patrem Livinum De Meyer evincitur, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ De Gratia per ſe efficaci penitùs abhorrere ab Hæreſi Lutheri, & Calvini, in Sacro Concilio Tridentino damnata.

SCripſi ad te, cariſſime Diſcipule, prolixam ſatis Epiſtolam, in qua pluribus argumentis, ex intimis viſceribus cauſæ petitis, probavi contra *Gabrielem Danielem*, Soc. Jeſu Theologum, tantùm abeſſe ut Patres in Concilio Tridentino congregati damnaverint Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice, & de prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem prævisionem meritorum, ut potiùs eruditiſſimi illi Patres hac ejuſdem Scholæ Thomiſticæ avita Doctrina uſi fuerint in dirimendis Controverſiis, quæ id temporis, occaſione Hæreſum *Lutheri*, & *Calvini*, emerſerant circà certitudinem Præſcientiæ Divinæ, infallibilitatem Decretorum Dei, & efficaciam Divinæ Gratiæ. Dilui etiam in eadem Epiſtola palmares Adverſariorum objectiones, ut ex perſpicua earum ſolutione veritas, tanquàm ignis ex colliſione ſilicum, emicaret.

I. Hoc pacto votis tuis abundè me feciſſe ſatis autumabam. Sed mea me fefellit opinio. Scribis enim in Epiſtola, quam paucis abhinc diebus accepi, te avidis oculis perlegiſſe quatuor Diſſertationes *De Mente Concilii Tridentini*, quas Anno MDCCXV. Bruxellis excudi curavit *Pater Livinus De Meyer*, Soc. Jeſu Theologus, in quarum prima totus in id incumbit iſte intùs & in cute, ſeu medullitùs Moliniſta, ut Doctrinam Scholæ Thomiſticæ Calviniſmi inſimulet, eamque in Conc. Trid. probet fuiſſe prędamnatam, uti Calvinianæ Hæreſeos crambem à *Bannesio* recoctam, Doctori Angelico perperam affictam, ab Academiis obtritam, à viris omnium Ordinum eruditis exploſam, Eccleſiæ Patribus repugnantem, humanę libertati inimicam, Gratiæ ſufficienti, ac Divinæ ſanctitati prorſus injuriam. In hunc ſcopum unicè collineare iſtum Molinianum Theologum probas ex ipſius verbis, quæ in Epiſtola tua Majuſculis characteribus exſcripſiſti: *Ego* (inquit *Pater de Meyer* in Diſſertatione 1. cap. 1.) *nullo contentionis ſtudio, ſed ſolius amore veritatis re hac diligenter examinata, exiſtimo gratiam à ſe ipſa efficacem novum eſſe Lutheri, Calvinique commentum, & ad illorum tempora in Eccleſia inauditum, oppugnatum ab Academiis, & Eccleſiæ Doctoribus tum ante, tum poſt Synodum collectam, & à Concilio reprobatum.* Ad hæc verba te totum excanduiſſe aſſeris mihique etiam haud parùm ſuccenſuiſſe fateris, quòd in Epiſtola, quam ad te ſcripſi, *De genuina Mente Patrum Concilii Tridentini circa liberum hominis arbitrium, & Gratiam efficacem*, non confutarim hunc Molinianum Scriptorem, qui, futilibus ductus argutiis, deteſtabilem Calviniſmi notam celeberrimæ Scholæ Thomiſticæ impingere audet.

Sed, pace tua dixerim, chariſſime Diſcipule, non eſt quod mihi hac in re negotium faceſſas. Sat enim ſuperque in hac Epiſtola, quam ad te ſcripſi, *De Mente Concilii Tridentini*, exiſtimo me probaſſe, Patres Concilii Tridentini, dum obortas *Lutheri ac Calvini* peſtiferas hæreſes damnarunt non aliunde arma ad illas profligandas deprompſiſſe, quam ex Doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci, cui conſtanter ſemper adhęſerunt, ſicut memini me plurimis & indubitatis monumentis eviciſſe. Hoc autem ſemel demonſtrato, quis, amabò, non videt, in

auras ſummumque evaneſcere inſulſam illam Calviniſmi calumniam, quam recens ille Molinianus Scriptor toti Scholæ Thomiſticæ intentare auſus eſt.

Addo etiam, dùm ad te ſcripſi Epiſtolam *de Mente Concilii Tridentini circà liberum arbitrium, & Gratiam efficacem*, conſultiùs me facturum putaſſe, ſi alto ſilentio præterirem virulentam illam Calviniſmi calumniam, *quam P. Livinum De Meyer* paucis abhinc annis refricare non puduit, & aſſerere, Doctrinam Thomiſtarum, ſocietate & affinitate cum errore *Calvini* conjunctam ac fœderatam eſſe, atque in Concilio Tridentino damnatam. Sciebam quippè *Patrem Franciſcum Annatum*, celebrem Societatis Jeſu Theologum, ab hac Calviniſmi calumnia Doctrinam Scholæ Thomiſticæ egregiè admodùm vindicaſſe in Reſponſione ad XVII. Epiſtolam *Montaltii*, ubi hæc habet: *Gratia efficax duobus modis defendi poteſt, quorum unus hæreticus eſt, hæreticis principiis nixus; alter Orthodoxus, ſancitis authoritate Conciliorum principiis ſuffultus. Primum ſequitur Calvinus, & ideò hæreticus eſt. Catholici Doctores, Thomiſtæ, Scotiſtæ, Sorbonitæ, Jeſuitæ de ſecundo conſentiunt; & propterea variis licèt concertationibus diſtracti, tamen in eadem & indivulſa communione Eccleſiæ permanent ..... Calvinus ita Gratiam defendit, ut ab illa nullam aliam nobis relinqui libertatem putet, niſi illam, quæ dicitur à coactione. Cæterùm ab iſta gratia neceſſitatem imponi, quæ poteſtatem auferat reſiſtendi, quandiu gratia perſeverat. Catholici Doctores inter ſe conſentiunt, gratiam per ſe efficacem ita regere voluntatem, ut vim & poteſtatem ei reſiſtendi non adimat; ita ut hæc duo inter ſe componantur, gratia in voluntate, & in eadem voluntate ſub gratia conſtituta, ſufficiens non conſentiendi poteſtas: nec dubitant, quin hic ſit verus Tridentini Concilii ſenſus in iſtis verbis,* POTEST DISSENTIRE, SI VELIT. Sciebam etiam, præter laudatum *Patrem Franciſcum Annatum*, duos alios ſæculo proximè elapſo floruiſſe clariſſimos Societatis Jeſu Theologos, videlicèt *Stephanum Dechamps* in libro, quem edidit *De Janſeniana Hæreſi*, & *Antonium Morainem*, ſeu per purum anagramma, *Joannem Martinonum* in ſuo *Anti Janſenio*, qui in defendendis Thomiſtis operam navarunt, & à Schola noſtra ſuſpicionem omnem erroris, fœderis & conſenſionis cum *Calvino & Janſenio* procul depulerunt.

Hæc, dùm ad te ſcripſi Epiſtolam *de Mente Concilii Tridentini*, cùm probè comperta ac explorata haberem, deſpiciendam eſſe duxi hanc Calviniſmi calumniam, falſamque accuſationem, qua *Pater De Meyer* Thomiſtas oneravit. Sic enim tacitus dicebam: Quorsùm juvat hanc Calviniſmi calumniam a Schola Thomiſtica amoliendi ſuſcipere provinciam, cum ea jam peregregiè defuncti ſint doctiores Societatis Jeſu Theologi? Certè, poſt agnitam, probatam, ac publicè ab illis Societatis Jeſu Theologis defenſam Scholæ noſtræ Thomiſticæ Doctrinam, & recenſita, ac veluti digito monſtrata plurima *Calvinum* inter & Scholæ noſtræ Theologos diſcrimina, iterùm à *Patre De Meyer* nobis ex Calviniſmo conflari invidiam, id non ſolùm Thomiſtæ, ſed quidquid eſt eruditorum hominum, quibus veritas cordi eſt, ægerrimè ferent, & tandem aliquando agnoſcent, hanc falſam accuſationem non ex ſententia, quæ animo ſedeat, ſed vel ex neceſſitate defenſionis, vel ex prurigine creandi inſontibus apud vulgus invidiam, proficiſci, ſicut candidè faſſus eſt *Ripalda*, inſignis Soc. Jeſu Scriptor, *Tom. 2. Diſputatione 113. ſect. 9. Num. 53.* ubi hæc habet: *Bannez, & plerique ejus Diſcipuli, in publicis diſputationibus, privatiſque ſermonibus & ſcriptis, cœperunt notare illam ſententiam* (ſeu Ludovici Molinæ) *Pelagianam. Contra noſtri, ut notam Pelagianiſmi ſuæ ſententiæ evitarent, objiciebant oppoſitæ* (ſeu Doctrinam Thomiſtarum) *notam Calviniſmi.* His ego rationibus permotus, in ea, quam ad te ſcripſi, Epiſtola *De Mente Conc. Trid. circa Gratiam efficacem & liberum hominis arbitrium*, hanc Calviniſmi calumniam penitùs deſpexi, eamque, tanquàm veterem cantilenam ab omnibus exſibilatam, & malè conſarcinatam fabulam, omninò valere juſſit.

II.

II. At tunc, poſt lectam Epiſtolam, quam ad me nuperrimè ſcripſiſti, ſilentium, velim nolim, abrumpere cogor. Ais quippe primò, *Patrem De Meyer*, Calvinianæ hæreſeos notam toti Scholæ Thomiſticæ temere affinxiſſe, mirarique omnes, quod nullus Thomiſta cauſam Scholæ ſuæ agat, & illius Theologi, audaciam frangat ac retundat, cum tamen *S. Hieronymus* in Epiſtola LXI. ad *Pammachium* nolit, quemquam in ſuſpicione Hæreſeos tacere: *Nolo*, inquit S. ille Pater, *in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem*. Ais præterea, *Patrem De Meyer* in ſuis Diſſertationibus *De Mente Concilii Tridentini* provocaſſe Thomiſtas, ut ejus argumentis facerent ſatis, ſeque à Calvinianæ hæreſeos nota ac ſuſpicione purgarent, ſed illos hactenus ſurdos fuiſſe, ac *piſce mutiores*.

Hæc ſtatim ac legi, dolore, fateor, contabui, &, ut intelligerent Scholæ noſtræ Adverſarii, animum vireſque Thomiſtis non deeſſe, meum in animum induxi ſæpius decantata *Patris De Meyer* expendere momenta, eiſque, citra ullam verborum aſperitatem, ſolidas Thomiſtarum opponere reſponſiones juxta hanc æquiſſimam regulam, quam idem Scriptor in ſua ad Lectorem Præfatione proponit: *Prudens*, inquit, *ſedatus, & amans veritatis animus momenta utrimque expendit. Si qui ægrè ferant proponi rationes partis oppoſitæ, poſtquam ipſi expoſuerunt ſuas, lucem fugere, tenebraſque amare convincuntur.*

Quæcumque autem in hacce Epiſtola contrà *P. De Meyer* dicturus ſum, dicta itidem volo contrà *P. Gabrielem Danielem*, recentem alterum ſocietatis Jeſu Scriptorem, qui, in Epiſtola VIII ad noſtrum *Natalem Alexandrum*, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci pari audacia Calviniſmi inſimulavit his verbis: *Inter Calviniſtas, qui eamdem ſe ac Janſenium terere viam, ac tradere doctrinam putant plurimi denunciarunt, nihil à ſe reverà plus, quam à Thomiſtis dici, quamvis aperte docerent ineluctabilem libero arbitrio à Gratia neceſſitatem imponi.*

III. In primis, *Pater Livinus de Meyer* *cap.* 2. Diſſertationis primæ *De Mente Concilii Tridentini circa Gratiam Prædeterminantem*, ait, Hæreſiarcham *Calvinum* a recepta Catholicorum ſententia circa Gratiæ efficacis naturam receſſiſſe, quia *Calvinus*, inquit *P. De Meyer*, volebat, Gratiam efficacem eſſe actuum noſtrorum cauſam totalem, & adæquatam, cum tamen Catholici Doctores profiterentur, gratiam efficacem eſſe quidem cauſam principalem actuum noſtrorum, ſic tamen ut partialem liberi arbitrii concurſum non excluderent, ſed potius docerent, Deum per gratiam efficacem, & hominem per liberum arbitrium cooperari ceu duas cauſas partiales in actu ſalutifero producendo, ita ut idem voluntatis actus præcipuè quidem à gratia Dei excitante, & adjuvante, partim tamen a libero arbitrio procedat non partialitate effectus, (ut Scholæ loquuntur) ſed cauſarum dumtaxat partialitate. Hanc de partialitate cauſarum, videlicet Dei & hominis, in producendo ſalutifero actu ſententiam pertendit *Pater Meyer* magnò verborum apparatu *cap.* 2. 3. & 4. ejuſdem primæ Diſſertationis fuiſſe Sanctis Patribus, & antiquis Theologis Scholaſticis ante Concilium Tridentinum maxime probatam, deinde in eodem Concilio contra errores *Lutheri*, & *Calvini* confirmatam, ac demum à Theologis qui poſt ejuſdem Concilii Sancita ſcripſerunt, totis viribus eſſe propugnatam.

Hoc ſemel jacto fundamento, (quod caducum, ac ruinoſum eſſe mox oſtendam) iſtud parallelum Doctrinam Thomiſticam inter & Calvinianam *Cap. V.* ejuſdem Diſſertationis inſtituit *Pater De Meyer*, ubi hæc habet: *Convenit auctoribus gratiæ phyſicè prædeterminantis cum Calvino, ut ipſimèt fatentur, quod utiquè affectant gratiam efficacem eſſe cauſam totalem; & adæquatam noſtræ converſionis: negant verò, arbitrium noſtrum divinitus excitatum cooperari Deo, ut cauſam ſuæ converſionis partialem, & minus præcipuam, Convenit præterea in eo, quod afferant, ipſam nihilominus voluntatem à Deo motam, velle & agere, non partiali & propria vir-*

virtute; ſed ea actione, quam Deus in ipſa, atque ex ipſa in ſolidum format .... In his ſententiis Bannezius nihil à Calvino videtur differre. Uterque aſſerit, Deum eſſe totalem, & adæquatam cauſam noſtræ converſionis. Uterque negat, liberum arbitrium eſſe cauſam partialem, *hoc eſt, licet arbitrium gratia præventum, excitatum, erectumque ſupra naturæ facultatem, & in ratione principii phyſici ſupernaturalis completum ſit, negat tamen uterque, aliquod à ſe ipſo agere, ſeu partialem, & propriam virtutem exerere, quæ ſit a menſura gratiæ & divina operatione diſtincta. Uterque fatetur, agere nihilominus in ſua converſione arbitrium humanum, quoniam vult, & volendo non poteſt non agere: immo cum totam volitionem producat, agit ut cauſa totalis ea actione, quam Deus prioritate naturæ, & cauſalitatis ſua gratia in ſolidum format. Denique uterque oppoſitam Catholicorum ſententiam, multorum ſæculorum traditione firmatam. Pelagianiſmi, aut Semipelagianiſmi inſimulat. Atqui* (ſubſumit Pater de Meyer) *Hæreſiarchæ Lutherus, & Calvinus à Concilio Tridentino damnati ſunt, quia inficiabantur, voluntatem humanam à Deo motam erectam & adjutam à ſe ipſa velle, & volendo a ſe ipſa agere, ceu cauſam partialem, quod unum proclamant ſe rejicere, & aſpernari. Si autem hæc Lutheri, & Calvini opinio eſt improbata à Tridentina Synodo, quomodo gratiæ phyſicè prædeterminantis patroni ſerio ſibi imaginari poſſunt ſuam ab eodem Concilio approbatam eſſe?*

Hoc eſt Achylleum, ſi ſuperis placet, *Patris Livini De Meyer* argumentum, quod priuſquam oſtendam eſſe putrum Paralogiſmum, vanis impoſturis, falſiſque principiis infartum, præſtat ut tibi ob oculos ponam abſurditatem, ne quid gravius dicam, ſententiæ illius Moliniani Scriptoris *de partialitate cauſarum, Dei nimirum & hominis, in Actu ſalutifero producendo*, quam tamen ſententiam audacter pronunciat idem Scriptor, eſſe ipſiſſimam doctrinam, quam Sancti Patres, & antiqui Theologi ante Concilium Tridentinum propugnarunt, quam etiam Patres Tridentini approbarunt, quam denique Theologi, qui poſt Concilium Tridentinum floruerunt, ſcriptis commendarunt, ac defenderunt.

Vult igitur *P. de Meyer*, in hoc ſitam eſſe Fidei Catholicæ doctrinam, quod Deus, & homo ſint duæ cauſæ partiales, quæ producunt actionem voluntatis humanæ, ita ut Deus ſit cauſa partialis, quatenus homini offert, & ſuppeditat ſuum concurſum ſimultaneum planè indifferentem, & ſubditum libero hominis abitrio; homo autem ſit cauſa partialis ſuæ actionis, quia per conſenſum voluntatis ſuæ determinat concurſum Dei indifferentem ad agendum. Porrò, abſurdum eſt, hanc de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet, & hominis ad producendam actionem voluntatis humanæ ſententiam proponere tanquam doctrinam Catholicæ Eccleſiæ, cum certum ſit, illam eſſe ipſiſſimam *Ludovici Molinæ* ſententiam, quæ nunquam fuit recepta in Eccleſia Catholica, ſed tantum tolerata, quæ fuit Patribus Concilii Tridentini prorſus ignota, quæ primas homini in negotio ſuæ ſalutis partes tribuit, quam celebriores Scholæ, & totius Orbis Academiæ impugnarunt, & ex qua denique bene multa deducuntur conſectaria, quæ cum neceſſitate orandi Deum, gratias ei pro perceptis beneficiis agendi, & cum principiis Doctrinæ Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, nullo pacto conciliari poſſunt, ſicut jam multis argumentis probavi in ſuperioribus meis Epiſtolis, & copioſiùs, benè fortunante Deo, oſtendam in aliis Epiſtolis, in quibus Scholæ Molinianæ Gratiam congruam data opera oppugnabo.

Qui igitur fieri potuit, ut *P. de Meyer* hanc novam *Ludovici Molinæ* ſententiam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, ad producendum in voluntate humana actum ſalutiferum, nobis proponeret tanquam dogma Fidei Catholicæ, a Sanctis Patribus, & antiquis Theologis propugnatum ante Concilium Tridentinum, ab eodem Concilio contra errores *Lutheri*, & *Calvini* ſtabilitum, & à Theologis præcipuiſque Academiis receptum poſt Concilium Tri-

Tridentinum, ab eodem Concilio contra errores *Lutheri*, & *Calvini* ſtabilitum, & à Theologis præcipuiſque Academiis receptum poſt Concilium Tridentinum? Scilicet perſuadebit cuipiam *P. De Meyer*, ſuam & *Molinæ* ſententiam de partialitate cauſarum, Dei nimirum & hominis, ad producendam actionem voluntatis humanæ fuiſſe poſt Concilium Tridentinum à CLEMENTE VIII, & PAULO V. eorumque Succeſſoribus Summis Pontificibus approbatam & ab Academiis, Pariſienſi, Salmanticenſi Lovanienſi, & Duacenſi receptam! hoc inauditum hactenus paradoxum antequam probet *Pater de Meyer*, certè *paſcentur in æthere cervi*.

Hac præmiſſa obſervatione, proclive eſt oſtendere, Thomiſtas, qui docent, *Gratiam per ſe efficacem prædeterminatricem eſſe cauſam totalem, & adæquatam noſtræ converſionis, voluntatem verò humanam, motam & excitatam à Deo, agere quidem, ſed non ut cauſam partialem ſuæ actionis*, nullo pacto conſentire cum *Calvino*, quia *Calvinus* pluribus in locis docet, humanam voluntatem a Deo motam, & excitatam Gratia efficaci, agere quidem ut natura eſt, ſeu ſpontaneè, & voluntariè, non autem libere, ut ipſimet fatentur clariſſimi Societatis Jeſu Theologi quos mox laudavi Thomiſtæ autem docent, voluntatem humanam ita ab efficaci gratia agi, ut etiam liberè agat. *Calvinus* ita dicit Gratiam efficacem eſſe totalem, ſive adæquatam cauſam converſionis, ut liberum arbitrium, motum & excitatum à Deo nullo pacto ſit cauſa proxima liberæ converſionis ſuæ. At, Thomiſtæ docent contra *Ludovicum Molinam*, Deum per Gratiam ſe ipſa efficacem eſſe cauſam primam non partialem, ſed *totalem & adæquatam* noſtræ converſionis, & contra *Calvinum* dicunt, voluntatem humanam, à Deo per Gratiam ſe ipſa efficacem motam & excitatam, eſſe cauſam proximam, liberam, totalem, & adæquatam ſuæ converſionis, ſed cauſam ſubordinatam Deo, tanquam primæ cauſæ; ita ut, quamvis homo ſit cauſa ſecunda totalis, & proxima ſuæ converſionis, Deus tamen, qui eſt cauſa prima univerſaliſſima, & effectrix totius entis, per ſuum influxum prævium & phyſicum efficiat, ut homo liberè operetur & velit.

At enim, inquiunt Thomiſtæ, quando idem effectus à duabus ſimul cauſis procedit, ita ut totus producatur à ſingulis, cauſas oportet eſſe ſubordinatas puta ſi percuſſio clavi tota fiat à manu, & tota pariter à malleo, neceſſe eſt, manum & malleum eſſe cauſas ſubordinatas, ideſt, quarum altera agat, quia agitur ab altera. Hoc ſuppoſito, dicunt, actionem voluntatis humanæ eſſe totam à Deo, tanquàm à cauſa prima totali, & adæquata, & ſimul totam à voluntate hominis produci tanquam à cauſa ſecunda totali & adæquata, ac Deo, primæ rerum omnium cauſæ, ſubordinata. Jam verò cauſa ſubordinata dicitur, quæ in tantum agit, in quantum movetur à cauſa cui ſubordinatur, ideſt, in quantùm cauſa ſuperior efficit, ut inferior agat. Igitur voluntas creata non agit, niſi quia Deus, cui tanquam cauſa ſecunda ſubordinatur, per ſuum prævium & phyſicum influxum efficit, ut agat. Abſit enim, ut Deum creatæ voluntati ſubordinemus, & non potius voluntatem creatam Deo Quod ſi à Deo effiicitur, ut voluntas creata in actionem prorumpat, igitur Deus totam voluntatis creatæ actionem, tanquam cauſa prima totalis, & adæquata per ſuum influxum prævium, & phyſicum producit; voluntas verò creata, tanquam cauſa ſecunda ſubordinata Deo, ſuam itidem elicit actionem in virtute primæ cauſæ, ſicut conceptis verbis docet *S. Thomas* I. P. Quæſt. 105. art. 5. ubi hæc habet: *Secundò, conſiderandum eſt, quod ſi ſint multa agentia ordinata, ſemper ſecundum agit, in virtute primi agentis. Nam primum agens movet ſecundum ad agendum, &, ſecundum hoc, omnia agunt in virtute ipſius Dei, & ita ipſe eſt cauſæ omnium actionum agentium*. Et lib. 3. contra Gent. cap 70: appoſitè ait idem S. Doctor: *Non ſic idem effectus cauſa naturali, & Divinæ virtuti attribuitur, quaſi partim à Deo, partim ab agente naturali fiat, ſed totus eſt ab utroque ſecundùm alium modum*: Videlicet à creatura, ſicut ab agente proprio, & ſub ratione particulari

lari talis entis : à Deo autem , tanquam à cauſa univerſaliſſima , & ſub ratione entis abſolute . Et Opuſculo I. negat S. ille Doctor , Deum concurrere cum creatura ad operandum eo modo , quo duo homines , vel duo equi concurrunt ad tractionem ejuſdem navis , vel rhedæ

Sed quando duæ cauſæ non ſunt ſubordinatæ , non poſſunt ſimul eumdem producere effectum , facta hypotheſi , quod earum unaquæquæ , aut etiam alterutra effectum totum & integrum eliciat : id totum hoc familiari illuſtro exemplo ſit homo aliquis qui velit producere ſex gradus motus; Si manus ejus dextera ſex illos gradus producat, ſiniſtra ejus manu totidem quoque gradus , aut quatuor dumtaxat producente , non ſex tantum , ſed duodecim , aut decem reſultabunt gradus motus ; ac proinde non unicus , ſed duplex ſequetur effectus . Et ratio eſt , quia ejuſmodi cauſæ , quæ in ſuis operationibus non ſunt ſubordinatæ , ſuum ſingulæ habent influxum , quo fit , ut producente altera totum effectum , inutilis ſit ac ſupervacaneus alterius cauſæ influxus .

Hanc de Deo , & homine , tanquàm de duabus cauſis ſubordinatis , totalibus , & adæquatis producentibus eumdem effectum in voluntate humana , doctrinam omnes ad unum , poſt Sanctos *Auguſtinum* , & *Thomam* , propugnant Scholæ Thomiſticæ Theologi contra *Lodovicum Molinam* , qui in ſuis in I. Partem Summæ *S. Thomæ* Commentariis in aliam longè diverſam , totique retrò antiquitati ignotam ſententiam manibuſque pedibuſque deſcendit . At enim primò , candidè Diſputatione 26. fatetur , ſe vix ac ne vix quidem intelligere poſſe hanc motionem præviam , ac phyſicam , qua Deus (ſicut docet *S. Thomas*) movet , & applicat cauſas ſecundas ad agendum : *Ingenuè fateor* , inquit Molina , *mihi valdè difficilem eſſe ad intelligendum motionem , & applicationem hanc , quam D. Thomas in cauſis ſecundis exigit* . Deindè , negat ibidem *Molina*, Deum prævië ac phyſicè influere in cauſas ſecundas , ita ut cauſæ ſecundæ hoc Divino influxu motæ , & excitatæ agant , ſuumque producant effectum , ſed pertendit , Deum immediatè influere una cum cauſa ſecunda in actionem , & effectum ejuſdem cauſæ ſecundæ : *Quò ſit* , ait Molina , *ut concurſus Dei generalis non ſit influxus Dei in cauſam ſecundam , quaſi illa priùs mota agat & producat ſuum effectum , ſed ſit influxus immediatè cum cauſa ſecunda in illius actionem , & effectum* . Denique , *Molina* ibidem docet , influxum Dei eſſe indifferentem ad varias actiones , & effectus ; determinari verò ad ſpecies actionum , & effectuum à particulari influxu cauſarum ſecundarum, qui pro diverſitate virtutis utriuſque , diverſus eſt . Ex quo infert , Deum & cauſam ſecundam eſſe cauſas partiales actionum, & effectuum cauſæ ſecundæ , non ſecùs ac duo equi trahentes eamdem rhedam, aut navim , ſunt cauſæ partiales tractionis navis , vel rhedæ , tametſi equus nihil virtutis influat in alterum equum cui ſociatus eſt , ſed ambo dumtaxat per partialem influxum producant tractionem navis , vel rhedæ : *Deus* (inquit *Molina* in eadem Diſputatione 26.) *generali concurſu influit , ut cauſa univerſalis , influxu quodam indifferenti ad varias actiones , & effectus ; determinatur verò ad ſpecies actuum , & effectuum à particulari influxu cauſarum ſecundarum , qui , pro diverſitate cujuſque ad agendum , diverſus eſt : aut ſi cauſa libera ſit , in ipſius poteſtate eſt ita influere , ut producatur potiùs hæc actio quàm illa , puta velle , quam nolle , aut ambulare , quàm ſedere , & hic effectus potiùs quam ille , nempè hoc artefactum potiùs , quàm illud , vel etiam ſuſpendere omninò influxum , ne ulla ſit actio . Porrò concurſus Dei generalis determinatur à particulari concurſu cauſarum ſecundarum , non ſecus ac influxus ſolis , qui etiam univerſalis eſt , determinatur ab influxu hominis , ut producatur homo ; ab influxu equi , ut oriatur equus . . . . . ſimili præterea modo , ſicut ad generationem equi non ſatis eſt influxus ſolis , neque influxus equi ſine influxu ſolis ; ita ad nullius effectus productionem ſatis eſt influxus Dei per ſolum concurſum univerſalem ſine influxu cauſæ ſecundæ particularis , à qua de-*

ter-

terminetur; *neque viciſſim influxus cauſæ ſecundæ particularis ſine influxu Dei per concurſum univerſalem*, *quo adjuvetur*, *& quem Deus de lege ordinaria ſtatuit nunquàm denegare*. Et in Diſputatione 27. mentem ſuam de partialitate Cauſarum (Dei ſcilicet & cauſæ ſecundæ) in pro ducendo ſalutifero actu voluntatis humanæ, hiſce clariſſimis verbis exprimit Molina: *In his duabus cauſis* (Deo nimirùm, & homine) *licèt concedendum ſit*, *unamquamque in ſuo ordine*, *& gradu eſſe cauſam totalem*, *negari tamen non poteſt eſſe partialem*, *partialiter & non toto influxu*, *ad effectum neceſſariò influentem*.

Patet itaque primò, *Molinam* docuiſſe, Deum non eſſe cauſam totalem, & adæquatam noſtræ actionis, ſed tantummodò Deum eſſe cauſam partialem noſtræ actionis, ſeu converſionis noſtræ, Deique influxum eſſe indifferentem, & determinari à particulari influxu cauſarum ſecundarum ad ſpecies actuum, & effectuum voluntatis humanæ, adeò ut (ſicut docet idem *Molina Diſputatione* 32.) *actiones liberi arbitrii à concurſu generali Dei non habeant quod ſint tales vel tales in particulari*, *ac proinde quod ſint ſtudioſæ vel vitioſæ*, *ſed ab ipſomet libero arbitrio*.

Hanc autem *Ludovici Molinæ* doctrinam eſſe falſam, & principiis Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ omninò oppoſitam, jam multis argumentis demonſtravi in his, quas ad te ſcripſi, Epiſtolis, in quibus latè probavi, Deum non eſſe cauſam partialem, ſed totalem & adæquatam omnium actionum noſtrarum; ejuſque influxum in cauſas ſecundas non eſſe indifferentem, ſed prævium & phyſicum, nec determinari à voluntate creata ad ſpecies actuum & effectuum (ſicut perperam docet Molina) ſed, verſa vice, voluntatem creatam, tanquam cauſam ſecundam ſubordinatam Deo, determinari, illæſa manente ipſius libertate, ab influxu divino prævio & phyſico non ſolum ad benè agendum in genere, ſed etiam ad omnes ſpecies & individuales rationes ſingulorum effectuum, determinationum, & actionum, quas, tanquam cauſa ſecunda, elicit humana voluntas.

IV. In hac igitur confutanda *Ludovici Molinæ* ſententia de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero actu voluntatis humanæ, diutius non immorabor; dicam tantùm obiter, à vero multùm aberrare *Patrem de Meyer*, dum aſſerit, Hæreſiarchas *Lutherum*, & *Calvinum* eo potiſſimùm nomine fuiſſe à Patribus Concilii Tridentini damnatos, quòd docerent, *Gratiam per ſe efficacem eſſe cauſam totalem & adæquatam noſtræ converſionis*, & negarent, *liberum hominis arbitrium*, *motum & excitatum à Deo*, *eſſe cauſam partialem ac minùs præcipuam converſionis*. Ex quo *P. de Meyer* lectori ſuo naturali conſecutione inferendum relinquit, ſententiam *Ludovici Molinæ* de partialitate cauſarum, Dei & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu, fuiſſe à Patribus Tridentinis receptam, & contra *Lutherum*, & *Calvinum* definitam, velut doctrinam Eccleſiæ. Qua in re *Pater de Meyer*, ut mitiſſimè dicam, de clariſſimis, & in doctrina Sanctorum *Auguſtini & Thomæ* verſatiſſimis Concilii Tridentini Patribus malè meritus eſt.

Sed dices, in quo itaque ſiſtit hic error Hæreſiarcharum *Lutheri*, & *Calvini*, quem Patres Concilii Tridentini proſcripſerunt?

In promptu eſt reſponſio, & dicò, præcipuum *Lutheri*, & *Calvini* circa Gratiam errorem, quem confixerunt Patres Concilii Tridentini, in hoc ſitum fuiſse, quod iſti Hæreſiarchæ palàm contenderent, Gratiam per ſe efficacem ita eſse cauſam adæquatam & totalem noſtræ actionis, ſeu converſionis, ut voluntas noſtra in negotio noſtræ ſalutis, Deo excitanti & intùs operanti non liberè cooperaretur.

Docebant quippe iſti Hæreſiarchæ, liberum hominis arbitrium eſse penitùs per peccatum Adami extinctum, inductam eſse in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi, ſublatam omninò indifferentiam activam voluntatis, quæ excludit neceſſitatem, & ſolam voluntati hominis lapſi relictam eſse libertatem,

tem, qua voluntas ſpontè agit ſua, quæque dicitur *libertas ſpontaneitatis*, immunitatem quidem à violentia, & coactione importans, ſed tollens immunitatem à neceſſitate. *Homo* (inquit Lutherus in libro de *ſervo arbitrio*) *cum vacat ſpiritu Dei, non quidem violentia, velut obtorto collo, nollens facit malum, ſed ſponte & libenti voluntate facit ......* Et rurſus: *Si Deus*, inquit, *in nobis operatur, mutata, & blandè aſſibilata per ſpiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia & pronitate, ac ſponte ſua vult & facit, non coactè, pro natura voluntatis, quæ ſi cogeretur, voluntas non eſſet*. Calvinus lib. 2. Inſtitutionum cap. 2. hæc habet: *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habet boni æquè ac mali electionem, ſed quia mala voluntate agit non coactè* Et capite 3. *Porrò*, inquit, *quod libertate abdicata voluntatem dico neceſſitate in malum trahi, vel duci mirum eſt ſi cui videatur aſpera locutio...... Offendit eos, qui inter neceſſitatem & coactionem diſtinguere neſciunt*. Et rurſùm: *Quid ergò ſibi vult Auguſtinus*, inquit *Calvinus* in Antidoto ad Canonem V. Seſſionis ſextæ Concilii Tridentini) *cùm de libertate voluntatis loquatur? nempè quod totiès repetit, non cogi homines invictà Dei gratia, ſed voluntarios regi, ut ſpontè pareant ac ſequantur* Et lib. 2. in *Pighium*: *Si coactioni opponitur libertas, liberum arbitrium & fateor, & conſtantèr aſſevero, ac pro hæretico habeo, ſi quis ſecùs ſentiat: ſi hoc, inquam: ſenſu liberum vocetur, quod non cogatur, aut violenter trahatur, ſed ſponte trahatur ſua, nihil moror*. Poſſem nullo negotio ſexcenta ejuſmodi perindè clara cùm *Lutheri* tùm *Calvini* adducere loca, ex quibus certò certiùs conſtat, ambos illos Hæreſiarchas docuiſſe, gratiam per ſe efficacem ita eſſe cauſam totalem & adæquatam actionis, ſeu converſionis noſtræ, ut Deo excitanti & operanti voluntas humana non liberè cooperetur, ſed ſpontè dumtaxat & voluntariè; hoc eſt, non habeat in agendo libertatem à neceſſitate, ſed tantùm libertatem à coactione & violentia, ſubindeque capitalem illum *Lutheri*, & *Calvini* errorem, qui liberum hominis arbitrium prorſùs ſugulabat, jure optimo à Patribus Concilii Tridentini fuiſſe profligatum.

Sed quid, amabo, opus eſt varia hic *Lutheri*, & *Calvini* congerere teſtimonia, cùm omnes Orthodoxi Theologi, & prælaudati etiam Patres Societatis Jeſu, hactenùs in ſuis contra Lutheranos, Calvinianos, & Janſenianos polemicis lucubrationibus ſæpiùs declaraverint, peſtiferum *Lutheri*, & *Calvini* errorem in Concilio Tridentino damnatum, in hoc potiſſimùm fuiſſe ſitum, quòd vellent, gratiam per ſe efficacem ita eſſe cauſam totalem & adæquatam actionis voluntatis humanæ, ut Deo excitanti & operanti voluntas humana non cooperetur liberè, ſed tantummodò ſpontè & voluntariè, nec habeat in agendo libertatem, quæ importet immunitatem à neceſſitate, ſed habeat dumtaxat libertatem, ſeu immunitatem à coactione & violentia. Quæ cùm ita ſint, apertè falſi convincitur *Pater De Meyer*, qui aſſerit *Lutherum*, & *Calvinum* ideò à Patribus Concilii Tridentini fuiſſe damnatos, quòd vellent illi Hæreſiarchæ gratiam per ſe efficacem eſſe cauſam totalem, & adæquatam actionis & converſionis noſtræ, indeque negarent, voluntatem noſtram concurrere in negotio ſuæ ſalutis tanquàm cauſam partialem cum Deo.

Certè vehementer mirari ſubit, quòd *P. De Meyer* parùm ſuo & ſuæ ſocietatis honori conſulens, voluerit Hæreſiarchas *Lutherum*, & *Calvinum* ab errore abſolvere, in quem illos certiſſimè impegiſſe unanimi conſenſu omnes totius Orbis Catholici Theologi, etiam Societatis Jeſu, qui ſive tempore Concilii Tridentini, ſive poſt ejus celebrationem confutarunt hæreſes *Lutheri*, & *Calvini*, conſtantiſſime profitentur.

Præterea (quod ſanè ferendum non eſt) hæc doctrina, quam *P. De Meyer*, aſſerit, fuiſſe in *Luthero*, & *Calvino* à Patribus Concilii Tridentini damnatam, tantùm abeſt, ut hæretica, vel erronea ſit, ut potiùs ſit ipſiſſima Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina, quam hactenùs eorum Diſcipuli contra *Ludovicum Molinam* propugnarunt. At enim, Pater

De

Digitized by Google

De Meyer, errorem *Lutheri*, & *Calvini* à Patribus Concilii Tridentini damnatum, in hoc ſtare aſſerit, quòd dicerent iſti Hæreſiarchæ, gratiam per ſe efficacem eſſe cauſam totalem & adæquatam actionis & converſionis noſtræ, & negarent, voluntatem noſtram eſſe in negotio ſuæ ſalutis cauſam partialem cum Deo in producendo actu ſalutifero. In hoc ſolo poſitum fuiſſe errorem *Lutheri*, & *Calvini*, à Patribus Concilii Tridentini confixum, magnis animis contendit *P. de Meyer*. At ipſe (cum bona illius venia) dixerim, hoc eſſe luculentiſſimum mendacium quod apertè Hæreſiarchas *Lutherum*, & *Calvinum* ab errore abſolvit Patribus Concilii Tridentini, totique Eccleſiæ maximam irrogat injuriam ac denique novellam *Ludovici Molinæ* opinionem, tanquam puram putamque doctrinam ab Eccleſia approbatam obtrudit.

At enim, dicere cum *Patre De Meyer*, tantum in hoc erraſſe *Lutherum*, & *Calvinum*, quòd docerent, Deum per Gratiam ſe ipſa efficacem eſſe cauſam non *partialem*, ſed totalem & adæquatam noſtræ actionis & converſionis, & negarent, voluntatem humanam eſſe in negotio ſuæ ſalutis cauſam *partialem* cum Deo; hoc, inquam, cum *Patre De Meyer* aſſerere, nihil aliud eſt, quàm Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, ſubindèque totius Scholæ Thomiſticæ doctrinam apertè declarare Calvinianam, & in Concilio Tridentino damnatam. Tota enim Schola Thomiſtica, veſtigiis illibatæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ fideliſſimè ad noſtra uſque tempora inſiſtens propugnavit, &, auxiliante Deo, ſemper contrà *Molinam* propugnabit, Deum non eſſe cauſam *partialem*, ſed revera eſſe cauſam totalem, & adæquatam noſtræ converſionis, & cujuslibet actionis & determinationis voluntatis humanæ. Negavit etiam hactenùs univerſa Schola Thomiſtica, & jugiter negabit, voluntatem humanam in negotio ſuæ ſalutis concurrere cum Deo, in producendo ſuo ſalutifero actu, tanquam cauſam *partialem*.

Hæc enim ſententia de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, fuit Patribus Concilii Tridentini, adeoque Sanctis *Auguſtino* & *Thomæ*, totique retro antiquitati ignota, ut pote quæ a *Ludovico Molina*, ſicut jam obſervavi poſt celebrationem Concilii Tridentini fuerit invecta & excogitata. Cum igitur tota Schola Thomiſtica, doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* addictiſſima abhorreat omninò ab hac nova *Ludovici Molinæ* ſententia *de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet, & hominis, in producendo humanæ voluntatis ſalutifero actu*, manifeſtò ſequitur, ſi ſemel audiatur *P. de Meyer* ſententiam Scholæ Thomiſticæ fuiſſe, tanquam Calvinianam, damnatam in Concilio Tridentino, & verſa vice, ſententiam *Molinæ* de partialitate cauſarum Dei videlicet & hominis in producendo ſalutifero voluntatis actu, eſſe à Patribus Concilii Tridentini approbatam; ac denique eamdem *Molinæ* ſententiam nunc ab Eccleſia Catholica proponi tanquam Orthodoxam, & veram Patrum Concilii Tridentini doctrinam.

Sed hæc tria conſectaria, in quibus probandis fruſtra inſudavit, multumque operę poſuit *Pater de Meyer*, memini, me in ſuperioribus, quas ad te ſcripſi, Epiſtolis abundè confutaſſe. In his quippe oſtendi variis momentis, Patres Concilii Tridentini, in definiendis contra *Lutherum*, & *Calvinum* Controverſiis circa Gratiam & liberum hominis arbitrium ſecutos fuiſſe ſententiam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci, quę, a Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma* tradita ſola id temporis in Eccleſia obtinebat ſola Patribus Concilii Tridentini nota erat; cùm certum ſit, ſententiam *Ludovici Molinæ* de partialitate cauſarum Dei ſcilicet & hominis in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, fuiſſe dumtaxat ab illo Scriptore procuſam poſt abſolutum jam Concilium Tridentinum, ſubindèque hanc novam illius Auctoris ſententiam Patribus Tridentinis fuiſſe penitus ignotam. Oſtendi etiam, hanc novam *Molinæ* ſententiam nunquam ab Eccleſia, poſt Concilium Tridentinum, fuiſſe approbatam, ſed potius à celebrioribus Chriſtiani Orbis Scholis, Auguſtiniana, & Thomiſtica; ab

Academiis, Pariſienſi, Salmanticenſi, Lovanienſi, Duacenſi, &c repudiatam eſſe, gravibuſque cenſuris inuſtam.

Nullum *Pater de Meyer* laudare unquam poterit Romanum Pontificem, qui auctoritate Apoſtolica probarint ſententiam *Molinæ* de Gratia verſatili, & de partialitate cauſarum, Dei nimirùm & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu. Aſt, Schola Thomiſtica, juxta bene multa Summorum Pontificum, præſertim BENEDICTI XIII. qui nunc feliciter Catholicam gubernat Eccleſiam, Decreta Bullis & Conſtitutionibus firmata, jure optimo gloriatur, ſe antiquam de gratia ſe ipſa efficaci tutari doctrinam, quam ab antiquis & modernis Romanis Pontificibus ſæpiùs immenſis laudibus celebratam, à Conciliis, præſertim Oecumenico Tridentino, probatam; ex Sanctis Patribus, potiſſimùm *Auguſtino*, & *Thoma* hauſtam, & ab illuſtrioribus Catholicis Scholis, & Academiis pro aris ac focis propugnatam, gemino Decreto Pontificio, ad obturanda ora quorundam æmulorum Scholæ Thomiſticæ obtrectatorum, nuperrimè declaravit Summus Pontifex BENEDICTUS XIII. quem utinàm Deus Optimus Maximus diù Eccleſiæ ſuæ, & noſtræ Scholæ Thomiſticæ (cujus eſt ſplendidiſſimum decus præſidium, & lumen) ſoſpitem atque incolumen ſervet.

Hæc, inquam, ad exſufflandam illam novam, & à ſeculis inauditam *Molinæ* de Partialitate cauſarum, Dei videlicèt & hominis, in producendo ſalutifero voluntatis humanæ actu, ſententiam, cùm in ſuperioribus meis Epiſtolis in medium produxerim, ſatis erit hìc inſerere egregium *S. Bernardi* teſtimonium, quod hanc *Molinæ* ſententiam penitùs evertit, & extat cap. ultimo *Tractatus de Gratia & libero arbitrio*, ubi mellifluus ille Doctor ſic ſcribit; ***Non partim Gratia, partim liberum arbitrium; ſed totum ſingula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: ſed ut totum in hoc, ſic totum ex illa.*** Quam doctrinam *S. Bernardus* hauſit ex *S. Auguſtino*, qui cap 6 libri *de Dono Perſeverantiæ* hæc habet: *Tutiores vivimus, ſi totum demus Deo: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committamus.* Idem docet Aquilinus ille Doctor cap 13. ejuſdem libri, cap. 32. *Enchiridii*, & Lib. I. ad *Simplicianum*, Quæſt. 2.

Sed, inquit *Pater De Meyer*, damnarunt Patres Concilii Tridentini *Lutherum*, & *Calvinum*, quòd aſſererent duo illi Hæreſiarchæ, Deum eſſe cauſam totalem & adæquatam actionis & converſionis noſtræ, & præfactè negarant, Deum, & hominem eſſe cauſas partiales in producendo actu ſalutifero voluntatis humanæ; atquì Thomiſtæ idem planè docent ergo eorum doctrina fuit à Patribus Tridentinis eodem anathemate percuſſa.

Vide nunc, ſi placet, futilitatem iſtius argumenti, quod nec caput, nec caudam habet, & in quo nec mica rationis, nec ſcintilla veritatis apparet. Et primò quidem, falſum eſt, *Lutherum*, & *Calvinum* ideò à Patribus Concilii Tridentini fuiſſe, damnatos, quòd vellent; Deum eſſe cauſam totalem & adæquatam actionis noſtræ, id, inquam, falſum eſt. cùm nulli Sancti Patres, nullæ Scholæ, nulli Orthodoxi Theologi ante *Ludovicum Molinam*, Scientiæ Mediæ inventorem, dixerint unquàm, Deum eſſe cauſam partialem, & inadæquatam actionis, & converſionis noſtræ, ſed potiùs antè *Molinam* hęc conſtans ac perpetua fuerit Catholicorum ſententia, Deum eſſe cauſam primam, principalem, totalem, & adæquatam actionis & converſionis noſtræ.

Non in hoc igitur errabant *Lutherus*, & *Calvinus*, ſicut ſubdolè *Pater De Meyer* ſibi, aliiſque falſò perſuadere vellet. Sed in hoc capitalis & virulentus illorum Hæreſiarcharum error damnatus in Concilio Tridentino potiſſimùm ſitus erat, quod illos, ut mox dixi, effutire non puderet, Deum ita eſſe cauſam totalem & adęquatam actionis & converſionis hominis, ut voluntas humana in negotio ſuæ ſalutis Deo excitanti & operanti non cooperetur liberè, ſed ſpontaneè dumtaxàt & voluntariè. Ex quo errore inferebant hi duo Hęreſiarchę, hominem in ſtatu naturæ lapſæ per gratiam ſe ipſa efficacem neceſſariò determinari ad unum & in omnibus ſuis actionibus non

am-

ampliùs habere libertatem quæ importet immunitatem à neceſſitate, ſed illum gaudere dumtaxat libertate ſpontaneitatis, quæ tantùm excludit coactionem & violentiam.

Hinc *Lutheri*, & *Calvini* errorem peſtilentiſſimum, qui radicitus extirpat ac deſtruit liberum hominis arbitrium, protrivit Concilium Tridentinum, eumdemque errorem deteſtantur omnes ad unum Thomiſtæ, quippè qui (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis oſtendi, & in aliis ſequentibus pleniùs evincam) docent, Deum ita eſſe cauſam totalem & adæquatam omnium actionum noſtrarum, ut tamen voluntas noſtra, tanquam, cauſa ſecunda Deo ſubordinata, in virtute prævii & phyſici influxus, quem à Deo recipit, liberè ſe determinet, totam ſuam actionem producat, Deo excitanti, & operanti liberè cooperetur, ſemperque retineat, dùm agit, ſuam indifferentiam activam. & potentiam ad oppoſitum. atque integra fruatur libertate, non ſolùm illa, quæ excludit tantùm coactionem & violentiam, ſed etiam illa libertate, quæ importat immunitatem à neceſſitate; & quæ omninò requiritur ad eſſentiam libertatis humanæ. Quo jure ergo potuit *Pater De Meyer* aſſerere, Thomiſtas idem cenſere ac *Lutherum*, & *Calvinum*, proindeque illorum doctrinam de Gratia per ſe efficaci phyſicè prædeterminante fuiſſe unà cum errore *Lutheri*, & *Calvini* à Patribus Concilii Tridentini eodem fulmine perculſam? Sed jure, an injuria, quis in hoſte requirat?

Præterea, falsò ſupponit *P. De Meyer*, ideò *Lutherum*, & *Calvinum*, à Patribus Tridentinis fuiſſe damnatos, quòd inficiarentur, voluntatem humanam eſſe cum Deo cauſam partialem noſtrarum actionum: hoc, inquam, falſum eſt, quia nullus Theologus Catholicus ante *Ludovicum Molinam* docere auſus fuit hanc ſententiam de partialitate cauſarum, Dei ſcilicet & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu; ſed ante tempora *Molinæ*, qui hanc novam ſententiam induxit, ſemper in confeſſo fuit apud omnes Sanctos Patres, præſertim *Auguſtinum*, & *Thomam*, nec non antiquos Theologos, Deum & hominem eſſe cauſas totales & adæquatas omnium actionum, quas liberè producit voluntas humana; Deum quidèm, tanquàm cauſam primam, univerſaliſſimam, & per ſuum prævium & phyſicum influxum, omnia entia producentem; hominem verò, tanquàm cauſam ſecundam, Deo ſubordinatam, & per divinum, prævium, & phyſicum influxum, quem recipit, & à quo eſſentialiter dependet, ſeſe liberè determinantem, totamque determinationem ſuam, actionem, & effectum, citrà ullam ſibi à Deo impoſitam neceſſitatem, producendo; ſuamque ſemper, intactam conſervando indifferentiam activam, & potentiam ad oppoſitum, in qua ſiſtit natura & eſſentia libertatis humanæ.

Hæc certè fuit ante *Ludovicum Molinam* omnium Sanctorum Patrum, & Catholicorum Theologorum ſententia, cui indivulsè adhæſerunt Patres Concilii Tridentini & in hoc tantùm *Lutherum*, & *Calvinum* diris devoverunt, quòd de medio tollerent liberum hominis arbitrium, & pervicaciter aſſererent, Deum ita eſſe cauſam totalem & adæquatam noſtrarum actionum, ut voluntas humana Deo excitanti & operanti non liberè, ſed neceſſariò cooperaretur, utpotè quæ non retineret libertatem, quæ importat immunitatem à neceſſitate, ſed dumtaxat libertatem ſpontaneitatis, quæ excludit quidem violentiam, & coactionem, non tamen neceſſitatem. Hic erat, ut jam dixi, præcipuus *Lutheri*, & *Calvini* error, à Concilio Tridentino damnatus, quem de induſtria occuluit *Pater De Meyer*, fingens, ideò *Lutherum*, & *Calvinum* à Patribus Concilii Tridentini fuiſſe confixos, quòd negarent partialitatem cauſarum, Dei, videlicet, & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu, ut ex falſiſſima illa ſuppoſitione inferret, hanc *Ludovici Molinæ* de partialitate cauſarum ſententiam, fuiſſe à Patribus Concilii Tridentini receptam, & tanquam Fidei Catholicæ Doctrinam, contra errores *Lutheri*, & *Calvini*, declaratam ac definitam; ſubindeque Doctrinam Thomiſtarum, qui hanc *Molinæ* de partialitate cauſarum ſen-

ſententiam, velut novam, & omnia Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* principia deſtruentem, averſantur, totiſque viribus impugnant, ab iiſdem Patribus Concili Tridentini, unà cum hæreſi *Lutheri* & *Calvini* fuiſſe prædamnatam.

Sed, quàm vanum, & puerile ſit iſtud *Patris de Meyer* artificium, facilè te docebit hæc, quam ad te jam ſcripſi, Epiſtola, *de Vera, & genuina Mente Patrum Concilii Tridentini*; Quàm verò craſſo filo contextum ſit idem artificium, pleniùs ut ſpero, percipies ex his, quas aliquandò ad Moliniſtarum gratiam congruam funditùs extirpandam, ad te ſcribam, Epiſtolis. Ibi quippè certiſſimis argumentis evincam, hanc *Molinæ* de partialitate cauſarum, Dei nimirùm, & hominis ſententiam, quam mordicùs propugnat *P. De Meyer*, eſſe prorsùs oppoſitam Doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, ac proinde hunc modernum Molinianum Scriptorem maximam intuliſſe injuriam Patribus Concilii Tridentini, quibus non ſolùm hanc novam, &, ante *Molinam*, à ſæculis inauditam *de partialitate cauſarum, Dei, & hominis, in producendo ſalutifero humanæ voluntatis actu* ſententiam liberaliter affricuit, verùm etiam (quod ſanè feſtivum, ac lepidum eſt) eamdem de partialitate cauſarum ſententiam ab iiſdem Tridentinis Patribus, contra Hæreſiarchas *Lutherum*, & *Calvinum*, tanquàm Eccleſiæ Catholicæ Doctrinam aſſertam, ac vindicatam, conditiſque Canonibus ſancitam fuiſſe, aſſerere non dubitavit. Profectò, ut candide dicam, nunquàm crediddiſſem, tot abſurda paradoxa è *Patris De Meyer*, viri alioquin eruditi, calamo effluere potuiſſe, niſi ipſe, non ſine faſtidio & indignantis animi motu, ea perlegiſſem in prima ipſius Diſſertatione *De Mente Concilii Tridentini circà Gratiam phyſicè prædeterminantem*.

VI. Sed pergamus, ſi placet, alia prpponere, ac diluere argumenta, quibus *Pater De Meyer* conſenſionem Doctrinæ Thomiſticæ cum Calviniana Hæreſi probare ſe poſſe exiſtimat. *Conveni*, inquit, *aſſertoribus gratiæ phyſicè prædeterminantes cum Calvino, quòd utrimque affirment, arbitrium hominis à Deo motum, & excitatum non poſſe reipſa diſſentire, gratiamque abjicere, & irritam facere, hoc eſt, fieri non poſſe, ut liberum arbitrium, à Deo motum reapſe diſſentiat, gratiamque abjiciat*.

Præterea, laudat Canonem quartum Seſſionis ſextæ Concilii Tridentini; *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, motum, & excitatum à Deo, non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit*. Quibus verbis, inquit *Pater De Meyer*, apertè declarant Patres Tridentini, reverà fieri poſse, ut liberum hominis arbitrium, motum & excitatum à Deo, actu diſsentiat: *Quis enim* (ſunt verba illius Moliniani Scriptoris) *Non dico Theologus ſed ruſticus, audiens definiri, voluntatem, à Deo motam, poſſe diſſentire non protinùs ſibi imaginetur, fieri poſſe, ut voluntas à Deo mota reipſa diſſentiat? Quis tam hebes & plumbeus, cui hæc verba:* Voluntas poteſt diſsentire, *idem ſonent atque hæc:* Impoſſibile eſt voluntatem diſsentire?

Tertiò, aſserit *P. De Meyer*, ipſummet *Calvinum* perſpicuè intellexiſse, hæc verba Canonis quarti Seſſionis ſextæ Concilii Tridentini palàm innuere, fieri reipſa poſse, ut voluntas humana, à Deo mota, & excitata, actu diſsentiat, indeque *Calvinum* candide confeſsum fuiſse, doctrinam ſuam de Gratia ſe ipſa efficaci fuiſse damnatam a Patribus Tridentinis; nec illum, ad declinandam hanc damnationem, dixiſse unquam, ſicut nunc Thomiſtis dicere ſolemne eſt, Patres Tridentinos hoc Canone ſtatuiſse, voluntatem, motam, & excitatam à Deo, habere potentiam diſsentiendi ſejunctam ab actu; ſed non definiviſse, voluntatem, motam & excitatam à Deo, retinere potentiam diſsentiendi cum actu conjunctam, ideſt, qua re ipſa & actu diſsentiat; *Puduit Calvinum* (ait Pater De Meyer) *hæc monſtra fingere, ne contra Solemloquens, humani generis cachinno ſe exponeret. Eò tamen dilabi coguntur alii* (ſeu Thomiſtæ) *ut Tridentinos Iudices in ſenſa ſua pertrahant luctantes.*

Denique, pro coronide addit *Pater de Meyer*, Chymericam eſſe hanc, quam Thomiſtæ dicunt habere voluntatem motam & excitatam à Deo, diſſentiendi

po-

potentiam, quæ ſejuncta eſt ab actu, & , ſtante in voluntate humana motione Divina ſe Gratia per ſe efficaci, non reducetur ad actum.

In his diluendis *Patris de Meyer* argumentis diutiùs hic non immorabor, cum jam in ſuperioribus, quas ad te ſcripſi, litteris, illa ſat ſuperque retuderim, eaque mendaciis & paralogiſmis ſcatere luculenter oſtenderim; Et primò quidem Thomiſtas, Gratiæ phyſicè prædeterminantis Aſſertores, calumniatur *Pater De Meyer*, dum ait, *Thomiſtis convenire cum Calvino, quod utrimque affirment, arbitrium hominis à Deo motum & excitatum non poſſe diſſentire.* Hanc eſſe putidam calumniam facilè intellexiſſet *Pater de Meyer*, ſi Thomiſtarum doctrinam melius perſpectam habuiſſet. Docent etenim omnes Thomiſtæ, ſicut ſæpius expoſui, voluntatem humanam, à Deo motam & excitatam per Gratiam ſe ipſa efficacem, retinere ſemper potentiam ei diſſentiendi ſejunctam ab actu. quamvis non habeat potentiam ei diſsentiendi conjunctam cum actu, ideſt, quamvis fieri non poſſit, ut cum gratia per ſe efficaci conjungat actualem diſſenſum. Impoſſibile quippè omninò eſt, ut duo actus, ſibi invicem contrariè oppoſiti quales ſunt actualis aſſenſus, & actualis diſſenſus, poſsint eodem tempore perſtare ſimul.

At, Hæreſiarcha *Calvinus* in hoc erravit, quòd pervicacitèr contenderet, humanam voluntatem, a Deo motam & excitatam per Gratiam ſe ipſa efficacem, non ſolùm non retinere potentiam ei diſſentiendi conjunctam cum actu, ſed nec habere quidem potentiam ei diſſentiendi ſejunctam ab actu. ſeu ab actuali diſſenſu. atque contra perpetuam Sanctorum Patrum traditionem aſſereret, liberum hominis in ſtatu naturæ lapſæ arbitrium; motum & excitatum à Deo per Gratiam ſe ipſa efficacem, nullo pacto poſſe diſsentire, ſed neceſſariò impelli ad agendum, & à coactione ac violentia dumtaxat liberum eſſe. Sic mentem ſuam *Calvinus* clariſsimè aperit in ſuo Commet. in c. 6 Joannis: *Pronuntiat Chriſtus*, inquit Calvinus, *efficacem eſſe Spiritus Sancti gratiam, qua trahuntur ut neceſſariò credant. His prorſus evertitur tota liberi arbitrii poteſtas, quam ſibi ſomniant Papiſtæ.* Hinc ille Hæreſiarcha lib. 2. Inſtitut. cap. 13. doctrinam de libero arbitrio, quæ ante ipſum ſemper in Eccleſia fuerat tradita & credita, explodit his verbis: *Voluntatem movet Deus, non qualitèr multis ſæculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſteà ſit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari.*

Negabat igitur *Calvinus*, hominem in ſtatu naturæ lapſæ gaudere libertate, quæ importet immunitatem à neceſſitate; ajebatque, liberum hominis arbitrium, motum, & excitatum à Deo per Gratiam ſe ipſa efficacem, non liberè ſed neceſſariò agere; Atqui hunc *Calvini* errorem execrantur omnes Thomiſtæ, qui ſicut invictis argumentis in meis ſuperioribus Epiſtolis lato calamo probavi. docent cum Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma*, liberum hominis arbitrium non fuiſse extinctum per primigenium protoparentis peccatum, ſed illud, motum & excitatum à Deo per Gratiam ſe ipſa efficacem, retinere ſemper indifferentiam objectivam judicii in intellectu, indifferentiam activam in voluntate, & potentiam gratiæ per ſe efficaci diſſentiendi. non quidem conjunctam cum actu, ideſt, cum actuali diſsenſu (id enim, juxta principia doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia ſe ipſa efficaci, impoſsibile eſse fatentur omnes) Sed retinere veram potentiam diſsentiendi Gratiæ per ſe efficaci ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali diſsenſu.

Hanc Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci doctrinam, hunc in modum explanatam doctiores Societatis Jeſu Theologi, quos anteà laudavi, catholicam eſse affirmarunt; eamque à *Calvini*, gratiam per ſe efficacem *neceſſitatem* invehentis, nefaria hæreſi, à Concilio Tridentino damnata, multis paraſangis diſtare, palàm & ingenuè profeſſi ſunt. Quin, & Summi Pontifices, noviſsimè verò BENEDICTUS XIII. tam in ſuo Decreto Pontificio ad Fratres Prædicatores dato Anno MDCCXXIV. quam in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Pretioſus &c.* quæque Anno MDCCXXVII.

fuit promulgata, Summi, inquam. Pontifices declarant, ipſos meritò gloriari doctrinam de Gratia per ſe efficaci, ſicut docetur in Schola Thomiſtica, eſſe conſonam principiis doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, Decretis Romanorum Pontificum, Sanctionibus Conciliorum, illoſque, ut calumniatores, decernunt pœnis Canonicis plecti debere, quos non pudet traducere doctrinam Scholæ Thomiſticæ, tanquam Calvinianam, Janſenianam, & Queſnellianam. Et poſt hæc, quis, amabò, non miretur, emerſiſſe nuperrimè Theologum dictum *De Meyer*, qui ira, & odio percitus in doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci, multis calumniis Thomiſtas oneravit, nec veritus eſt aſſerere, Thomiſtis in ſententia de Gratia per ſe efficaci convenire cum *Calvino*; nihil circa Gratiam per ſe efficacem propugnaſſe, *Calvinum*, quod impræſentiarum non propugnent Thomiſtę, ſubindeque eorum doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci fuiſſe damnatam in Concilio Tridentino, denique, hanc potentiam ſejunctam ab actu, ſeu ab actuali diſſenſu, qua Thomiſtæ dicunt, voluntatem poſſe diſſentire gratiæ per ſe efficaci, pleno buccarum rictu ridet, & tanquam illuſoriam, commentitiam, & chymericam exſibilat *Pater de Meyer*, & elato ſupercilio, quaſi de tripode loquens, hanc potentiam diſſentiendi gratiæ, per ſe efficaci, quam admittunt Thomiſtæ, pronunciat eſſe omninò oppoſitam menti Patrum Synodi Tridentinæ. Quaſi verò, Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci doctrina, quam Summus Pontifex BENEDICTUS XIII. tot elogiis commendavit, & Thomiſtarum in ea defendenda zelum, ac conſtantiam probavit, fuerit à Patribus Concilii Tridentini unà cum hæreſi *Lutheri*, & *Calvini* damnata! Sed apage iſtas à *Patre de Meyer* malè conſutas calumnias, quas in meis ſuperioribus Epiſtolis abunde difflavi, præſertim in ea Epiſtola, in qua contra *Patrem Gabrielem Danielem*, qui præluſit *Patri de Meyer*, mentem Patrum Concilii Trident. in optimo lumine collocavi.

VII. Auſculta nunc, obſecro te, alteram Calumniam, quam toti Scholæ Thomiſticæ impingit *Pater de Meyer*. Ait quippè, *Calvinum* non aliter intellexiſſe & expoſuiſſe *ſenſum compoſitum*, & *ſenſum diviſum*, quàm Aſſertores Gratiæ phyſicæ prædeterminantis utrumque ſenſum explicare, ac intelligere ſolent.

At, hæc calumnia facilè diſſipatur. *Calvinus* enim ſic exponit *ſenſum compoſitum*, ut dicat, voluntatem, motam, & excitatam à Deo per gratiam ſe ipſa efficacem, non poſſe ei diſſentire *in ſenſu compoſito*, ideſt (juxta expoſitionem *Calvini*) *quandiu Gratia per ſe efficax manet in voluntate, & ei dominatur*: Poſſe tamen ei diſſentire *in ſenſu diviſo*, ideſt (juxta ejuſdem *Calvini* interpretationem) *ſi Gratia per ſe efficax ſeponatur, ac removeatur à voluntate*. Hoc pacto *ſenſum compoſitum*, & *ſenſum diviſum* intellectum, & expoſitum fuiſſe à *Calvino* teſtantur ipſimet Societatis Jeſu doctiſſimi Theologi, quos jam citavi, & alii, qui *Calvini*, & *Janſenii* errores editis lucubrationibus impugnarunt.

Ab hac hæretica *ſenſus compoſiti*, & *ſenſus diviſi* interpretatione vehementer abhorret Schola Thomiſtica, quippè quæ docet, voluntatem, motam, & excitatam à Deo per gratiam ſe ipſa efficacem, non poſſe ei diſſentire *in ſenſu compoſito*, ideſt, non poſſe ſimul & eodem tempore *aſſentire*, & *diſſentire*, quia actualis aſſenſus, & actualis diſſenſus ſunt duo actus oppoſiti, quos ſimul ſtare prorsùs impoſſibile eſt; docet verò Schola Thomiſtica, voluntatem, à Deo motam, & excitatam per gratiam ſe ipſa efficacem, poſſe ei diſſentire *in ſenſu diviſo*, hoc eſt, reipſa voluntatem conjungere cum actuali aſſenſu, quem præbet gratiæ per ſe efficaci, potentiam ei diſſentiendi ſejunctam ab actu; quam potentiam non eſſe chymericam, ſicut calumniatur *Pater De Meyer*, ſed eſſe veram potentiam, multis exemplis oſtendi in ſuperioribus meis Epiſtolis diluendo argumenta *Patris Danielis*.

Debuiſſet ergò *Pater de Meyer*, abdicatis omnibus præjudiciis, legere libros, quos ſuæ Societatis Theologi,

An-

Annatus , *Decamps* , *Martinonus* , *Luchesinus* , & alii contra *Calvinum* , & *Janſenium* ſcripſerunt , & actutùm vidiſſet , illos Theologos , quamvis aliundè doctrinæ Scholæ Molinianæ addictiſſimos , veritati tamen luculentum perhibuiſſe teſtimonium , ultroque falſos eſſe , interpretationem *ſenſus compoſiti* , & *ſenſus diviſi* , quam cum *S Thoma* dare ſolet Schola Thomiſtica, eſſe Catholicam, ac maxime diſcrepare ab illa, mox à me adducta hæretica *Calvini* aliorumque hęreticorum interpretatione , quę in nullius Thomiſtę mentem unquam venit.

Sed , quia *Pater de Meyer* his , tametſi diſertiſſimis , ſuorum Sociorum teſtimoniis acquieſcere renuit , calumniam , millies retuſam , recantat ; duo hic producam indubitata teſtimonia , quibus *Pater de Meyer* , ut ſpero , non refragabitur , & tandem aliquando deſinet laceſſere & calumniari Scholæ Thomiſticæ interpretationem *ſenſus compoſiti* & *ſenſus diviſi*. Primum profero teſtimonium , quod publicè dedit *Pater Ægidius Extrix* , Societatis Jeſu Provincialis in Belgio, & *Patri De Meyer* apprimè notus : *Ad corrigendas* (inquit Ægidius Extrix) *quorumdam intelligentias , quæ poſſunt pacem turbare . Ego infrà ſcriptus , declaro , nec eſſe , nec unquam fuiſſe opinionem meam , aut meorum Profeſſorum Lovanienſium , ſenſum compoſitum , & diviſum S. Thomæ eſſe eumdem ſenſum , ac ſenſum compoſitum , & diviſum Calvini in materia gratiæ & libertatis : Sed priorem ſenſum S. Doctoris eſſe Orthodoxum , poſteriorem verò Calvini eſſe Hæreticum. In quorum fidem libens ſubſcribo. Antuerpiæ die 12. Novembris anni 1686 Ægidius Extrix , Provincialis Societatis.* Ita legitur in Theſibus Theologicis : *De ſenſu compoſito* , & *diviſo* defenſis Lovanii in Collegio Atrebatenſi diei 21. menſis Julii anni 1687.

Alterum locupletiſſimum teſtimonium , quod ſanè *Patri de Meyer* nec ſuſpectum , nec ignotum erit , deſumo è Cenſura , quam paucis abhinc annis Facultas Theologica Duacenſis tulit in quaſdam Propoſitiones de Gratia , excerptas ex dictatis aliquot Profeſſorum In hac quippe Cenſura (pag mihi 55. & 56 ſecundæ Editionis ann 1724) Theologi Duacenſes (quos ſi dixerim in doctrinam Scholæ Molinianæ propendere multum , à vero certè non abludam illud de Scholę Thomiſticæ interpretatione *ſenſus compoſiti*, & *ſenſus diviſi* proferunt judicium : *Fatendum quidem , eſt* , inquiunt illi Cenſores , *genuinos Thomiſtas hic minimè ſuſpectos , etſi cum Calvino & Janſenio admittant poteſtatem ad oppoſita in ſenſu diviſo , non autem in ſenſu compoſito . Cum enim principiis & concluſionibus a Calvino , & Janſenio differant : Cum ipſi aliam habeant libertatis ideam , quam Calvinus & Janſenius : Cum à delectationibus indeliberatis , ſecundùm quas neceſſe eſt operari , abhorreant : Cum bona fide gratiam verè ſufficientem ad implendum præceptum agnoſcant in eo qui præceptum non implet : & cum aliunde omnibus Eccleſię & Summorum Pontificum Conſtitutionibus adverſus Calvinum , Bajum , Janſenium , & Queſnellum editis , ſe ſincerè ſubjiciant, promptum ac facile eſt illis Thomiſtis affirmare , imo & oſtendere , ſe tueri ſenſum diviſum à Calviniano , & Janſeniano remotiſſimum .* Hoc inter legendum Cenſorum Duacenſium judicium , quo Scholæ Thomiſticæ interpretationem *ſenſus compoſiti* , & *diviſi* Orthodoxam eſſe pronunciant , non potui, candidè fateor , quin cum *Sancto Auguſtino* Concione I in Pſalmum 58 exclamarem : *Videte , quomodo de inimicis noſtris alios confundimus inimicos .*

VIII. Sed tria adhuc ſuperſunt hic excutienda momenta , quæ *P. de Meyer* in ſua prima Diſſertatione *De Mente Concilii Tridentini* , maxime urget , ut probet , *Calvinum* circa Gratiam ſe ipſa efficacem , & liberum hominis arbitrium idem planè cenſuiſſe , ac docuiſſe , quod nunc cenſent ac docent Thomiſtæ. Ait primò Thomiſtas ideo aſſerere , gratiam per ſe efficacem non tollere liberum hominis arbitrium , quia Gratia per ſe efficax , licet phyſicè prędeterminet voluntatem hominis ad aliquod obiectum proſequendum , non tollit tamen indifferentiam obiectivam judicii, quę , ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis, agendo de eſſentia libertatis humanæ,

latè expoſui, in hoc ſita eſt, quòd intellectus proponat tantum voluntati objecta, quæ finitam ac limitatam cum habeant bonitatem, non poſſunt neceſſitatem imponere voluntati creatæ, quippè quę infiniti boni appetendi cùm ſit capax, ad amandum tantummodò ſummum bonum, ſibi ab intellectu propoſitum, & in quo intellectus nullam omninò rationem & ſpeciem mali apprehendit, neceſſariò determinari poteſt creata voluntas; circà verò objecta, quæ finitam habent bonitatem, & in quibus ſemper ſubſunt variæ ſpecies mali ab ipſorum proſecutione ſe retrahentes, quas apprehendit & diſcernit intellectus, circa, inquam omnia illa objecta creata, quæ limitatam habent bonitatem, liberè verſatur humana voluntas, eaque, pro nutu ſuo, amore poteſt vel non amore complecti, vel repudiare eligere vel non eligere. In hoc ſita eſt indifferentia objectiva judicii, quæ, ut docent Thomiſtæ, quamdiù remanet in intellectu, tamdiù intacta ſervatur eſſentia libertatis, ſeu indifferentia activa voluntatis: Eſt enim hæc objectiva judicii indifferentia radix libertatis. Atqui, ait *P. De Meyer*, nunquàm docuit *Calvinus*, gratiam per ſe efficacem tollere hanc objectivam judicii indifferentiam, quam dicunt Thomiſtæ eſſe radicem libertatis, ergò *Calvino* circà Gratiam per ſe efficacem, & liberum hominis arbitrium planè convenit cum Thomiſtis.

Præterea, ſuas omnes explicat vires *P. De Meyer*, ut probet, *Calvinum* diſtinxiſſe *neceſſitatem conſequentis à neceſſitate conſequentiæ*, illumque unà cum Thomiſtis docuiſſe, Divinum Decretum, ſeu Gratiam per ſe efficacem, non influere *neceſſitatem conſequentis* in actionem voluntatis humanæ, quæ ex ea ſequitur, ſed influere dumtaxat *neceſſitatem conſequentiæ*. Citat autem *P. de Meyer* verba *Calvini* dicentis: *Undè iterùm videmus, non temerè in Scholis inventas fuiſſe diſtinctiones de neceſſitate ſecundùm quid, & abſoluta, item conſequentis & conſequentiæ*. Quo producto *Calvini* teſtimonio, quaſi ovans ac triumphans Molinianus ille Scriptor, fidenter aſſerit; Thomiſtarum doctrinam hac in re non differre à doctrina *Calvini*.

Poſtremò, *P. De Meyer* pertendit, nunquàm Calvinum docuiſſe (ſicut ei falsò affingunt Thomiſtæ) Deum eſſe auctorem malitiæ peccati, & aliquot adducit *Calvini* teſtimonia, ex quibus ait, liquere hunc Hæreſiarcham docuiſſe: Dei voluntatem nunquàm tendere in actum malum, ut malus eſt, ita ut ei malitia tribui poſſit, quam vult totam penes hominem reſidere, penes verò Deum non eſſe niſi legitimum mali uſum, quatenùs divina juſtitia habet tantùm idoneos fines bonos, ſanctos, Deo dignos, propter quos decernat actus, qui mali ſunt, atque ad eos efficaciter moveat.

Hæc ſunt momenta, quæ objectat *P. De Meyer*, quibus priuſquam faciam ſatis, tria breviter proponam argumenta, quæ manifeſtò evincent, hunc Molinianum Scriptorem, odio, quo in doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci concitatur, ultrà quàm voluiſſet, fuiſſe impulſum. Primum argumentum hoc eſt: Doctrinam Scholæ Thomiſticæ eamdem eſſe ac *Calvini* doctrinam, quæ damnata eſt in Concilio Tridentino, pertendit *P. de Meyer*; atqui Summus Pontifex BENEDICTUS XIII tam in ſuo Pontificio Decreto dato anno 1724, quàm in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Pretioſus*, & promulgata eſt anno 1727. declaravit, Thomiſtas meritò gloriari, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci eſſe conſonam Verbo Dei, Decretis Summorum Pontificum, Canonibus Conciliorum, menti Summorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*; diſtrictèque vetuit idem Sanctiſſimus Pontifex, ne quis doctrinam de gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, necnon de gratuita Prædeſtinatione ad gloriam ante omnem prævisionem meritorum, aliqua audeat cenſura percellere, aut eam cum erroribus, ab Eccleſia damnatis, confundere, ergò *P. de Meyer*, ſi ſibi conſtare velit, aſſerere debet, doctrinam de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci fuiſſe à BENEDICTO XIII. declaratam Catholicam, quæ tamen, ſicut contendit Molinianus ille Scriptor, fuit à Patribus Concilii Tridentini in *Calvino* damnata.

Alterum Argumentum iſtud eſt: Hæc

Do-

Digitized by Google

Doctrina non fuit damnata in Concilio Tridentino, qua Patres Concilii Tridentini uſi ſunt ad dirimendas contra *Lutherum*, & *Calvinum* controverſias Fidei circa Gratiam efficacem & liberum hominis arbitrium: Atqui Patres Concilii Tridentini in definiendis contra *Lutherum*, & *Calvinum* Fidei controverſiis circa Gratiam efficacem & liberum hominis arbitrium. ſectati ſunt doctrinam de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, ſicut certiſſimis argumentis oſtendi ea in Epiſtola, quam ad te ſcripſi *De Mente Concilii Tridentini circa Gratiam efficacem, & liberum hominis arbitrium*, igitur doctrina de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci non fuit damnata à Patribus Concilii Tridentini.

Tertium denique argumentum ſic conficio. Hæc doctrina non fuit in Concilio Tridentino damnata, quæ ſemper antè & poſt Concilium Tridentinum, ad hanc uſque ætatem noſtram fuit in pluribus Catholicis Scholis defenſata & cui doctrina oppoſita, ſeu Moliniana de ſcientia Media, & de Gratia verſatili, libero hominis ſubdita arbitrio, nova eſt poſt Concilium Tridentinum à *Ludovico Molina* excogitata, à celebrioribus Orbis Academiis, præſertim Lovanienſi & Duacenſi cenſuris perſtricta, & ab Eccleſia nunquam approbata, ſed tantummodò tolerata; Atqui doctrina de gratia per ſe efficaci Scholæ Thomiſticæ fuit omni ævo hoc eſt antè & poſt Concilium Tridentinum, in pluribus Scholis Catholicis ad hanc uſque noſtram memoriam publicè propugnata & verſa vice, doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci ſententiæ oppoſita, ſeu Moliniana, nova eſt, à *Molina* poſt Concilium Tridentinum adinventa, ab Academiis Lovanienſi & Duacenſi cenſuris inuſta, ac denique ab Eccleſia nunquam approbata, ſed dumtaxat tolerata ſicut patet ex benè multis momentis quæ adduxi in ea, mox à me citata Epiſtola, quam ad te ſcripſi, & in qua germanam Patrum Concilii Tridentini mentem in aperta luce poſui: Ergò doctrina Scholæ Thomiſticæ non fuit in Concilio Tridentino damnata. In his tribus ſolvendis argumentis dum inſudabit *P. de Meyer*, ipſe interim tribus quæ objicit, momentis, pluma & aranea tela levioribus ſingillatim faciam ſatis.

IX. Ad primum itaque dico indifferentiam objectivam judicii quæ (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis latè expoſui) eſt radix libertatis, & ex qua, tanquam è primordiali fonte oritur indifferentia activa, qua voluntas creata, ponendo actum ſuum, retinet potentiam ad oppoſitum, dico, inquam, indifferentiam objectivam judicii nullo pacto cohærere poſſe cum principiis doctrinæ *Calvini*, ſubindeque fuiſſe ab illo Hæreſiarcha ſublatam. At enim negat primò *Calvinus*, voluntatem creatam habere indifferentiam activam, qua poſſit agere vel non agere. Tollit ergo *Calvinus* indifferentiam objectivam judicii, quæ eſt radix libertatis. quia omnes Catholici Theologi docent, tamdiù in voluntate creata ſtare indifferentiam activam, in qua ſiſtit eſſentia libertatis quamdiù ſtat in intellectu indifferentia objectiva judicii, ita ut voluntas creata hanc indifferentiam activam amittere non poſſit, niſi quandò abeſt ab intellectu indifferentia objectiva judicii ſicut contingit in viſione Beatifica, in qua cum intellectui proponat voluntati, abſque indifferentia objectiva judicii, objectum ſummè bonum, ſeu Deum clarè & intuitivè cognitum, tunc voluntas, ſublata ab intellectus indifferentia objectiva judicii, non retinet indifferentiam activam, quæ conſtituit eſſentiam libertatis, ſed neceſſariò debet amare ſummum bonum clarè viſum ſibi ab intellectu propoſitum.

Prætereà, in confeſſo eſt apud omnes Orthodoxos Theologos, quamdiù in intellectu manet indifferentia objectiva judicii, tandiù voluntatem hominis liberè agere, eamque immunem eſſe non ſolum à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Atquì *Calvinus* docet, voluntatem hominis lapſi non eſſe liberam a neceſſitate, dum agit, ſed tantùm liberam & immunem eſſe à coactione ſeu violentia; his enim clariſſimis verbis lib. 2. *Inſtitutionum* cap. 2. parag. 5 mentem ſuam aperit Calvinus. *Porrò; quod libertate abdicatam voluntatem dico neceſſitate trahi, vel duci, mirum eſt ſicut vi-*

dea-

deatur aſpera locutio, quæ nec abſurdum habet quidquam, nec à ſanctorum uſu aliena eſt. Offendit autem eos, qui inter neceſſitatem & coactionem diſtinguere neſciunt. Cùm igitur, juxta *Calvini* doctrinæ principia, voluntas hominis in ſtatu naturæ lapſæ, dùm agit, neceſſitate trahatur, palàm ſequitur, hunc hæreſiarcham negaſſe indifferentiam objectivam judicii; quia concors eſt omnium Catholicorum ſententia, ſtante in intellectu indifferentia objectiva judicii, voluntatem, dùm agit, neceſſitate non trahi, ſed plena potiri libertate, quæ non tantùm excludit coactionem & violentiam, ſed etiam neceſſitatem agendi.

Quocircà, ſi *Calvinus* alicubi innuere videatur, ſe non negaſſe indifferentiam objectivam judicii, neceſſariò, attentis ejus principiis, dicendum eſt, hunc Hæreſiarcham manifeſta, more hæreticorum, contradictione ſeſe involviſſe, quam *Calvini* contradictionem nullo negotio detexiſſet *Pater De Meyer*, niſi præpoſterum judicium laceſſendi Thomiſtas illum tranſverſum abripuiſſet: ſed Molinianus ille Scriptor hanc in *Calvino* contradictionem de induſtria diſſimulavit; qua mente? quia ſi cum omnibus Theologis Catholicis faſſus fuiſſet, *Calvinum* negaſse indifferentiam objectivam judicii, aut prædictam indifferentiam aliquando admittere callidè ſimulaſse, ſed recta fronte cum ſuis principiis pugnantem, ſi id, inquam, ſemel faſſus fuiſset *P. de Meyer*, nullo pacto potuiſset Thomiſtis conſenſionem cum *Calvino* affingere, cùm certum ſit, omnes ad unum Thomiſtas admittere indifferentiam objectivam judicii, tanquàm radicem libertatis, eamque cum principiis Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci optimè cohærere.

X. Ad alterum momentum, quod objicit *P. De Meyer*, reſpondeo, *Calvinum* reverà docuiſse, gratiam per ſe efficacem influere in actionem voluntatis humanæ neceſſitatem *conſequentis*, quæ planè deſtruit liberum hominis arbitrium, idque duplici argumento evinci poſse. At enim certiſſimè conſtat, omnes Thomiſtas, poſt *S. Auguſtinum*, & *Thomam*, fateri, ex gratia per ſe efficaci derivari in actiones noſtras neceſſitatem *conſequentiæ*, quam *hypotheticam*, ſeu *conditionatam*, appellant, quæque non deſtruit, ſed ſervat libertatem, illos tamen negare, ex gratia per ſe efficaci induci in actiones noſtras neceſſitatem *conſequentis*, ſeu neceſſitatem abſolutam agendi. Certum eſt etiam, hanc diſtinctionem *neceſſitatis conſequentiæ*, & *neceſſitatis conſequentis*, quam Thomiſtæ à Conciliis, Patribus, & antiquis Theologis acceperunt, doceri etiamnum in Scholis Catholicis, præſertim Auguſtiniana, & Thomiſtica, immò, eamdem diſtinctionem uſurpari à Scholæ Molinianæ Theologis, qui *Congruiſtæ* dicuntur, quique profitentur, *Gratiam congruam* inferre in actiones noſtras *neceſſitatem conſequentiæ*, ſed non *neceſſitatem conſequentis*.

Hoc autem ſemel poſito, ſic argumentor: ſi *Calvinus* verè ac ſincerè, citra dolum & repugnantiam ad ſua principia, docuiſset, Gratiam per ſe efficacem, non aliam, quàm *conſequentiæ*, in humanos actus inducere neceſſitatem, quæ excluderet neceſſitatem *conſequentis*, non erraſset, ſed verè catholicam doctrinam cum Conciliis, cum Sanctis Patribus, cum antiquis Theologis & celebrioribus Scholis tenuiſset, ſubindeque non fuiſset damnatus à Concilio Tridentino; Atqui *Calvinus* fuit damnatus in Concilio Tridentino, ergò *Calvinus* reverà docuit, Gratiam per ſe efficacem inducere in actus humanos neceſſitatem *conſequentis*, & non tantùm *conſequentiæ*. Sed *P. De Meyer*, mavult totam antiquitatem cum *Calvino* damnare, quàm *Calvinum* à Thomiſtis in doctrina de Gratia per ſe efficaci disjunctum fateri. Ego verò facilè crediderim, dormitaſſe *P. De Meyer*, dum ejuſmodi objectiones contra doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci, quæ ſapienti nulli inter vigilandum occurriſſent, in ejus mentem venerunt.

Præter quam quod fieri non potuit, quin *Calvinus*, ſuis ſtando principiis, aſſereret, gratiam per ſe efficacem inducere in actus humanos neceſſitatem *conſequentis*. Sic enim arguo: Neceſſitas, quæ perimit activam humanæ voluntatis in-

indifferentiam, & expeditam diſſentiendi, ſeu operandi poteſtatem tollit, eſt omni procul dubio neceſſitas abſoluta & *conſequentis*, & non ſolùm hypothetica, ſeu conditionata, & *conſequentiæ*, ſicut fatentur omnes Theologi: Atquì *Calvinus* luculentiſſimè docuit, ex gratia per ſe efficaci oriri neceſſitatem, quæ tollit activam voluntatis indifferentiam, & expeditam diſſentiendi, vel agendi potentiam, ſolamque ſpontaneitatem, ſeu immunitatem à coactione & violentia relinquit, ſicut conſtat ex ipſius teſtimoniis ſuperius à me laudatis, ergò *Calvinus*, juxta intima peſtilentis ſuæ doctrinę principia, exertè docuit, gratiam per ſe efficacem inducere in actus humanos non tantùm neceſſitatem *conſequentiæ*, ſeu conditionatam & hypotheticam, ſed etiam neceſſitatem *conſequentis*, quę penitùs extinguit liberum hominis arbitrium. Hinc *Lutherus*, qui, perindè ac *Calvinus*, negavit liberum hominis arbitrium, diſtinctionem hanc neceſſitatis *conſequentiæ*, & *conſequentis*, tanquàm merum figmentum, & inane phantaſma, ridet & ſuggillat in ſuo libro *De Servo Arbitrio*, ubi hæc habet: *ſenſerunt Sophiſtæ* (ſic nuncupat Catholicos Doctores) *vim invictam & inſuſtentabilem hujus argumenti, ideò finxerunt neceſſitatem conſequentiæ & conſequentis, ſed quàm nihil hoc figmentum efficiat, ſupra docuimus*. Et paucis interjectis, ſubdit: *Neceſſitas verò conſequentiæ, qua illi* (ſeu Catholici Doctores) *ſe ſolantur, merum phantaſma eſt*.

Quòd ſi alicubi *Calvinus* innuere videatur, ex gratia per ſe efficaci oriri dumtaxat neceſſitatem *conſequentiæ*, ſed non neceſſitatem *conſequentis*, certè vaferrimus ille Sycophanta ludit verbis, illudit ſuis lectoribus, conſequenter ad ſua principia non loquitur, claudicat utroque genu, & ſibi (ſicut ſolemne eſt hæreticis) minimè conſtat. Quod ſæpiùs *Calvino* contigiſſe apertiſſimè oſtendunt Cardinales *Bellarminus*, *Perronius*, *Richelæus*, & illuſtres Antiſtites, *Nicolaus Coeffetæus*, Ord. Prædic *Benignus Boſſuet*, & VValemburgenſes, necnon alii celebres polemici Theologi, videlicet *Jacobus Gualterius*, Soc. Jeſu, in ſua *Anatome Calviniſmi*, Nicolaus Romæus, in libro, cui titulus eſt: *Calvini effigies*; Franciſcus Fevardentius, Ordinis Minorum, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, in ſua *Theomachia Calviniſtica*, & Florimundus Ræmondus in ſua *Hiſtoria de ortu, progreſſu, & inclinatione Hæreſum*.

Quæ cum ita ſint, licebit profectò mihi, *Patrem de Meyer*, qui tot inſignibus Polemicis Scriptoribus, & doctiſſimis Societatis Jeſu Theologis, qui *Calvini* errores confutarunt, tam apertè contradicit, mavultque *Calvinum* ab errore vindicare, quàm illum Hæreſiarcham à Thomiſtarum doctrina de gratia per ſe efficaci alienum fuiſſe ultrò profiteri; hunc, inquam, Moliniſtam, ſui propoſiti adeò tenacem, his *Sancti Auguſtini* verbis lib. 1. contra *Julianum* cap. 4. compellare licebit: *Vide cum quibus ſit mihi cauſa communis, quam nulla conſideratione ſobria pulſare calumniis & expugnare conaris. Cerne, quàm tibi perniciosum ſit tam horribile crimen objicere talibus, & quàm mihi glorioſum ſit, quodlibet crimen audire cum talibus &c. Iterùm te admoneo, iterùm te rogo, aſpice tot ac tales Eccleſiæ Catholicæ defenſores. Vide quibus tam gravem tamque nefariam irrogaris injuriam.*

XI. Ad ultimum momentum, quo Pater *De Meyer* probandum ſuſcipit, *Calvinum* non docuiſſe, Deum eſſe auctorem malitiæ peccati; Reſpondeo, hunc Molinianum Scriptorem, dum *Calvinum* ab hoc errore abſolvere & illum Æthyopem lavare tentavit, ut in Thomiſtas vehementiùs inveheretur, eorumque doctrinam, velut Calvinianam traduceret, omnem ſuam operam & lixivium perdidiſſe, fatentibus doctiſſimis Societatis Jeſu Theologis. qui in refellendis *Calvini* & Calviniſtarum erroribus magnam vitæ partem detriverunt, quique ſubinde *Patri De Meyer*, qui hactenus in umbra Scholarum vixit, & cum hæreticis manus non conſeruit, longè ſunt anteponendi. Quis enim dubitat, quin peritia diſputandi, ſicut & militandi uſu, & ſub ſole magis,

gis, quàm in umbra, concertationibus comparetur.

Audiamus igitur, ſi placet, *Valentiam*, Societatis Jeſu Theologum, hac de re luculenter diſputantem cum Calviniſtis, quorum vires cominùs exploraverat. Ille igitur I. Parte Quæſt. 19. Diſput. I. puncto 3. Aſſertione 4. ita de malo culpæ ſtatuit, *Deum nullo modo velle malum culpæ, neque per ſe, neque per accidens, neque ſubindè ad illud concurrere, cùm eadem ſit Dei concurſus eiuſque voluntatis ratio, & illum ex iſta metiri oporteat*. Hanc ergò *Valentia* ſancit concluſionem communem apud omnes Catholicos nullo excepto, contra *Calvinum* & Calviniſtas, totamque Catholicorum cum Hæreticis Controverſiam ad hoc caput revocat: *Utrùm ſcilicet malum culpæ in divinam voluntatem cadere poſſit, ſub aliqua ratione boni, quæ contineatur aliquo reſpectu peccati, ad quodpiam bonum: ita quidem ut ſub tali ratione, verè & ex certa intentione, & rectè atque juſtè, Deus velit ipſum peccatum in ſe, tanquàm objectum quoddam materiale immediatum & per ſe ſuæ voluntatis, & ad illud etiam interdùm hominem invitet, atque ſtimulet*. Hoc ſenſu *Calvinum*, ſicut & *Lutherum* docuiſſe, Deum velle malum culpæ aſſerit ibidem *Valentia*, in rimanda illorum Hæreſiarcharum mente verſatiſſimus, quia malum culpæ æquant malo pœnæ, & ſicut Deus malum pœnæ non tantùm permittit, ſed juſtiſſimè & veriſſimè vult ſub ratione boni, ſeu reſpectu pœnæ, ad bonum divinæ juſtitiæ, atque adeò ut objectum quoddam materiale divinæ voluntatis; ita planè ſentiunt *Lutherus*, & *Calvinus*, non minùs malum culpæ, quàm malum pœnæ, ſub divinam cadere voluntatem.

Valentiæ ſuccinit alter Societatis Jeſu inſignis Theologus, videlicet *Becanus*, qui *Patre de Meyer* in concertationibus adversùs Hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas, quibuſcum in Germania perpetuum bellum geſſit, fuit multò exercitatior. Porrò, *Becanus* Tom I. *Summæ Theologiæ* cap 16. convincit ex ipſamet Calviniſtarum confeſſione, *Calvinum* reverà Deum feciſſe auctorem criminum, ſeù in Deum regeſſiſſe tàm malum culpæ, quàm malum pœnæ, quòd utrumque malum dicat ille Hæreſiarcha velle Deum, quatenùs aliquam boni induit rationem. Ut quid ergò *Pater de Meyer* à reliquo ſuæ Societatis Theologorum choro abiit? ut quid, inquam, dùm *Valentia*, & *Becanus* conſtanter aſſeverant, *Calvinum* reverà feciſſe Deum auctorem peccati, ille, neſcio qua prurigine carpendi Thomiſtas, eorumque doctrinam de Gratia per ſe efficaci Calviniſmi inſimulandi in tranſverſum actus, *Calvinum* ab hoc errore abſolvit? quodque mirandum magis, fidentia tanta, dictorumque ſeveritate & philautia inſultat Scholæ Thomiſticæ, ut, dùm ſua omnia, ad ſublinienda ſimplicium ora, iiſque ſuum inſtillandum Moliniſmum, leviſſimis momentis expediat, quæ nec tyronem quidem morari poſſent, velut demonſtrationes, ſi ſuperis placet, abſolutiſſimas audeat venditare in ſua prima *De Mente Concilii Tridentini circà Gratiam phyſicè prædeterminantem* Diſſertatione, quæ tot conviciis in Thomiſtas infarta eſt, quorum onus haud portant centum rates incitæ remis

XII. Sed, inquit *Livinus De Meyer*, multi Scriptores, doctrinæ *Calvini* addictiſſimi, quos inter cenſentur *Tuviſius*, *Molinæus*, *Ameſius*, aliique quàm plurimi, disertè in ſuis libris teſtantur, ſe in materia de Gratia, de Prædeſtinatione, & de hominis libertate eamdem propugnare doctrinam, quam in ſuis Scholis tutantur Thomiſtæ: Ergò vel Thomiſtæ damnandi ſunt cum iſtis *Calvini* Sectariis, vel iſti *Calvini* Sectarii abſolvi debent cum Thomiſtis, quod certè nemo catholicus dixerit.

Verùm, hanc eſſe putidam calumniam, & ſophiſticam *Livini De Meyer* argumentationem duobus invictis momentis oſtendo Primò, quia certiſſimè conſtat ex locupletiſſimis Scriptorum Catholicorum teſtimoniis, doctiores inter Lutheranos & Calviniſtas emollitis, immò penitùs exploſis *Lutheri*, & *Calvini* circa Gratiam erroribus, tandem aliquandò ad Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de Prædeſtinatione, de Gratia,

tia, & de libero hominis arbitrio propiùs acceſſiſſe, eoſq; hunc ultrò fateri, Gratiam, quantumvis ſe ipſa efficacem, non tollere liberi arbitrii conſenſum & cooperationẽ,

Horumce Scriptorum Catholicorum, qui diù cum Lutheranis & Calviniſtis polemicas diſputationes habuerunt, luculentiſſima teſtimonia jam ipſe in Epiſtola, quam ad te ſcripſi, & quæ in prima Epiſtolarum mearum claſſe eſt ordine tertia, citavi, eaque, ſi velis, legere poteris in doctiſſimis horumce Scriptorum Operibus, videlicèt in 2. Tomo *Controverſiarum*, quas ediderunt Illuſtriſſimi Epiſcopi, ac fratres germani, *Adrianus*, & *Petrus de Valemburch*. tractatu I. capitibus quinquageſimo ſeptimo, & ſexageſimo Deindè in lib. 3 *Tractatus de libero Arbitrio*, quem Gallicè pro converſione Hæreticorum publicavit Cardinalis *Richæleus*, cui aſſentiuntur quinque alii Galli Scriptores doctiſſimi Polemici, nimirùm Illuſtriſſimus *Jacobus Benignus Boſſuet*, Meldenſium Epiſcopus, in libro octavo *Hiſtoriæ Variationum Eccleſiarum Proteſtantium* capite quinquageſimo, & capite ſeptimo ſui aurei Operis *De Expoſitione Fidei*, ubi agit de Gratia, & libero arbitrio in negotio juſtificationis: Dominus *le Fevre*, Theologus Pariſienſis, in libro, cui titulus eſt: *Momenta invicta ad convincendos falſi nominis Eccleſiæ Reformatæ Rectores*; Auctor Anonymus libri, cui titulus eſt: *Iuſta adverſus Calvinianos præjudicia* c. 11. *Vincentius Baronius*, Ordinis Præd. in libro, cui titulus eſt: *Hæreſis devicta*: Denique *Pater Veronius*, Societatis Jeſu. parte 3. *Controverſiarum* c. 2. Hi, inquam Catholici & doctiſſimi Scriptores Polemici conteſtantur, modernos Hæreticos. Calviniſtas. & Lutheranos, relictis tandem *Lutheri*, & *Calvini* circà Gratiam erroribus, ad doctrinam Eccleſiæ Catholicæ de Gratia per ſe efficaci, & de cooperatione liberi Arbitrii propiùs acceſſiſſe, & in Thomiſtarum doctrinam nunc ſe proniores exhibere, quos inter numerari debent *Tuviſius*, *Molinæus*, *Ameſius*, qui, repudiatis *Calvini* circa Gratiam erroribus, ad Thomiſtarum partes acceſſiſſe videntur.

Præterea, ignorare haud poterat *Livinus de Meyer*, Hæreticos noſtri temporis in duas ſectas videlicet *Gommariſtarum*, & *Arminianorum* eſſe diviſos. Gommariſtæ (quibus favent *Tuviſius*, *Molinæus*, & *Ameſius*) Gratiam ſe ipſa efficacem defendunt, & ex Thomiſtis argumenta arripiunt in ſuos adverſarios Arminianos Sed è diverſo, Arminiani, qui negant Gratiam eſſe per ſe efficacem, & propugnant Syſtema de ſcientia Media, & de Gratia verſatili & ſubdita libero hominis arbitrio, Arminiani, inquam, ut ſuos Adverſarios Gommariſtas depellant & laceſſant, argumenta *Ludovici Molinæ* in illos intorquent, *Suarem* ſibi Magiſtrum & Patronum adſciſcunt, quod Scientia Media ſit illis loco clypei & teli ut videri poteſt in libris *Jacobi Arminii* (primipili illius Arminianorum Sectæ) & in operibus ejuſdem *Arminii* Aſſeclarum, videlicet *Perchinſii*, *Arnaldi*, *Voſſii*, *Grotii*.

Quid ergò? culpantne Thomiſtæ *Arminianos*, quod, relicto *Calvini* errore, De Gratia neceſſitante, doctrinam *Ludovici Molinæ* fuerint amplexi? certè Thomiſtæ id Arminianis non vitio, ſed laudi potius vertunt, & ſanè nihil dubito *Patri Livino de Meyer* polliceri, meo omniumque Thomiſtarum nomine, *Arminianos* pro catholicis nos habituros, ſi alii *Lutheri*, & *Calvini* abdicatis erroribus, ad Catholicam Eccleſiam redeant, quamvis ad partes *Molinæ* de Gratia, prædeſtinatione, & libero Arbitrio accedant. Sed à *Patre Livino de Meyer* exigo ſimile ſtudium pacis, nec ei Hæretici ſint *Ameſius*, *Molinæus*, *Tuviſius*, aliique *Gommariſtæ*, quamdiù de Gratia, prædeſtinatione, & libero arbitrio cum *D. Thoma*, *Alvareſio* aliiſque Thomiſtis idem loqui, & ſentire viſi fuerint, neque hoc nomine, ſi cæteros *Lutheri*, & *Calvini* errores ejurent, ab Eccleſia excluſos velit. Has utrimque conditiones pacis acceptas habeamus. Gaudebunt profectò Thomiſtæ, ſi *Arminiani*, relictis & exploſis ſuis erroribus, redeant ad Eccleſiæ Catholicæ fidem etiamſi *Molinæ* doctrinam ſequantur; dummodò Moliniſtæ eodem animo excipiant *Gommariſtas*, qui,

da-

damnatis *Lutheri*, & *Calvini* erroribus, ad gremium Eccleſiæ Catholicæ revertentur, tametſi doctrinæ Scholæ Thomiſticæ ſe aſſertores ac defenſores eſſe palàm profiteantur Numquid, amabò præſtaret hoc ampleċti votum pacis, quàm æternæ diſcordiæ ſemina ſerere ac fovere, & inter doctrinam Catholicorum Theologorum, & errores *Calvini* inſtituere Parallela, quæ in Eccleſiæ Catholicæ perniciem, & Hæreticorum ſcandalum vergunt?

XIII. Plura non dicam, ne prolixiùs, quàm par ſit, hæc mea protrahatur Epiſtola, ſed dumtaxàt *Patrem De Meyer* monitum velim primò, ut, ſemoto omni contentionis ſtudio, legat libros quos contra *Bajum*, *Janſenium*, & *Queſnellum* nuperrimè ſcripſerunt Theologi Societatis Jeſu *Annatus*, *Dechamps*, *Martinonus*, *Lucceſinus*, *La Fontaine*, & alii; qui ultro fatentur, *Calvinum* revera feciſſe Deum auctorem peccati, & ab hac blaſphemia doctrinam Thomiſtarum procul abeſſe teſtantur.

Dein, monitum velim *Patrem De Meyer*, ut non alienis oculis, ſed propriis, legat *Calvinum*, & intelliget, hunc Hæreſiarcham quadruplici titulo feciſſe Deum auctorem peccati, primò, quia docet Deum movere voluntatem hominis ad actus malos, ea motione, quæ tantum relinquit libertatem ſpontaneitatis, ſeu immunitatem à coactione & violentia, ſed non à neceſſitate, adimitque penitùs indifferentiam activam voluntatis, & potentiam ad oppoſitum. Secundò, quia *Calvinus* docet, Deum movere voluntatem hominis ad actus malos, præcipiendo Diabolo, ut homines tentet, & in peccatum trahat, ita ut *a Deo ipſo manet efficacia erroris, ut mendaciis credant*, ſicut ait ille Hæreſiarcha. Tertiò, quia *Calvinus* ait, Deum verè poſitivè per ſe ipſum, vel per Sathanam, & alios ſuæ juſtitiæ Miniſtros, ad nova peccata inducere, inflectere, & cogere, ſeu imponere neceſſitatem: *Jam ſatis apertè oſtendi*, (inquit *Calvinus* loco mox à me laudato) *Deum vocari eorum omnium auctorem, quæ iſti Cenſores* (ſic Theologos Catholicos appellat, OTIOSO TANTUM EJUS PERMISSU *contingere volunt*. Quæ blaſphemia damnata eſt à Synodo Tridentina, dicente anathema iis, qui aſſerunt, *Deum operari in nobis mala opera ſicut & bona, non permittendo ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quàm vocatio Pauli*. Poſtremò, quia *Calvinus*, peccatum, ſeu malum culpæ æquat malo pænæ, docetque, Deum perinde velle malum culpæ, ac malum pænæ, non quidem reduplicativè ut malum eſt culpæ, ſed quatenùs induit rationem boni, ſeu, ut eſt medium quoddam conducens ad manifeſtationem ſuæ juſtitiæ, vel miſericordiæ, ſicut duo inſignes Societatis Jeſu Theologi, mox à me citati, *Valentia*, & *Becanus* diſertiſſimè teſtantur.

Calvinum itaque reapſè feciſſe Deum auctorem peccati conſtantèr profitentur omnes Catholici Theologi, etiam Societatis Jeſu, quos tamen audire renuit *Pater De Meyer*, vehementerque optaret, ut ſibi, Hæreſiarcham Calvinum abſolventi, ejuſque errores à Concilio Tridentino damnatos cum doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſè efficaci promiſcuè confundenti, venerabundus aſſurgeret, faſceſque ſubmitteret totus Theologorum chorus. Sed vento paſcitur, & rem impoſſibilem poſtulat Molinianus ille Theologus, qui potiùs ſuo ut honori conſuleret, & injuriam, quam toti Scholæ Thomiſticæ, de Eccleſia benè meritæ, inuſit, reſarciret, ſequi profectò deberet exemplum ſui Concellitæ *Franciſci Annati*, cujus *varia fortuna* (ut quidam è noſtris non illepidè obſervat) *non tantùm Thomiſtarum ſortis, ſed & fidei arbitra fuit. Dùm enim Pater Annatus, Societatis Jeſu, Toloſæ in Galliis privatus ageret, & in nos acueret ſtylum; eo Judice, eramus filii tenebrarum, Hæretici, Calviniſtæ. Cùm verò Regiam urbem & aulam attigit, ejus fortunam ſecuta eſt fides noſtra, nec nimium mutata ſententia, effecti ſumus ex hæreticis, & filiis tenebrarum, filii lucis, Catholici, Orthodoxi; non merito aut mutatione noſtra, quæ nulla fuit; immò nec gratia Chriſti, Sed Annati. Etenim gratia Chriſti fidem non largitur niſi cogitantibus & volentibus; hujus verò, nos Fideles ex No-*

va-

Digitized by Google

vatoribus non volentes, *immò nec cogitantes*, *effecit*. Scilicèt *Pater Annatus*, qui, dum Toloſæ eſſet, librum pro defenſione Scientiæ-Mediæ ediderat, & in eo Calviniſmi notam doctrinæ Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci affricuerat, poſteà ad Regiam Urbem & Aulam Regis Chriſtianiſſimi appulſus, palinodiam decantavit, & in libro, quem Pariſiis contra Janſenianos gallico idiomate adornavit, cui titulus eſt: *La Conduite de l'Egliſe*, inter Thomiſtas, & Calviniſtas, quibus tertia parte ejuſdem libri *Janſenium* adjungit, decem & octo adduxit diſcrimina. Quis hìc non miretur hanc mutationem dexteræ Excelſi, qua *Pater Annatus* ex perſecutore Scholæ Thomiſticæ, dirumque toto pectore in doctrinam de gratia ſe ipſa efficaci virus efflante, factus eſt tandem acerrimus ejuſdem Scholæ, contra *Calvinum*, & *Janſenium*, aſſertor, Vindex ac patronus? Faxint igitur Superi, ut *Pater De Meyer*, facti pœnitens, iſtud Socii ſui *Franciſci Annati* æmuletur exemplum, & quem ſecutus eſt errantem, ſequatur pœnitentem. Quod certè tunc fiet, ſi palinodiam ſincero animo canat, & ſi quam hactenùs in Thomiſtas iram exercuit, in *Calvinum*, à Concilio Tridentino juſt damnatum, & quem ipſe temerariò auſu ab errore abſolvit, deinceps convertat.

Vale, dilectiſſime Diſcipule, & quia in ultima, quam ad me ſcripſiſti, Epiſtola, quamque hodiè accepi, vehementer à me poſtulas, ut alteram diſpellam calumniam, quam Scholæ noſtræ Thomiſticæ fidenter impingunt *PP. Gabriel Daniel*, & *Livinus De Meyer*, duo recentiſſimi Societatis Jeſu Scriptores, aſſerentes Thomiſtarum doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci non diſcrepare à Janſeniana Hæreſi; ab Eccleſia jure optimo confixa, votis tuis abundè, ut ſpero, in ſequentibus meis Epiſtolis faciam ſatis, & in proxima, quam ad te ſcripturus ſum, Epiſtola, indicabo multa, quæ Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe efficaci inter & Hæreſim Janſenianam occurrunt diſcrimina, quæ adeò omnibus obvia & manifeſta ſunt, ut nemo, niſi bardus, aut in meridiana luce cæcus, ea percipere non valeat.

EPI-

EPISTOLA SECUNDA

THEOLOGICOPOLEMICA,

In qua expenduntur diſcrimina, quæ occurrunt doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & Doctrinam Janſenii, quæque evincunt, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ magis diſtare à Syſtemate Janſenii, quàm ab eo diſtare Scholæ Molinianæ doctrina videatur.

AD Superiorem Calviniſmi calumniam, quam in mea Epiſtola jam abundè retudi, alia de trivio criminatio janſeniſmi, quaſi cumulus accedit, qua *Patres Gabriel Daniel*, & *Livinus de Meyer* Scholæ Thomiſticæ de Gratia efficaci doctrinam incuſant tanquàm omnino conſentientem cum virulentis principiis doctrinæ *Cornelii Janſenii*, & cum erroneis conſecutionibus, quas idem *Janſenius* ex his principiis deducit; quodque mirandum magis, hanc calumniam eadem confidentia ubique ſpargunt novelli ni Scholæ Molinianæ Scriptores, qua oracula funderent; atque rem ita ſe habere, qua voce, qua Scriptis, qua in privatis, publiciſque colloquiis non verentur, quolibet interpoſito Sacramento aſſeverare; ea arte ſcilicet muliercularum credulitati inſidiantes, & ſimplicium imperitiæ fucum facientes.

Ad hanc tamen diſpellendam Janſeniſmi malè conſutam calumniam, poſtrema, quam ad te ſcripſi, Epiſtola ſat ſuperque ſufficere poſſet. In ea quippè, coruſcante meridiana luce clarius oſtendi doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci infinito intervallo diſtare à doctrina *Calvini*, in Concilio Tridentino damnata, ſubindeque a Doctrina *Janſenii*, qui (ſicut probant celebriores Societatis Jeſu Theologi) non ſolùm omnia ſua dogmata, & Placita, quæ ſibi ambitioſius arrogat, & tanquam novos ſuæ mentis fætus prædicat, ſed etiam argumenta, quibus ea ſtabilire ac munire conatur, ex lutulentis *Calvini*, & Calvinianorum libris hauſit, ſurripuit, & prædatus eſt: adeòut judicibus ipſiſmet Scholæ Molinianæ Theologis, *Janſenius* ſit fur ac plagiarius *Calvini*.

Audi, ſi placet, ex his Molinianis Theologis unum inſtar omnium, videlicet *Stephanum Dechamps*, qui in Præfatione Operis, quod edidit contra *Janſenium*, & cui Titulus eſt: *Janſeniana Hæreſis*, hæc habet contra nonnullos, qui pertendebant, quinque Propoſitiones *Janſenii* continere ipſiſſimam *S. Auguſtini* doctrinam: *Ego verò* (inquit Stephanus Dechamps) *contendo, eaſdem Propoſitiones* (Janſenii) *eodem plane ſenſu explicatas, iiſdem munitas rationibus, eodem inter ſe nexu colligatas, iiſdem S. Auguſtini Patrumque teſtimoniis confirmatas, in Luthero, Calvino, aliiſque ſuperioris ſæculi lutulentis, & à Concilio Tridentino abominatis Scriptoribus reperiri. Atque id tàm manifeſtè libro primo demonſtraturum me confido, ut nemo ſit dubitaturus, novæ opinionis Architectum* (ſeu Janſenium) *Hæreticorum libros compilaſſe, & adeò nihil protuliſſe novi ut rancida tantùm & obſoleta Lutheranorum dogmata interpolarit, pudendumque ex conſutis Calviniſtarum fragmentis centonem concinnarit*. Hinc idem ſcriptor *Stephanus Dechamps* totum opus, quod contra *Janſenium*, & Janſenianos adornavit, in tres libros partitus eſt, quorum primi hic titulus eſt: *Janſenius Hæreticorum plagiarius*. Alter liber ſic inſcribitur: *Janſenius pri-*

dem

[illegible] *cum Hæreticis damnatus*. Tertius denique liber hoc titulo inſignitur: *Janſenius poſt Hæreticos S. Auguſtini Corruptor*. Porrò, in his tribus libris probat, nullum eſſe filium, qui propiùs ad parentis imaginem, quàm *Janſenius* ad Hæreſiarchæ *Calvini* ſimilitudinem accedat, *cùm inter utrumque*, inquit *nullum ſit in doctrina diſcrimen; cùm in decumano Janſenii Opere vix aliquid occurrat, quod non ſit ex Luthero aut Calvino accerſitum*; *cùm eadem Placita, eadem argumenta, eadem S. Auguſtini teſtimonia, in ejuſdem doctrinæ corpus collecta, eodem digeſta ordine, iiſdem interpretationibus, depravata, iiſdem mutilata fraudibus, eadem mente, ſenſu eodem, iiſdem aſtruendis dogmatis adhibita in utriuſque Hæreſiarchæ* (Lutheri videlicèt & Calvini) *Operibus legamur*. Quæ cùm ita ſint, ſuperfluum omninò videri poſſet poſt vindicatam in ſuperiori mea Epiſtola Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci doctrinam à peſtilenti *Calvini* doctrina, alteram hìc ab eadem Schola Thomiſtica propulſare calumniam de conſenſione doctrinæ cum *Janſenio*, quem laudatus *Pater Stephanus Dechamps*, in ſuo Opere *De Hæreſi Janſeniana*, & *Pater Joannes Martinonus* in ſuo *Antijanſenio*. Societatis Jeſu ambo Scriptores eximii, ultro probant, Calvinianam dumtaxàt crambem recoxiſſe. & omnia ſuæ doctrinæ principia, conſecutiones & argumenta ex *Calvino* deprompſiſſe. aut ex Calviniſtarum libris fuiſſe mutuatum.

Certè, ut candidè dicam, puderet me ea in re comprobanda tempus abſumere, quam exploratam eſſe atque conteſtatam ſibi probè conſcii ſunt illi ipſi, qui ore tenùs eam inficiantur. Verùm, cùm è tenebris hac tempeſtate undiquè emergant calumniatores, & fungorum inſtar, pullulent larvati, & anonymi Scriptores, qui Thomiſtis Janſenianam ſcabiem affricare non dubitant, facere non poſſum quin illos homines palàm falſi convincam, quandò quidèm alia ratione cohiberi haud poſſit hæc effrænis maledicendi libido, nec frangi intoleranda quorumdam audacia, qui nihil frontis habentes, & totiès confutati, totiès deprehenſi, totiès irriſi, & cordatorum omnium judiciis exſibilati, necdum reſipuerunt, ſed eamdem fabulam maximo cum ſuæ famæ diſpendio etiamnùm agere pergunt, & Scholę Thomiſticæ Janſeniſmum objicientes, neceſſitatem mihi imponunt, in producendis diſcriminibus benè multis, quibus doctrina Scholæ Thomiſticæ diſcrepat à doctrina *Janſenii*, quam proſcripſit Eccleſia, operoſiùs elaborandi in his, quas ad te deinceps ſcribam, Epiſtolis.

Duo autem capita in hacce Epiſtola potiſſimùm attingam. Primùm, indicabo generatìm plura diſcrimina, quæ occurrunt doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & doctrinam *Janſenii*. Deìn, commonſtrabo. doctrinam Scholæ Thomiſticæ de gratia ſe ipſa efficaci magis, à proſcripto *Janſenii* Syſtemate diſtare, quam ab eo diſtare videatur Scholę Molinianæ Theologorum doctrina. Ordior itaque à primo Capite.

DISCRIMINA. VARIA,

Quæ occurrunt Doctrinam Scholæ Thomiſticæ in materia de Gratia inter & doctrinam Janſenii ab Eccleſia damnatam.

PRimum diſcrimen, quod doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & doctrinam *Janſenii* occurrit, in eo ſitum eſt, quòd *Janſenius* in Libro Proœmiali cap. 3 & pluribus ſequentibus acerrimè poſt *Lutherum*, & *Calvinum* invehatur in Theologos Scholaſticos, velut inani philoſophiæ plus æquo addictos, & arcana Catholicæ fidei Myſteria ex tricis ac quiſquiliis Philoſophicis magis, quam ex Sacrarum Litterarum, vel ex Sanctorum Patrum auctoritate metientes. Quò factum eſt, inquit, *Janſenius*, ut indè prodierint illæ Theologorum ſententiæ de libertate indifferentiæ in operibus gratiæ; de ſtatu puræ naturæ, de virtutibus infidelium. de dilectione Dei naturali, & de aliis id genus; quas ſententias tanquàm falſas & in Pelagianorum officina procuſas explodit *Janſenius*. Immò, ſi *Janſenium* audiamus Tom. 2.

Libri Proœmialis c. 28. *Theologi Scholaſtici tantum ab oſtio veræ Theologiæ, Fide ſalva, aberraverunt, ut neque Fidem Chriſtianam, quam animo ut Catholici tenent, neque ſpem, neque cupiditatem, neque charitatem, neque naturam, neque gratiam, tamque neque Angelorum, neque ſtantium, neque lapſorum, neque ſufficientem, neque efficacem, neque operantem, neque cooperantem, neque prævenientem, neque ſubſequentem, neque excitantem, neque adjuvantem, neque vitium, neque virtutem, neque opus bonum, neque peccatum, neque originale, neque actuale, neque meritum, neque mercedem ejus, neque præmium, neque ſupplicium creaturæ rationalis, neque beatitudinem, neque miſeriam ejus, neque liberum, neque ſervum arbitrium, neque prædeſtinationem, neque effectum ejus, neque timorem, neque amorem Dei, neque juſtitiam, neque miſericordiam ejus, denique neque Vetus, neque Novum Teſtamentum intelligere videantur: Sed Babylonicam quamdam confuſionem, cimmeriaſque quaſi tenebras in Theologiæ Moralis faciem, nimium ratiocinationibus indulgendo, intulerint.*

At contrà, omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi, qui *Sancto Thomæ*, omnium Theologorum Scholaſticorum facilè Principi, indivulsè adhærent, impensè laudant ſtudium Theologorum Scholaſticorum; qui, in ſuis deducendis concluſionibus ex principiis Fidei à Deo revelatis, ratione & Philoſophia naturali utuntur, ut rectà ad ſcopum colliment, ut Hæreticorum ſophiſmata diluant, Ethnicorum confutent argutias, Judæorum obſtinationem vincant, emergentes errores diſſipent, novitates pellant, & illibatum cuſtodiant Fidei Catholicæ Depoſitum. Quamvis enim (ut inquit *Clemens Alexandrinus* Lib. I. Stromatum, *ſit per ſe perfecta ſervatoris Doctrina, & nullius indiga, cùm ſit Dei virtus & ſapientia; accedens tamen Philoſophia non veritatem facit potentiorem, ſed debilem adverſùs eam facit ſophiſticam argumentationem, & propulſans doloſas adverſùs veritatem inſidias, vineæ eſt ſepes, & vallum.*

Obſervant etiam Scholæ Thomiſticæ Theologi omnes Hæreticorum errores ex odio, quo Theologiam Scholaſticam proſecuti ſunt, promanaſſe. Principio namque, quod erat facilè, Scholæ auctoribus contemptis. Scholæ quoque judicia contempſerunt. His neglectis, mox neceſſe erat, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *Baſilius*, *Gregorius*, aliique Sancti Patres negligerentur, quos Theologi recentes dogmatum ſuorum auctores habebant. At, antiquis Patribus poſthabitis, deſpectui quoque habita ſunt eorum Concilia, undè tandem conſecutum eſt, ut, ſpreta auctoritate Eccleſiæ, temerè pertenderint Hæretici, ſe non habere neceſſe alios audire, non Summos Pontifices, non Patres Eccleſiæ, non Synodos, non magni nominis Theologos, ſed ſe ipſos tantùm, qui ſeſe perſpicaciores univerſa Eccleſia judicant, & privata ſua judicia, errori obnoxia, infallibili Eccleſiæ judicio anteponunt; ſicque (quod maximè dolendum eſt) hàc illac ſpiritu vertiginis acti, per inextricabiles tenebras oberrant, atque in varios errores præcipites feruntur. Legeſis noſtri doctiſſimi *Melchioris Cani* librum octavum *De Locis Theologicis*, ubi Theologos Scholaſticos à *Lutheri*, *Calvini*, aliorumque Heterodoxorum calumniis peregregiè vindicat.

II. Alterum diſcrimen, quod doctrinam Scholæ Thomiſticæ longo intervallo ſeparat à damnata *Janſenii* doctrina, petitur ex poſſibilitate ſtatus naturæ puræ, quam *Janſenius* in tribus, quos eddidit *de ſtatu naturæ puræ*, libris abſolutè negat, admittunt verò Thomiſtæ. Quod quidèm ut clarius intelligas, præſtat ut obſerves, ſtatum naturæ puræ, juxta Theologos eſſe conditionem naturæ humanæ ſine peccato & ſine gratia, in quo ſtatu homo miſeriis omnibus ſubjaceret, quas nunc in hac vita mortali experimur; cum hoc tamen diſcrimine, quod miſeriæ, quibus nunc obnoxii ſumus, ſint pœnæ ortæ ex peccato primi parentis; at miſeriæ, quibus ſubjacuiſſet homo in ſtatu naturæ puræ, (ſi reverà extitiſſet) non fuiſſent pœnæ, cum nulla præceſſiſſet culpa, ſed fuiſſent meri defectus ex principiis humanæ naturæ conſequentes, ſicut docet

S.

Digitized by Google

S. Thomas in 2. Sent. Diſtinct. 31 Quæſt. 1. Art. 2. ad 3.

Hunc ſtatum naturæ puræ omninò impoſſibilem eſſe mordicùs contendit *Janſenius*. Ait, Deum fore injuſtum, ſi hominem eo in ſtatu naturæ puræ condidiſſet, quia immortalitas, gratia, juſtitia originalis, & exaltatio primi hominis in conſortium divinæ naturæ erant debitæ integritati hominis, quippè quæ non erant beneficia gratiæ, ſed proprietates & appendices naturam primi hominis conſequentes, quibus ſubindè Deus eum ſine læſione rationis & juſtitiæ privare non poterat. Hanc ſuam de impoſſibilitate ſtatus naturæ puræ ſenteptiam affirmat *Janſenius* eſſe capitale dogma, quòd conſtantèr *Sanctus Auguſtinus*, & magno animi æſtu propugnavit contra Pelagianos.

Aſt Thomiſtæ, doctrinæ *Sancti Thomæ* veſtigiis inhærentes, iſtam *Janſenii* de impoſſibilitate ſtatus naturæ puræ ſententiam multis argumentis refellunt, eamque eo potiſſimùm nomine improbant, quod fuerit in *Michaele Bajo* proſcripta à Summis Pontificibus S. PIO V. GREGORIO XIII. URBANO VIII qui ejuſdem *Michaelis Baji* Doctoris Lovanienſis (ipſius tamen tacito nomine) has propoſitiones confixerunt, quarum prima, ordine vigeſima ſexta, hæc eſt: *Integritati primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*. Altera Propoſitio, quæ ordine eſt quinquageſima quinta, ſic habet: *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur* (excepto ſcilicèt peccato) neque enim damnari alitèr, abſque impietate, potuiſſet iſta Propoſitio. Tertia *Michaelis Baji* Propoſitio, quæ eſt ordine ſeptuageſima octava, his verbis concepta eſt: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio*. Quarta *Michaelis Baji* Propoſitio, quæ eſt ordine ſeptuageſima nona, iſta eſt: *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari & inſtitui ſine juſtitia originali*.

Has *Michaelis Baii* Propoſitiones, quæ ſtatus naturæ puræ poſſibilitatem omninò evertebant, quæque à laudatis Summis Pontificibus fuerunt damnatæ, non ſolùm recoxit *Cornelius Janſenius*, ſed etiam *Paſchaſius Queſnellus*, inter cujus Propoſitiones centum & unam, à Summo Pontifice CLEMENTE XI. proſcriptas in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c*, una eſt, videlicet ordine trigeſima quinta, quæ cum *Baji*, & *Janſenii* doctrina mirificè conſentit, his quippè verbis concepta eſt: *Gratia Adami eſt ſequela creationis, & erat debita naturæ ſanæ, & integræ*.

Has omnes *Michaelis Baji*, *Cornelii Janſenii*, & *Paſchaſii Queſnelii* Propoſitiones damnant Scholæ Thomiſticæ Theologi, docentque cum *Sanctis Auguſtino*, & *Thoma*, potuiſſe Deum condere Adamum in ſtatu naturæ puræ, quia nec gratia, nec immortalitas, nec æterna felicitas, ſeu eſſentiæ divinæ viſio, ſunt ſequelæ creationis Adami, & ejus naturæ debitæ. Atenim, homo potuit creari à Deo ſine gratia, quia gratia eſt beneficium humanæ naturæ indebitum, gratia quippè dicitur; quia gratis datur.

Hinc *S. Auguſtinus* lib. 3. contra *Maximinum* Arianum, aſſerit, *hominem*, ſeu Adamum, *ad ſimilitudinem Dei conditum, ideò fieri gratia filium, quia non eſt natura*. Similiter docet *S. Auguſtinus*, immortalitatem non fuiſſe ſequelam creationis Adami, ejuſque naturæ debitam: *Poſſe non mori* (inquit Aquilinus ille Doctor Cap. XV. Lib. 2. *de Geneſi ad Litteram*) *præſtabatur Adamo de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: mortalis ergo erat conditione corporis animalis immortalis beneficio Creatoris*. *S. Auguſtino* ſuccinit *S. Thomas*, qui I. Part. Quæſt. 74 Art. 5. ad 1. hæc habet: *Corpus hominis, ante peccatum, immortale fuit, non per naturam, ſed per gratiæ donum*.

Denique, filii adoptivi non poſſunt jure nativitatis ad hæreditatem aſpirare; ſed omnes homines, ſubindeque Adamus, ſunt dumtaxat filii adoptivi, ergò ex propria ſuæ naturæ conditione ad æternam hæreditatem aſpirare non

poſſunt ; ſed ſi Adamo fuiſſet debita gratia . hoc eſt , ſi Adamus ex propria naturæ ſuæ humanæ conditione exegiſſet habere gratiam , pari ratione æternam hæreditatem , ſeu Beatitudinem , ſitam in viſione Dei , naturaliter exegiſſet , ergò homini nullo pacto debita eſt gratia , adeoque ſine ea creari potuit. Hinc *S. Thomas* Quæſt. 4 *De Malo* Art. 1. ad 14. ait: *Carentia divinæ viſionis dupliciter convenit alicui uno modo ſic quod non habeat in ſe unde poſſit ad divinam viſionem pervenire ; & ſic carentia divinæ viſionis competeret ei , qui in ſolis naturalibus* (ideſt , in ſtatu naturæ puræ) *eſſet abſque peccato ; ſic enim carentia divinæ viſionis non eſſet pæna , ſed defectus conſequens omnem naturam creatam .*

Errarunt itaque *Michael Bajus* , *Ianſenius* , & *Queſnellus* , qui ſtatus naturæ puræ poſſibilitatem negarunt , eumque errorem ex *Luthero* , & *Calvino* hauſerunt , quorum prior Hæreſiarcha in caput 3. Libri Geneſis ait , juſtitiam originalem primo homini tam naturalem fuiſſe , quàm naturale eſt oculo ut lumen percipiat : *Hæc* , inquit , ſeu juſtitia originalis, diligere Deum , credere Deo , agnoſcere Deum , *tam naturalia fuerunt in Adamo , quàm naturale eſt quòd oculi lumen recipiunt* . Alter verò Hæreſiarcha , ſeu *Calvinus* , lib 1. *Inſtitutionum* Cap. XV. & lib 2. cap 1. contendit , repugnare omninò divinæ juſtitiæ ut primitùs homo conderetur ſine originali juſtitia .

Ab hoc Hæreticorum errore abhorrent omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi , qui docent , ſtatum naturæ puræ eſſe poſſibilem , eumque nulla ex parte , ſive Dei , ſive hominis repugnare .

Refellunt tamen ejuſdem Scholę Theologi errorem Pelagianorum , qui ſtatum naturæ puræ non ſolùm eſſe poſſibilem affirmabant, ſed etiam illum reipſa extitiſſe pertendebant , & in eo naſci omnes homines ſine gratia & ſine peccato; quia peccatum originale , ejuſque propagationem ad omnes homines inficiabantur . Illos Hæreticos ſtrenuè ac invicte repreſſit *S. Auguſtinus* , probans primò auctoritate Scripturæ Sacræ , Adamum non fuiſſe conditum à Deo in ſtatu naturæ puræ , hoc eſt , ſine gratia ; ſed Adamum conditum eſſe rectum , omnibus juſtitiæ originalis donis ac prærogativis exornatum. Secundò oſtendens, Adamum per peccatum inobedientiæ è juſtitia originali , in qua fuerat à Deo creatus, excidiſſe , ejuſque peccatum ad omnes omninò homines via ordinaria per ſeminalem propagationem tranſfundi , adeò ut hujus vitæ miſeriæ , ignorantia , malitia , concupiſcentia , lucta paſſionum, morbi, & mors, ſint appendices , effectus , & pænæ peccati , juxtà illud Apoſtoli *Pauli* Epiſtolæ ad Romanos cap. 5. V. 12, *Sicùt per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , & per peccatum mors , & ita in omnes homines mors pertranſiit , in quo omnes peccaverunt .*

Cæterum , quamvis Thomiſtæ admittant poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ , in quo naſceretur homo ſine gratia , & ſine peccato , obnoxius tamen morti , cæteriſque miſeriis , quæ naturam humanam conſequuntur ; negant tamen Thomiſtæ, hominem , eo in ſtatu naturæ puræ à Deo creatum , experturum concupiſcentiam , quæ eſſet contraria rationi , qualem nos,poſt peccatum Adami in hac mortali vita , velimus nolimus , experimur , quia concupiſcentia , quæ eſt contraria rationi , ejuſque limites tranſcendit , ineſt homini contra ipſius naturam , eſtque illi dumtaxàt naturalis , in quantum ſubditur rationis imperio , ſicut diſertè docet *S Thomas* 1.2 Quæſt. 82 Art. 3 ad 1. Porrò , in ſtatu naturæ puræ nihil naturæ hominis contrarium ineſſet , cum in illo crearetur homo dotibus inſtructus univerſis , quæ naturæ humanæ conſentaneæ eſſent ; igitur in naturæ puræ (ſi reapsè extitiſſet) homo non perſenſiſſet concupiſcentiam rationi contrariam , ſed potiùs ejus imperio ſubditam .

Hanc doctrinam *S. Thomas* omni procùl dubio deprompſit ex *Sancto Auguſtino* . qui pluribus in locis docet , concupiſcentiam , qualis nunc extat in nobis rationi perduellis , eſſe malum fructum peccati Adami . Ex benè multis ratiociniis , quibus ad id probandum utitur , *S. Auguſtinus* , pauca hìc , brevitatis ergò,delibabo, quæ ſubjectæ materiæ haùd

mo-

Digitized by Google

modicam lucem aſſundent. In primis, *S. Auguſtinus* lib 4. contra *Iulianum* cap. 2. pag. 290. diſputans contra hunc Pelagianum, qui concupiſcentiam, qualis modò extat in nobis, bonam eſſe, & affectionem naturalem, atque innocentem, non verò eſſe fructum peccati Adami docebat, ejuſque exceſſum dumtaxàt damnabat, ſic illum hæreticum impugnat, *Sine dubitatione malum eſt, quia non ei conſentire bonum eſt, quid enim mali, qui bonæ concupiſcentiæ conſentiret?* Eadem ratione utitur S. ille Doctor lib. 5. contra *Iulianum* cap. 7. pag. 645

Præterea. *S. Auguſtinus* lib 6. contra *Iulianum* Cap XV. pag. 687. probat, concupiſcentiam, qualem nunc experimur eſſe profectam ex peccato Adami, quia edomandæ, atque per carnis caſtigationem debilitandę concupiſcentiæ allaborarunt omnes Sancti, quam quidem Sanctorum pugnam cum concupiſcentia graphicè deſcribit S. ille Doctor lib. 3. Operis imperfecti contra *Iulianum* pag. 1077.

Tertiò, pugnam & rebellionem concupiſcentiæ adversùs ſpiritum deſcribit *S. Auguſtinus* Lib. V. contra Julianum cap. 7. pag. 843. indèque probat, concupiſcentiam, quę nunc eſt effrænis & rationi contraria, non eſſe bonam, ſed malum fructum peccati originalis. Mutuum illud carnis cum ſpiritu, & ſpiritus cum carne certamen momentum eſt *S. Auguſtino* maximè familiare & efficax, quo adversùs *Iulianum* probat, in homine, qui corpore & mente conſtat, malam eſſe concupiſcentiam, non verò in belluis, quibus ineſſe haud poteſt iſta carnis colluctatio cum ſpiritu.

Quartò *S. Auguſtinus* lib. 3. contra *Iulianum* cap 23. probat, concupiſcentiam qualem nunc experimur rationi rebellem perperàm à *Iuliano* laudari, quam Apoſtolus *Ioannes* à Patre, idest, à Deo non eſſe teſtatur. Quintò aliam ejuſdem rei probationem adhibet *Sanctus Auguſtinus* lib. 1. ad *Bonifacium* Papam, cap 16 pag 425. Concupiſcentia, inquit, adjunctum ſemper habet pudorem, porrò, *impudentiſſimum eſt de bis ſuis moribus non erubeſcere, aut, quod eſt ingratiſſimum, de ſui creatoris operibus erubeſcere*. Sextò, *S. Auguſtinus* lib. 6. contra *Iulianum* cap. 5. ſic invehitur in illum: *Quis ita ſit tam imprudens, atque impudens, qui cùm peccata mala eſſe fateatur, neget malam eſſe concupiſcentiam peccatorum, etiamſi adversùs eam, concupiſcente ſpiritu, peccata concipere & parere non ſinatur*.

Ex quibus *S. Auguſtini* verbis ſic argumentum conficio; Concupiſcentia, qualem nunc rationi rebellem experimur, inclinat ad peccatum, ſed inclinatio ad peccatum nequit eſſe homini naturalis, tum quia peccatum eſt contra naturam, tum quia peccatum refunderetur in Deum, ut authorem naturæ; igitur concupiſcentia, qualem nunc perſentimus, non poteſt eſſe bona, & homini naturalis. Poſtremò motus concupiſcentiæ ſunt peccatorum deſideria, quæ pro viribus refrænare debemus, ergò ejuſmodi motus concupiſcentiæ non ſunt homini congeniti à Deo, nec ſubindè homini naturalis, ſicut docet *S. Auguſtinus* lib. 3. contra *Iulianum* cap. 2. ubi hunc Pelagianum his verbis peſtringit: *Cur non potiùs malum vocetur, quod fateris eſſe frænandum? Cur, quæſo, frænandum niſi quia malum? & utique deſiderium mali malum eſt, etiam ſi ei non conſentiatur, donec eò veniatur, ubi nec habeatur*.

Ex his, & aliis benè multis *S. Auguſtini* contra *Iulianum* ratiociniis, quibus in præſentia referendis ſuperſedeo, patet, duplicem diſtingui debere concupiſcentiam, unam videlicet, qualem nunc experimur, quæ pugnat contra ſpiritum & rationem, prout eſt vulnus animæ ex peccato Adami relictum, & hæc concupiſcentia mala eſt & inordinata, quippęquæ adversùs naturam colluctatur, & extra limites rationis effunditur, quamvis hæc concupiſcentia (ſi homo non ei conſentiat) non ſit peccatum. Hæc itaque mala concupiſcentia, juxta *S. Auguſtinum*, non fuit in ſtatu naturæ innocentis, & à ſtatu etiam naturæ puræ abfuiſſet, ſi ille ſtatus reverà extitiſſet, quia in utroque ſtatu nulla fuiſſet tumultuantium contra rationem cupiditatum pugna.

At, eſt alia concupiſcentia, quæ bona eſt, prout eſt affectio appetitus ſenſitivi rationi ſubdita, quæque, ut jam poſt *S. Thomam* obſervavi, eſt homini naturalis. Iſto autem modo concupiſcentia fuiſſet in ſtatu naturæ puræ citra ullam inordinationem, & pugnam contra ſpiritum.

Hac geminæ concupiſcentiæ diſtinctione poſita, in auras fumumque evaneſcit præcipuum argumentum, quo *Janſenius* negat poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. Si enim, inquit *Janſenius*, poſſibilis eſſet ſtatus naturæ puræ, deberet concupiſcentia, quam eo in ſtatu perſentiret homo, eſſe bona, naturalis homini, & à Deo profecta; atqui concupiſcentia nunquàm poteſt eſſe bona, nec naturæ hominis conſentanea, nec à Deo producta, ſed ſemper mala eſt, quippè quæ importat pugnam carnis cum ratione, inclinat ad peccatum, & eſt malus fructus noxæ originalis, ſicut pluribus in locis docet *S. Auguſtinus*, ergò impoſſibilis eſt ſtatus naturæ puræ. Sed vitreum eſt iſtud *Janſenii* argumentum, quod lucet vanitate, ſed frangitur veditate. Concupiſcentiam enim, quæ inducit pugnam carnis cum ratione, non eſſe bonam, nec homini naturalem, nec à Deo profectam, ſed potiùs ſemper eſſe malam, & appendicem peccati originalis, rectè docet contra Pelagianos *S. Auguſtinus*, indeque optimè infertur, hominem in ſtatu naturæ puræ, ſi reverà perſtitiſſet, non experturum illam concupiſcentiam malam, perduellem & contrariam rationi, quæ eſt appendix & pæna peccati originalis; habuiſſet tamen homo in ſtatu naturæ puræ concupiſcentiam, quæ bona fuiſſet, ut pote affectio appetitus ſenſitivi ſubdita rationis imperio, ſicque homini fuiſſet naturalis, & à Deo profecta. Quòd enim concupiſcentia, quam nunc experimur, pugnet cum ratione, eſt contra hominis naturam, ſicut docet *S. Thomas* 1. 2. Queſt. 82. Art. 3. ad 1 ubi hæc habet: ***Dicendum***, inquit, ***quod in homine appetitus concupiſcibilis naturaliter regitur ratione, in tantùm enim concupiſcere eſt homini naturale, inquantum eſt ſecundùm rationis ordinem***; ***Concupiſcentia autem***, *quæ tranſcendit limites rationis, ineſt homini contra naturam, & talis eſt concupiſcentia originalis peccati*. Idem inculcat Doctor Angelicus primæ ſecundæ Queſt. 85. art. 3. ad 3. & Tertiæ Partis Quæſt. 15. art. 2 ad 2.

III. Tertium diſcrimen, quod reperitur doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter, & doctrinam *Janſenii*, ab Eccleſia proſcriptam, in hoc poſitum eſt, quòd *Janſenius* in libro *de gratia primi hominis & Angelorum* cap. 1. aſſerit, dogma Fidei eſſe, primum hominem, ſeu Adamum, in primo creationis ſuæ inſtanti ſanctificantem gratiam à Deo habuiſſe; nec poſſe in controverſiam rem illam revocari, ſed tanquàm ab Eccleſia definitam, & Fide omnino certam, debere ſupponi.

At vero, Scholæ Thomiſticæ Theologi, licèt doceant, non poſſe abſque temeritate defendi, hominem conditum fuiſſe in ſtatu naturæ puræ; quamvis etiam dicant, dogma Fidei eſſe, Deum primis Parentibus noſtris contuliſse antè lapſum gratiam Sanctificantem, ſeu juſtitiam originalem; fatentur tamen non eſse de fide, primos parentes noſtros accepiſse à Deo in primo creationis ſuæ momento gratiam ſanctificantem, ſeu juſtitiam originalem. Id autem Thomiſtæ duabus potiſſimùm rationibus contra *Janſenium* evincunt. Prima ratio hæc eſt: doctrina illa non poteſt eſse Fidei dogma, quam celeberrimi Theologi, & de Catholica Eccleſia optimè meriti, aut in dubium revocarunt, aut apertè impugnarunt; atqui fuerunt præſtantiſſimi Theologi (quos inter cenſetur ***Hugo à Sancto Victore*** lib. 1. *De Sacramentis* Parte 6 cap 17.) qui in dubium revocarunt, an Adamus in primo creationis ſuæ momento gratiam ſanctificantem, ſeu juſtitiam originalem, habuerit; vel eam paulò-poſt creationem ſuam acceperit? Fuerunt etiam alii doctiſſimi Theologi, inter quos numerantur Magiſter Sententiarum lib. 2. Diſtinct. 24. *S. Bonaventura*, in lib. 2. Sent. Diſtinct. 29. Art. 2 Queſt. 2. *Alexander de Ales* in Summa, Parte 2. Queſt. 96. Membro 1. & *Scotus* in lib. 2 Sent. Diſtinct. 29. qui omnes negant, Adamum habuiſse in primo creatio-

tionis ſuæ momento gratiam ſanctificantem. Igitur dogma Fidei non eſt, Adamum eo præciſe primo ſuæ creationis inſtanti accepiſſe à Deo gratiam ſanctificantem, ſeu juſtitiam originalem.

Altera Thomiſtarum ratio perindè efficax, iſta eſt: Doctrina illa non eſt dogma Fidei, quam ut duntaxat probabiliorem proponit *S. Thomas*; atqui ſententiam, quæ aſſerit, Adamum in primo ſuæ creationis momento gratiam ſanctificantem habuiſſe, *S. Thomas* in lib. 2 Sent. Diſtinct. 29. Quæſt. 1. Art. 2. proponit, & propugnat tantummodò tanquàm probabiliorem. Ibi quippè Angelicus Doctor, propoſita horum Theologorum ſententia, qui cenſent Adamum non accepiſſe in primo creationis ſuæ momento gratiam ſanctificantem, ſic ſuper hac re mentem ſuam aperit: *Hæc poſitio non magnæ auctoritatis eſt, ideò alii dicunt, quòd homo* (ſeu Adamus) *in principio creationis ſuæ in gratia creatus eſt; & hæc quidem poſitio ſatis congruere videtur opinioni Auguſtini, qui ponit res ſimul tempore perfectas fuiſſe & creatas in materia & forma; prima verò opinio magis congruere videtur opinioni aliorum Sanctorum, qui dicunt, per ſucceſſionem temporis res creatas, perfectas fuiſſe. Quæ tamen harum opinionum verior ſit ? multùm efficaci ratione probari non poteſt, ſicut nec aliquid eorum, quæ ex ſola Dei voluntate pendent. Hoc tamen probabilius eſt, ut, cùm homo creatus fuerit in naturalibus integris, quæ otioſa eſſe non poterant, in primo inſtanti creationis ad Deum converſus, gratiam ſit conſecutus*. Hæc *S. Thomas*, quem *Auguſtinum contractum* appellat *Janſenius*, cumque Doctori Angelico tam apertè repugnet idem *Janſenius*, ſententiam ſuam, velut Fidei catholicæ dogma propugnans, manifeſtum eſt, hanc *Janſenii* ſententiam principiis doctrinæ *Auguſtini* diffuſi, ſeu Hipponenſis Epiſcopi, itidem repugnare.

IV. Quartum diſcrimen, quo doctrina Scholæ Thomiſticæ ſecernitur à damnata *Janſenii* doctrina, in hoc ſiſtit, quòd *Janſenius* lib. 2. *De ſtatu naturæ lapſæ* cap. 2. docet tanquàm Fidei dogma, ab antiquis Patribus, præſertim *à Sancto Auguſtino*, traditum, *ignorantiam, quæ neceſſitatis eſt, non voluntatis*, hoc eſt, *ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato*.

Ab hoc autem *Janſenii* errore tam alieni ſunt Thomiſtæ, quam qui maximè adhærentque firmiter definitionibus ſummorum Pontificum S. PII V. & GREGORII XIII. qui eumdem errorem, quem *Michael Bajus*, Lovanienſis Academiæ Doctor & Cancellarius, præformaverat, confixerunt. Una quippè eſt *Michaelis Baji* Propoſitio quæ his verbis concepta eſt: *Infidelitas negativa* (quæ proinde invincibilis, & involuntaria eſt) *non excuſat à peccato*. Damnavit etiam ALEXANDER VIII. hanc Propoſitionem: *Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſat à peccato formali*.

Hunc etiam *Janſenii* errorem de ignorantia invincibili non excuſante à peccato duabus invictis rationibus refellunt Scholæ Thomiſticæ Theologi. Prima hæc eſt: Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt; ſed ille, qui laborat ignorantia invincibili peccatum vitare non poteſt, quia invincibiliter ignorat præceptum, aut prohibitionem peccati, ergo peccatum vitare non poteſt, ſubindeque non peccat. Altera ratio iſta eſt: Nullum eſt peccatum niſi ſit voluntarium, ſed ignorantia invincibilis tollit voluntarium, quia illud voluntarium eſſe cenſetur, quod eſt à principio intrinſeco cum cognitione finis, ergò ignorantia invincibilis tollit voluntarium adeoque excuſat à peccato. Id apertè docet *S. Auguſtinus* lib. *De vera Religione* c. 14 ubi hæc habet: *uſque adeò peccatum voluntarium eſt, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*. Hanc eſſe germanam Aquilini illius Doctoris mentem declarat Doctor Angelicus, fidiſſimus ejus Interpres, qui Quæſt. 7 *De potentia* Art. 7. ad. 3. *dicendum*, inquit, *quod ignorantia, quæ eſt omninò involuntaria, non eſt peccatum, & hoc eſt, quod Auguſtinus dicit: non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras: propter hoc autem addit: ſed ſi ſcire neglexeris, dans*

intelligere, quod ignorantia habeat, quod ſit peccatum ex negligentia præcedente.

Legeſis eumdem Doctorem Angelicum primæ ſecundæ Queſt. 76. Art. 2. Quolibeto I. Art. 19 in quibus locis *S. Thomas*, ſecutus doctrinam *S. Auguſtini* (quem *Janſenius* ſibi perperàm patronum adſciſcit) luculenter docet; ignorantiam, quæ eſt omninò involuntaria & invincibilis, excuſare à peccato Hanc autem *S Thomæ* doctrinam invictè omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi contra *Janſenium* propugnant, & ab ea ne latum quidèm unguem deſciſcunt.

V. Quintum diſcrimen; quod reperitur doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & doctrinam damnatam *Janſenii*, illud eſt, quod latè in ſuperioribus meis Epiſtolis expoſui, & in hoc poſitum eſt, quod *Janſenius* lib. 4 *de ſtatu naturæ lapſæ* cap 24. contendit invectam eſſe ex peccato Adami neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, adeò ut homines eo in ſtatu peccent etiam damnabiliter in eo, quod vitare non poſſunt, quia rebellis & indomita concupiſcentia eis imponit neceſſitatem peccandi.

Quantùm ab hoc errore, quem *Janſenius* cum *Luthero*, *Calvino*, & *Bajo* communem habuit, alieni ſint Scholæ Thomiſticæ Theologi, ſat ſuperque patet ex his, quas jam ad te ſcripſi, Epiſtolis, in quibus latè oſtendi, liberum hominis arbitrium (juxtà doctrinam *S. Thomæ*, ejuſque Scholæ) fuiſſe quidem debilitatum & ſauciatum per peccatum Adami, illud tamen non fuiſſe extinctum, proindèque non eſſe invectam ex peccato Adami abſolutam & phyſicam peccandi neceſſitatem, ſed homines in ſtatu naturæ lapſæ poſſe, dùm peccant, abſtinere à peccato. Hinc *S. Auguſtinus* lib *De duabus animabus* Cap XI. diſputans contra Manichæos, qui aſſerebant, homines, concupiſcentia implicitos, neceſſariò peccare, ſic definit peccatum: *Voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat; & unde liberum eſt abſtinere.* Et lib. 1 Operis imperfecti cap. 47. ait idem S Doctor: *Multa ſunt, quæ agunt homines, mala, a quibus liberum eſt abſtinere*, ex qua peccati definitione, quam dat. *S. Auguſtinus*, liquet S illum Doctorem (quo patrono & ſuffragatore ineptè gloriatur *Janſenius*) nunquam docuiſſe, neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ invectam eſſe ex peccato Adami.

Non me fugit, *Janſenium* in libris quos edidit, *de ſtatu naturæ lapſæ*, penè innumera congerere *S. Auguſtini* teſtimonia, ut probet, S. illum Doctorem reverà exiſtimaſſe, liberum hominis arbitrium fuiſſe penitùs amiſſum per peccatum Adami, proindèque inductam fuiſſe neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ. Verùm, *Janſenius*, ut alibi oſtendi, in corrogandis illis *S Auguſtini* teſtimoniis genuinam S hujus Doctoris mentem non eſt aſſecutus. ſed ab illa non tantum toto oſtio, ſed etiam totis ædibus diſceſſit.

At enim, ut obiter dicam. quandò *S. Auguſtinus* ait, liberum hominis arbitrium amiſſum eſſe per peccatum Adami, innuit dumtaxat, nos per peccatum Adami perdidiſſe libertatem à peccato, ſed non vult, nos perdidiſſe libertatem à neceſſitate. Fatentur autem omnes Orthodoxi cum *S. Auguſtino* hominem in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe ſine gratia liberum a peccato, ejuſque voluntatem in tantum eſſe liberam à peccato, in quantùm eſt per gratiam liberata; contendunt tamen cum eodem S Doctore, hominem in ſtatu naturæ lapſæ eſſe liberum à neceſſitate, etiamſi Fide & Gratia ſit deſtitutus.

Prætereà, quandò *S. Auguſtinus* ait, nos per peccatum Adami amiſiſſe liberum arbitrium, innuit tantummodò, nos perdidiſſe liberum arbitrium, quantùm ad perfectionem ſtatus naturæ innocentis, ſed non docet, nos per peccatum Adami perdidiſse liberum arbitrium, quantum ad ſubſtantiam. Enim verò, duo in libero hominis arbitrio ſpectari, poſſunt. Primò ſubſtantia ipſius, quatenùs ingenita facultas eſt, qua voluntas poteſt agere vel non agere. Secundò, ſpectanda eſt in libero arbitrio perfectio, qua gaudebat in ſtatu innocentiæ, in quo Adamus non ſolùm poterat à peccato abſtinere, ſed etiam id poterat

citrà

citrà difficultatem, cùm nulla ipſi ad rectè agendum ineſſet difficultas, nullus concupiſcentiæ dominatus, nulla ſervitus peccati, nullum vulnus. At homo in ſtatu naturæ lapſæ licèt abſolutè ſingula peccata vitare poſſit, graviſſimas tamen in eis vitandis difficultates patitur, propter vehementem pugnam, qua caro, ſeu cupiditas, perpetuò confligtatur contra ſpiritum.

Denique, *S. Auguſtinus*, dùm aliquandò ait, per peccatum Adami invectam eſſe peccandi neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ, admittit tantùm neceſſitatem moralem, per quam intelligit S. Doctor difficultatem, quam homo in ſtatu naturæ lapſæ experitur in vincendis tentationibus, & quibus, illiciente cupiditate, facilè ſuccumbit, quas tamen poteſt ſemper ſuperare beneficio Gratiæ ſufficientis, quam Deus omnibus vel confert, vel ſaltem præparat, ſicut fuſiùs in alia Epiſtola explicabo.

Cæterùm, nunquàm *S. Auguſtinus* ſenſit, per peccatum Adami inductam eſſe peccandi in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem abſolutam, ſeu phyſicam, vel relativam, ſicut ei falsò affingit *Janſenius*, qui hanc erroneam de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ doctrinam iiſdem planè rationibus ſtabilire ſtuduit, quas *Michael Bajus* in multis Propoſitionibus, damnatis à Summis Pontificibus, jam expreſſerat. Enim verò *Janſenius* ideò hominem in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariò peccare aſſerit, quia (ſicut docet lib. 3 *D. ſtatu naturæ lapſæ* cap. 3. & 4) cùm homo antè gratiam ſit ſervus peccati neceſſe eſt ut quidquid agit, peccatum ſit. At, eadem ratione neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ probabat *Michael Bajus*, cujus hæc Propoſitio fuit à Summis Pontificibus damnata: ***Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.***

Præterea, *Janſenius* lib. 3 *D. ſtatu naturæ lapſæ* cap. 9 10 11. & 12 probat, hominem in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariò peccare, quia liberum hominis arbitrium, antequàm per gratiam ſanetur, non poteſt ullum peccatum vitare. Idem effutiebat *Michael Bajus*, ex cujus Scriptis hæc excerpta Propoſitio à Sede Apoſtolica fuit damnata: *Pelagianus eſt error, dicere quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.*

Tertiò peccandi neceſſitatem in ſtatu naturæ lapſæ *Janſenius* eodem lib. 3. cap. 15. 16 & 17. probat, quia fieri non poteſt ſine gratia & charitate ullum opus legis. Sed idem profitetur *Bajus*, ut videre eſt in hac Propoſitione ex ejus Scriptis deprompta & damnata ab Eccleſia: ***Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine charitate.***

Quartò, *Janſenius* cap 18. ejuſdem lib. 3. *De ſtatu naturæ lapſæ* errorem ſuum de neceſſitate peccandi ex eo potiſſimùm confirmat, quia homo ante gratiam & charitatem in quocumque actu ſuo ſervit dominanti cupiditati. Atqui hæc eſt ipſiſſima Propoſitio *Michaelis Baji* proſcripta ab Eccleſia: ***In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.***

Quintò, *Janſenius* cap 19 ejuſdem libri eumdem errorem de neceſſitate peccandi probat, quia (inquit) cùm omnis amor creaturæ ſit vel laudabilis charitas, vel culpabilis cupiditas, nullumque inter utramque detur medium, neceſſe eſt ut quidquid agit homo antè gratiam, peccatum ſit. Sed hæc *Janſenii* ratio eſt immobilis doctrinæ *Baii* de neceſſitate peccandi baſis, ut liquet ex iſta ipſius Propoſitione à Summis Pontificibus damnata: ***Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ à Joanne probibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur.***

Sextò, hanc peccandi neceſſitatem *Janſenius* eodem libro adſtruere nititur, quia nulla, quamvis levis, tentatio ſuperari poteſt ſine charitate, quam ſubindè cùm homo non habeat ante gratiam, ſemper tentatione vincitur, & ſemper peccat; Atqui hoc *Janſenii* fundamentum in hac damnata *Michaelis Baii* Propoſitione continetur: ***Ii fures ſunt & latrones, qui docent, tentationi ulli ſine gratiæ ipſius adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.***

Septimò, *Janſenius* cap. 22. & 23 ejuſdem libri *De ſtatu naturæ lapſæ* neceſſitatem peccandi hinc probare contendit, quod homo ante gratiam, de ſe non habeat niſi peccatum, & peccandi facultatem. Sed id ipſum *Michael Bajus*, tanquàm præcipuum doctrinæ ſuæ de neceſſitate peccandi fundamentum aſſumit. Hinc iſtius Propoſitio damnata eſt: *Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adjutorio, non niſi ad peccandum valet*.

Octavò, neceſſitatem peccandi *Janſenius* lib 4. *De ſtatu naturæ lapſæ* à cap. 1. uſque ad caput 18. probandam ſuſcipit, hoc uno fretus principio, quia videlicet quidquid fit ſine Fide, quæ per dilectionem operatur, neceſſariò peccatum eſt. Sed *Michael Bajus* eodem nixus principio docet, hominem in ſtatu naturæ lapſæ peccare. Undè inter ipſius ab Eccleſia damnatas Propoſitiones hæc habetur: *Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia*.

Nono, hanc peccandi neceſsitatem *Janſenius* cap 19 libri 4. *De ſtatu naturæ lapſæ* probat, quia, inquit, libertas arbitrii cohærere poteſt cum neceſsitate peccandi. Sed idem *Janſenii* momentum *Michael Bajus* in ſuæ doctrinæ de neceſsitate peccandi præſidium adducit, indèque iſta ab iſto aſſerta Propoſitio fuit confixa ab Eccleſia: *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*.

Denique, *Janſenius* quatuor ſubſequentibus Capitibus ejuſdem libri 4. *De ſtatu naturæ lapſæ* peccandi neceſsitatem propugnat, quia, inquit, non requiritur ad peccandum libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. Quem errorem etiam *Michael Bajus* totis viribus defendit, undè & hæc ejus Propoſitio damnata eſt: *Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scriptura; ſed ſolum nomen libertatis à peccato*. Addo, etiam, nec addidiſſe pigebit, *Janſenium* lib 6. *De gratia Salvatoris* capite ſexto, cui hunc titulum inſcribit: *Duplex neceſſitas Auguſtino, coactionis, & ſimplex, ſeu voluntaria. Illa, non hæc, repugnat libertati*, rationem reddere, cur ea ſimplex & voluntaria neceſſitas non repugnet libertati; nimirùm, inquit, *quia non eſt voluntati adverſa, nec aliud libertas exigit, præter nudam, ac ſimplicem voluntatem*.

Ex his, quæ hactenùs dixi, colligo primo, *Janſenium* unà cum *Bajo* admiſiſſe in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi, hoc eſt, illum negaſſe libertatem à neceſſitate, & homini lapſo reliquiſſe tantummodò libertatem à coactione & violentia. Quem errorem ex *Luthero*, *Calvino*, eorumque Sectariis, *Michael Bajus*, & *Cornelius Janſenius* mutuati ſunt, ſicut latè probant duo doctiſſimi Societatis Jeſu Theologi *Stephanus Dechamps* in libro; quem edidit, *de Hæreſi Janſeniana*, & *Joannes Martinonus* in ſuo *Antijanſenio*.

Colligo ſecundò, hanc Propoſitionem, quæ inter quinque *Janſenii* Propoſitiones ab Eccleſia damnata eſt ordine tertia, fuiſſe jure optimo proſcriptam: *Ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*.

Colligo tertiò, doctrinam Thomiſtarum, qui ad merendum, vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ dicunt non ſolùm requiri libertatem à coactione & violentia, ſed etiam requiri libertatem à neceſſitate, immenſo intervallo diſtare à damnata doctrina *Michaelis Baji*, & *Cornelii Janſenii*.

VI. Sextum diſcrimen, quod eſt doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & damnatam *Janſenii* doctrinam, deduco ex his, quæ habet *Janſenius* lib. 3. *de Gratia Salvatoris* cap. 5 & aliis quatuor ſequentibus, ubi probat, Deum dediſſe Judæis Veterem legem, ſeu Moſaicam, eoſque multis oneraſſe præceptis, nec tamen eis conceſſiſſe gratiam, qua ejuſmodi legem & præcepta poſsent obſervare; ex quo manifeſtò ſequitur, obſervationem legis Moſaicæ ejuſque præceptorum fuiſſe omnibus Judæis impoſſibilem. Hanc peſtilentem doctrinam hauſit *Janſenius* ex *Luthero*, qui in libro *De ſervo Arbitrio*, & alibi docet, totam legem Veterem, ſeu Moſaicam, cum omnibus ſuis præceptis, minis, præmiis, ſuppli-

Google

pliciis , maledictionibus , & benedictionibus , in omnibus hominibus , omni tempore , nihil aliud effeciſſe , quàm ut , agnito peccato , gravet conſcientiam , cùm nullum ſit praeceptum , quod homo poſſit obſervare .

Hanc virulentam *Lutheri* , *Janſenii*, aliorumque Hæreticorum doctrinam execrantur omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi , aſſeruntque , Deum non denegaſſe Judæis gratiam ſufficientem , in ſenſu Thomiſtico intellectam , qua Judæi veterem legem , ejuſque præcepta obſervare poterant , alioqui , ſi Deus hanc gratiam ſufficientem (non quidem verſatilem , & ſubditam libero hominis arbitrio , ſicut accipitur in ſenſu Moliniano , ſed ſicut accipitur in ſenſu Thomiſtico) denegaſſet Judæis, præcepta legis fuiſſent impoſſibilia . Deus autem impoſſibilia non jubet , nec Deus dedit Judæis legem Moſaicam , ut ſolùm Judæi per eam intelligerent quid fas , quid nefas , quid rectum & pravum , quid fugiendum , quid expetendum ; ſed etiam ut obſervarent præcepta , & peccata vitarent, non ſecùs ac medicina prodit morbos non in hoc tantùm , ut homines intelligant ſe ægrotos , ſed ut recurrant ad Medicum , & illius ope ſanentur . *Lutherus* itaque & *Janſenius* , dùm dicunt , Deum multis præceptis Judæos in veteri lege oneraſſe , quæ ipſi obſervare non poterant , quæque nihil ad aliud valebant , quàm ut magis Deum odio haberent , ardentiùs peccarent , deſperarent , graviùſque damnarentur ; dùm , inquam , id dicunt *Lutherus* , & *Janſenius* , faciunt Deum , ipſo *Dionyſio* Siciliæ Tyranno , inclementiorem , qui multas leges ſtudio prodidit, quas ſuſpicabatur pleroſque non obſervaturos , ut in illos acerbis pœnis animadvertere poſſet . Certè nullus Rex, niſi apud omnes Tyrannus audire velit , unquàm ſuis præſcribet leges , quæ nihil aliud efficerent , quàm ut cives intelligerent , nihil earum ſervari poſſe . Negari igitur haud poteſt, Deum dediſſe Judæis gratiam ſufficientem , in ſenſu Thomiſtico intellectam , cujus beneficio poterant obſervare præcepta legis Moſaicæ .

Verùm , quia præter hanc Gratiam ſufficientem , in ſenſu Thomiſtico intellectam , quæ dat veram potentiam adimplendi præcepta Dei , alia gratia , ſeu per ſe efficax , prorsùs neceſſaria eſt ad actualem obſervationem præceptorum Dei , ideò Thomiſtæ dicunt , complures fuiſſe Judæos carnales , ac duræ cervicis ; qui , gratiæ ſufficienti , ſibi à Deo conceſſæ , & cujus ope poterant obſervare præcepta legis , propria malitia , cupiditate , & culpa ſua reſiſtentes , vel data opera obicem ponentes , juſtè à Deo fuerunt privati gratia per ſe efficaci , neceſſaria ad actualem præceptorum Dei obſervationem , & ad ſalutem æternam conſequendam . Teſtatur enim Scriptura Sacra , in pluribus Judæis carnalibus plùrimum fuiſſe faſtus , frequentes obmurmurationes contra Deum , oblivionem miraculorum & beneficiorum , quibus Deus illos cumulabat , Idololatrias & libidines , quibus ſeſe conſpurcabant . Conqueritur etiam ſæpiùs Deus in Sacris Literis , quòd benè multi Judæi carnales præpoſterè legem ſervarent , Circumciſionem , delectum ciborum , Sabbatiſmos contactum morticiniorum , Neomenias, cæteraque hujus generis ſuperſtitioſè ſervantes , & negligentes ea , quæ legis erant caput , amorem Dei ac proximi . Nihil igitur mirum , quòd iſti Judæi carnales , ſuis cupiditatibus implicati gratiæ ſufficienti , quæ poteſtatem implendi legem, ejuſq; Mandata obſervandi impertiebatur , reſiſtentes , fuerint à Deo in pænam ſuæ obſtinationis orbati gratia per ſe efficaci , ad obſervanda præcepta Dei, & ad obtinendam ſalutem æternam omninò neceſſaria . At , verſa vice , Judæi , qui erant ſpirituales , ex ſpeciali Dei bonitate ac miſericordia donati gratia per ſe efficaci legem impleverunt , mandata Dei ſanctè obſervarunt , & per Fidem in Jeſum Chriſtum Mediatorem omnium hominum , quæ omni ævo poſt peccatum Adami , neceſſaria fuit , æternam ſalutem ſunt adepti .

Verbo dicam , carnales Judæi potuerunt quidem per gratiam ſufficientem ,

in

in ſenſu Thomiſtico intellectam, quam Deus ipſis vel obtulit, vel contulit, adimplere præcepta legis, ſed æſtu cupiditatis ſuæ abrepti hanc gratiam vel repellentes, vel ei reſiſtentes, non obtinuerunt à Deo gratiam per ſe efficacem, ad quam, ut ſæpius dixi, gratia ſufficiens tam ex natura ſua, quàm ex voluntate antecedente, quam Deus habet de ſalute omnium hominum, ordinatur, & ideò Judæi carnales non obſervarunt legem, non quia non potuerunt, ſicut falsò poſt *Lutherum* aſſerit *Janſenius*, ſed quia noluerunt.

Thomiſtæ itaque damnant hunc *Lutheri*, & *Janſenii* errorem de præceptorum legis Moſaicæ impoſſibilitate, ſeù de impotentia Judæorum obſervandi legem Moſaicam, ſubindeque rejiciunt, tanquàm erroneas, duas *Paſchaſii Queſnelli* Propoſitiones, ſtatum Veteris Legis attinentes, quarum una, quæ eſt ordine ſexta inter centum & unam ejuſdem Scriptoris Propoſitiones à CLEMENTE XI in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* damnatas, his verbis concepta eſt: *Diſcrimen inter fœdus Judaicum & Chriſtianum, eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum gratia ſua purificando.* Altera *Queſnelli* Propoſitio, quæ eſt ordine ſexageſima quinta, ſic habet: *Moyſes, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui ſunt, abſque eo quòd ullum Deo dederint filium, cùm non effecerint niſi vilia mancipia per timorem.*

Hæ duæ *Queſnelli* Propoſitiones continent errorem *Lutheri*, & *Janſenii*, de impotentia Judæorum obſervandi legem Moſaicam, &, ſicut oſtendi in Tomo 2. *Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti*, fuerunt prædamnatæ à Sacra Facultate Pariſienſi in Cenſura, quam die 17 menſis Decemb. anni 1527. tulit in multas Propoſitiones, excerptas ex Operibus *Eraſmi*. Extat hæc Sacræ Facultatis Pariſienſis Cenſura Tomo IX ejuſdem *Eraſmi* Operum poſtremæ Editionis Lugduni Batavorum anni MDCCVI à pag. 815. uſque ad pag. 954 lege etiam ea, quæ in eodem Tomo ſecundo *Hiſtoriæ Veteris Teſtamenti* latè diſſerui de dotibus & prærogativis legis Moſaicæ, quæ data fuit à Deo, multis miraculis confirmata, quæ in ſe bona erat, ſancta & immaculata non ſolùm in ſuis præceptis Moralibus, & Judicialibus, ſeu Forenſibus, quæ erant à Deo inſtituta, ut Judæi benè beateque viverent, & ut eorum benè morata Reſpublica ſarta tecta permaneret; verùm etiam in ſuis præceptis cæremonialibus, Sacrificiis, & Sacramentis, quæ ordinabantur ad verum Dei cultum, & ad extirpandam idololatriam, ſed potiſſimùm præfigurabant Jeſum Chriſtum, omnium hominum Mediatorem, qui, ut inquit Apoſtolus *Paulus* cap. 1. Epiſt. ad Rom. eſt *finis totius legis*, in quem credentes ſpirituales Judæi, ideſt hi, qui non ſenſui litterali legis Moſaicæ, ſed ſenſui ſpirituali adhærebant, divina ejuſdem legis Mandata ſanctè obſervarunt, &, ut ait idem Apoſtolus *Paulus* cap. XI. Epiſt: ad Hebræos, *operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, extinxerant impetum ignis, fortes facti ſunt in bello, &c.*

Si igitur Legis Moſaicæ auctorem, Præcepta, finem, & effectus conſideres, nullo negotio intelliges, *Janſenium*, & *Queſnellum* fuiſſe jure optimo ab Eccleſia damnatos, quòd dicerent, Legem Moſaicam feciſſe dumtaxat peccatores & tranſgreſſores, ac vilia mancipia, imponendo videlicèt Judæis præcepta, quæ ipſi obſervare non poterant: *Quis Catholicus dicere audeat, quod nos dicere jactitant* (ſeu Pelagiani) *Spiritum Sanctum, adjutorem virtutis, in veteri Teſtamento non fuiſſe?* inquit *S. Auguſtinus* lib. 3. ad *Bonifacium* cap. 4. Cui doctrinæ *Sancti Auguſtini* & omnium Sanctorum Patrum conſtantèr adhæret *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. 98 Artic 2. ad 4 ubi ait: *Ad quartum dicendum, quod quamvis lex Vetus non ſufficeret ad ſalvandum homines; tamen aliud aderat auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege, per quod ſalvari poterant, ſcilicet Fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres; ſicut etiam nos juſtificamur, & ſic Deus non deficiebat hominibus, quin eis daret ſalutis auxilia!* Et Articulo 4. in corpore,

Digitized by Google

re ait: *Deus igitur, & legem & alia beneficia ſpecialia illi Populo exhibuit, propter Promiſſionem Patribus eorum factam, ut ille Populus, ex quo Chriſtus naſciturus erat, quadam ſpeciali ſanctificatione pol leret.*

VII. Septimum diſcrimen, quod palàm oſtendit; doctrinam Scholæ Thomiſticæ nihil omninò affinitatis, & ſocietatis habere cum damnata *Janſenii* doctrina, colligo ex libro 3. *De Gratia Salvatoris* capit. 13. ubi *Janſenius* docet, non tantùm Judæis ſub lege Moſaica præcepta Dei fuiſſe impoſſibilia, ſed etiam inter Chriſtianos, qui ſunt ſub lege Gratiæ, aliquot reperiri, gratia licèt Sanctificante exornatos, quibus præcepta Dei ſunt impoſſibilia. Sic enim habet: *hæc igitur omnia pleniſſime planiſſimèque demonſtrant, nihil eſſe in Sancti Auguſtini doctrina certius ac fundatius, eſſe præcepta quædam, quæ hominibus, non tantùm infidelibus, excæcatis, & induratis, ſed fidelibus quoque, & juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, qua poſſibilia fiant.*

Hunc errorem, quem Summi Pontifices jure optimo in prima *Janſenii* Propoſitione damnarunt, anathemate perculerunt: omnes Thomiſtæ quippè qui docent cum Sancto Thoma, juſtis præſtò adeſſe Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, quæ ipſis confert plenam, completam, proximam, & expeditam potentiam obſervandi præcepta Dei, ita ut eis nihil ex parte potentiæ deſit. *Nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet.* Sic contra Lutheranos, & Calviniſtas definivit Œcumenica Synodus Tridentina; ſeſſione ſexta Cap XI.

Hæc eſt conſtans ac perpetua Sanctorum Patrum doctrina, quos inter, duos hic dumtaxat laudabo videlicet *Sanctum Auguſtinum*, & *Sanctum Thomam*, quorum prior in libro *De duabus animabus* capit. 2. aſſerit neminem eſſe ſupplicio dignum, qui id non facit, quod facere non poteſt: *Nec hi libri obſcuri*, ait Aquilinus ille Doctor, *mihi ſcrutandi erant, undè diſcerem, neminem ſupplicii dignum, qui id non faciat, quod facere non poteſt. Nonne iſta cantant, & in montibus Paſtores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in Sacris locis, & in Orbe terrarum genus humanum?*

Deum etiam nihil impoſſibile præcipere ait pluribus in locis *Sanctus Thomas*, præſertim Quæſt. 24. *De veritate* Artic. 14. ad 1. *illud, quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſervandum*. Item, Quolibeto 2 Artic. 6. *Nullus tenetur ad hoc, quod eſt ſupra vires ſuas, niſi per modum quo ſit ſibi poſſibile*. Rurſum, in libr. 2. Sentent. Diſtinct. 28. Artic. 3 in primo argumento *ſed contra*, hæc ſcribit. *Hieronymus ait: Qui Deum dicit præcipere impoſſibilia, anathema ſit.* Et in ſecundo argumento ſic ratiocinatur Angelicus ille Doctor: *Deus non eſt magis crudelis quàm homo, ſed homini imputatur in crudelitatem, ſi obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non poteſt, ergò hoc de Deo nullo modo eſt æſtimandum*. Hæc eſt vera, & genuina *SS. Auguſtini*, & *Thomæ* de poſſibilitate obſervandi Mandata Dei doctrina, à qua *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli apertè deſciverunt, ſed ab his duabus Eccleſiæ columnis divelli nunquàm poterit Schola Thomiſtica. Quod tenent *Auguſtinus*, & *Thomas*, mordicùs tenet hæc Angelica Schola; quod docent ipſa intrepidè docet; quod prædicant prædicat; æternùmque prædicabit, ac propugnabit.

VIII. Octavum diſcrimen, quod eſt doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter, & damnatam *Janſenii* doctrinam, repeto ex his, quæ docet *Janſenius* de Gratia medicinali in ſtatu naturæ lapſæ. Ait quippè (lib. 2. *De Gratia Salvatoris* capit. 25) omnem gratiam medicinalem, quæ datur in ſtatu naturæ lapſæ, eſſe ſemper efficacem, ſuumque obtinere effectum: *Hæc eſt vera ratio*, inquit Janſenius,

us, *ut nulla omnino medicinalis gratia Chriſti effectu ſuo careat*; *ſed omnis efficit, ut voluntas velit*, *& aliquid operetur*. Et cap. 27. ejuſdem libri fidenter aſſerit, quòd *S. Auguſtinus nullam agnovit aliam actualem Chriſti gratiam*, *nec agnoſcere potuerit*. Ex hoc infeſto principio manat hæc *Janſenii* Propoſitio, quæ inter quinque illius Propoſitiones ab Eccleſia damnatas, eſt ordine ſecunda: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*.

Hunc *Janſenii* errorem proſcribit Schola Thomiſtica. Docet enim primò, in ſtatu naturæ lapſæ, præter gratiam ſe ipſa efficacem, quæ vi ſua intrinſeca facit ut operemur, dari gratiam ſufficientem, quæ ex entitate, ſeu ex natura ſua, diſtinguitur à Gratia ſe ipſa efficaci, quæque dat homini completam, proximam, & expeditam potentiam agendi & obſervandi Mandata Dei.

Secundò, Schola Thomiſtica duplicem Gratiæ ſufficienti aſſignat effectum, primarium videlicet, & ſecundarium. Effectum primarium, ad quem gratia ſufficiens ex voluntate Dei, quam Theologi appellant *conſequentem*, ordinatur, quique ſiſtit in piis cogitationibus, & illuſtrationibus mentis, & in piis etiam motionibus & affectionibus voluntatis, atque in aliis bonis quidem, ſed imperfectis actibus, hunc, inquam, primarium effectum Gratia ſufficiens, juxta doctrinam Scholæ Thomiſticæ, ſemper conſequitur, quia ad primarium illum effectum producendum Gratia ſufficiens ordinatur ex voluntate Dei conſequenti, quæ (ſicut docent Theologi) ſemper impletur. At, ſecundarium effectum, qui conſiſtit in actuali & perfecta operatione, ſeu, ex. gr. in actuali converſione peccatoris, non producit gratia ſufficiens, niſi præſtò ſit Gratia ſe ipſa efficax, quæ ſuapte vi facit ut voluntas prorumpat in actum ſecundum, hoc eſt, in actualem & perfectam operationem. Ratio in promptu eſt, quia Gratia ſufficiens ad hunc ſecundarium effectum, ſeu ad actualem & perfectam operationem, tendit & ordinatur non ex voluntate Dei conſequenti, quæ ſemper impletur, & cui nulla humana reſiſtit voluntas, ſed ad illum ordinatur dumtaxat ex voluntate Dei, quam Theologi vocant *Antecedentem*, quæque non impletur. Quamvis ergò Gratia ſufficiens, juxtà Thomiſtarum doctrinam, ſemper producat effectum ſuum primarium, non tamen producit effectum ſecundarium, ad quem ex voluntate Dei antecedenti ordinatur, quia homo propria malitia & cupiditate ſua Gratiæ ſufficienti obicem ponit, ejus curſum ſiſtit, & impedit ne ulterius progrediatur.

Hanc itaque famoſam *Ianſenii* Propoſitionem intellectam de Gratia ſufficienti: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, hæreticam eſſe, & ut talem ab Eccleſia proſcriptam, profitentur omnes Thomiſtæ. Sed de iſto diſcrimine, quo doctrina Scholæ Thomiſticæ aperta fronte pugnat cum damnata *Ianſenii* doctrina, copioſius juxtà, ac opportunius diſſeram in ſpeciali Epiſtola, in qua naturam & effectus Gratiæ ſufficientis, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, data opera explanabo, ejuſque neceſſitatem contra Novatores vindicabo.

IX. Nonum diſcrimen, per quod doctrina Scholæ Thomiſticæ capitalitèr opponitur proſcriptæ *Janſenii* doctrinæ, verſatur circa voluntatem Dei Antecedentem de ſalute omnium hominum. Cenſet enim *Janſenius*, voluntatem Dei ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe veram & ſinceram voluntatem, qua Deus ſingulis hominibus præparet auxilia ſufficientia, quibus poſſint æternam ſalutem adipiſci; ſed eſſe voluntatem planè ſterilem, nullaſque gratias veri nominis ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico intellectas, hominibus in ſtatu naturæ lapſæ præparare ad ſalutem: *Poſtquàm* (inquit *Janſenius* lib. 3. *De Gratia Chriſti* capit. 20.) *peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur*, *antecedens voluntas in ſola præciſione mentis*, *adeoque nuda quadam velleitate*, *nihil omninò gratiæ cauſante*, *conſiſtere poteſt*. *Quod ex eo manifeſtiſſimè patet*, *quia talem antecedentem voluntatem etiam ergà dam-*

damnatas creaturas ſive hominum, ſive Angelorum, Deus habet. Idem in capite ſequenti confirmat *Janſenius*.

At, contrà Thomiſtica Schola, Duce Angelico Doctore, conſtanter propugnat, voluntatem antecedentem, qua Deus vult ſalvare omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, eſſe voluntatem *beneplaciti*, veram ac ſinceram, per quam præparat omnibus & ſingulis hominibus auxilia ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, per quæ ſalutem æternam conſequi valeant. Quòd ſi verò ſint multi reprobi, qui ſalutem æternam non conſequuntur, hoc illis juſtè (inquiunt Thomiſtæ) vitio verti debet, quia, auxiliis ſufficientibus propria ſua culpa ac malitia reſiſtentes, privantur in pœnam ſuæ obſtinationis auxiliis per ſe efficacibus, quæ ad comparandam ſalutem æternam ſunt abſolutè neceſſaria.

X. Decimum diſcrimen, quod Scholæ Thomiſticæ doctrinam maximè ſecernit à damnata *Janſenii* doctrina, palmare eſt & omnibus notum. Docet enim *Janſenius* capit. 21. lib. 3. *De Gratia Chriſti Salvatoris*, Chriſtum mortuum dumtaxàt eſſe ac ſanguinem fudiſſe pro æterna ſalute Electorum ac Prædeſtinatorum, non verò, pro ſalute reproborum.

At ex adverſo tota Schola Thomiſtica profitetur, Chriſtum mortem oppetiiſſe pro ſalute omnium omninò hominum, hoc eſt, *efficaciter* pro ſalute Electorum ac Prædeſtinatorum, quibus ſuppeditat auxilia per ſe efficacia, quorum ope certiſſimè liberantur quicumque liberantur; *ſufficienter* verò mortuum eſſe pro ſalute reproborum, quibus dat, vel ſaltèm offert auxilia ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, per quæ ſalvi eſſe poſſunt reprobi, ſed tamen æternam ſalutem ideò non conſequuntur, quia, ſufficientibus illis auxiliis, ſuæ concupiſcentiæ illecebris irretiti, obſiſtentes, aliis uberioribus & per ſe efficacibus auxiliis, quæ illos ad ſalutem æternam perducerent, juſtè à Deo privantur, ſicut operoſius explanabo in alia Epiſtola, quam ad te deinceps ſcribam, & in qua confutabo errorem *Janſenii*, beneficium mortis Chriſti ad æternam ſalutem Electorum dumtaxat ac Prædeſtinatorum reſtringentis.

XI. Undecimò, differt doctrina Scholæ Thomiſticæ à damnata doctrina *Janſenii* in principio, è quo petenda eſt neceſſitas Gratiæ per ſe efficacis. Vult enim *Janſenius*, Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem ex hoc uno dumtaxat capite, videlicet ex naturæ humanæ per peccatum originale vulneratæ conditione & infirmitate eſſe deſumendam, indeque infert, nullam in ſtatu innocentiæ fuiſſe gratiam per ſe efficacem, ſed tantummodò eo in ſtatu fuiſſe neceſſariam gratiam verſatilem, ſubditam libero primi hominis & Angelorum arbitrio, quia, inquit *Janſenius*, eo in ſtatu innocentiæ nulla erat voluntatis creatæ corruptio, depravatio nulla, paſſionum nulla lucta, nulla rebellio.

Hanc *Janſenii* doctrinam improbat omninò Schola Thomiſtica, quippè quæ (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis commonſtravi) docet, Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem deſumi debere non tantùm ex infirmitate naturæ læſæ per peccatum originale, ſed etiam ex intima cujuslibet creaturæ à Deo, tanquam à cauſa prima, ſubordinatione, ſubjectione ac dependentia, nec non ex indifferentia liberi arbitrii ad agendum, qua tamdiù hærebit anceps, ac veluti ſuſpenſum ac pendulum, donec prævia motione phyſica determinetur & applicetur ad agendum, idque præſertim in pietatis operibus, quæ naturæ vires & ingenitas facultates excedunt. Hinc omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi docent contra *Janſenium*, neceſſariam prorsùs fuiſſe in ſtatu innocentiæ ſive Adamo, ſive Angelis Gratiam per ſe efficacem, tùm ad bene agendum, tùm ad perſeverandum in accepta juſtitia, ſicut late expoſui, & probavi in his, quas jam ad te ſcripſi, Epiſtolis.

XII. Duodecimò, doctrina Scholæ Thomiſticæ diſcrepat à proſcripta *Janſenii* doctrina in modo explicandi naturam & efficaciam Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ. Docet enim *Janſenius* pluribus in locis, naturam & efficaciam Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ ſitam eſſe in cæleſti indeliberata delectatione relativa ad gra-

dus

dus concupiſcentiæ ; quæ cæleſtis indeliberata delectatio , dum ſuperior eſt gradibus concupiſcentiæ , tunc per ſe & ab intrinſeco eſt efficax , & voluntatem hominis neceſſariò, citrà tamen coactionem & violentiam , determinat ad bonum ; ſed verſa vice , quandò in homine terrena dominatur concupiſcentia , & ſuperior eſt gradibus cæleſtis delectationis , tunc voluntas hominis per victricem carnalis concupiſcentiæ delectationem neceſſariò , abſque tamen coactione & violentia , determinetur ad malum.

Ab hoc virulento *Ianſenii* de gratia neceſſitante principio longiſſimè diſtant Thomiſtæ. Docent enim , naturam & efficaciam Gratiæ ſitam non eſſe in illa cæleſti indeliberata delectatione , quæ ſit relativa ad gradus cupiditatis , quæque efficax ſit , quandò ſuperior eſt gradibus cupiditatis ; ſed ſitam eſſe in prævia & phyſica motione Dei applicantis voluntatem hominis ad agendum , & efficientis ut voluntas hominis , ſemota non tantùm coactione & violentia , verùm etiam neceſſitate , liberè ſeſe determinet , & cum cæleſti deliberata delectatione non relativè , ſed abſolutè victrice , operetur ; id autem pleniùs & clariùs intelliges ex ea , quam ad te ſcribam , Epiſtola , in qua doctrinam *Ianſenii* de Gratia per ſe efficaci neceſſitante , quæ videlicèt per indeliberatam cæleſtem delectationem neceſſariò voluntatem hominis determinat ad bonum , data opera confutabo.

XIII. Decimò tertiò, docet *Ianſenius* , Gratiam per ſe efficacem , quam conſtituit in cæleſti indeliberata delectatione victrice , quæ ſuperior eſt gradibus concupiſcentiæ , docet , inquam , *Ianſenius* , Gratiam per ſe efficacem , hoc in ſenſu intellectam , ſe tenere non tantùm ex parte actus ſecundi , determinando videlicèt voluntatem ad benè agendum , ſed etiam tenere ſe ex parte actus primi , & conferre voluntati poteſtatem benè agendi . Docet quoque *Ianſenius* , ſub Gratia per ſe efficaci , hoc eſt , ſub motione victricis delectationis cæleſtis , non ſtare poteſtatem ad oppoſitum , ſeu potentiam proximam & expeditam peccandi , quia (inquit *Janſenius*) neceſſe eſt inferiorem concupiſcentiæ delectationem cedere ſuperiori cæleſti delectationi Gratiæ . Similiter , negat *Ianſenius* , in homine , in quo actu dominatur , ſeu ſuperior eſt terrena concupiſcentiæ delectatio , perſtare poteſtatem expeditam ad oppoſitum , ſeu benè agendi , quia , inquit , inferior cæleſtis delectatio Gratiæ neceſſariò cedere debet ſuperiori victrici terrenæ delectationi concupiſcentiæ , & impoſſibile eſt , ut minor & inferior delectatio vincat majorem ac ſuperiorem : *juſtitiæ vel peccati delectatio* (ait *Ianſenius* lib. 7 De Gratia Chriſti Salvatoris cap 5.) *eſt illud vinculum , quo liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur , ut quamdiù iſto ſtabiliter poſſidetur ac conſtringitur , actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem* . Et lib. 4. De Gratia Chriſti cap 9. inquit : *Vigente delectatione carnali , impoſſibile eſt ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat* .

At verò Scholæ Thomiſticæ Theologi, qui, ut jam dixi , Gratiæ efficaciam non repetunt ex cæleſti indeliberata delectatione , quæ ſit relativè victrix & ſuperior terrena delectatione concupiſcentiæ , ſed intrinſecam Gratiæ efficaciam hauriunt ex omnipotentia Dei , ſeu ex prævia & phyſica motione divina , applicante voluntatem hominis ad actu agendum , Theologi , inquam , Scholæ Thomiſticæ dicunt primò , hominem ſub quacumque Gratia per ſe efficaci retinere ſemper veram , completam , proximam , & expeditam potentiam ad oppoſitum , ita ut ex parte actus primi , ſeu ex parte potentiæ nihil ei deſit . Secundò , dicunt Thomiſtæ , hominem , deſtitutum Gratia per ſe efficaci, habere , ope Gratiæ ſufficientis , veram , completam , proximam & expeditam potentiam benè agendi, obſervandi Mandata Dei , peccata vitandi &c. Poſtremò, dicunt Thomiſtæ , Gratiam per ſe efficacem , ſeu Præmotionem Phyſicam , non ſe tenere ex parte actus primi , ſeu ex parte potentiæ , ſed tenere ſe ex parte actus ſecundi , quia non dat , ſed ſupponit in voluntate creata potentiam proximam & expeditam ad agendum , eamque potentiam determinat & applicat ad actum ſecundum , ſeu ad actu agendum . Sed hæc impræſentiarùm prælibaſſe ſufficiat, plura in aliis, quas

ad

Digitized by Google

ad te ſcribam , Epiſtolis commodiùs dicturus .

XIV. Decimum quartum diſcrimen , quo Scholæ Thomiſticæ doctrina disjungitur à damnata *Janſenii* doctrina , verſatur circa intelligentiam *ſenſus compoſiti* , & *ſenſus diviſi* . Enim verò , cum *Janſenius* docet , Gratiam per ſe efficacem (quam reponit in cæleſti indeliberata delectatione victrice , quæque ſuperior eſt delectatione terrena concupiſcentiæ) neceſſariò , citra tamen coactionem & violentiam , determinare hominis voluntatem ad bonum , ſic interpretatur *ſenſum compoſitum* , ut dicat , Gratiæ per ſe efficaci ſeu cæleſti Gratiæ delectationi , quæ ſuperior eſt terrenæ delectatione concupiſcentiæ , non poſſe hominem diſſentire *in ſenſu compoſito* , ideſt, ait *Janſenius*, homo diſſentire non poteſt , quamdiù manet in voluntate hominis Gratia per ſe efficax , ſeu cæleſtis delectatio Gratiæ , quæ ſuperior eſt terrena delectatione concupiſcentiæ , *quia neceſſe eſt ut ſuperior delectatio vincat inferiorem , & impoſſibile eſt , ut minor delectatio ſuperet majorem & fortiorem* . Sed homò , ait *Janſenius* , Gratiæ per ſe efficaci , ſeu cæleſti gratiæ delectationi , quæ ſuperior eſt terrena delectatione concupiſcentiæ , diſſentire poteſt *in ſenſu diviſo* , ideſt (ſicut interpretatur *Janſenius*) ſi gratia per ſe efficax , ſeu celeſtis gratiæ delectatio , quæ delectatione terrena concupiſcentiæ ſuperior eſt , divellatur, ſeu removeatur à voluntate hominis , vel ſi terrena concupiſcentiæ delectatio. quæ inferior eſt, adeò augeatur , ut victrix tandem evadat ac ſuperior cæleſti delectatione Gratiæ . *Hinc claret* (inquit *Janſenius* lib 4 De Gratia Chriſti cap. 10.) *cur Auguſtinus omnem omninò gratiam purè ſufficientem auferat . Ratio perſpicua eſt , quia cum ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei ; niſi iſta tanta fuerit , ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint , vel peccabitur , vel alternante delectationum fluctu , in medio remanebitur . ; ſin autem iſta ſuperaverit , jam ſine dubio voluntas benè operabitur : Quod enim ampliùs nos delectat , ſecundùm id operemur neceſſe eſt . Sed utrumlibet ſiat , non erit ſufficiens gratia , ſed vel efficax , vel ita inefficax , ex qua operatio nequidem poſſit ſequi , niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur* .

Hanc ſiniſtram & hæreticam *ſenſus compoſiti* , & *ſenſus diviſi* interpretationem , quam à *Luthero* , & *Calvino* mutuatus eſt *Janſenius* , reprobant omnes Scholæ Thomiſticæ Theologi , qui ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis oſtendi, docent hominem non poſſe Gratiæ per ſe efficaci prædeterminatrici diſſentire *in ſenſu compoſito* , ideſt , non poſſe hominem ſimul & eodem tempore , quo à Gratia per ſe efficaci promovetur ad aliquem actum , conjungere actum illum cum actu oppoſito, hoc eſt, non poſſe ſimul actu aſſentire , & actu diſſentire , quia actualis aſſenſus, & actualis diſſenſus ſunt duo actus è regione oppoſiti , qui ſecum cohærere nullatenus poſſunt , poſſe tamen hominem diſſentire Gratiæ per ſe efficaci *in ſenſu diviſo*, ideſt , ut explicant Thomiſtæ, hominem gratia per ſe efficaci inſtructum, & ab ea prædeterminatum ad aliquem actum ponendum , retinere ſemper ponendi actum oppoſitum potentiam veram , completam, proximam & expeditam , ſed ſejunctam ab actu , quæ nunquàm reducetur ad actum quamdiù perſtabit in voluntate hominis Gratia per ſe efficax . Hanc *ſenſus compoſiti* , & *ſenſus diviſi* genuinam Thomiſtarum interpretationem memini me alibi expoſuiſſe , eamque catholicam, & ab hæretica *ſenſus compoſiti* , & *ſenſus diviſi* interpretatione *Lutheri* , *Calvini* , & *Janſenii* penitùs alienam eſſe , ex ipſorummet Scholæ Molinianæ Theologorum diſertis teſtimoniis comprobaſſe .

Hactenùs breviter , quoad ejus fieri potuit , hæc doctrinam Scholæ Thomiſticæ inter & doctrinam damnatam *Janſenii* aſſignavi diſcrimina , quæ dùm veritatis oculis intueor , neſcio profectò , an riſu crepare debeam cum *Democrito* , an indignatione cum *Timone* , vel potiùs lacrymis defluere cum *Heraclito* . Ecquis , quæſo , ſi , abdicatis præjudiciis , hæc legat diſcrimina, quibus Scholæ Thomiſticæ doctrina tam longe diſtat à proſcripta *Janſenii* Doctrina , ſta-

Digitized by Google

tim non defleat Adverſariorum Scholæ Thomiſticæ, accuſationem Janſeniſmi ei objicientium, abſurditatem? Sed ut hanc illiberalem Janſeniſmi notam, à quibusdam æmulis obtrectatoribus perperàm Scholæ Thomiſticæ impactam, efficaciùs diſpellam, alia ſub finem iſtius Epiſtolæ proferam diſcrimina, quæ luculentiſſimè probabunt, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ magis diſtare à proſcripto *Ianſenii* de Gratia Syſtemate, quàm ab eo diſtare videatur Scholæ Molinianæ doctrina.

ALIA DISCRIMINA.

Quæ manifeſtò probant, Doctrinam Scholæ Thomiſticæ magis diſtare à proſcripto Janſenii de Gratia Syſtemate, quàm ab eò diſtare videatur Scholæ Molinianæ Doctrina.

I. IN primis, Moliniani Theologi (ſicut etiam notum eſt his, qui eorum Scholam vel à limine ſalutarunt, vel eorum doctrinam primoribus labiis deguſtarunt) inter ſcientiam *Viſionis*, & *ſcientiam ſimplicis intelligentiæ* admittunt Scientiam, quam vocant *Mediam*, qua Deus priùs dirigitur, quàm abſolutè aliquid futurum decernat, aut dare ſtatuat Gratiam congruam, attemperatam locis, temporibus & circumſtantiis, è quibus ipſa pendet. Atqui in Syſtemate *Ianſenii*, conſtituentis efficaciam Gratiæ in cæleſti delectatione victrici, & ſuperiori concupiſcentiæ gradibus, neceſſe eſt ut Deus, antequàm ſtatuat impertiri alicui Gratiam victricem, priùs exploret, quot ille habeat concupiſcentiæ gradus, ut nempè ſuam iiſdem gradibus attemperet & accommodet ſuperiorem delectationem, alioqui, ſi illos concupiſcentiæ gradus antehàc non exploret Deus, incertus prorsùs ac dubius hærebit, quis futurus ſit gratiæ effectus? certò enim ſcire haud poteſt victricem fore gratiam, niſi noverit eam ſuperiorem fore gradibus concupiſcentiæ: priùs igitur Deus explorare debet, quot ſint illius concupiſcentiæ gradus, ut ſciat, quot gradus cæleſtis delectationis conferre debeat gratiæ, ut ſit victrix & ſuperior gradibus concupiſcentiæ. Syſtema itaque *Ianſenii*, Gratiæ efficaciam conſtituentis in delectatiuìne relativè victrici, & ſuperiori gradibus concupiſcentiæ, perindè ſupponit in Deo Scientiã Mediam ac Molinianũ Syſtema.

At in Syſtemate Thomiſtarum nullum locum habet in Deo ſcientia Media, ſed de medio planè tollitur, quia docent Thomiſtæ, gratiam eſſe efficacem, non quia relativa eſt ad gradus concupiſcentiæ, & ab iis in ſui efficacia pendet, ſed dicunt, Gratiam Prædeterminatricem eſſe per ſe & abſolutè efficacem, eamque ab omnipotentia divina ad unum certò determinari effectum producendum, independenter à variis ſubjecti, cui confertur, diſpoſitionibus, aut concupiſcentiæ gradibus. Id diſcriminis inter ſuum Syſtema de Gratia & Syſtema Thomiſtarum ultrò agnoſcit *Janſenius* lib. 8. cap. 2. *De Gratia Chriſti*, ubi hæc habet: *Prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcumque circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere & operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam: Chriſti adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis ineſficacibus deſideriis hærebit, nec efficaciter unquàm volet, quod volendum eſt.*

II. Secundò, Scholæ Molinianæ Theologi negant, Gratiam eſſe ex ſe, ſeu natura & virtute intrinſeca efficacem. Huic Moliniſtarum ſententiæ palàm favet *Ianſenius*, qui vult efficaciam gratiæ pendere ex minori concupiſcentiæ reſiſtentia; ſi enim concupiſcentia major fuerit, tunc, juxta *Janſenium*, gratia victrix non erit, ſed victa. Ex quo *Ianſenii* Syſtemate ſequitur primò, efficaciam Gratiæ neceſſariò pendere ex minori concupiſcentiæ reſiſtentia, ita ut, ſi terrena delectatio concupiſcentiæ major ac fortior ſit cæleſti delectatione gratiæ, maneat omninò depreſſa, fracta & inutilis ipſius Gratiæ virtus. Sequitur ſecundò, eamdem gratiæ entitatem, citrà aliam ex parte Dei receptam gratiam, in uno & eodem homine, variè diſpoſito,

ſito, aliquando victricem eſſe, aliquandò non victricem; prout major vel minor in ipſo fuerit oppoſitæ actualis concupiſcentiæ reſiſtentia.

At non ſic Thomiſtæ non ſic. Ajunt quippè primò, Gratiam ſe ipſa efficacem independenter à circumſtantiis, locis, temporibus, diſpoſitionibus ſubjecti cui confertur, vel à concupiſcentiæ gradibus, per ſuam abſolutam, & intrinſecam virtutem ſuum ſemper producere effectum, rumpere omnem moram, difficultates ſuperare, omneſque vincere concupiſcentiæ gradus, ita ut tarda molimina neſciat Spiritus Sancti gratia. Hęc eſt certè Deo digna Thomiſtarum Gratiæ per ſe efficacis idea. Præterea, ajunt Thomiſtæ, fieri non poſſe, ut gratia, quæ eſt per ſe efficax, ſit in uno eodemque homine, etiam varè diſpoſito, modò victrix, modò non victrix, quia juxta Syſtema Thomiſticum, gratia ſe ipſa efficax ſemper victrix eſt, & nunquàm ſuo fruſtratur effectu, quocum infallibilem connexionem habet.

Iis itaque, qui Janſeniano Syſtemati ſunt addicti, convenit cum Scholæ Molinianæ Theologis in hoc, quòd velint, Gratiam non eſſe ex natura ſua, ſeu virtute ſua efficacem; ſed tantùm ab extrinſeco, quia, juxta *Janſenium*, eadem Gratia, quę nunc victrix eſt, dum cum levi cupiditate pugnat, aucta cupiditate & acriùs inflammata, poteſt etiam actu ſuperari; & quemadmodum cupiditas, quæ victrix erat, dum cum alia minore cæleſti delectatione Gratiæ certabat, ſi hæc invaluerit, & admotis propiùs incitamentis exarſerit definit eſſe victrix, definit plenam elicere voluntatem; ſic item illa gratia, quæ cum minore cupiditate pugnans, victrix dicebatur ſi novus ingruat cupiditatis fluctus actu ſuperatur. Ita fieri poteſt, ut qui levem tentationem ſuperat, à majore ſuperetur, etiamſi utrobique eadem Gratia polleat. Quod ſanè, ut nemo non videt, deſtruit planè virtutem intrinſecam Gratię, illamque dumtaxàt reddit ab extrinſeco efficacem.

III. Tertiò, docent Scholę Molinianę Theologi, fieri poſſe, ut ęqualis quantum ad entitatem, Gratia ſufficiens duobus hominibus detur, & in uno ſit efficax, & in altero caſſa & inefficax reddatur. Idem docet *Janſenius*, aitque parem gratiam, quantum ad entitatem, duobus hominibus datam, fore in uno, ratione minoris concupiſcentiæ, victricem & efficacem, in altero autem inefficacem ratione majoris concupiſcentiæ, à qua vincetur.

At, ejuſmodi doctrinam tam in ſenſu Moliniano, quàm in ſenſu Janſeniano repudiant Thomiſtæ, quia quemadmodùm in ſenſu Moliniano ſi æqualis Gratia duobus hominibus data, in uno, qui ei conſentiret, eſſet efficax, in altero, qui ei diſſentiret, eſſet inefficax, ſequeretur, illum qui per ſuum aſſenſum, redderet gratiam efficacem, poſſe in ſe ipſo gloriari, & per ſuum liberum arbitrium ſeſe diſcreturum ab eo, qui per ſuum diſſenſum eamdem Gratiam redderet inefficacem; ita ſimiliter dicunt Thomiſtæ, ſi æqualis Gratia data duobus hominibus, ſit juxta doctrinam *Janſenii*, efficax & victrix in uno ratione minoris concupiſcentiæ, & in altero reddatur inefficax ratione majoris concupiſcentiæ, quæ in illo æſtuat; ſequeretur illum, qui, ratione minoris concupiſcentiæ, quæ in ipſo eſſet, redderet gratiam efficacem & victricem, poſſe in ſe ipſo gloriari, ſeque diſcernere ab eo, qui ratione majoris concupiſcentiæ, qua arderet, Gratiam redderet inefficacem. Quod ſanè palàm adverſatur doctrinæ Apoſtoli *Pauli* 1. ad Corinthios cap. 4. v. 7 dicentis; *Quis te diſcernit? Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?*

IV. Quartò, Scholæ Molinianæ Theologi exiſtimant, Gratiam, ut ſit efficax in actu ſecundo, pendere à conditione, quæ ſit ab homine ponenda, videlicet ab hac conditione: *Si homo Gratiæ conſenſerit*. Atqui in Syſtemate *Janſenii*, Gratia, ut ſit efficax in actu ſecundo pendet à conditione ab homine ponenda, nimirùm ab iſta. *Si minor fuerit concupiſcentia, ſubindeque minor reſiſtentia voluntatis*; Nam in Syſtemate *Janſenii* ſi major ſit terrena delectatio concupiſcentiæ, quàm ſit cæleſtis delectatio Gratiæ, tum Gratia non erit efficax & victrix,

ſed erit inefficax & victa.

At, Scholæ Thomiſticæ Theologi docent contra Moliniſtas & Janſeniſtas, nullam ex parte hominis poſſe ſupponi conditionem, undè efficacia Gratiæ vel minimùm pendere dicatur. Eum in finem laudant Thomiſtæ iſtud celebre *Sancti Auguſtini* teſtimonium: *Gratia Dei à nullo duro corde reſpuitur; ideò quippè tribuitur, ut duritia cordis primitùs auferatur*. Et iſtud *S. Proſperi*, Carmine de ingratis lib. 2. c 16.

At verò omnipotens hominem cùm gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus; cui tempus agendi
Semper adeſt quæ geſta velit: non moribus illi
Fit mora, nec cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

V. Quintò, in Schola Moliniana modus explicandi efficaciam Gratiæ planus eſt, omnibus pervius, facilis, apertus; nihil aſperum & ſalebroſum habet, nihil in myſterio reconditum, nihil abſtruſum & intricatum. Docent enim Theologi Moliniani, ideò Gratiam eſſe efficacem, quia ei conſentit humana voluntas, & per hujuſmodi conſenſum redditur efficax; eſſe verò inefficacem, quia conſenſum ei præbere renuit humana voluntas. Quis, amabò, tam ſtupidus, qui hanc doctrinam acutùm & facillimè non intelligat? Porrò, in Syſtemate Janſeniano pari facilitate explicatur, cur Gratia ſit in uno homine efficax, & victrix, in altero autem homine ſit inefficax & victa. Nam, cùm *Janſenius* reponat efficaciam Gratiæ in cœleſti delectatione, quæ relativè, ſeu per gradus, oppoſita terrenæ concupiſcentiæ delectatione ſuperior eſt, facilè quiſque percipit, tunc Gratiam eſſe efficacem ac victricem, quandò cœleſtis ejus delectatio ſuperior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione: Tunc verò Gratiam eſſe inefficacem & victam, quandò terrena concupiſcentiæ delectatio ſuperior eſt cœleſti delectatione Gratiæ. Sicut igitur quilibet nullo negotio intelligit, inter duos colluctantes eum vincere, qui viribus altero ſuperior eſt; & inter duo pondera in bilance poſita, pondus, quod majus eſt, ad ſe neceſſariò minus trahere; ita in Syſtemate Janſeniano quilibet facilè intelligit, ideò Gratiam eſſe efficacem & victricem, qui relativè ſeu comparatè ad vires inferiores concupiſcentiæ ſuperior eſt; eſſe verò inefficacem, quandò concupiſcentia relativè, ſeu comparatè ad vires inferiores Gratiæ, ſuperior evadit.

At contrà, Scholæ Thomiſticæ Theologi Syſtema tam Molinianum, quàm Janſenianum reprobantes, modum explicandi efficaciam Gratiæ fatentur eſſe admodùm difficilem, abſtruſum, occultum, & ineffabilem, & ut eum exponunt, recurrunt cum *S. Auguſtino* ad omnipotentiſſimam Dei voluntatem: *legant* (inquit Doctor ille Aquilinus lib. De Gratia Chriſti cap. 24) *& intelligant, intueantur atque fateantur, interna & occulta, mirabili & ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum bonas voluntates.*

VI. Sextò, Scholæ Molinianæ Theologis convenit cum Janſenianis in notione Gratiæ ſufficientis. Volunt enim tam Moliniſtæ, quàm Janſeniſtæ, nomine gratiæ ſufficientis, eam intelligi debere, quæ ſola ad operandum ſufficit, & omnia complectitur, quæ ſunt neceſſaria ad actu agendum. Hinc Moliniſtis ac Janſeniſtis ſolemne eſt jocis ac ſalibus perſtringere Thomiſtas, qui nomine Gratiæ ſufficientis eam intelligunt, quæ dat homini, quidquid neceſſarium eſt ut poſſit agere, ſed non complectitur omnia, quæ ſunt neceſſaria ad actu agendum, quia præter hanc Gratiam ſufficientem, alia ex parte Dei requiritur Gratia, videlicèt per ſe efficax, ad actu agendum omninò neceſſaria. Conqueruntur, inquam, Moliniani, ac Janſeniani, quòd Thomiſtæ vocabulorum, queis Fides exprimitur, vulgarem ſenſum in alium pluſquàm dictatoria auctoritate commutarint, refragantibus licèt univerſis hominibus, qui id demùm *ſufficiens* appellitare ſolent, in quo inſunt omnia neceſſaria ad actu agendum.

Verùm, hanc querelam, quam Scholæ Molinianæ Theologi, hac in re cum Janſeniſtis fœdere juncti, Scholæ Thomiſticæ intentant, pleniſſimè confutabo.

Digitized by Google

tabo in ea, quam ad te proximè ſcribam, Epiſtola, in qua notionem Gratiæ ſufficientis, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, adſtruam, eamque à ludicris Moliniſtarum & Janſeniſtarum cavillationibus vindicabo.

VII. Septimò, Scholæ Molinianæ Theologi conveniunt cum Janſeniſtis in hoc, quòd à ſtatu naturæ innocentis ablegent gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, & in eo feliciſſimo ſtatu admittant dumtaxàt Gratias ſufficientes verſatiles, indifferentes, ſubditas libero primi hominis & Angelorum arbitrio, indèque inferant, Prædeſtinationem Angelorum ad Gloriam non fuiſſe gratuitam, ſed à Deo factam eſſe ex prævisione meritorum.

At Thomiſtæ, ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis oſtendi, docent, Adamum & Angelos in ſtatu naturæ innocentis opus habuiſſe, ſive ad agendum, ſive ad perſeverandum in accepta juſtitia, auxilio per ſe efficaci prædeterminante proindèque bonorum Angelorum Prædeſtinationem ad gloriam eſſe gratuitam, & à Deo factam ante omnem prævisionem meritorum.

VIII. Octavo, Scholæ Molinianæ Theologi perindè ac *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli, negant, Præmotionem, ſeu Prædeterminationem Phyſicam, eſſe in ſtatu naturæ lapſæ ad omnes & ſingulos actus cùm naturales, tum ſupernaturales exerendos, neceſſariam, ſive ad tollendam naturalem voluntatis indifferentiam ſuſpenſivam; ſive ad conſervandam dependentiam cauſæ ſecundæ liberæ, quæ eſſentialiter tam in operari, quam in eſſe ſuo, ſubordinatur primæ cauſæ à qua ad agendum præmoveri & prædeterminari debet. Hujus, inquam, Prædeterminationis phyſicæ neceſſitatem, quam in ſtatu naturæ innocentis & in ſtatu naturæ lapſæ ad omnes & ſingulos actus acerrimè, poſt Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam*, defendunt Thomiſtæ, apertè inficiantur Moliniſtæ, quorum ſententiæ utroque pollice ſubſcribit *Janſenius* præſertim cap. 2 libri 8 *De Gratia Chriſti*, ubi Thomiſtarum phyſicam Prædeterminationem exſufflat & explodit, *tanquam doctrinam S. Auguſtini inexpli-*

Claſſis II.

cabili confuſione perturbantem; Thomiſtas, Prædeterminationis phyſicæ Aſſertores, ait per ludibrium, *eſſe magìs Ariſtotelicos, quàm Auguſtinianos*; denique varia ibidem affert diſcrimina, quibus probat, Thomiſtarum Prædeterminationem phyſicam plurimum diſtare à doctrina ſua de Gratia efficaci, cujus efficaci reponit idem *Janſenius* in delectatione relativè victrici, ſeu in cæleſti Gratiæ delectatione, quæ ſuperior eſt terrena delectatione concupiſcentiæ.

IX. Nonò, Scholæ Molinianæ Theologi Gratiæ efficaciam conſtituunt in quadam congruitate & contemperatione cum locis, temporibus & circumſtantiis, in quibus Deus per ſcientiam Mediam certò præſcivit hominem conſenſurum gratiæ, eamque redditurum efficacem. *Janſenius* verò, ejuſque Diſcipuli Gratiæ efficaciam itidem reponunt in quadam congruitate & contemperatione cum diſpoſitionibus & circumſtantiis ſubjecti, ita ut ſi cæleſtis delectatio Gratiæ non ſit major terrena delectatione concupiſcentiæ; nec victrix, nec efficax ſit, ſed inefficax & victa relinquitur; ſi autem cæleſtis delectatio gratiæ ſuperior ſit terrena delectatione concupiſcentiæ, tùm Gratia relativè victrix ſit & efficax.

At Thomiſtæ iſtud de Gratia congrua ſyſtema, ſive in ſenſu Moliniano, ſive in ſenſu Janſeniano, accipiatur repudiant tanquam contrarium omnipotentiæ & ſupremo Dei dominio in creaturam. Enim verò, ſicut in Syſtemate de Gratia congrua in ſenſu Moliniano elevatur divina omnipotentia, fit dependens à creatura libera, quia Deus ut docent Moliniſtæ, antequam aliquid abſolutè decernat, debet per ſcientiam mediam explorare loca, tempora, occaſiones & circumſtantias, in quibus voluntas hominis prò ſuo nutu & arbitrio conſentiet Gratiæ, quibus prævisis ut voluntas hominis convertatur ad bonum, abſolutè decernit Deus homini dare gratiam congruam, ſeu illum conſtituere in his locis & circumſtantiis, in quibus prævidit eum oblatæ ſibi Gratiæ conſenſurum: ita ſimiliter in Syſtemate de Gratia congrua in ſenſu Janſe-

D 3 niano

niano haud parum deprimitur omnipotentia Dei, ejuſque in creaturam liberam ſupremum dominium, quia in Janſeniano ſyſtemate, antequàm Deus aliquid abſolute decernat de converſione V. G. hominis, debet priùs explorare quales ſint diſpoſitiones illius, & quot ei inſint concupiſcentiæ gradus, ne ſi quem Deus vellet efficaciter convertere, qui ſex gradus concupiſcentiæ haberet, huic conferret Gratiam, quæ quatuor tantùm gradus cæleſtis delectationis communicaret. Igitur Deus, in Syſtemate Janſeniano, antequàm abſolutè decernat convertere aliquem hominem, debet explorare diſpoſitiones, & concupiſcentiæ gradus, qui in illo ſunt, quibus ſemel prævifis & exploratis, Deus ad convertendum illum hominem, format Decretum, quo abſolutè ſtatuit dare ei gratiam congruam, quæ videlicèt ſit ita contemperata & commenſurata cum diſpoſitionibus illius hominis, & cum cupiditatis gradibus, qui in illo ſunt, ut illius Gratiæ congruæ delectatio cæleſtis evadat relativè victrix & ſuperior omnibus gradibus cupiditatis, & hoc pacto hominem infallibilitèr convertat.

Sic in ſenſu Janſeniano explicatur ſyſtema de Gratia congrua. At, quis, amabò, ſtatim non videt, Deum non fore amplius omnipotentem, nec ſupremum in homines habiturum dominium, ſi antequàm abſolutè velit & decernat ſalutem alicujus hominis, debeat (ſicut aſſerunt Moliniſtæ) explorare circumſtantias, in quibus voluntas hominis gratiæ ſibi oblatæ præbeat aſſenſum? vel ſi Deus, antequàm abſolutè velit & decernat ſalutem alicujus hominis, debeat (ſicut docent Janſeniani) explorare, quales ſint illius hominis diſpoſitiones, & quot concupiſcentiæ gradus in eo ſint, ne fortè cæleſtis delectatio Gratiæ, quam daret Deus, minor ac inferior eſſet terrena delectatione concupiſcentiæ, quæ eſt in homine, & ab ea vinceretur Gratia Dei, & inefficax redderetur? Quaſi verò, Rex ille cenſeretur potens, qui, antequàm ſubdito ſuo quidpiam imperaret, deberet explorare, an ſubditus ſit imperio conſenſurus, & obediturus. Quod tamen de Deo aſſerunt Moliniſtæ, Gratiæ congruæ defenſores. Ecquis etiam dicat, eum Ducem eſſe ſtrenuum ac potentem urbium expugnatorem, qui illas quidèm urbes occuparet, quæ nullo munitæ præſidio non reſiſterent, ab illarum verò urbium, quæ munitiores ſunt, obſidione ſæpè deſiſtere cogeretur? vel quis dixerit, illum Imperatorem eſſe in bello invictum, qui de hoſtibus victoriam tantùm reportaret quandò illis numero copiarum longè ſuperior eſſet, victoriam verò toties amitteret, & ab hoſtibus in fugam verteretur, quotiès cum eis numero copiarum paulò impari decertaret? Sane hujuſmodi Ducem, aut Imperatorem nemo appellabit ſtrenuum, potentem & invictum. Quo pacto igitur in Syſtemate *Janſenii* de Gratia congrua, & commenſurata cum gradibus concupiſcentiæ poterit Deus eſſe omnipotens, & ſupremum in voluntates habere dominium, cum, judice ipſomet *Janſenio*, Divinæ Gratiæ efficacia pendeat è minori in homine concupiſcentiæ reſiſtentia, ita ut gratia nunquam ſit victrix, niſi quando in homine minorem invenit concupiſcentiæ reſiſtentiam, ſeu quandò cæleſtis delectatio Gratiæ ſuperior eſt terrena delectatione concupiſcentiæ? Quod ſi verò Gratia inveniat in homine majorem concupiſcentiæ reſiſtentiam, hoc eſt, ſi Gratiæ cæleſtis delectatio minor & inferior ſit terrena concupiſcentiæ delectatione, tunc, juxta Syſtema *Janſenii*, Gratia Dei victa & inefficax manet, cogiturque victoriam cedere concupiſcentiæ.

Certè iſtud de Gratia congrua Janſenianum Syſtema, perindè ac Molinianum Syſtema, derogat plurimùm omnipotentiæ Dei, & ſupremo ejus dominio in hominum voluntates, quas, ut docent Scriptura Sacra & Sancti Patres, flectere ac in bonum convertere poteſt, quòcumque vult, quandòcumque vult, quoties vult, & quomodò vult. Quantò profectò dignius, quantò honorificentius de virtute & efficacia divinæ Gratiæ, de omnipotentia Dei, ejuſque ſupremo in voluntates hominum dominio ſentiunt Thomiſtæ, qui, exploſo ſyſtemate tàm Janſeniano, quàm Moliniano de Gratia congrua repetunt dumtaxàt vim & efficaciam gratiæ ex omnipotentiſſima Dei vo-

Digitized by Google

voluntate, quæ, ut ait Scriptura Sacra Cap VIII. V. I. libri Sapientiæ, *attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*.

X. Poſtremò, ne longius, quàm par ſit, hæc mea protrahatur Epiſtola, hoc unum dumtaxàt addam, videlicèt Scholæ Molinianæ Theologos non admittere quidèm Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, eos tamen in hoc conſentire cum *Ianſenio*, quòd velint, Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem perimere liberum hominis arbitrium, & inducere neceſſitatem. Sed Thomiſtæ probant adversùs Moliniſtas invictis momentis, gratiam per ſe & ex natura ſua efficacem ad omnes & ſingulos pietatis actus eſſe omninò neceſſariam; contrà verò *Ianſenium* Thomiſtæ optimè, & juxta doctrinam SS. Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, conciliant liberum hominis arbitrium cum Gratia ſe ipſa, & ab intrinſeco efficaci, ſicut jam oſtendi in meis ſuperioribus Epiſtolis:

Vale, dilectiſſime Diſcipule, & hancce meam ſæpius lege Epiſtolam, ex qua nullus dubito, quin facili negotio intelligas, nihil Thomiſtas inter & *Ianſenium* commune intercedere, eoſque à *Ianſenii* doctrina, quam ſæpiùs Eccleſia proſcripſit, remotiores eſſe, quàm ſint Scholæ Molinianæ Theologi, quia Thomiſtæ non tantùm in nullo doctrinæ *Ianſenii* principio, ſed nec in ullis conſecutionibus, quas ex intimis ſuæ doctrinæ principiis deducit *Ianſenius*, conveniunt, nec convenient unquàm, quamdiù jactis à ſuis Sanctis Doctoribus, *Auguſtino* & *Thoma*, inconcuſſis principiis firmiter adhærebunt. Iterùm benè ac feliciter vale.

Digitized by Google

EPISTOLA TERTIA

THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua explanatur vera & genuina notio Gratiæ ſufficientis, ejus neceſſitas adſtruitur, & aperitur ſenſus, in quo Thomiſtæ dicunt, Gratiam ſufficientem dare veram, completam, proximam, & expeditam agendi, & præcepta Dei obſervandi, poteſtatem.

IN poſtrema, quam ad me ſcripſiſti, Epiſtola, candidè fateor me nonnulla legiſſe, quæ acerbo dolore me perculerunt, quem necdùm concoquere potui. Significas quippè mihi, te interfuiſſe cætui quorumdam Virorum eruditorum, quos inter unus, qui *Janſenii* doctrinam apprimè callebat ſeque illius defendendæ Sacramento obſtrinxerat, in Thomiſtas, quos *recentiores* appellabat, acriter invectus eſt.

Primò ajebat tetricus ille ac ſuperciliosus Cenſor, *ſe intelligentia nunquàm aſſequi potuiſſe, quid ſibi velit Gratia illa ſufficiens, quam iſti recentiores Thomiſtæ admittunt, & præter quam tamen ad actu agendum aliam Gratiam volunt eſſe omninò neceſſariam, eamque ajunt eſſe per ſe & ex natura ſua efficacem?* Ex qua ſufficientis Gratiæ notione (inquiebat infacetus ille vitilitigator) palàm ſequebatur, *Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtarum intellectam, ſufficere, & non ſufficere, hoc eſt, nomine quidèm ſufficere, ſed re non ſufficere, quia ut docent Thomiſtæ, præter hanc Gratiam ſufficientem, alia ad actu agendum neceſſaria erat Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax.*

Prætereà, tragica voce lamentabatur iſte, ſi ſuperis placet, Theologus, *quòd recentiores Thomiſtæ, ſive ut Moliniſtis obſequerentur, ſive nè, tanquam Janſeniſtæ, palàm traducerentur, non tantum admiſerint vocem Gratiæ ſufficientis (cujus tamen ne vola quidèm aut vel minimum veſtigium in Sacris Literis, Conciliis, Sanctis Patribus, præſertim in Auguſtino & Thoma, atque in tota retrò antiquitate inveniri poteſt) verùm etiam cœperint cum Moliniſtis docere, Gratiam ſufficientem impertiri completam, proximam, & expeditam agendi, divinæque legis adimplendæ poteſtatem,* indeque concludebat idem Cenſor, *recentiores Thomiſtas, dùm adoptarunt, & in ſua Schola conſecrarunt hanc vocem Gratiæ ſufficientis, quæ completam, proximam & expeditam confert potentiam agendi, & Legem Dei obſervandi, deſeruiſſe, & ſummo dedecore abjeciſſe avitam doctrinam, quam prædicavit Apoſtolus Paulus, illuſtravit maximus Patrum S. Auguſtinus, cæteri deinceps poſt S. Auguſtinum, & maximè S. Bernardus aſſeruit; quam validiſſimè S. Thomas, Scholarum Angelus, tutatus eſt, quam ab eodem Doctore Angelico tutelæ concreditam Scholæ ſuæ Thomiſticæ tot deindè è Dominicana familia Theologi, potiſſimùm coram Summis Pontificibus* CLEMENTE VIII. & PAULO V. *tanta gloria propugnarunt.* Hujus Gratiæ per ſe efficacis doctrinam (ajebat ille moroſus Cenſor) *Thomiſtæ recentiores, ut placerent Moliniſtis, & à ſua Schola notam Janſeniſmi faciliùs amoliri poſſent, deſeruerunt, quæ tamen ipſis, tanquàm cæleſte depoſitum, commiſſa fuerat, ut in familiæ Dominicanæ perpetuitate perpetuos haberet Prædicatores & propagatores ſui.*

Hanc iſtius Cenſoris plenam odii, & ad conflandam invidiam hodiernis Thomiſtis comparatam accuſationem ſtatim

hac

Digitized by Google

hac legi in Epiſtola tua, non potui quin, totus indignatione commotus, exclamarem: Vah effrontem hominem! quem non puduit eamdem recoquere calumniam, quam olim *Ludovicus Montaltius*, ſeu *Blaſius Paſchalis*, in ſua *ſecunda Epiſtola Provinciali* impingit hodiernis Thomiſtis, & unà cum ipſo aſſerere recentiores Thomiſtas à veſtigiis Majorum ſuorum receſſiſſe, &, ut Moliniſtis placerent, Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis defenſionem deſeruiſſe. Sed ſciat ille, quiſquis ſit malè feriatus Cenſor, nunquàm in Schola Thomiſtica defuturos Theologos Dominicanos, interritos Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* Diſcipulos, qui pro doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, tanquam pro aris ac focis ſemper pugnabunt, eique objectas calumnias invictæ veritatis clypeo repellent. Sciat etiam ille Cenſor Gratiam ſe ipſa efficacem ſibi milites in clariſſimo Prædicatorum Ordine formaturam, eorumque manus armaturam, quò poſſint immortalem illam laudem, quam Familia Dominicana in ejus conſtanti defenſione ſibi hactenùs tam juſtè comparavit, ad ſeram poſteritatem transmittere.

Sed, miſſo illo Cenſore, qui in hodiernos Thomiſtas tam acritèr debacchatus eſt, ad rem nunc propiùs accedo, & in duobus enucleandis Capitibus, quæ Gratiam Sufficientem ſpectant, potiſſimùm in hacce Epiſtola herebo. In primis varias, quæ in Theologorum Scholis circumferuntur, Gratiæ ſufficientis notiones ſingillatim referam, iiſque præferendam eſſe oſtendam notionem Gratiæ Sufficientis, quam Schola Thomiſtica ſemper uſurpavit, & etiamnùm uſurpare ſolet. Deindè, oſtendam, admittendam eſſe Gratiam Sufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam, quæ dat homini poteſtatem veram, completam, proximam, & expeditam agendi, & obſervandi præcepta divina, eamque ex ſui entitate eſſe diſtinctam à Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci, quæ facit ut homo benè operetur, & legem divinam adimpleat. A primo itaque capite duco exordium.

Variæ Notiones Gratiæ ſufficientis, quibus præfertur Gratiæ Sufficientis Notio, quam ſemper uſurpavit, & etiamnùm uſurpat Schola Thomiſtica.

I. NUllam prorsùs in ſtatu naturæ lapſæ notionem Gratiæ Sufficientis admiſerunt *Lutherus*, & *Calvinus*, quia (ut liquet ex eorum Scriptis) Gratiam purè Sufficientem, quæ dat *proximum poſſe*, ſed non determinat ad actu agendum omninò repudiarunt, & non aliam in præſenti ſtatu Gratiam admiſerunt, quàm efficacem, invincibilem, inſuperabilem, cui voluntas humana nullo pacto reluctari poteſt. Ex quo planè ſequitur, Gratiam purè ſufficientem, cui humana reſiſtit voluntas, fuiſſe à *Luthero*, & *Calvino* penitùs rejectam atque repudiatam, ſubindèque duos illos Hæreſiarchas à Concilio Tridentino jure optimo eſſe damnatos, ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis latè oſtendi.

Ab hoc proſcripto, *Lutheri*, & *Calvini* errore non abludit *Janſenii* doctrina, quam itidèm confixit Eccleſia. Ille quippè Gratiam purè ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ exploſit, & non aliam nomine ac re ſufficientem in præſenti ſtatu gratiam admiſit, quàm efficacem & relativè victricem, ac neceſſitantem quæ videlicèt cæleſti delectatione ſuperior eſt terrena delectatione concupiſcentiæ. Sic enim *Janſenius* cap. 1. lib. 3. *De Gratia Chriſti* mentem ſuam ita dilucidè aperit, ut nullum de ea dubitandi locum relinquat: *Vocamus*, inquit, *Sufficientem gratiam, ſeu Sufficiens adjutorium, prætèr quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit, & operetur*. Quibus verbis apertè innuit *Janſenius*, ſe nullam aliam in ſtatu naturæ lapſæ agnoſcere Gratiam & nomine & re Sufficientem, quàm Gratiam efficacem, relativè victricem, ſeu quæ ſuperior eſt concupiſcentiæ gradibus, quæ voluntatis conſenſum inſuperabilitèr & indeclinabilitèr ſemper operatur, cuique nunquàm reſiſtitur. Sed adhùc mentem ſuam luculentiùs exprimit *Janſenius*

ſenius cap. 10. lib. 4. *De Gratia Chriſti*, ubi hæc habet, quæ rem plane conficiunt: *Hac claret*, ait, *cur Auguſtinus omnem omninò gratiam purè ſufficientem auferat. Ratio perſpicua eſt, quia cùm Ei nulla ſit Gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur. Sin autem iſta ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur. Quod autem ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio nequidèm poſſit ſequi, niſi ejus efficacia per aliam ſuppleatur.*

Non me fugit, *Janſenium*, præter Gratiam efficacem, & relativè victricem, aliam in ſtatu naturæ lapſæ admiſiſſe Gratiam, quam *Parvam* appellat, quæque licèt efficax ſit, & producat aliquos actus imperfectos, minuatque aliquot concupiſcentię gradus non tamen relativè victrix eſt, quia obſiſtentem concupiſcentiam non omninò ſuperet, nec plenum atque perfectum conſequitur effectum.

At, gratia illa *parva*, quam admittit *Janſenius*, nullatenus dici poteſt *Sufficiens* in ſenſu Thomiſtico, quia Gratia Sufficiens in ſenſu Thomiſtico ea eſt, quæ non tantùm producit in voluntate hominis actus imperfectos & debiles, ad quos ordinatur ex voluntate Dei conſequenti, ſed quæ inſuper ex voluntate Dei Antecedenti ordinatur ad bonam & perfectam operationem, datque inſuper eidem hominis voluntati non ſolùm abſolutè ſed etiam relativè ſeu comparatè ad omnes difficultates, ſeu concupiſcentiæ gradus, qui in ea eſſe poſſunt, veram, completam, proximam & expeditam potentiam perrumpendi omnes obſiſtentes difficultates, & ſingulos oppoſitos cupiditatis gradus ſuperandi, ita ut ex parte potentiæ nihil planè deſit; quamvis tamen hæc Gratia Sufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellecta, nunquàm ſe ſola prodeat in actum perfectum, ſed, præter eam, neceſſaria omninò ſit alia Gratia, ſeu per ſe & ab intrinſeco efficax, quę potentiam proximam & expeditam benè agendi, quam per Gratiam Sufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, habet hominis voluntas, applicet & determinet ad actum perfectum, ſuaque intrinſeca virtute, & cæleſti delectatione abſolutè, non verò relativè, victrici, omnes ſuperet difficultates, & effrænis concupiſcentiæ impetum domet.

Hæc eſt vera & genuina Gratiæ Sufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ notio, quæ Gratiæ *parvæ*, quam, præter Gratiam relativè victricem, admittit *Janſenius*, nullo in ſenſu congruere poteſt. Ratio in promptu eſt, quia cùm *Janſenius* Gratiæ efficaciam non repetat ex omnipotentia Dei & ex ſupremo dominio, quod Deus obtinet in omnes creaturas (ſicut docent Thomiſtæ, ſed eam deſumat ex indeliberata cæleſti delectatione, quæ relativè victrix eſt, ac ſuperior terrena delectatione concupiſcentiæ, manifeſtè in hoc *Janſenii* Syſtemate delectationis relativè ſuperioris & victricis, ſequitur primò, Gratiam illam *parvam*, quæ eſt inferior concupiſcentia, non poſſe vincere majorem, ardentiorem & ſuperiorem concupiſcentiam, cui relativè opponitur. Impoſſibile quippè eſt ut minor vis vincat majorem. Hæc igitur Gratia *parva*, quam admittit *Janſenius*, ſi ſpectetur relativè, ſeu comparatè ad majorem & ardentiorem actualem concupiſcentiæ delectationem, non dat plenam, completam, proximam, & expeditam poteſtatem vincendi ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem, ſubindèque hæc *parva* Janſenii Gratia dici non poteſt *ſufficiens in ſenſu Thomiſtico*, cùm certum ſit Gratiam Sufficientem in ſenſu Thomiſtico dare veram, proximam, & expeditam potentiam, qua poteſt homo hìc & nunc reſiſtere cuilibet tentationi, vincere ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem, declinare peccatum, & divinam legem adimplere, quamvis tamen, ſicut mox dixi, ut homo hìc & nunc tentationi reſiſtat, ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem vincat, & mandata Dei obſervet, neceſſariò, præter Gratiam Sufficientem, opus habeat Gratia per ſe efficaci, quæ ut ait *S. Bernardus*, *voluntatem applicat ope-*

Digitized by Google

ri, *& opus explicat voluntati*. Sed quantùm hæc *parva* Gratia, quam, prætèr Gratiam efficacem & relativè victricem, admittit *Ianſenius*, differat à Gratia Sufficienti, in ſenſu Thomiſtico intellecta, uberiùs in proxima, quam ad te ſcribam, Epiſtola explanabo.

Sequitur ſecundò in Syſtemate *Ianſenii* nullam dari Gratiam verè ac propriè Sufficientem, prætèr Gratiam, quæ complectitur omnia, quæ ſunt neceſsaria ad actu agendum, quæque efficax eſt, & cæleſti delectatione relativè victrix atque ſuperior terrena concupiſcentiæ delectatione. Qua in notione Gratiæ Sufficientis *Ianſenius* convenit cum *Luthero*, & *Calvino*.

II. *Ludovicus Molina* in *Concordia* Queſt. 14. Art 13. Diſput 40. & Quæſt. 23. Art. 4. & 5. Diſp. I. aliam Gratiæ Sufficientis ſuppeditat notionem. Arbitratur quippè, Gratiam Sufficientem nihil aliud eſſe, quàm Gratiam verſatilem, indifferentem, ſubditam libero hominis arbitrio & cujus efficacia vel inefficacia in actu ſecũdo ita pendet à bono uſu vel abuſu ſeu à conſenſu; vel diſsenſu libero hominis arbitrii, ut Gratia Sufficiens, evadat efficax per ſolum conſenſum, quæ ei præbet liberum hominis arbitrium; reddatur verò inefficax per diſsenſum, quo ei refragatur liberum hominis arbitrium.

Hanc Gratiæ Sufficientis notionem, quam tradit *Molina*, exſufflat ac penitùs rejicit Schola Thomiſtica, tum quia hæc celeberrima Schola firmiter adhęrens doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, nullam agnoſcit Gratiam verſatilem & indifferentem, atque ita ſubditam libero hominis arbitrio, ut ipſius efficacia, vel inefficacia pendeat à ſolo conſenſu, vel diſſenſu ejuſdem liberi Arbitrii. Tum quia etiam hæc Gratiæ Sufficientis notio quam tradit *Ludovicus Molina*, excludit neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis ad converſionem peccatoris, & ad elicienda omnia pietatis opera. Porrò, admittendam eſse Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, jam in meis ſuperioribus Epiſtolis probavi, & cupioſius ſuo loco, in Epiſtolis nimirum, quas ad impugnandam Moliniſtarum Gratiam congruam poſtea ad te ſcribam, demonſtraturum me ſpero. Sufficiat hìc, ad Gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem adſtruendam, dicere cum *Sancto Auguſtino*. *Ut autem de Cælo vocaretur* (Saulus, ideſt, *Paulus*) *& tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia ejus merita erant magna, ſed mala*, hæc habet S. ille Gratiæ Doctor cap. v. libri *De Gratia*, *& libero arbitrio*. Et cap. 16. ejuſdem libri ait S. Auguſtinus: *Certum eſt, nos facere cùm facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati*. Denique lib. 4 ad *Bonifacium*. cap 9. ait idem S. Doctor: *Oramus non ſolùm pro nolentibus, verùm etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. Quid ergò petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes. & ex oppugnantibus amantes?* Quid, ſodes, ad ſtabiliendam contra *Ludovicum Molinam* Gratiæ per ſe efficacis ad exercendos omnes & ſingulos pietatis actus neceſſitatem, diſertius & efficaciùs dici poteſt?

Addo, *Claudium Aquavivam*, Generalem Societatis Jeſu Præpoſitum, poſt habitas coràm Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. Congregationes *De Auxiliis*, ſpeciale Decretum Anno MDCXIII. edidiſſe, quo diſtrictè prohibuit ejuſdem Societatis Religioſis, ne Gratiam Sufficientem *Molinæ* deinceps docerent. Quod Decretum fuit poſteà confirmatum ac renovatum *à Picolomini*, altero ejuſdem Societatis Præpoſito Generali. Hæc Decreta Generalium Societatis Jeſu, in Documentis Hiſtoricis quæ ad calcem hujuſce ſecundæ Epiſtolarum Claſſis ſunt inſerta, Lector inveniet.

III. Gratia Sufficiens, juxtà ſententiam, *Suaris* Societatis Jeſu Theologi, eſt Gratia inefficax, quæ videlicet homini à Deo datur in his temporibus, locis ac circumſtantiis, in quibus per Scientiam Mediam certò prænovit Deus, eum Gratiæ verſatili & indifferenti non conſenſurum, eamque ſubindè non redditurum efficacem ac congruam. Hæc Gratia Sufficiens Suareſiana, hoc in ſenſu expoſita, tametſi conferat proximam, completam, & expeditam ad benè operandum poteſtatem nuſquam

ta.

tamen dat actualem operationem; nec differt etiam hæc Gratia Sufficiens Suareſiana ex ſua entitate, ſeu ex natura ſua & virtute interna, à Gratia efficaci, ſeu congrua, quam admittit *Suares*, ſed tantùm Gratia efficax & congrua Suareſiana, quæ Gratiæ Sufficienti quoad entitatem, & naturam æqualis eſt, major nihilominùs eſt in ratione doni ac beneficii, eo potiſſimùm nomine, quòd, juxtà Syſtema *Suaris*, Gratia efficax & congrua (non verò Gratia Sufficiens, inefficax & incongrua) opportunis in circumſtantiis, locis, temporibus, genio, indoli, & hominis complexioni, ſeu temperamento, accommodatis à Deo concedatur.

Verùm, hanc Gratiæ Sufficientis Suareſianæ notionem rejicit Schola Thomiſtica. Primò quia *Suares* in ſuo Syſtemate admittit in Deo Scientiam Mediam, quæ cum doctrina Sanctorum *Patrum*, *Auguſtini* & *Thomæ*, cohærere minimè poteſt, & quæ antè tempora vel *Fonſecæ*, vel *Ludovici Molinæ* fuit in Scholis Catholicis penitùs inaudita ſi cut memini, me in ſuperioribus Epiſtolis ſat ſuperque probaſſe Secundò in Syſtemate *Suaris*, Gratia Sufficiens eſt verſatilis, indifferens ſubdita libero hominis arbitrio, ejuſque efficacia pendet è conſenſu voluntatis humanæ, ex circumſtantiis, locis, temporibus, genio, indole & temperamento hominis. Hoc autem *Suaris* Syſtema tam de Gratia ſufficienti, quàm de Gratia efficaci & congrua alienum prorsùs eſſe à doctrina Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ*, multis argumentis evincam in his Epiſtolis, quas deinceps ad te ſcribam, & in quibus hanc Suareſianam Gratiam congruam data opera confutabo.

IV Non deſunt quidem Theologi, qui, ut ſe à *S. Auguſtini* locis expeditiùs extricare poſſint, & graves declinare difficultates, quæ hinc indè premunt, Gratiam orandi diſtinguunt à Gratia agendi, aiuntque, gratiam agendi ſemper eſſe efficacem; ſed Gratiam orandi eſſe dumtaxat ſufficientem in ſenſu Moliniano, ideſt, verſatilem, indifferentem, ſubditam libero hominis arbitrio, qua ſi quis benè utatur, Deum orabit, precibuſque ſuis alliciet & obtinebit uberiorem Gratiam, cujus beneficio eliciet ea pietatis opera, quæ ſunt ardua & difficilia.

Hoc novum Syſtema, ab *Alphonſo Msynio*, Doctore Sorbonico, ſæculo proximè elapſo excogitatum, & unà cum ſuo parente extinctum, recoxit nuperrimè; & pro viribus in Scholas revocare tentavit *Honoratus Tournelly*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, Tomo ſecundo *Prælectionum Theologicarum De Gratia Chriſti*, ubi, exploſa omninò Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ notione, diſtinguit inter actiones pietatis, alias, quæ nullam, vel parvam habent ſive ex objecto, ſive ex tentatione, aliiſve circumſtantiis difficultatem; alias verò arduas & difficiles. Qua poſita inter actiones pietatis diſtinctione, pertendit Pariſienſis ille Doctor homini ad exercendas actiones pietatis quæ ſunt arduæ & difficiles, opus eſſe Gratia efficaci; ſed ad actiones pietatis, quæ nullam, vel levem ſive ex objecto, ſive ex tentatione, aliiſve circumſtantiis difficultatem important, hominem egere dumtaxat Gratia Sufficienti Moliniſtica, ſeu verſatili, indifferenti, & ſubdita libero ejus arbitrio per quam nempè opus ipſum difficile mediatè poſſit perficere, ſupplici oratione uberius à Deo impetrando auxilium, quod ut impetrent juſti, ſemper paratam habent Deum orandi Gratiam ſufficientem Moliniſticam, cum qua poſſunt, ſi velint, orare ut oportet, & uberius obtinere auxilium ad emergentes tentationes ſuperandas, & obſervanda mandata Dei.

At, iſtud *Msynii*, & *Tournelly* Syſtema de Gratia ſufficienti Moliniſtica, quæ præſtò eſt omnibus ad orandum, & per quam quilibet, ſi eâ benè utatur, poteſt ſi velit, orare ut oportet, eſt novum commentum, quod Gratiæ per ſe efficacis, ad ſingulos pietatis actus neceſſariæ, inconcuſſum dogma funditùs convellit, ideòque jure ac merito fuit ſæpiùs latinè & gallicè confutatum, & ab univerſa Schola Thomiſtica rejectum

tum

tum quia, juxta doctrinam Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ*, tam ad orandum, quàm ad agendum requiritur Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax: Tum quia etiam, Gratia ſufficiens, in ſenſu eorumdem Patrum intellecta, nunquàm ſe ſola operatur converſionem peccatoris, nec in actum perfectum prodit, niſi in ejus ſubſidium veniat Gratia per ſe efficax.

V. Hinc omnes Thomiſtæ, Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* fideliſſimi diſcipuli, docent, Gratiam ſufficientem eam eſſe, cum qua poteſt homo benè operari, ſed nunquàm tamen benè operabitur niſi alia ex parte Dei accedat Gratia per ſe efficax, ac phyſicè prædeterminans voluntatem hominis ad actu agendum Indè inferunt Thomiſtæ, Gratiam ſufficientem natura & entitate ita diſtingui à Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, ut nunquam ſe ſola poſſit evadere efficax, atque licèt conferat poſſe operari, nuſquàm tamen in tanta hominum multitudine, qui hactenùs vixerunt, vel deinceps victuri ſunt, nullus fuerit, nec in tota ſucceſſione temporum erit unquàm qui cum ſola Gratia ſufficienti bonam ac perfectam operationem ediderit, aut ſit editurus.

Qua in re velim obitèr obſerves, quantùm doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſufficienti diſtet ac diſcrepet à doctrina *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum Enim verò *Janſenius* Gratiam ſufficientem Thomiſtarum, quæ dat quidem potentiam benè operandi, ſed nunquàm ſe ſola in actualem & perfectam exit operationem, niſi præſto ſit Gratia per ſe efficax, quæ facit ut voluntas benè operetur; hanc, inquam, Thomiſtarum Gratiam ſufficientem *Janſenius* lib. 3. *De Gratia Chriſti* cap. 2 ridet, explodit, diſcerpit ac dilaniat his verbis: *Non tantùm hominibus inutilis eſt, ſed & perniciosa. Et verò, quid homini miſero perniciosius, quàm illa gratia abundare, qua nemo unquàm, fatentibus etiam Scholaſticis, niſi majorem damnationem aſſecutus eſt?* & cap. 3. *Illud à recentioribus prolatum Gratiæ ſufficientis genus, quo adjuvante, nullum unquam opus factum eſt, aut fiet unquam, videtur quoddam monſtrum ſingulare gratiæ, ſolummodò peccatis faciendis, majorique damnationi accerſendæ ſerviens, ideoque lapſis hominibus, citrà Dei invidiam damnandis, excogitatum.*

Audiſti Magiſtrum, nunc diſcipulum auſculta: Baccalaureum, inquam, *Deligny*, virum (ſicut ſcribit *P. Gabriel Daniel*, Societatis Jeſu, in Epiſtola VIII. ad noſtrum *Natalem Alexandrum*) qui eo nomine famoſus evaſit, quòd Pſeudo-*Arnaldi* ludibrium extiterit. Sic autem ille Baccalaureus ſcribit ad *Arnaldum*, uti putabat, verum, in ſua Epiſtola Kalendis Februariis anni 1690. data, cujus fragmentum ibidem inſerit *P. Gabriel Daniel* his verbis conceptum: *An reſtat ullus præterea dubitandi locus, quin Moliniſtarum gratia ſufficiens inter meros numeranda ſit errores, Thomiſtarum verò gratia ſufficiens pro amentium ac delirantium ſomnio ſit habenda? Quid iſta ſibi effata & nomina Gratiæ ſufficientis volunt?*

Nemo prætereà ignorat, quantis facetiarum jocis Auctor *Litterarum Provincialium*, in perſona cujuſdam Dominicani, quem in ſcenam inducit, pleno buccarum rictu irrideat Scholæ Thomiſticæ Gratiam ſufficientem, quæ, ut ait, *ſufficit & non ſufficit, dat ſemper poſſe agere, & nunquàm dat agere*. Et ſub finem Epiſtolæ ſecundæ Provincialis Interlocutori ſuo Dominicano vale dicit his verbis: *Certè, mi Pater, ſi quid in Gallia poſſem, hoc curarem publicè à præconibus prædicari: Notum omnibus eſto, cùm omnibus adeſſe Gratiam ſufficientem Dominicani dicunt, id eos ſignificare velle, non omnibus adeſſe Gratiam, quæ verè ſufficiat. Hoc facto, tum vobis* SUFFICIENTIS GRATIÆ *buccinandæ poteſtas fieret: at prius, nullo modo.*

Cùm Igitur *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, & nomen gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ, & rem ſignificatam per nomen ſe ex æquo rejicere palàm profiteantur, mirari vehementèr ſubit primò, quòd Scholæ Molinianæ Theologi audeant notioni Gratiæ ſufficientis, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, notam Janſeniſmi appingere, & deinde,

dè, quòd hodierni diſcipuli *Janſenii*, quibus ſolemne eſt gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ & nomen & rem ſignificatam per nomen irridere; attamen, cùm ſuis rebus expedit, ſub ejus Gratiæ ſufficientis Thomiſticæ umbra deliteſcant, Thomiſtarum pallio ſe involvant, ut, eorum larva ſe obtegentes, Catholici audiant & elabantur. Sed fruſtrà jaciuntur retia ante oculos pennatorum.

Verùm, ſicut *Janſenius*, ejuſque diſcipuli explodunt notionem Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ, ita *Molina*, ejuſque diſcipuli eamdem Gratiæ ſufficientis, quam admittit Schola Thomiſtica, repudiant omninò & averſantur. At enim, *Molina* & Moliniſtæ Gratiam ſufficientem interpretantur eam, quæ complectitur omnia, quæ ad actu agendum ſunt neceſſaria, ideſt, præter quam ad prorumpendum in actum perfectum, nulla alia Gratia ex parte Dei, quæ ſit ſuapte natura efficax, neceſſaria eſt, quæque, ſolo antecedente voluntatis humanæ conſenſu, evadit efficax, & ſuum aliquando ſortitur effectum, ſeu perfectam operationem, Ex. Gr. converſionem peccatoris.

Hinc gloriantur Moliniſtæ, ſe Gratiæ ſufficientis nomine eam intelligere, quæ ſe ſola ſufficit, quæque id habet omne, quod ad effectum ſuum edendum neceſſe eſt, hoc eſt, ad actum bonum ac perfectum exerendum, ad quem hominem movet, quemque aliquandò re ipſâ producit, ſi ſolus accedat conſenſus voluntatis humanæ.

Contra verò Thomiſtæ nomine Gratiæ ſufficientis eam intelligunt Gratiam, quæ in voluntate humana imperfectos excitat actus, eam piis cogitationibus, illuſtrationibus, ac motionibus allicit ad bonum, non tamen flectit; confert voluntati poteſtatem completam, proximam, & expeditam agendi ſejunctam tamen ab actu, non verò conjunctam cum actu, quia Gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico intellecta, licèt largiatur voluntati humanæ quidquid ei ex parte potentiæ neceſſarium eſt ut poſſit agere, ita ut voluntati, gratia ſufficienti illuſtratæ, nihil omnino deſit ex parte potentiæ proximæ & expeditæ, ſed ſejunctæ ab actu; Gratia tamen ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellecta, non complectitur in ſe omnia, quæ ſunt neceſſaria ad actu agendum. Quò fit, ut, præter Gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam, alia ex parte Dei ad actu agendum requiratur Gratia, quæ eſt per ſe & ab intrinſeco efficax, quæque complectitur omnia, quæ ſunt neceſſaria ad actu agendum. Verbo dicam: Thomiſtæ nomine Gratiæ ſufficientis, intelligunt Gratiam poſſibilitatis, non actionis; quæ intellectum illuſtrat, & voluntatem excitat, quæ dat homini poſſe bonum operari, ſed non actualem & perfectam operationem; quæ ſuadet pietatis opus, non perſuadet; invitat voluntatem humanam, non trahit; inſpirat velle, ſed non impertitur.

Hæc eſt vera & genuina ſufficientis Gratiæ, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, notio, quæ toti probatur Scholæ Thomiſticæ, quamque ſoli *Molina* & Moliniſtæ, *Janſenius* & Janſeniſtæ, impugnant, dictitante Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico acceptam, *ſufficere*, *& non ſufficere*; per ejuſmodi Gratiam *hominem poſſe agere*, *& ſimul non poſſe agere*; ſed hæc, & alia ejuſdem furfuris, ſæpius à *Molina* & Moliniſtis, à *Janſenio* & Janſeniſtis, decantata argumenta, quamvis à doctiſſimis Scholæ Thomiſticæ Theologis jam millies fuerint eliſa, retuſa, cribrata ac protrita, attamen in alia quam ad te ſcribam, Epiſtola, his malè conſarcinatis argumentis abundè faciam ſatis, eademque opera oſtendam, quàm puerilia & futilia ſint, quàm ridicula, & planè indigna, quæ proponantur à Theologis, qui in lectione Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Thomæ*, ſunt tantiſper exercitati.

VI. Ut autem faciliùs percipias, quo pacto Gratia in ſenſu Thomiſtico dicatur *ſufficiens*, operæ pretium eſt, ut ſedulò obſerves Thomiſtas Gratiæ ſufficienti duos aſſignare effectus, primarium videlicet & ſecundarium. Primarius effectus, ad quem Gratia ſufficiens ex voluntate Dei conſequenti ordinatur, conſiſtit in piis cogitationibus, inſpira-

tio-

Digitized by Google

tionibus & illuſtrationibus in intellectu, in piis etiam motionibus & affectionibus in voluntate, aliiſque bonis, ſed debilibus & imperfectis actibus, ſeu deliberatis, ſeu indeliberatis. Porrò, hunc effectum primarium, ad quem ex voluntate Dei conſequenti ordinatur, ſemper producit Gratia ſufficiens, & in hoc ſenſu dicitur efficax, quia voluntas Dei conſequens ſemper impletur. Secundarius effectus Gratiæ ſufficientis, ad quem ordinatur ex voluntate Dei antecedenti, ſiſtit in actuali & perfecta operatione, ſeu Ex. Gr. in actuali converſione peccatoris. Hunc autem effectum ſecundarium Gratia ſufficiens nunquàm producit, niſi præſtò adſit Gratia per ſe efficax, quæ ſuapte vi facit, ut voluntas in actualem & perfectam prorumpat operationem. Ratio eſt, quia Gratia ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellecta, ad producendum illum effectum ſecundarium non ordinatur ex voluntate Dei conſequenti, quæ ſemper impletur, cuique nulla humana reſiſtitit voluntas, ſed tantummodò ordinatur ex voluntate Dei antecedenti, quæ non impletur, cuique malitia & obſtinatione ſua humana reſiſtit voluntas.

Hinc Thomiſtæ docent, Gratiam ſufficientem reſpectu primarii effectus, quem ſemper producit, eſſe *efficacem*; Sed reſpectu alterius effectus ſecundarii eſſe tantùm *ſufficientem*, quia nunquàm illum effectum ſecundarium producit Gratia ſufficiens niſi in ejus ſubſidium veniat Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax; dat tamen homini Gratia ſufficiens reſpectu illius ulterioris & ſecundarii effectus, quem ſe ſola nunquàm producit, veram, proximam & expeditam hunc ſecundum & principalem effectum producendi potentiam, ita ut homini, habenti Gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam, nihil omninò deſit ex parte potentiæ operandi, & Deus ex ſe paratus ſit conferre Gratiam ſe ipſa efficacem, quæ ad ulteriorem illum effectum producendum eſt penitùs neceſſaria, eamque reipſa conferret Deus, ni homo malitia & cupiditate ſua Gratiæ ſufficienti obſiſteret, & curſu quo Gratia ſufficiens tam ex natura ſua, quàm ex voluntate Dei Antecedenti, ulteriùs tendit, interciperet atque impediret. Quò fit, ut ſi homo, habens Gratiam ſufficientem, ſubindèque veram, proximam & expeditam actum perfectum producendi potentiam, non recipiat à Deo Gratiam ſeipſa efficacem, ad illum perfectum actum producendum prorsùs neceſſariam, hoc in ſolius hominis culpa ſit, qui Gratiæ ſufficienti data opera reſiſtit, eique ulteriùs tendenti obicem ponit, ac juſtè propter ſuam reſiſtentiam & malitiam privatur à Deo Gratia ſe ipſa efficaci, quæ ad bonum & perfectum actum eliciendum eſt abſolutè neceſſaria,

Hoc in ſenſu docet Schola Thomiſtica, Gratiam dici *ſufficientem*, non quòd ſe ſola ſufficiat ad actum perfectum producendum; non quòd ipſa det potentiam proximam & expeditam operandi conjunctam cum actu, ſicut docent Moliniſtæ; ſed quia Gratia, quæ dicitur *ſufficiens*, reverà in ordine & in genere ſuo, hoc eſt in ratione potentiæ, ſufficit, & quia etiam dat plenam, proximam & expeditam benè agendi potentiam, ſejunctam tamen ab actu, adeò ut nunquàm contingat, Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, prodire, ſe ſola, in actum perfectum, niſi ſocietur & copuletur cum Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, quæ ex voluntate Dei conſequenti ordinatur ad perfectam producendam operationem, ſeu ad amandum Deum, ad vincendas tentationes, ad plenam cordis converſionem, ad actualem obſervantiam mandatorum Dei, &c

Hæc eſt germana Gratiæ ſufficientis, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, notio, in cujus defenſionem conſpirat univerſa Schola Thomiſtica, quamque etiam doctiſſimus Cardinalis *Laurentius Brancatus De Laurea*, Ordinis *S. Franciſci*, in ſuo Opuſculo 3. *De Gratiis actualibus* pag mihi 530. & ſeqq docet præponi debere cæteris aliis Gratiæ ſufficientis notionibus, quas ſuperiùs adduxi & breviter expoſui. Verba Purpurati illius

Scri-

Scriptoris, quæ ad dilucidandam præſentem quam verſamus de vera Gratiæ ſufficientis notione, difficultatem appoſitè faciunt, hic integra exſcribam: *Inter Theologos*, inquit eminentiſſimus ille Cardinalis, *adhùc æquivocum eſt vocabulum hoc*, SUFFICIENS GRATIA. *Quidam enim appellant Gratiam ſufficientem, per quam nullo alio ex parte Dei requiſito auxilio, operamur; & ſic in ſenſu Grammaticali accipientes* SUFFICIENTEM *ſolam Gratiam efficacem appellant* SUFFICIENTEM *quia ipſa ſola in genere ſuo ac ordine comprincipii nullo alio ex parte Dei requiſito auxilio, ſufficit ad ponendum effectum in eſſe .... Alii autem Theologi docuerunt, nullam dari Gratiam ſufficientem ſed omnem Gratiam eſſe efficacem, at hi diviſi ſunt. Quidam ſic ſuam declarant ſententiam: Omnis Gratia facit ſuum effectum, V. Gr. dùm Deus illuminat intellectum alicujus, & inſpirat voluntati actum credendi, pœnitendi præceptum adimplendi &c. Gratia illa facit ſuum effectum quia illuminat ac inſpirat, etiamſi illuminatus ac inſpiratus non faciant actum credendi pœnitendi &c. & in hoc ſenſu poteſt admitti, quòd omnis Gratia ſit efficax. Sed cum bona venia eorum, exiſtimo, non poſſe ſic abſolutè pronunciari:* OMNIS GRATIA EST EFFICAX *ſed cum aliqua limitatione, ſcilicèt in aliquo ſenſu ſeu ordine, non verò abſolutè; quia talis illuminatio & inſpiratio non habent ſemper conjunctum effectum principalem, quem reſpiciunt, nempe actum credendi, Pœnitendi &c. Alii verò dicunt, non dari aliam Gratiam divinam, quam nobis meruit Chriſtus, niſi efficacem, quæ ſilicet ſemper habet conjunctum effectum & cui voluntas nunquam reſiſtit, quæ ſententia damnata eſt. Alii dicunt, quod omnis Gratia neceſſaria ad operandum eſt indifferens ad ponendum, & non ponendum principalem effectum, ad quem à Deo confertur, ita quòd, ſi voluntas conſentiat, fiat efficax, ſi non conſentiat, manet ſufficiens. Alii verò, qui ſe S. Auguſtini ſequaces magis profitentur, (quibus ſubſcribo) docent Gratiam efficacem, & ſufficientem eſſe duas ſpecies diverſas ex ſui natura, nec poſſe hanc evadere illam, quia dicunt, Gratiam efficacem eſſe illam, quæ ex ſua natura, vel ex divino Decreto talis eſt, quæ infallibilitèr ſemper habet annexum effectum principalem, ad quem faciendum à Deo datur; Sufficientem verò Gratiam eſſe eam, quæ effectum principalem annexum non habet, undecumque proveniat, ſed tantùm poſſe potentiæ.*

Et pag. 638. ejuſdem Opuſculi, refellens idem doctiſſimus Cardinalis errorem quorumdam recentiorum Theologorum, qui, repudiata Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ notione, aſſerunt, omnem Gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem, & illam tantùm, non verò Gratiam Sufficientem, nobis per mortem ſuam promeruiſſe Chriſtum, hunc, inquam, errorem his verbis refellit purpuratus ille Scriptor: *Omni carent fundamento Doctores quidam, qui paucis abhinc annis negarunt dari Gratiam Sufficientem, cui voluntas reſiſtere poteſt, & ſæpè reſiſtit, ut in toto Opuſculo hoc probatum eſt, aſſerentes, omnem Gratiam eſſe efficacem, & hanc tantùm, non illam* (ſeu Gratiam Sufficientem) *nobis meruiſſe Chriſtum. Elapſis annis, antequàm eorum Opera exactè perlegiſſem, excuſabam eos, putans eorum ſenſum eſſe (ſicut aliàs cùm doctis Thomiſtis notavi) quòd omnis Gratia in hoc ſenſu eſt efficax, quia aliquem & proprium effectum habet: Verbi gratia, Deus vel mediante Concionatore, vel lectione alicujus libri, vel aſpectu alicujus Martyris patientis pro Fide, vel alio modo internè tantùm vocat, ſeù excitat & inſpirat infidelem aliquem ad Fidem: iſte rejicit vocationem tum vocatio, ſeu inſpiratio habuit effectum in vocato ac inſpirato; inſpiravit enim, licèt iſte non conſenſerit: Similitèr peccator vocatur & inſpiratur ad pœnitentiam, rejicit vocationem ac inſpirationem, à ſua concupiſcentia abſtractus & illectus; item omnes ſivè juſti, ſivè peccatores vocantur & inſpirantur ad divina exequenda præcepta, ſi, diſtracti ab aliis paſſionibus, abjiciunt inſpirationes, iſtæ jam ſuum effectum formalem inſpirandi habuerunt...... At prædicti Doctores non ſiſtunt in hoc ſenſu, ſed dicunt, nullam dari*

dari gratiam internam, cui reſiſtitur, aut reſiſti poſſit: & ideo dico, eos carere omni fundamento; tum quia hoc in ſenſu accepta ſententia iſta jam damnata eſt in ſecunda Propoſitione Janſenii; tum quia etiam ex Scripturis jam patuit, dari iſtas gratias, quibus reſiſtitur. Et poſt pauca interjecta, idem doctiſſimus Cardinalis diluit præcipuam objectionem, qua iſtam Gratiæ Sufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ notionem impetere ſolent Scholæ Thomiſticæ adverſarii: *Neque* inquit, *aliquid urget inſtantia negantium Sufficientem Gratiam hominibus per Ieſum Chriſtum acquiſitam, quia effectum principalem non ſemper obtinet; innumeri enim tam infideles, quàm fideles excitati ad opus bonum, illud non efficiunt, & ſic inaniter Chriſtus Gratiam illam meruiſſet. Reſpondetur enim, ut ſæpè diximus, Gratiam ſufficientem habere ſuum effectum, excitationem videlicèt & inſpirationem, ut omnes experiuntur, quamvis non omnes exequantur id, ad quod excitantur, quia excitationem & inſpirationem rejiciunt, quia vocavi & renuiſtis.* Ecce quo pacto Cardinalis *de Laurea* Ordinis FF Minorum, Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ notionem acerrimè defendit, & in anteceſſum profligavit omnia argumenta, queis *Franciſcus Maria Aſſemine*, ejuſdem Ordinis FF. Minorum ad ſtabiliendam notionem Gratiæ Sufficientis in puro ſenſu Moliniano intellectæ uſus eſt in *Tractatu Scholaſtico poſitivo De Divina Gratia* quem Pariſiis Anno MDCCXV. publica luce donavit.

Sed quia plurimi refert ut clarè Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ notionem exponam, antequam ejus neceſſitatem contra Novatores adſtruam inſeram hic luculentiſſimam explicationem, quam doctiſſimus noſter *Antoninus Reginaldus* in ſuo egregio Opere *De Mente Concilii Tridentini* Prima Part cap 42. pag. 402. dat de Gratia Sufficienti, in ſenſu Thomiſtico intellecta, & quatenùs diſtinguitur à Gratia per ſe efficaci, ubi hæc habet; *Ex quo tandem ſequitur, quod cùm liberum arbitrium non conſtituatur motum, ſivè non moveatur, quin & ipſum unà ſe moveat (non enim merè paſſivè ſe habet, ſed motum movet ſe) neceſſe omninò ſit, ut quotieſcumque per Gratiam ſufficientem movetur, etiam ipſum aliquid agat, ſicque ſemper & infallibilitèr cum Gratia ſufficienti conjungitur aliquis actus liberi arbitrii, ratione cujus Gratia omnis ſufficiens poteſt aliquo modo dici efficax: Omnis enim motio, qua cum infallibiliter conjunctus eſt actus, eſt efficax. Et hinc oritur difficultas non levis, quomodo ſcilicet Gratia ſufficiens & efficax ſint membra dividentia Gratiam actualem? Cùm enim membra dividentia debeant ſeſe mutuò excludere, quia diviſio debet tradi per oppoſitas differentias, ut Gratia actualis bene dividatur, in ſufficientem & efficacem, neque ſufficiens debet eſſe efficax, neque efficax debet eſſe ſufficiens. Et ſic alio modo explicanda eſt ratio gratiæ efficacis, quam per hoc quod eſt habere ſemper conjunctum actum hominis, ſi hoc ipſum habeat, ſicut revera habet, Gratia Sufficiens. Et ſanè hæc ratio convincit omnino hoc poſtremum, Gratiam nimirum non debere dici efficacem ex eo præcisè quòd habeat adjunctum aliquem actum, cum hoc etiam debeat habere omnis Gratia actualis ex generali ratione motionis, ſed dici debet efficax ex eo quòd habeat ſemper conjunctum actum perfectum, ad quem per ſe ordinatur; in quo differt à Gratia Sufficienti, quæ non habet conjunctum actum perfectum, ad quem per ſe & natura ſua ordinatur, ſed tantùm Gratia Sufficiens aliquem imperfectum actum conjunctum habet, putà quamdam velleitatem, & imperfectum boni deſiderium. Quarè utriuſque Gratiæ* (ſeu ſufficientis & efficacis) *adinvicem differentia in hoc conſiſtit, quod Gratia Sufficiens ex parte intellectus importat ſanctam cogitationem, & ex parte voluntatis imperfectam boni cupiditatem: Gratia verò efficax infert perfectam voluntatem, perfectam, inquam, in genere voluntatis, quia non eſt velleitas, ſed eſt vera & abſoluta voluntas.*

VII. Collocata in optima luce Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ notione, nunc ejuſdem Gratiæ ſufficientis, quatenùs in ſenſu Scholæ

 E Tho-

Digitized by Google

Thomiſticæ diſtinguitur à Gratia per ſe efficaci, neceſſitatem ſolidis momentis probandam ſuſcipio. Et primò quidèm, certum eſt apud omnes Catholicos, hominem in ſtatu naturæ lapſæ habere veram potentiam obſervandi Mandata Dei, vincendi tentationes, & vitandi peccata; atquì hanc potentiam non recipit homo à Gratia efficaci, quæ datur ad eliciendum actum perfectum, & applicat potentiam ad actum ſecundum, ſed ejuſmodi potentiam recipit à Gratia ſufficienti, quæ; ſicut ſuperiùs expoſui, confert homini poteſtatem agendi, non quidèm conjunctam cum actu perfecto, ſed ſejunctam ab actu, ita tamen proximam & expeditam, ut nihil ex parte potentiæ deſit, tametſi, ut potentia prorumpat in actum opus ſit Gratia per ſe efficaci, quæ ex entitate & natura ſua eſt planè diſtincta à Gratia ſufficienti. Ergò neceſſariò admittenda eſt Gratia ſufficiens, quæ ex entitate ſuique natura diſcrepat à Gratia efficaci.

Hæc argumentatio perſpicua eſt & ad perſuadendum efficax. Major quippè Propoſitio à nemine citrà hæreſim negari, aut in dubium revocari poteſt, quia ex Scriptura Sacra, ex Sanctionibus Conciliorum, & ex Summorum Pontificum definitionibus apertè deducitur. Enim verò, ut prætermittam benè multa diſerta Scripturæ Sacræ teſtimonia, queis generatìm conſtat, præcepta Dei eſſe homini in ſtatu naturæ lapſæ poſſibilia, unum dumtaxat, brevitatis ergò, laudabo Apoſtoli *Pauli* teſtimonium, ex ipſius Epiſtola I. ad Corinthios cap. x. v. 13. petitum, ubi hæc habet: *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; Sed faciet cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*, ideſt, ſicut plures Sancti Patres, & Doctores Scripturæ Sacræ exponunt; *ut poſſitis felicem habere exitum*.

Prætereà, Oecumenica Synodus Tridentina cap. 1x Seſſionis ſextæ Anathemate percellit eos, qui auſu temerario aſſerunt, præcepta Dei eſſe impoſſibilia: *Nemo temeraria illa & à Patribus prohibita voce uti* (debet) *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Et canone 18 ejuſdem Seſſionis ſic pronunciat Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub Gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit*.

Addo etiam, Summos Pontifices INNOCENTIUM X. & ALEXANDRUM VII. ſolemnibus & ab univerſa Eccleſia receptis Conſtitutionibus iſtam, inter quinque famoſas Propoſitiones, primam gravi Cenſura perſtrinxiſſe: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant* Quam Propoſitionem laudati Pontifices. *temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam & hæreticam* declarant, & uti talem damnant. Excerpta autem eſt iſta Propoſitio ex cap. 13. lib 3. Janſenii *de Gratia Chriſti*, atque in ſenſu obvio, quem verba præſeferunt, proſcripta fuit. Negari igitur non poteſt hæc argumentationis noſtræ major Propoſitio quæ ſupponit, certum eſſe apud Catholicos, hominem in ſtatu naturæ lapſæ vera pollere poteſtate præcepta Dei ſervandi, ingruentes tentationes ſuperandi & peccata vitandi.

Nec minùs certa eſt apud Catholicos altera, ſeu minor noſtræ argumentationis Propoſitio, in qua diximus, hominem in ſtatu naturæ lapſæ potentiam, qua pollet, obſervandi præcepta Dei, vincendi tentationes, & vitandi peccata, non accipere à Gratia efficaci. Verùm enim verò, ſi homo in ſtatu naturæ lapſæ potentiam ſervandi præcepta Dei acciperet dumtaxàt à Gratia efficaci, palàm ſequeretur, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, Gratia efficaci deſtitutum, non habiturum potentiam obſervandi præcepta Dei, ſubindeque illum non liberè, ſed neceſſariò peccaturum, & ei, quandiù Gratia efficaci careret, fore impoſſibilia Mandata Dei: Atquì ejuſmodi conſecutiones, quæ ex infeſtis doctrinæ *Janſenii* principiis facilè deducuntur, jure optimo à Catholica Eccleſia,

ſia, ceù hæreticæ, fuerunt proſcriptæ, ſicut jam commonſtravi in meis ſuperioribus Epiſtolis, in quibus oſtendi primò, Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, conferre homini in ſtatu naturæ lapſæ conſtituto veram, plenam, completam, proximam & expeditam obſervandi Mandata Dei poteſtatem, non quidèm conjunctam cum actu, ſed ſejunctam ab actu, ita ut ex parte potentiæ nihil deſit, ſed tantùm ad actualem Mandatorum Dei obſervationem requiratur Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax, quæ hanc potentiam, quam per Gratiam ſufficientem habet homo obſervandi præcepta Dei, applicat & reducit ad actum perfectum, facitque ut homo actu obſervet mandata Dei.

Gratia quippè per ſe efficax, in ſenſu Thomiſtico intellecta, non ſe tenet ex parte potentiæ, ſeu ex parte actus primi, ſicut ſæpiùs inculcavimus, ſed tenet ſe dumtaxat ex parte actus ſecundi. Hinc Sacra Facultas Pariſienſis damnavit hanc *Antoni Arnaldi*, ejuſdem Facultatis Doctoris, Propoſitionem, his verbis conceptam: *Sancti Patres nobis in beato Petro exhibent hominem juſtum cui gratia, ſine qua nihil poſſumus, in ea defuit occaſione, in qua eum non peccaſſe dici non poteſt*. Hanc *Arnaldi* Propoſitionem Sacra, inquam, Pariſienſis Facultas ea cenſura, quam tulit die ultima menſis Januarii Anni MDCLVI. quamque confirmavit die 1. Februarii ejuſdem Anni, confixit iiſdem notis, quibus Summi Pontifices primam *Janſenii* Propoſitionem perſtrinxerunt nempè temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate perculſam, & hæreticam declaravit. Huic Cenſuræ Sacræ Facultatis Pariſienſis tenentur etiamnùm omnes ſeu Magiſtri, ſeu Baccalaurei, ſubſcribere.

Summus etiam Pontifex ALEXANDER VII. Epiſtolam, è qua excerpta eſt hæc *Arnaldi* Propoſitio, quam Sacra Pariſienſis Facultas Cenſorio ſtigmate inuſit, auctoritate Apoſtolica unà cum aliis Opuſculis, quæ idem Doctor in defenſionem dictæ Propoſitionis lucubraverat, proſcripſit, cùmque in aliqua Theſi Romæ propugnanda inſerta fuiſſet hæc Propoſitio: *Sine gratia efficaci nihil poſſumus*, idem Summus Pontifex prohibuit Actum celebrari.

Inter *Queſnelli* Propoſitiones centùm & unam, quæ à Summo Pontifice CLEMENTE XI. ſexto Idus Septembris Anno MDCCXIII. fuerunt damnatæ, hæc ordine ſecunda legitur: *Jeſu Chriſti gratia principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolum nihil fit ſed nec fieri poteſt*. Cardinalis *Noallius*, Archiepiſcopus Pariſienſis Anno MDCXCVI. natalitiis tenebris damnavit malè conſarcinatum libellum, cui titulus eſt. *Expoſition de la foi*, ſeu *Expoſitio fidei*, ea potiſſimùm de cauſa, quod iſtam contineret Propoſitionem *ſine gratia efficaci nihil poſſumus*, quam quidem Propoſitionem ait Eminentiſſimus ille Præſul eſſe fontem, principium ac fundamentum quinque Propoſitionum *Janſenii*.

Hujus Arnaldinæ Propoſitionis damnationi ultro ſubſcripſerunt omnes Thomiſtæ, & in ſuis libris cautè admonere ſolent, iſtam Propoſitionem: *Sine gratia efficaci nihil boni fieri poteſt*, non abſque limitatione eſſe uſurpandam. *Quod hìc maxime, ut obſervandum, & uſurpandum velim*, ait doctiſſimus noſter *Maſſoulie* in ſuo egregio Opere, cui titulus: *S. Thomas ſui Interpres*, Diſſertatione I. Queſt. 8. Art. 10. *ut equivocationis & deceptionis cauſa omnis amoveatur, nunquam negandum eſt, voluntatem poſſe agere* (abſente nimirum Gratia per ſe efficaci) *niſi addita explicatione, ſcilicèt ſi intelligatur de potentia conjuncta cum actu. Alioquin, cum negatio, ut dicunt, ſit malignantis naturæ & omnia deſtruat, ſenſus eſſe poſſet quod ſine auxilio efficaci voluntas nullam potentiam nullumque alterum auxilium ſufficiens habeat quo poſſit, quod ſaltem de juſtis voleutibus, & conantibus planè hæreticum eſſet*.

Noſter etiam clariſſimus *Joannes Nicolai*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, in ſuo *Judicio*, ſeu *Suffragio Cenſorio*, *S. Thomam*, quem *Antonius Arnaldus* pertendebat docere, poten-

Digitized by Google

tiam agendi eſſe à gratia efficaci, egregiè ab hac calumnia vindicat, & ad quatuor Claſſes reducit innumera *S. Thomæ* teſtimonia, quæ doctrinam *Arnaldi*, aſſerentis, potentiam agendi dari à Gratia efficaci, impugnant. *Patris Joannis Nicolai* veſtigiis inſiſtit noſter *Joannes Baptiſta Gonetus*, qui Parag. 2 Diſſertationis quartæ *de Voluntate Dei Antecedenti* diluit omnia argumenta, quæ contra auxilium ſufficiens diſtinctum ab efficaci proponit *Antonius Arnaldus* in libro, quem in gallico idiomate edidit, cui titulus eſt; *Conſtitutionis* INNOCENTII X. *defenſio*. Verum quidem eſt, *Gonetum* ibidem innuere, *Arnaldum* in aliis Opuſculis, quæ lucubravit, *de Vindiciis S. Thomæ*; & *de vera S. Thomæ de Gratia ſufficienti & efficaci doctrina*, non recuſaſſe admittere Gratiam ſufficientem in ſenſu Thómiſtico. Sed *Gonetus* in poſteriori editione Lugdunenſi Anno MDCLXXXI. id revocavit. Undè profectò mirari ſubit, quòd Janſeniani, nulla hujuſce retractationis facta mentione, priùs *Gonetii* teſtimonium in Gratiam *Arnaldi* obtrudant. Vide *defenſionem Cauſæ Arnaldinæ* pag. 538. & Tom. 3 Hiſtoriæ *Caſus conſcientiæ* pag. 633.

Oſtendi in meis ſuperioribus Epiſtolis, liberum hominis arbitrium fuiſſe quidem per primigeniam Protoparentis labem elevatum, debilitatum, ac ſauciatum, ſed tamen non fuiſſe extinctum, nec inductam eſſe per peccatum Adami in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi, ſicut blaterant Hæretici poſt *Lutherum*, *Calvinum*, *Bajum*, *Janſenium &c.* Et ſanè, ut obitèr dicam, ſi in ſtatu naturæ lapſæ, fuiſſet per peccatum Adami (ſicut volunt Hæretici) invecta neceſſitas peccandi, & ſi (ut dictitant) Deus hominibus in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutis non conferret, aut ſaltem ſi non offerret Gratias ſufficientes, per quas poſſent verè abſtinere à peccato & obſervare præcepta Dei, omni procùl dubio homines, qui laberentur in peccatum, eſſent inculpabiles, cùm nemo ad impoſſibile teneatur; nec poſſet Deus peccatores juſtè æternis addicere ſuppliciis, cùm eorum liberum arbitrium ad nihil aliud valeret quàm ad peccandum.

Si aliquis Rex, Ducem machinis, copiis, pecuniis, & præſidiis, quibus hoſtes vincere poſſet, planè deſtitutum, mitteret ad bellum, & poſteà illum ab hoſtibus victum, ob rem infelicitèr geſtam, afficeret ſupplicio, numquid, amabò te, moriens ille Dux jure diceret Regi: *Juſtè in me ſupplicio animadverteres, ſi me his præſidiis inſtruxiſſes ad bellum, quibus hoſtes vincere poſſem, nunc autem cùm me inermem bello objeceris, quorſùm in me punis quod tua culpa commiſſum ſit?* Quis etiam illum herum non judicaret crudelem & iniquum, qui ſervum ſuum loris cæderet, vel quòd minùs eſſet procero corpore, vel naſo porrecto, alioqui parùm eleganti forma? Nonne hic ſervus jure obmurmuraret domino cædenti: *Cur do pœnas ob id quod in manu mea & poteſtate non eſt?* Rursùs, ſi dominus, ſervo compedibus adſtricto, in piſtrino multa præſcriberet: *Abi huc, fac hoc, curre, recurre*, dira minitans, ni pareat, nec interim ſolveret illum, jamque non parenti virgas expediret; nonne ſervus poſſet jure optimo appellare dominum ſuum vel inſanum, vel crudelem, ſi loris occideret, quòd non feciſſet ea, quæ non erant in ipſius poteſtate? Poſtremò, ſi quis herus, ſervo, quem haberet, pygmæo, præciperet, ut cum ſtaturæ proceræ gigante collato pede pugnaret, eumque poſteà à gigante victum ac proſtratum acerbis pœnis cruciandum lictori traderet, nonne pygmæus ille ſervus jure diceret hero ſuo: *Injuſtè me condemnas, quippè qui, dùm mihi ad pugnandum cum gigante præcepiſti; probè ſciebas, me huic, ineundæ pugnæ imparem eſſe, nec illum vincere poſſe, ſed neceſſariò ab illo victum ac ſuperatum iri?*

His exemplis præfocatur error hæreticorum, qui pertendunt, ex peccato originali profectam eſſe neceſſitatem peccandi, adeò ut homines, qui in ſtatu naturæ lapſæ carent Gratia efficaci, non poſſint abſtinere à peccato, ſed neceſſariò peccent, quia negant hæretici, Deum conferre, vel offerre hominibus in ſtatu naturæ lapſæ, gratiam ſufficientem,

tem, quæ dat veram, completam, proximam & expeditam agendi, & à peccato abſtinendi poteſtatem, cuique nihil deeſt ex parte potentiæ.

Ab hoc Hæreticorum errore quàm maximè alieni ſunt diſcipuli *S. Thomæ*, quippè qui docent, nullam ſive abſolutam, ſive conditionatam ex peccato Adami invectam eſſe neceſſitatem peccandi, Deumque impertiri, vel ſaltèm offerre hominibus in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutis Gratiam ſufficientem, quæ dat veram, completam & expeditam agendi & abſtinendi à peccato potentiam, cui nihil deſit ex parte potentiæ, quamvis tamen ad actu agendum, & à peccato abſtinendum neceſſaria ſit alia Gratia, per ſe & ab intrinſeco efficax, atque ex entitate & natura ſua diſtincta à Gratia ſufficienti. Quantùm hæc Gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico intellecta diſtet ab illa *parva Gratia*, quam admittit *Janſenius*, quamque à Gratia per ſe efficaci diſtinctam eſſe ait, Sole clarius, ut ſpero, in proxima, quam ad te ſcribam, Epiſtola, demonſtrabo.

VII. Nunc ſub finem iſtius Epiſtolæ dilucidabo quædam Sanctorum Patrum, præſertim *Auguſtini*, & *Proſperi* teſtimonia, quibus Ianſenius cap. 20. & 21. libr. 3. *De ſtatu naturæ lapſæ* perperàm abutitur, ut probet, inductam eſſe ex peccato Adami neceſſitatem peccandi, ita ut homines, qui in ſtatu naturæ lapſæ Gratia efficaci, ſeu cæleſti delectatione relativè victrici, ſunt deſtituti, nullo pacto poſſint abſtinere à peccato.

In primis objicit *Ianſenius* complura *S. Auguſtini* teſtimonia, quæ innuere videntur, non poſſe in ſtatu naturæ lapſæ ante Gratiam vitari unum peccatum niſi in aliud incidendo: *non peccata coercentur, ſed aliis peccatis alia peccata vincuntur*, Lib. I. *De Nuptiis & concupiſcentia* cap. 3. idemque in multis aliis in locis aſſerit Aquilinus ille Doctor. Laudat inſuper *Janſenius Sanctum Proſperum*, fidiſſimum *S. Auguſtini* diſcipulum, qui in *Carmine de Ingratis* neceſſitatem peccandi, qua in ſtatu naturæ lapſæ obſtringitur hominis voluntas, ſic eleganter deſcribit.

Manet ergo voluntas
Semper amans aliquid, quo ſe ferat, & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingreſſa viarum
Vana cupit, vanis tumet, timet, omnimodaque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere ſurgit.

Verùm, hæc Sanctorum *Auguſtini*, & *Proſperi* teſtimonia, quæ magno quidem, ſed inani ſtudio, congerit *Janſenius*, nullo negotio dilucidari poſſunt. Nihil aliud quippè ſibi volunt Sancti *Auguſtinus* & *Proſper*, quàm in pluribus hominibus in ſtatu naturæ lapſæ, ſed non in omnibus, quandoque contingere, ut ſive propter inveteratam conſuetudinem, cui ſe implicuerunt, ſive propter perduellem, nimiumque effervēſcentem concupiſcentiam, neceſſariò labantur in peccatum, neceſſitate non quidem abſoluta, ſed morali, quæ nonniſi difficilè vinci ac ſuperari poteſt.

Hanc eſſe germanam mentem *S. Auguſtini* evinco ex ipſomet *S. Auguſtino*, qui cap. 18 lib. 3. *De libero arbitrio* hanc quorumdam inſipientium hominum ſibi proponit querelam: *Dicunt enim* (ſcilicet inſipientes illi homines) *ſi Adam, & Eva peccaverunt, quid nos miſeri fecimus, ut cum ignorantia, cæcitate, & difficultatis cruciatibus naſceremur, & primò erraremus neſcientes, quid nobis eſſet faciendum? deindè, ubi nobis inciperent aperiri præcepta juſtitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiſcentiæ neſcio qua neceſſitate non valeremus*. Huic quorumdam hominum inſipientium querelæ ſic reſpondet S. Auguſtinus: *Quibus breviter reſpondetur*, inquit, *ut quieſcant, & adversùs Deum murmurare deſiſtant. Rectè enim fortaſſe quererentur, ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret; cùm verò ubique ſit præſens, qui per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras. Iſta tua propria peccata ſunt.*

Adverte, quæſo, quòd ſi *S. Auguſtinus* in eo errore de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ, quem ei *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius* affingunt, verſatus fuiſſet, reſpondiſſet, ideò homines in ſtatu naturæ lapſæ non excuſari à peccato, licèt neceſſariò peccent, quia non eſt de ratione peccati in ſtatu naturæ lapſæ, ut caveri poſſit, ſed potiùs homines in ſtatu naturę lapſæ peccare etiam in eo quod vitare non poſſunt.

At, non ſic reſpondet *S. Auguſtinus*, ſed potiùs aſſerit primò, hanc neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe neceſſitatem abſolutam, quæ nullo pacto vinci ac ſuperari poſſit, ſed eſſe dumtaxàt neceſſitatem moralem, quæ licèt difficilè, attamen aliquando vincitur ac ſuperatur: *Rectè enim fortaſſe quererentur*, ait S. ille Doctor, *ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret*. Secundò, rationem ibidem indicat *S. Auguſtinus*, cur homo in ſtatu naturæ lapſæ, dum peccat, hanc excuſationem obtendere non poſſit, quòd, renitente carnali concupiſcentia, fuerit neceſſitate peccandi conſtrictus; ait enim Aquilinus ille Doctor: *Cum verò* Deus *ubique ſit præſens, qui averſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur, quod invitus ignoras, ſed quod negligis quærere quod ignoras*.

Hanc egregiam *S. Auguſtini* doctrinam luculentèr explicat, ac multis in locis confirmat Angelicus Doctor. Primò enim docet *S. Thomas*, hominem in ſtatu naturæ lapſæ nulla neceſſitate abſoluta & phyſica compelli ad peccandum, quamvis tamen quandòque contingat, hominem, niſi per gratiam liberetur, neceſſitate aliqua morali trahi ad peccatum, hoc eſt, difficilè abſtinere à peccato: *Niſi homo* (inquit S. Thomas Quæſt. 24. *de Veritate* Art. 12. ad reſponſionem arg. 22.) *per gratiam liberetur, neceſſe habet quandòque labi in peccatum*. Et in reſponſione ad arg. 23. ait: *Deſertus à luce gratiæ neceſſe eſt ut aliquandò cadat*. Quibus verbis apertiſſimè conſtat, *Sanctum Thomam* negaſſe dari in ſtatu naturæ lapſæ neceſſitatem peccandi abſolutam & phyſicam, ſeu quamcumq; aliam peccandi neceſſitatem, quæ nullo pacto vinci ac ſuperari poſſit, qualem admittunt *Lutherus*, *Calvinus*, & *Janſenius*.

Adverte, ab hac communi, & pervulgata neceſſitatis moralis notione ac ſignificatione deflectere *Janſenii* diſcipulos, qui veram & propriè dictam neceſſitatem ex delectatione relativè ſuperiori profectam, cui voluntas nunquàm reſiſtit, immò nec relativè reſiſtere poteſt, appellant *neceſſitatem moralem*. quæ tamen, juxta illorum principia, eſt verè neceſſitas ſimplex, voluntaria & relativa, quia (ut ipſimet docent) hæc neceſſitas inducitur ex delectatione ſuperiori ac relativa ſive ad bonum. ſive ad malum, cui voluntas in his, in quibus verſatur circumſtantiis, caret potentia, non quidem abſoluta, ſed relativa reſiſtendi. Quò fit, ut hæc neceſſitas, in doctrina *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum, non ſit neceſſitas moralis, ſed neceſſitas ſimplex, & voluntaria, antecedens, invincibilis, & inſuperabilis, quæ, citrà apertam hæreſim, admitti non poteſt.

Enim verò, ſi in ſtatu naturæ lapſæ daretur peccandi neceſſitas, quæ nullo pacto vinci ac ſuperari poſſet, ſequeretur, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, Gratia deſtitutum, in quovis actu ſuo ſemper peccaturum, ſicut pertendunt hæretici. At *S Thomas* in locis, mox à me adductis, id apertè negat, aſſeritque, hominem, in ſtatu naturæ lapſæ gratià deſtitutum, non *ſemper*, ſed *quandoque* neceſſariò peccaturum, ideſt, neceſſitate morali, ex mala peccandi conſuetudine profecta, quæ, ut docet Angelicus ille Doctor Quæſt. 6. *De Malo* art. 1 ad 24. ſuperari poteſt, quamvis difficilè.

Non aliam certè in ſtatu naturæ lapſæ peccandi neceſſitatem, quàm moralem, quæ ex mala conſuetudine fluit, à *S. Auguſtino*, fuiſſe admiſſam patet ex his, quæ habet S. ille Doctor in Diſputatione ſecunda contra *Fortunatum* Manichæum, ubi hæc habet: *Poteſt autem unuſquiſque noſtrum mediocri conſideratione invenire, verum eſſe quod dico; hodiè namque in noſtris actionibus, antequàm conſuetudine aliqua implicemur, liberum ha-*

Digitized by Google

habemus arbitrium faciendi aliquid vel non faciendi. *Cùm autem iſta libertate fecerimus aliquid, & facti ipſius tenuerit animum pernicioſa dulcedo, & voluptas, eadem ipſa conſuetudine ſic implicatur, ut poſtea vincere non poſſit quod ſibi ipſa fabricata eſt*. Videm, *S. Auguſtinum* admittere dumtaxàt in ſtatu naturæ lapſæ moralem peccandi neceſſitatem, quæ profluit ex mala conſuetudine, quam voluntas ſua abutendo libertate contraxit?

Præterea, quemadmodum *S. Auguſtinus* loco mox à me laudato ait, hominem, in ſtatu naturæ lapſæ conſtitutum, non poſſe, dum peccat, ſe excuſare, quaſi neceſſariò ad peccandum compellatur, quia, inquit S. ille Doctor, quòd homo peccet, non eſt in culpa Deus qui potiùs *ubique præſens eſt, qui averſum vocat, docet credentem, conſolatur ſperantem, conantem adjuvat, exaudit deprecantem* Ita *S. Thomas*, abſolutiſſimus *S. Auguſtini* diſcipulus, pluribus in locis docet, homini in ſtatu naturæ lapſæ, dùm peccat, ſuffragari haud poſſe hanc excuſationem, quòd, illiciente concupiſcentia carnis, fuerit neceſſariò tractus ad peccandum, quia, inquit Angelicus ille Doctor, ſicut Sol omnibus promiſcuè ſuos radios ſpargit, ut videre poſſint, ita Deus offert indiſcriminatim omnibus hominibus gratiam, cujus ope præcepta Dei obſervare & peccata vitare poſſint, quo fit, ut ſi aliqui hanc gratiam ſibi à Deo oblatam nolint recipere, ſed data opera eam repellant, vel ea recepta abutantur, & labantur in peccatum, hoc in culpa eorum ſit, nec Deo imputandum; perindè ac ſi aliqui, Sole ſuos ubique effundente radios, de induſtria oculos claudant ne videant, vel ſi cæci ſint, ſibi imputare debent quòd non videant, ſed non Soli, qui omnibus lucet.

Hanc doctrinam, quæ errores *Lutheri*, *Calvini*, & *Janſenii* de neceſſitate peccandi radicitùs convellit, *S. Thomas* pluribus in locis inculcat. Et primò quidem lib. 3 contra Gentes cap. 159. hæc habet: *Non immeritò imputatur in culpam ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni. Deus enim, quantùm in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare (vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire ut dicitur primæ ad Timotheum cap. 2.) ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant; ſicut, Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit ſi ex hoc aliquod malum ſequatur, licèt videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur*. Deindè primæ ſecundæ Queſt. 112. Art. 3. ait S. Thomas: *Omnis defectus gratiæ & cujuslibet peccati prima cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ*, ſeu primæ impletionis præcepti, *prima cauſa eſt ex Deo, ſecundùm illud Oſee cap. 13. perditio tua ex te, tantummodò in me auxilium tuum*. Denique, ut cetera alia diſertiſſima *S. Thomæ* miſſa faciam teſtimonia, ſic concludit *S. Thomas* lect 3. in caput 12. Epiſtolæ *Pauli* ad Hebræos *Et ideò Gratia nulli deeſt, ſed Deus, quantum in ſe eſt, ſe communicat, ſicùt nec Sol deeſt cæcis oculis*. Et in cap. 6. Evangelii S Joannis: *Ex quo Deus paratus eſt dare omnibus gratiam, & ad ſe trahere non imputatur ei, ſi aliquis non accipiat, ſed ei, qui non accipit*.

Ex qua *Sancti Thomæ* doctrina, quam ſectantur omnes ejus veri diſcipuli, manifeſtò patet, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, dùm peccat, ſeſe excuſare haud poſſe, quaſi, dominante concupiſcentia, neceſſariò laberetur in peccatum hanc, inquam excuſationem obtendere non poteſt peccator, quia Deus omnibus vel confert, vel offert gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, quæ dat veram, completam, proximam & expeditam abſtinendi à peccato, & bene agendi potentiam, ita ut ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ nihil omninò deſit. Gratia autem ſufficiens, quam Deus omnibus vel confert, vel offert, ſemper ordinatur, & recta tendit ad gratiam per ſe efficacem, quam Deus, dum homini confert gratiam ſufficientem, ex ſe paratus eſt ei conferre, eamque illi reverà impertiretur, niſi homo propria ſua malitia curſum gratiæ ſufficientis ſiſteret, & impediret, ne gratia ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellecta, illum ulteriùs promoveret &

Digitized by Google

diſponeret ad alterum maius auxilium, ſeu per ſe & ab intrinſeco efficax, ab ipſo Deo recipiendum.

Sed hanc *S. Thomæ* doctrinam, quæ ad diluendas objectiones, quas tàm Moliniani, quàm Janſeniani contra Gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam proponere ſolent, maximi momenti æſtimanda eſt, auxiliante Deo, uberiùs explanabo in ſpeciali Epiſtola, quam ad te propediem ſcribam, in qua ſingulis obiectionibus, quibus Adverſarii noſtri gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam impetere ſolent, abundè faciam ſatis. Hic tantùm velim obitèr obſerves, *S. Thomam* præfocaſſe in anteceſſum errorem *Janſenii*, aſſerentis, carnalem delectationem concupiſcentiæ, quandò fortior, vehementior, & ſuperior eſt cœleſti delectatione gratiæ, inevitabilem & ineluctabilem imponere neceſſitatem peccandi, ita ut homo à peccato abſtinere non poſſit; hanc, inquam, hæreticam *Janſenii* doctrinam in anteceſſum præfocavit *S. Thomas* Quæſt 24 *De veritate* Art. 12. ubi explicans hæc verba, quæ *S. Auguſtinus* in lib *Retractationum* habet: *Cogenti cupiditati voluntas reſiſtere non poteſt*, ſic *S. Auguſtinum* interpretatur Angelicus Doctor: *Non quidem quòd cupiditas poſſit intelligi eſſe cogens abſolutè liberum arbitrium, quia eſt liberum à coactione, ſed dicitur cogens propter vehementiam inclinationis*, CUI TAMEN POTEST RESISTI, LICET CUM DIFFICULTATE. Quibus poſtremis verbis apertè innuit *S. Thomas*, voluntatem hominis in ſtatu naturæ lapſæ, etiam urgente vehementiſſima tentatione, non ſolùm eſſe liberam à coactione, ſeu violentia, verùm etiam liberam eſſe à neceſſitate, eamque reſiſtere poſſe cuicumque vehementiſſimæ tentationi, *licèt cum difficultate*.

At contrà *Ianſenius* (ſicut in proxima, quam ad te ſcribam, Epiſtola, ex intimis ſuæ doctrinæ principiis plenè planèque demonſtrabo) *Ianſenius*, inquam, acritèr, pertendit, hominis in ſtatu naturæ lapſæ voluntatem vehementiſſima impetitam tentatione, & cæleſti perfuſam Gratiæ delectatione, quæ minor & inferior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione, eſſe quidèm liberam à coactione & violentia, ſed non eſſe liberam à neceſsitate peccandi, ideſt, attenta carnali concupiſcentiæ delectatione, quæ major, vehementior, & ſuperior cæleſti gratiæ delectatione, voluntatem hominis non poſſe à peccato abſtinere, ſed neceſſariò in peccatum prorumpere debere.

Sed iſtud virus doctrinæ *Janſenii*, qui nullam Gratiam ſufficientem admittit à Gratia efficaci diſtinctam, quæ det voluntati veram, completam, proximam & expeditam benè agendi, abſtinendi à peccato, & præcepta Dei obſervandi potentiam; quique pro aris ac focis contendit, ſolam Gratiam efficacem victricem poſſe dici ſufficientem, eamque ſolam impertiri voluntati potentiam veram, completam, proximam, expeditam benè agendi, vitandi peccata, & ſervandi Mandata Dei; iſtud, inquam, doctrinæ Janſenianæ virus, quod execratur univerſa Schola Thomiſtica, in aperto ponam in proxima Epiſtola, quam ad te ſcripturus ſum.

VIII. Sed audiamus adhùc, ſi placet, *Ianſenium*, qui, ut probet, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, Gratia efficaci ac victrici deſtitutum, neceſſariò peccare, nec ei liberum eſſe à peccato abſtinere, ſibi patronum *S. Auguſtinum* perperàm adſciſcere conatur. *S. Auguſtinus* multis in locis docet, definitionem peccati, quam tradidit his verbis: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere*, pertinere dumtaxàt ad ſtatum naturæ innocentis, eamque dilatari haùd debere ad peccata, quæ committuntur in ſtatu naturæ lapſæ, inquit *Ianſenius*, idque probat ex multis *S. Auguſtini* teſtimoniis, quorum unum dumtaxàt hìc proferre ſufficiet, petitum ex cap 47 lib 1. *Operis imperfecti contra Iulianum*, ubi *S. Auguſtinus* hunc hæreticum Pelagianum his verbis compellat: *Ipſe eſt Adam*, inquit Aquilinus ille Doctor, *quem noſtra definitio, quę tibi placuit, intuebatur, cùm dicerem: peccatum eſt voluntas agendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere. Adam quip-*

pè

pè omninò quando peccavit , nihil in ſe habebat mali , unde nolens urgeretur ad malum , & propter quod diceret, non quod volo bonum facio , ſed quod nolo malum hoc ago ; ac per hoc id egit peccando quod juſtitia vetat , & undè liberum illi fuit abſtinere. Nunc ei , qui dicit : Quod nolo malum hoc ago ; abſtinere indè liberum non eſt . Ex quibus verbis *Janſenius* colligit , *S. Auguſtinum* apertè docuiſſe, peccati definitionem , quam tradidit , ſpectare tantummodò ſtatum naturæ innocentis, ſed eam peccatis actualibus quæ in ſtatu naturæ lapſæ perpetrantur aptari ac convenire haud poſſe , quia homini in ſtatu naturæ lapſæ non eſt liberum abſtinere à peccatis , & ad demerendum , ſeu ad peccandum , in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate , ſed ſat ſuperque ſufficit libertas à coactione , ſeu violentia .

Verùm , toto oſtio à mente *S. Auguſtini* aberraſſe *Janſenium* , duplici momento demonſtro , primò , quia *Sanctus Auguſtinus* loco , quem citat *Janſenius* , videlicet cap 47. lib. 1. *Operis imperfecti contra Julianum* , non dicit , peccati definitionem , quam tradidit : *ſeu peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat , & undè liberum eſt abſtinere* , non dicit , inquam , *S. Auguſtinus* , hanc peccati definitionem pertinere tantùm ad ſtatum naturæ innocentis , & eam non convenire peccatis actualibus , quæ committuntur in ſtatu naturæ lapſæ. Hoc certè eò loci non dicit *S. Auguſtinus* , ſed tantùm innuit , hanc peccati definitionem principalitèr quidèm ſpectare Adamum in ſtatu innocentiæ , & peccatum ab eo commiſſum ; & ultrò fatetur , eamdem peccati definitionem convenire peccatis , quæ committuntur in ſtatu naturæ lapſæ , quamvis minùs principalitèr .

Hanc eſſe germanam *S. Auguſtini* mentem patet ex verbis , quæ habet S. ille Doctor loco mox à me laudato : *Multa ſunt* , inquit , *quæ agunt homines mala , à quibus eis liberum eſt abſtinere , ſed nulli tam liberum eſt , quam illi* (ſeu Adamo) *fuit*. Vult igitur *S. Auguſtinus* , hanc , quam tradidit , peccati definitionem ſpectare quidèm principaliter ad Adamum & ad peccatum ab eo commiſſum; ad homines verò in ſtatu naturæ lapſæ, & ad ea, quæ ab ipſis patrantur peccata pertinere etiam , ſed minùs principaliter. Cur autem hac peccati definitio , quam tradidit *S. Auguſtinus*, dicens: *peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat , & undè liberum eſt abſtinere*; cur, inquam, hæc peccati definitio , tradita à *S. Auguſtino* , principaliter ſpectet Adamum , ejuſque peccatum , & minùs principaliter pertineat ad homines in ſtatu naturæ lapſæ , & ad peccata , quæ ab illis committuntur ? ratio hac eſt . quia in ſtatu naturæ innocentis non tantùm poterat Adamus abſtinere à peccato, ſed etiam id poterat citrà ullam difficultatem . Hinc *S. Auguſtinus* Diſputatione ſecunda contra *Fortunatum* , Manichæum , ait : *Adam ſic factus erat , ut nihil omninò voluntati ejus reſiſteret , ſi vellet Dei præcepta ſervare* . Et lib. 14. *De Civitate Dei* cap 10 loquendo de ſtatu naturæ innocentis: *Erat* , inquit , *devitatio tranquilla peccati*: quia videlicèt nulla prorsùs erat in hoc feliciſſimo ſtatu rebellio virium in feriorum ad rationem , nulla perduellis concupiſcentia , nulla lucta , nulla pugna paſſionum . At verſa vice , in ſtatu naturæ lapſæ licèt homo ſingula peccata liberè vincere poſſit graviſſimas tamen in his vitandis patitur difficultates propter vehementiam tumultuantium paſſionum , & perpetuam pugnam, quæ inter utramque hominis partem , videlicèt ſenſitivam & rationalem , viget .

IX. Hæc eſt vera ratio , propter quam *S. Auguſtinus* , diſputans contra Pelagianos , aſſerit , ad Adamum , & ad peccatum ab ipſo commiſſum principaliter referri . ad homines verò in ſtatu naturæ lapſæ & ad peccata , quæ ab ipſis patrantur , minùs principalitèr pertinere hanc peccati definitionem , quam tradidit lib. *De duabus Animabus* Cap. XI. dicens : *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat , undè liberum eſt abſtinere* .

Hanc rationem ſi præ oculis habeas, nullo negotio explanabis innumera penè *S. Auguſtini* teſtimonia , quæ fruſtra

ſtra congerit *Ianſenius*, ut probet, ſummum illum Gratiæ Doctorem exiſtimaſſe, hominem in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariò peccare, nec ei liberum eſſe à peccato abſtinere. Sic, Exempli cauſa *S. Auguſtinus* Lib. I. *Retractationum* c. 15. loquitur de homine, in ſtatu naturæ lapſæ Gratia deſtituto: *Invenit ergò ſe ligatum*, inquit, *difficultatibus cupiditatum*, *& non poſſe viam, propter compedes, ambulare. Incluſum ſe ſentit difficultate vitiorum, & tanquàm muro impoſſibilitatis erecto, portiſque clauſis, qua evadat, & rectè vivat, non invenit*. Sic in *Enchiridio* ad *Laurentium* ait idem S. Doctor: *libero arbitrio malè utens ſuo* (Adamus) *& ſe perdidit & ipſum. Sicut enim qui ſe occidit, utique vivendo ſe occidit, ſed ſe occidendo non vivit, nec ſe ipſum poteſt reſuſcitare cùm occiderit, ita cum libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt liberum arbitrium.* Idem denique *Sanctus Auguſtinus* Diſputatione ſecunda contra *Fortunatum*, Manichæum, libri etiam tertii ad *Bonifacium* cap. 8. Epiſt 144. & alibi ſæpè inculcat ex qu bus infert *Janſenius*, hominem in ſtatu naturæ lapſæ contraxiſſe, juxtà mentem *S. Auguſtini*, neceſſitatem peccandi, ſubindeque ei liberum non eſſe abſtinere à peccato.

Verùm, hæc & alia id genus *S. Auguſtini* teſtimonia, quæ inflatis tibiis citat *Ianſenius*, facilè admodùm enucleabis, ſi tantiſper animum advertere velis ad rationem, propter quam (ut mox obſervavi) *S. Auguſtinus* aſſerit peccati definitionem, quam tradidit: dicens: *peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*, pertinere principaliter ad Adamum in ſtatu innocentiæ, & ad peccatum ab ipſo commiſſum; ad homines verò in ſtatu naturæ lapſæ & ad peccata, quæ ab illis patrantur, pertinere quidèm ſed minùs principalitèr.

Verùm enim verò, quemadmodùm vult *S. Auguſtinus*, hanc à ſe traditam peccati definitionem pertinere principaliter ad Adamum in ſtatu innocentiæ, & ad peccatum ab ipſo commiſſum; ad homines autem in ſtatu naturæ lapſæ, & ad peccata, quæ ab ipſis patrantur, pertinere minùs principalitèr, quia Adamus in ſtatu naturæ innocentis non tantum poterat abſtinere à peccato, ſed etiam id poterat abſque ulla difficultate, cùm in eo nulla eſſet carnis rebellio; homo verò in ſtatu naturæ lapſæ, licet ſingula peccata declinare poſſit, graviſſimas tamen in his vitandis propter nimium inſurgentium paſſionum æſtum difficultates experitur, ita pari quoque ratione *S. Auguſtinus*, dum in his locis, quæ citat *Janſenius*, ait, hominem in ſtatu naturæ lapſæ amiſiſſe liberum arbitrium, vult tantùm primò, hominem in ſtatu naturæ lapſę perdidiſſe liberum arbitrium quantùm ad perfectionem ſtatus naturæ innocentis, ſed non amiſiſſe liberum arbitrium, quantum ad ejus ſubſtantiam, ſive eſſentiam.

Duo quippè in libero arbitrio ſpectari poſſunt, primò ſubſtantia ejus, ſeu eſſentia, quatenùs videlicet ingenita facultas eſt, qua pro nutu & libito poteſt voluntas hominis alterutrum è duobus mediis ſeligere. Secundò ſpectanda eſt in libero arbitrio perfectio & excellentia, qua gaudebat homo in ſtatu innocentię, dum nulla ei ad rectè agendum inerat difficultas, nullus effrænis concupiſcentiæ dominatus, nullus conflictus paſſionum, nulla ſervitus peccandi, nullum vulnus, ſed plenæ & integræ vires ad bonum faciendum, præſtòque aderant omnia bona & præſidia neceſſaria. Homo igitur in ſtatu naturæ lapſæ amiſit liberum arbitrium ſecundùm eam perfectionem ſoli ſtatui naturæ innocentis debitam; ſed non perdidit liberum arbitrium quantùm ad ipſius ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, quæ ſita eſt in indifferentia activa voluntatis & in potentia ad utrumlibet.

X. Hanc eſſe veram & indubitatam *S. Auguſtini* mentem colligo ex ejuſdem S. Doctoris Lib I. ad *Bonifacium* cap. 2. ubi hæc habet: *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de genere humano? Libertas quidèm periit per peccatum, ſed illa, quæ in paradiſo fuit habendi plenàm cum immortalitate juſtitiam.*

Præterea, *S. Auguſtinus* dum aſſerit, ho-

Digitized by Google

hominem in ſtatu naturæ lapſæ amiſiſſe liberum arbitrium, loquitur dumtaxàt de libertate à peccato, ſed non de libertate a neceſſitate. Fatentur autem omnes catholici, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, Gratiæ deſtitutum, non eſſe liberum à peccato, & voluntatem ejus intantùm eſſe liberam à peccato, in quantùm eſt liberata per Gratiam. Suam mentem hac de re *S. Auguſtinus* lib. 14. *De Civitate Dei*, Cap. XI. ita apertè declarat, ut nullum planè de ea dubitandi locum relinquat: *Arbitrium igitur voluntatis*, inquit, *tunc eſt verè liberum, cùm vitiis peccatiſque non ſervit. Tale datum eſt à Deo, quod amiſſum cum proprio vitio, niſi à quo dari potuit, reddi non poteſt.*

Denique, *S. Auguſtinus* dùm ait, hanc, quam dedit, peccati definitionem: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere*, principalitèr ſpectare Adamum in ſtatu innocentiæ, & peccatum ab ipſo commiſſum, minùs verò principalitèr hanc peccati definitionem pertinere ad homines in ſtatu naturæ lapſæ, & ad peccata actualia, quæ ab ipſis patrantur: hæc, inquam, dùm ait *S. Auguſtinus*, vult dumtaxàt, hanc à ſe datam peccati definitionem ideò principalitèr convenire Adamo in ſtatu innocentiæ, ejuſque peccato, quo è feliciſſimo illo ſtatu excidit, quia non poterat Adamus in ſtatu innocentiæ conſtitutus, ex mala peccandi conſuetudine contrahere neceſſitatem moralem peccandi, ſeu graviſſimam difficultatem vitandi tentationes, & abſtinendi à peccatis; hanc, inquam, moralem peccandi neceſſitatem Adamus contrahere haud poterat, quia, ſicut ſuperiùs poſt *S. Auguſtinum* obſervavi, in ſtatu innocentiæ *erat devitatio tranquilla peccati*. At ex adverſo, homo in ſtatu naturæ lapſæ, æſtu paſſionum ſuarum abreptus, facilè ex mala diuturna peccandi conſuetudine contrahit neceſſitatem moralem peccandi, ſeu graviſſimam difficultatem vincendi tentationes, & à peccato abſtinendi, indeque fit, ut hominibus in ſtatu naturæ lapſis minùs liberum ſit abſtinere à peccato, quàm fuerit liberum Adamo in ſtatu innocentiæ conſtituto, ac proinde hæc peccati definitio, à *Sancto Auguſtino* tradita: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere*, principalitèr conveniat Adamo in ſtatu innocentiæ, & peccato, in quod lapſus eſt; minùs verò principalitèr pertineat ad homines in ſtatu naturæ lapſæ, & ad peccata actualia, quæ ab ipſis perpetrantur.

XI. Quòd ſi, cariſſimè Diſcipule, hæc tibi non probetur Reſponſio, quamvis ad germanam explicandam *S. Auguſtini* mentem efficaciſsima ſit, aliam in promptu tibi ſuppeditabo, quæ rem planè conficiet contra *Ianſenium*, qui contendit, *S. Auguſtinum*, dùm cap. 47. lib. 1. *Operis imperfecti contra Iulianum* Pelagianum, ait, hanc peccati definitionem, quam lib. *De duabus Animabus* Cap. XI. tradidit, dicens: *Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere*; pertinere ad Adamum in ſtatu innocentiæ, & ad peccatum, quod commiſit, ſed hanc peccati definitionem non ſpectare homines in ſtatu naturæ lapſæ, nec peccata, quæ ab ipſis patrantur; ſubindèque velle S. illum Doctorem, Adamum quidem liberè peccaſſe, & illius peccato convenire hanc peccati, quam dederat, definitionem, dicens: *Peccatum eſt voluntas retinendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere*; at homines in ſtatu naturæ lapſæ non liberè ſed neceſſariò peccare ibidem docere *S. Auguſtinum*, mordicùs aſſerit *Janſenius*, quia S. ille Doctor, (ſicùt illum perperàm interpretatur *Janſenius*) disertè profitetur, hanc peccati, quam dedit, definitionem; *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere*, non convenire peccatis, quæ committuntur ab hominibus in ſtatu naturæ lapſæ. Ex quo planè conſequitur (inquit *Janſenius*) homines in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariò peccare, ideſt, liberum illis non eſſe à peccatis actualibus, quibus ſeſe contaminant, abſtinere.

Sed quantùm à genuina *S. Auguſtini* mente

mente abhorreat hæc falſa & hæretica *Ianſenii* interpretatio, invictè nunc demonſtro. Enim verò, nullibi negat *S. Auguſtinus*, hanc peccati definitionem, quam Cap. XI libri *De duabus Animabus* dat, dicens: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat; & undè liberum eſt abſtinere*; nullibi, inquam, negat S. ille Doctor, hanc, à ſe datam peccati definitionem convenire peccatis actualibus, quæ fiunt in ſtatu naturæ lapſæ, quin potiùs *S. Auguſtinus* pluribus in locis luculentiſſimè docet, liberum eſſe hominibus in ſtatu naturæ lapſæ abſtinere à peccatis actualibus, quæ ab ipſis deliberatò fiunt, hoc unum dumtaxàt vult *S. Auguſtinus*, hanc à ſe datam peccati definitionem non convenire peccato originali, quòd *Julianus*, Pelagianus, negabat, eo quòd diceret, peccati definitionem, quam dederat *S. Auguſtinus*, convenire haud poſſe peccato originali, cùm certùm ſit non eſſe penès voluntatem & libertatem parvulorum ab illo peccato abſtinere.

Hic erat *S. Auguſtinum* inter & *Julianum*, Pelagianum, controverſiæ ſtatus, ſicut facilè ex argumento, quod *Julianus* in *S. Auguſtinum* intorquebat, & ex Reſponſione, qua *S. Auguſtinus* argumentum ejuſdem *Iuliani* fregit ac retrudit, poteris judicare Hoc autem argumentum *S. Auguſtino* proponebat *Iulianus* ut videre eſt cap. 43. libri 1. Operis imperfecti: *In libro tuo, cui titulus eſt: de Duabus Animabus* (dicebat *Iulianus* Sancto Auguſtino) *ſic loqueris: Peccatum eſt voluntas admittendi vel retinendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. O lucens aurum in ſtercore! Quid pleniùs à quocumque vel Orthodoxo dici potuiſſet? Oſtende ergò hæc duo in parvulis poſſe conſtare, ſi nullum eſt ſine voluntate peccatum, ſi nulla voluntas, ubi non eſt explicata libertas, ſi non eſt libertas, ubi non eſt explicata facultas per rationem electionis, quo monſtrato peccatum in Infantibus invenitur, qui rationis uſum non habent? Igitur nec eligendi facultatem, ac per hoc nec voluntatem, atque, his irrefutabiliter conceſſis, nec aliquod omninò peccatum*. Viden, quo pacto *Iulianus* Pelagianus, ex peccati definitione tradita à *S Auguſtino* arguebat adversùs Sanctum illum Doctorem, in parvulis nullum eſſe peccatum originale

. Audi nunc, ſi placet, quo pacto *S. Auguſtinus* ab hoc *Iuliani* Pelagiani, argumento ſe ſe capite 46. ejuſdem Operis imperfecti contra *Iulianum* expediat: *ſic iſta tria diſcernas* (ait S. ille Doctor *Iuliano*, Pelagiano) *& ſcias aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, ideſt, ita peccatum, ut ſit etiam pœna peccati. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas eſt agendi quod juſtitia vetat & undè liberum eſt abſtinere. Peccatum namquè iſto modo definitum eſt, non pœna peccati, non utrumque*. Nomine autem *peccati* intelligit *S. Auguſtinus* ea omnia quæ libera voluntate malè fiunt cujuſmodi præcipuè, ſicùt ſuperiùs oſtendi, fuit peccatum Adami. Docet tamen ibidèm *S. Auguſtinus* ejuſmodi eſſe peccata actualia, quæ homines in ſtatu naturæ lapſæ faciunt & à quibus liberum illis eſt abſtinere, ſicut liquidò patet ex verbis quæ ibidèm ſubjungit S. ille Doctor: *Habent autem iſta tria genera etiam ſpecies ſuas, de quibus nunc longum eſt diſputare. Horum ſanè trium generum ſi requirantur exempla primi generis in Adam ſine ullo modo quæſtionis occurrit. Multa quippè ſunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere; Sed nulli tam liberum eſt, quàm illi fuit* (ſeu Adamo) *qui Deo ſuo, à quo conditus erat rectus, nullo prorſus vitio depravatus, adſtabat*.

XII. Perpende, quæſo te. hæc verba *S. Auguſtini*, & aſtutùm intelliges; quam falſum ſit, quod dictitat *Ianſenius*, videlicet *S. Auguſtinum* hanc, quam dedit peccati definitionem his verbis: *Peccatum eſt voluntas retinendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere*, ad ſolum primum peccatum Adami reſtrinxiſſe; cum S. ille Doctor expreſſè dicat ſe hac peccati definitione voluiſſe quidèm præcipuè definire primum peccatum Adami, ſed tamen eamdem à ſe datam peccati definitionem convenire

mul-

multis peccatis, quæ committuntur ab hominibus in ſtatu naturæ lapſæ, quippè à quibus liberum eſt abſtinere.

Nomine autem *pœnæ peccati* intelligit *Sanctus Auguſtinus* ea, quæ purè habent rationem pœnæ, ſeu alicujus mali propter peccatum illati, ut mors, cruciatus bonorum ſpoliatio & alia id genus ſupplicia, quæ nobis non agentibus ſed patientibus aliundè inferuntur: *Secundi autem generis, ubi tantummodò eſt pœna peccati exemplum in eo malo eſt, quod quiſque ex nulla parte agit, ſed tantummodò patitur, vel cum pro ſuo ſcelere qui peccavit occiditur, ſive alia corporis pœna quacumque cruciatur.*

Denique, *S. Auguſtinus* per illud, quod eſt ſimul *peccatum, & pœna peccati*, intelligit motus concupiſcentiæ involuntarios, & peccatum Originale: *Tertium verò genus*, inquit S. ille Doctor, *ubi peccatum ipſum eſt, & pœna peccati, poteſt intelligi in eo, qui dicit: Quod nolo malum, hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cum aguntur mala, vel etiam putantur bona ...... Proindè originale peccatum nec ad illud pertinet, quod primo loco poſuimus, ubi eſt voluntatis malum operandi, & undè liberum eſt abſtinere; alioquin non eſſet in parvulis, qui nondùm voluntatis utuntur arbitrio; nec ad illud, quod ſecundo loco commemoravimus; de peccato enim nunc agimus, non de pœna, quod non eſt peccatum, quamvis peccati merito ſubſequatur. Adhuc genus tertium, ubi ſic peccatum eſt, ut ſit etiam pœna peccati, quod ineſt quidèm naſcentibus: origo tamen hujus peccati deſcendit à voluntate peccantis; fuit enim Adam: & in illo fuimus omnes: Periit Adam & in illo omnes perierunt.*

Ex quibus *S. Auguſtini* verbis colligitur primò, Pelagianos ex hac peccati definitione, quam dedit *S. Auguſtinus* dicens: *Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere*, occaſionem ſumpſiſſe negandi, & impugnandi peccatum originale, ſed *Sanctum Auguſtinum* ab hac peccati, quam dedit definitione ſegregaſſe tantum originale peccatum, ejuſque appendices.

Colligitur ſecundò, peccatum originale, juxta *S. Auguſtinum*, ideò habere rationem peccati, quia eſt voluntarium aliquo modo, nempè voluntate capitis, ſeu primi parentis, in quo noſtræ omnium voluntates moraliter continebantur. Colligitur tertiò, motus concupiſcentiæ involuntarios non eſſe peccata niſi materialitèr, ſicque appellari, vel quia ſunt inordinati, vel quia orti ſunt è peccato originali, & ad peccatum inducunt.

Colligitur poſtremò, *Sanctum Auguſtinum*, habita ratione illorum inordinatorum concupiſcentiæ motuum, qui ſunt involuntarii, & quibus quilibet homo in ſtatu naturæ lapſæ, velit nolit, obnoxius eſt, interdùm aſſerere, nos per peccatum Adami amiſiſſe libertatem non peccandi, quia poſt peccatum Adami inſurgentes illos inordinatos concupiſcentiæ motus, reluctante etiam voluntate noſtra, perſentimus, à quibus Adamus in ſtatu naturæ innocentis erat omnino liber ſubindèque eo in feliciſſimo ſtatu multò perfectiori gaudebat libertate; quam nos, qui in ſtatu naturæ lapſæ his inordinatis concupiſcentiæ motibus ſubjacemus, & luctam paſſionum atque perduellis concupiſcentiæ rebellionem experimur, quam tamen ſemper vincere ac profligare poſſumus præſidio ac beneficio Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ, quam Deus vel confert omnibus, vel offert, quæque dat veram, completam, expeditam, ac proximam à peccato abſtinendi potentiam, ita ut nihil ex parte potentiæ deſit.

Quocircà, hæc Propoſitio, quæ inter quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones eſt ordine prima, fuit jure optimo proſcripta: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*. Juſta itidem de cauſa vaticano fulmine proſcripta eſt altera *Janſenii* Propoſitio, quæ eſt ordine tertia, quæque his verbis concepta eſt: *Ad merendum vel demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Non

Non me latet, *Ianſenium*, præter Gratiam efficacem victricem, quam ſitam eſſe docet in cœleſti delectatione, quæ ſuperior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione, aliam admittere Gratiam, efficacem quidem, ſed non victricem, quam appellat *parvam Gratiam*, quæque conſiſtit in cœleſti delectatione, quæ inferior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione.

Sed in proxima, quam ad te ſcripturus ſum, Epiſtola luculenter oſtendam, hanc Gratiam *parvam*, quam admittit *Janſenius*, non conferre homini plenam, completam, proximam & expeditam obſervandi præcepta Dei, & abſtinendi à peccatis potentiam, adeò ut nihil ex parte potentiæ deſit; ſed potiùs hominem relinquere in impotentia ſervandi Mandata Dei, nec eum eximere à neceſſitate peccandi, ſubindeque, *parvam* Gratiam *Ianſenii* pluribus paraſangis diſtare à Gratia ſufficienti in ſenſu Thomiſtico intellecta, quæ ex entitate, ſeu ex natura ſua diſtinguitur à Gratia per ſe efficaci, quæque dat homini plenam, completam, proximam, & expeditam adimplendi Mandata Dei, emergentes vincendi tentationes, & à peccatis abſtinendi potentiam, ita ut nihil ex parte potentiæ deſit; quamvis tamen ad prorumpendum in actum ſecundum, ſeu ad perfectam eliciendam operationem, uberiori gratia indigeat homo, ſeu Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice, quæ ſuapte vi determinat & applicat hominem ad agendum, illæſa prorsùs manente ipſius libertate tam à coactione, ſeu violentia, quàm à neceſſitate.

Vale, dilectiſsime Diſcipule, & ut à vera Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrina nunquam diſcedas, auctor tibi ſum, ut Gratiæ ſufficientis, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, notionem, quam in hacce Epiſtola ſat ſuperque expoſui, obviis ulnis àmplectaris; à *parva* verò *Ianſenii* Gratia, quam nonnullis *Sufficientem* perperàm appellare placet, omninò abhorreas, & tandem Gratiam ſufficientem, in ſenſu Moliniſtico uſurpatam, velis remiſque fugias.

EPI

Digitized by Google

EPISTOLA QUARTA
THEOLOGICO-POLEMICA,

In qua rejicitur Gratia Parva *, quam admittit Janſenius ; & latiſſimum aperitur diſcrimen , quod intercedit Gratiam illam* Parvam *, à Janſenio admiſſam , inter & Gratiam ſufficientem , quam conſtantèr propugnat univerſa Schola Thomiſtica .*

JAnſenius , Iprenſis Epiſcopus , docet, ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis latè commonſtravi , ſolam in ſtatu naturæ innocentis fuiſſe Gratiam ſufficientem , in ſenſu Moliniſtico acceptam , quæ ſcilicet eſſet verſatilis , vaga & indifferens , ſubditaque libero Adami & Angelorum arbitrio , quæque per illorum conſenſum fieret efficax , vel per illorum diſſenſum ac reſiſtentiam evaderet inefficax ; adeò ùt boni Angeli in accepta juſtitia ideò perſeveraverint , quia per ſuum liberum arbitrium conſentiendo Gratiæ ſufficienti ac verſatili , in ſenſu Moliniano intellectæ, ſibique à Deo oblatæ , eam reddiderunt efficacem , ſicque propriis liberi arbitrii viribus in bono perſeverarunt , ſeque diſcreverunt à malis Angelis, qui per ſuum itidem liberum arbitrium Gratiæ ſufficienti diſſentiendo, eam reddiderunt inefficacem , ideoque non perſeverarunt .

At verſa vice , *Janſenius* admittit dumtaxàt in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam efficacem , & ab eodem ſtatu ablegat, proculque eliminat Gratiam ſufficientem , diſtinctam à Gratia efficaci , & tam in ſenſu Moliniſtico, quàm in ſenſu Thomiſtico intellectam . Hinc *Janſenius* cap. 1. lib. 3. *De Gratia* ait : *Poſt lapſum Adæ nullum datur adjutorium verè ſufficiens , quia ſimul efficax ſit.* Et cap. 2. ejuſdem libri Gratiam ſufficientem , etiam in ſenſu Thomiſtico uſurpatam , explodit , ſugillat , exſufflat ; miſereque diſcerpit ac dilaniat his verbis : *Non tantùm inutilis eſt , ſed & perniciosa . Et verò quid homini miſero perniciosius , quam illa Gratia abundare , qua nemo unquam , fatentibus etiam Scholaſticis , niſi majorem damnationem aſſecutus eſt ?* Et cap. 3. ejuſdem libri , ſic in Aſſertores Gratiæ ſufficientis in ſtatu naturæ lapſæ *Ianſenius* acriter invehitur . *Illud a recentioribus prçlatum Gratiæ ſufficientis genus , quo adjuvante , nullum unquàm opus factum eſt , aut fiet unquàm . . . . . . videtur monſtrum quoddam ſingulare Gratiæ , ſolummodò peccatis faciendis , majorique damnationi accerſendæ ſerviens ; ideoque lapſis hominibus , citrà Dei invidiam , damnandis excogitatum .* Idem inculcat *Janſenius* eodem in capite aſſeritque , *Gratia Sufficienti* (in ſtatu naturæ lapſæ) *nihil monſtroſius eſſe , quòd nunquam ab initio lapſus humani uſque ad judicii diem , ullum in humana voluntate effectum habuit , aut habitura eſt .*

Hæc , & alia id genus *Janſenii* loca , quibus referendis ſuperſedeo , ſi tantillum expendere haud graveris , dilectiſſime Diſcipule , confeſtim fateberis, *Janſenium* rotundè negaſſe dari in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam ſufficientem , non tantùm uſurpatam in ſenſu Moliniſtico , quem rejicit univerſa Schola Thomiſtica , ſed etiam *Janſenium* planè repudiaſſe in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam ſufficientem intellectam in ſenſu Thomiſtico , quem profitentur & mordicùs propugnant omnes quotquot ſunt *Sancti Thomæ* , Doctoris Angelici , & Sanctiſ-

ſimi

ſimi Præceptoris noſtri, veri ac genuini filii, ac diſcipuli.

I. Verùm, ne quid diſſimilem, quia quotidiana experientia conſtat, benè multos eſſe in ſtatu naturæ lapſæ homines, qui internæ divinæ Gratiæ reluctantur, nolens *Janſenius* hanc funeſtam experientiam, omnibus, heu nimium! notam, inficias ire, aut de ea diſputationem movere; admiſit in ſtatu naturæ lapſæ, præter Gratiam efficacem & victricem, aliam Gratiam, quam *Parvam* vocat, quæque licèt efficax ſit, victrix tamen non eſt. Quod quidem ut clariùs intelligas breviter obſerves velim, Gratiam efficacem victricem, juxta *Janſenium*, nihil aliud eſſe quàm cœleſtem indeliberatam delectationem victricem relativè ad gradus cupiditatis, ſeu concupiſcentiæ, quibus eſt ſuperior: *Delectatio victrix* (inquit Janſenius lib. 8 De Gratia Chriſti cap. 2.) *relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quandò alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis ineffcacibus deſideriis hærebit animus.* Et cap. 10. lib. 4. *De Gratia Chriſti* clariùs his verbis mentem ſuam aperit *Janſenius*, dicens: *cur Auguſtinus omnem omninò Gratiam purè ſufficientem auferat? ratio perſpicua eſt, quia cum ei nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel, alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur. Sin autem illa ſuperaverit, jam ſine dubio benè voluntas operabitur. Quod enim amplius nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt. Sed utrumlibet fiat, non erit ſufficiens gratia, ſed vel efficax, vel ita inefficax, ex qua operatio ne quidèm poſſit ſequi, niſi ejus efficacia per aliam ſuppleatur.*

Ex quibus verbis patet primò, *Janſenium* conceptis verbis docuiſſe, Gratiam efficacem victricem conſiſtere in cæleſti delectatione ſuperiori terrena delectatione concupiſcentiæ. Secundò *Janſenium* aſſerere, hanc Gratiam, quam alibi *Parvam* appellat, eſſe efficacem, ſed non victricem, eamque ſitam eſſe in cæleſti delectatione, quæ gradibus inferior eſt oppoſita concupiſcentia actuali, quam relative vincere ac ſuperare non poteſt; ait enim Janſenius: *Ex qua*, ſeu ineſficaci Gratia, quam *Parvam* appellat, *operatio ne quidem poſſit ſequi, niſi ejus inefficacia per aliam ſuppleatur.* Undè manifeſtò patet, hanc gratiam, quam Janſenius *Parvam* vocat, ſi ſpectetur relativè ac comparatè ad majorem actualem concupiſcentiæ delectationem, qua inferior eſt, non eſſe Gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam quia Gratia ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico accepta, dat veram, plenam, proximam, expeditam potentiam vincendi & ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus, & operandi bonum, quamvis tamen ad actu vincendos omnes cupiditatis gradus, & ad actu benè operandum neceſſaria ſit Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax, ſicut omnes docent Thomiſtæ. At verò, Gratia *Parva*, quam admittit *Janſenius*, ſi conſideretur relativè, ſeu comparatè ad majorem actualem concupiſcentiæ delectationem, qua inferior eſt, non dat (ipſomet fatente *Janſenio*) plenam perfectam, proximam, expeditam potentiam vincendi ac ſuperandi majorem actualem concupiſcentiæ delectationem, ergò hæc gratia, quam *Janſenius* appellat *Parvam*, non eſt Gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico, idque ultrò fatetur *Janſenius*, qui capite 1. libri 3 *De Gratia Chriſti* apertiſſimè docet, ſe non aliam nomine ac re ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ gratiam admittere, quàm Gratiam efficacem & victricem, quæ voluntatis conſenſum inſuperabiliter & indeclinabilitèr ſemper exprimit, cuique nunquàm reſiſtitur: *Vocamus*, inquit Janſenius, *ſufficientem gratiam, ſeu ſufficiens adjutorium, præter quod nihil aliud ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit aut operetur.*

Ab hoc *Janſenii* circa Gratiam ſufficientem errore, à catholica Eccleſia fulgurito, quantùm alieni ſint Thomiſtæ, ut meliùs compertum atque exploratum habere poſſis, tria potiſſimùm hac in Epiſtola probanda ſuſcipio. Primò demonſtrabo, errare *Janſenium*, cumque cum *Calvino*, aliiſque hæreticis in hoc convenire, quòd neget, dari in

ſtatu

ſtat naturæ lapſæ Gratiam ſufficientem diſtinctam à Gràtia efficaci.

Secundò evincam, hanc Gratiam efficacem, ſed non victricem (quam *Ianſenius*, Gratiam *Parvam* appellat, quamque ait à Gratia efficaci Victrici eſſe diſtinctam) appellari haud poſſe Gratiam ſufficientem, eamque humanæ voluntati non conferre poteſtatem proximam & expeditam agendi, vel non agendi, ita ut ex parte potentiæ nihil deſit, ſubindéque illam Gratiam, quam *Parvam* nuncupat *Ianſenius*, longè latèque diſcrepare à Gratia ſufficienti in ſenſu Thomiſtico intellecta, quæ dat veram, completam, expeditam, ac proximam potentiam benè agendi, obſervandi Mandata Dei, ſuperandi tentationes, & effrænem compeſcendi cupiditatem; quamvis tamen præter hanc Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, alia Gratia ad actu agendum, ad reipſà ſervanda præcepta Dei, ad ingruentes vincendas tentationes, & ad perduellem concupiſcentiam in ordinem redigendam, neceſſaria ſit alia Gratia, quæ ſit per ſe & ab intrinſeco efficax.

Denique commonſtrabo, omnes tàm antiquos, quàm recentiores Thomiſtas ultrò agnoſcere, per Gratiam ſufficientem (abſente Gratia per ſe efficaci) veram & propriam conferri ad eliciendum omne opus bonum ſupernaturale potentiam, quam negant *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli, qui paſſim in ſuis ſcriptis hanc Propoſitionem, *abſque Gratia efficaci nihil poſſumus in ordine ad ſalutem*, cum doctrinæ ſuæ principiis intimè connexam, docent & inculcant. Quis autem non videt, ex hac Propoſitione, apud *Janſenium*, ejuſque diſcipulos pervulgatiſſima, deduci manifeſta conſecutione, Gratiam ſufficientem non conferre homini veram, realem & actualem potentiam, cui nihil deſit eorum, quæ ad eſſentiam potentiæ pertinent, ad obſervanda præcepta. Qui enim, amabò te, perſtare poteſt vera illa, propria, actualis, & perfecta potentia, ſi homo (quemadmodùm falsò pertendunt *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli) nihil poſſit in ordine ad ſalutem ſine Gratia efficaci?

Claſſis II.

Porrò, ex hac trium doctrinæ capitum diſcuſſione, quam in præſentia aggredior, facili negotio, ut ſpero, deteges omnes doctrinæ *Ianſenii*, ejuſque diſcipulorum circa *Gratiam parvam*, quam admittunt, quamque à Gratia, ſeu à delectatione relativè victrici, & concupiſcentiæ gradibus ſuperiori, diſtinctam profitentur; facilè inquam deteges omnes profligatæ doctrinæ *Ianſenii*, ejuſque diſcipulorum ſinus ac receſſus, artes & fraudes, fallacias, argutias, & æquivocationes, quibus, aſſumpta perperam Thomiſtarum larva, eaque velut involucro, tecti, Catholicis illudere, cenſuriſque Eccleſiæ ſe ſubducere fruſtrà moliuntur; actutùm etiam percipies, *Gratiam* illam *Parvam* Janſenianam toto Cœlo diſtare à gratia verè ſufficienti, quam omnes Thomiſtæ conſtanter omni ævo admiſerunt, quæque abſente gratia ſe ipſa efficaci) confert humanæ voluntati veram, propriam, completam, proximam & expeditam potentiam agendi, & obſervandi mandata Dei, tametſi, ſicut ſæpiùs dixi, humana voluntas inſtructa gratia ſufficienti, in ſenſu Thomiſtico intellecta ſubindèque habens quidquid ad eſſentiam potentiæ attinet, ad actu autem agendum & ad actualem obſervationem mandatorum Dei opus neceſſariò habeat gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci, quæ potentiam illam agendi proximam, quam gratia Sufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellecta, impertitur voluntati humanæ, determinat, & ſuapte vi applicat ad actu agendum, ſeu ad actualem divinorum præceptorum obſervationem.

II. In primis, *Ianſenium* negaſſe una cum *Calvino*, aliiſque hæreticis, dari in ſtatu naturæ lapſę gratiam ſufficientem, quæ ſit alia à gratia efficaci, pater primò ex diſertis ipſuſmet *Ianſenii* teſtimoniis, quæ mox laudavi, & in quibus, ſemota omni caligine, palàm profitetur, *poſt ipſum Adami, nullum dari adjutorium Dei verè ſufficiens, quin ſimul efficax ſit*. Ait inſuper, ſe in ſtatu naturę lapſę non aliud agnoſcere adjutorium ſufficiens niſi illud, *præter quod nihil alid ex parte Dei per modum principii neceſſarium eſt, ut homo velit* aut

aut operetur. Quibus verbis manifeſtò *Janſenius* ſe alienum prodit à doctrina Thomiſtarum, qui, præter gratiam ſe ipſa efficacem, quæ complectitur omnia, quæ ſunt neceſſaria ad actu agendum, & reapſe efficit, ut homo velit, aut operetur, conſtanter, & uno ore docent, admittendam eſſe in ſtatu naturæ lapſæ gratiam verè ſufficientem, quæ ſe tenet ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ, quæque à gratia ſe ipſa efficaci realiter diſtincta confert voluntati creatæ veram, propriam, completam, proximam, & expeditam potentiam ad agendum, quamvis tamen voluntas creata, ut in actualem prorumpat operationem, indigeat ulteriori gratia, ſeu gratia per ſe efficaci.

Hinc nullo negotio, juxtà Thomiſtarum doctrinam, intelligitur, cur juſto, gravi tentatione, cui ſuccumbit, pulſato, obſervatio præcepti non fuerit impoſſibilis? At enim, cùm Thomiſtæ doceant, gratiam per ſe efficacem non tenere ſe ex parte potentiæ, ſeu ex parte actus primi, ſubindeque eam non impertiri voluntati creatæ potentiam proximam, & expeditam reſiſtendi concupiſcentiæ, ſed potiùs gratiam per ſe efficacem tenere ſe ex parte actus ſecundi, & ſupponere, voluntati creatæ prædictam potentiam proximam reſiſtendi concupiſcentiæ dari per gratiam ſufficientem Thomiſticè intellectam; hinc, inquam, juxta illud inconcuſſum doctrinæ Thomiſtarum principium, manifeſtò conſequitur, juſto, gratia efficaci deſtituto, graviter tentato, & lapſo obſervationem præcepti fuiſſe poſſibilem, utpotè cui antè lapſum adfuerit vera, proxima, completa, & expedita potentia obſervandi præceptum, eique dumtaxàt defuerit ejuſdem potentiæ per gratiam ſe ipſa efficacem applicatio, cui ipſemet juſtus peccans libera ſui voluntate obicem poſuit. Planum itaq; ac expeditum eſt, juſtum, qui, gratia ſe ipſa efficaci culpa ſua privatus, labitur in peccatum, habere (juxta Thomiſtarum doctrinam) gratiam verè ſufficientem, illumque ſubindè nullo pacto cauſari ac prætexere poſſe, præceptum ſibi impoſſibile fuiſſe.

At certè, non ſic *Janſenius*, ejuſque diſcipuli non ſic. Hi quippè cùm acritèr pertendant, omnem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe natura ſua efficacem, nullamque eo in ſtatu dari gratiam verè ſufficientem, quæ (abſente gratia efficaci) conferat voluntati creatę poteſtatem veram, proximam, & expeditam adimplendi præcepta; cùm Janſeniſtæ, inquam, gratiam verè ſufficientem, à gratia efficaci diſtinctam, omninò explodant;& à doctrina ſua jubeant faceſſere atque obſtinatis animis doceant, ſolam gratiam efficacem, quam ſitam eſſe dictitant victrici delectatione cæleſti, quæ ſuperior, & ardentior eſt terrena delectatione concupiſcentiæ, dare voluntati creatæ veram, completam, proximam relativam, & expeditam potentiam obſervandi præcepta, quis, amabò, non videt, ex hoc virulento doctrinæ *Janſenii* principio manifeſta conſecutione deduci, juſtum, qui, dùm peccat, & tranſgreditur legem Dei, deſtitutus eſt gratia relativè victrici, ſeu cæleſti delectatione ſuperiori terrena delectatione concupiſcentiæ, carere prorsùs, juxtà præſentes, quas habet vires, vera completa, relativa, & expedita potentia vincendi ſuperiorem ac dominantem terrenam concupiſcentiæ delectationem, & obſervandi divinum præceptum?

Id ſanè palam conſequitur ex hoc errore *Janſenii*, aſſerentis, nullam in ſtatu naturæ lapſæ dari gratiam ſufficientem aliam, à Gratia efficaci. Quem certè errorem jam ante *Janſenium* præformaverant *Calvinus*, ejuſque diſcipuli, quorum benè multa teſtimonia hic in medium proferre poſſem, ſed, ne in immenſum diffundar, & actum agere videar, pauca annotabo, quæ rem planè conficient, & *Janſenii* cum Hæreſiarcha *Calvino*, ejuſque Sectariis, in hoc capitali aſſerendo errore, conſenſionem extra omnem dubitationis aleam ponent.

Et primò quidèm, *Calvinus* lib. 2. Inſtitutionum cap. 13. aliam in ſtatu naturæ lapſæ non agnoſcit gratiam, quàm efficacem, cui reluctari homo non poſſit: *Voluntatem movet* (Deus) *non qualitèr multis ſæculis traditum eſt & creditum*, *ut*

ſæ noſtræ poſteà ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo. Nullam ergò *Calvinus* in præſenti ſtatu naturæ lapſæ gratiam admiſit præter efficacem, invincibilem, & inſuperabilem, cui voluntas refragari non poſſit, ſubindèque exploſit in ſtatu naturę lapſæ gratiam ſufficientem, diſtinctam à gratia efficaci, & cui reapse voluntas hominis reſiſtit.

Præterea, benè multis *Calvini* diſſertiſſimis teſtimoniis evincit perdoctus *Stephanus Decamps* in ſuo egregio Opere *De Janſeniana Hæreſi*, hunc Hæreſiarcham vim omnem & efficaciam Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ docuiſse repetendam eſſe ex indeliberatâ cæleſti delectatione relativè victrici. Ex quo *Calvini* principio, quod *Janſenius* recoxit, ſuæque profligatæ doctrinæ baſim ac fundamentum poſuit, ſequitur primò, omnem Gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe natura ſua efficacem. Secundò, nullam in ſtatu naturæ lapſæ dari gratiam verè ſufficientem, à Gratia efficaci diſtinctam, quæ voluntati creatæ conferat veram, proximam, expeditam & relativam potentiam vincendi ac debellandi oppoſitam terrenam delectationem concupiſcentiæ ardentiorem indeliberata cæleſti delectatione Gratiæ. Tertiò ſub motione Gratiæ efficacis, in hoc Calviniano, & Janſeniano ſenſu intellectæ, non eſſe in poteſtate voluntatis creatæ ei diſſentire, ſed potiùs voluntatem creatam neceſſitate vera, reali, phyſica, & antecedenti ad ei conſentiendum adigi.

Hujus impiæ *Calvini* doctrinæ defenſionem magno animorum æſtu ſuſceperunt iſtius Hæreſiarchæ Diſcipuli, *Chamierus*, *Petrus Martyr*, *David Paræus*, & alii, quos citat mox à me laudatus *Stephanus Decamps*. Quin, & ipſa Calviniſtarum Synodus Dordracena, Anno MDCXIX. indicta, adeò Doctrinæ Calvinianæ capitaliter adverſam, & è diametro oppoſitam eſſe intellexit Gratiam ſufficientem, quæ in ſtatu naturæ lapſæ ſit alia à Gratia efficaci, ut ejuſmodi Gratiam ſufficientem juſſerit ſuis ex Scholis omninò exulare: *Diſtinctio illa* (definit illa Calviniſtarum Synodus) *Gratiæ in ſufficientem & efficacem minimè nobis probatur. Retineant illam ſibi Bellarminus & Arminus, quoſcumque enim Spiritus Sanctus trahit, illis non tantùm dat poſſe currere, ſed etiam ut re ipſa currant.*

Non eſt ergò ovum ovo ſimilius, quàm doctrina *Janſenii*, negantis dari in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam ſufficientem, diſtinctam à Gratia efficaci, ſimilis eſt damnatæ doctrinę *Calvini*, ſubindèque oppidò falſum eſt, quod plenis ac crepitantibus buccis etiamnùm Janſeniani decantare ſolent, videlicet *Janſenium* hanc doctrinam de non admittenda in ſtatu naturæ lapſæ Gratia ſufficienti, diſtincta à Gratia efficaci, ex profundiſſimis & inconcuſſis *S. Auguſtini* principiis, graviſſimo ac diuturno labore deprompſiſſe, hauſiſſe, expreſſiſſe, atque in apertam lucem eduxiſſe; cùm tamen, ſi, quod res eſt, dicere vellent, ultrò & candidè faterentur, *Janſenium*, in ſuo immenſo de Gratia Volumine concinnando, furem hæreſiarchæ *Calvini* ac plagiarium fuiſſe, multùmque Calviniſtas ante *Janſenium*, & pro ipſo laboraſſe, atque tandem in eorum labores introiviſſe *Janſenium*, & ova, quæ ipſi poſuerant, excluſiſſe.

III. Ab hoc argumento, quod *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum jugulum petit, ut ſe ſe expediant nonnulli, qui, licèt è grege Janſeniſtarum ſint, non audent tamen palàm Janſeniſmum conceptis verbis profiteri, de induſtria fingunt ac ſimulant, ſe eſſe Thomiſtas, ut, ſub hac ſacra umbella tecti, in tuto eſſe poſſint. Ajunt igitur larvati iſti ac perſonati Thomiſtæ, ſe haud illibenter admittere in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam verè & propriè in ſenſu Thomiſtico ſufficientem, à Gratia efficaci diſtinctam, eamque nulli juſto, dùm urget obſervatio præcepti, deeſſe. Hoc pacto ſub umbra doctrinæ Scholę Thomiſticę de Gratia ſufficienti deliteſcentes, volunt apud omnes audire & haberi tanquàm Catholici, & genuini *Sancti Thomæ* Diſcipuli.

Poterunt quidem, fateor, iſti homines, utroque genu claudicantes, ſuis artibus, thecnis, & æquivocationibus ru-

di & imperitæ plebi fucum facere , atque ad populum verborum phaleras jactare & oſtentare ; at, ſi iſti homines , periti fraudum artifices, à veris *S. Thomæ* diſcipulis urgeantur , & ad Gratiæ ſufficientis notionem , quam effingunt, dilucidè explanandam , quà diſputationibus , quà editis libris compellantur , actutùm Sole clarius patebit, non aliam ab ipſis admitti in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam ſufficientem , prætèr eam , quam admiſit ipſemet *Janſenius* , quæque tanto intervallo à Gratia veri nominis ſufficienti , in ſenſu Thomiſtico intellecta disjungitur, quanto Cælum diſtat à terra , & ortus ab occidente .

Hæc ſi clarè ſemel evicero, facili negotio compertum ac exploratum habebis, quam falsò *Janſenii* diſcipuli, dictitare , clamitare , & in vulgus ſpargere ſolent , ſe eodem in ſenſu admittere in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam ſufficientem , quo Thomiſtæ illam interpretantur , docent ac tutantur ; ſimulque deteges artes , argutias ; æquivocationes , & latebras ambiguitatis , quibus falſitati præparant refugia , offundendo caliginem veritati , & , ſepiarum more , atramentum ante ſe evomendo , ut piſcatorem effugiant , aut conſpectum ſui eripiant .

Certum eſt in primis, omnes ad unum veros Thomiſtas nomen Gratiæ ſufficientis propter obortas *Lutheri* & *Calvini* hæreſes neceſſarium , & in Scholis Catholicis conſecratum , ultrò recipere , illudque conſtantèr retinendum eſſe cenſere : *Uſus obtinuit* (ait doctiſſimus noſter *Antonius Maſſoulieus* Tom. 2. Operis , cui titulus eſt : *S. Thomas ſui Interpres* Differt. 3. Quæſt. I. Art. I. in fine) *ob exortas hæreſes , & varias in Scholis ſententias , ut ſufficientis auxilii nomine illud intelligatur , quòd confert equidèm voluntati vires ſupernaturales , etſi aliud auxilium* (ſeu per ſe efficax ad actu agendum) *requiratur* . At, hi, qui adhærent doctrinę *Janſenii* , vel ipſum Gratiæ ſufficientis nomen derident, diris devovent , & ad anilia commenta ablegant ; vel ſi (quandò rebus ſuis expedit) Gratiæ ſufficientis nomine utantur , rem tamen ipſam , ſeu ſenſum , quem Gratiæ ſufficienti tribuunt Thomiſtæ , admittere recuſant .

Inter illos Janſenianos , qui Gratiæ ſufficientis nomen inviſum habent , & tanquàm magni nominis umbram ſugillare ſolent , percenſui jam in tertia Epiſtola, quæ in hac ſecunda Epiſtolarum Claſſe continetur , duos inſignes novæ iſtius factionis Scriptores, videlicet Baccalaureum *De Ligny* , & Auctorem *Litterarum Provincialium* , quibus hìc tertium adjungam , qui , ſub adſcititio *Candidi* nomine deliteſcens, in libro , quem edidit, inſcriptum *Polemicum* , totis ingenii & eloquentiæ ſuæ viribus pag. 11. & 12. in Gratiam ſufficientem invehitur his verbis : *Nos non modò faſtidimus , ſed execramur malè ſanam vocem , non niſi politico cuidam concentui cum Molinæ fautoribus, oblitterandæ illi gratiæ , qua Deus in nobis operatur velle , magnificè utilem & accommoda .... Exſufletur igitur terminus ſufficientis gratiæ , quæ non ſufficit , terminus Sacris Litteris , & univerſæ Eccleſiaſticæ traditioni ignotus ; terminus ſe ipſum interimens , terminus inſidians pomæriis fidei , nulli bono aptus , multo malo gravidus veneni perpetui propinatio , ſanæ locutionis everſio , bonæ mentis vexatio ; dedecus rationis* . Sunt tamen, nonnulli Janſeniani , qui , ut mox dixi , Gratiæ ſufficientis nomen (quamquàm ſenſu à Thomiſtis longè diverſo , ſicut , mox oſtendam) paſſim in ſuis Operibus , ſeu latinè , ſeu vernaculè ſcriptis , uſurpant , quò Thomiſtarum larva tecti faciliùs elabi poſſint . Sed , ut trito fertur proverbio : *Simia ſemper ſimia , etiamſi purpura , veſtiatur* .

At enim, hi , qui inter *Janſenii* diſcipulos cenſentur , quique tamen , ut notam Janſeniſmi effugere poſſint , palàm conteſtantur, ac jurant , ſe ultrò admittere in ſtatu naturæ lapſæ gratiam ſufficientem , in ſenſu Thomiſtico intellectam , eamque ulli juſto, urgente præcepto , nunquàm deeſſe ; hi, inquam *Janſenii* diſcipuli fumum vendunt , & pura nominis Gratiæ ſufficientis æquivocatione toti Orbi illudere volunt ; cùm reverà , ſi ſibi conſtare , ſuæque doctrinæ

prin-

Digitized by Google

principiis ſtare velint, gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico intellectam omninò averſentur, nihilque in re concedant, quod non ultrò, & ambabus, ut ajunt, manibus conceſſerit *Ianſenius*, eorum Anteſignanus.

Res ipſa per ſeſe liquidò patebit, ſi doctrina Thomiſtarum de Gratia ſufficiente in ſtatu naturæ lapſæ conferatur cum doctrina illorum *Ianſenii* diſcipulorum, qui, ne Catholicorum odium in ſe concitent, & pænis plectantur, quas in Hæreticos obſtinatos Cenſuræ Eccleſiaſticæ tulerunt; tempori ſerviunt, & de induſtria fingunt, ſe Gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, ultrò in ſtatu naturæ lapſæ agnoſcere ac propugnare, ſolamque rejicere Gratiam Sufficientem, in ſenſu Moliniano acceptam, quam penitùs rejiciunt itidem omnes Thomiſtæ. Qua in re eos ſubdolè agere, & fallere velle, propriis ipſorum verbis, atque illis interpretationibus, quas, ad explanandum ſenſum gratiæ ſuæ ſufficientis, vulgo adhibere ſolent, luculentiſſimè demonſtrabo. Et primò quidem, iſti *Ianſenii* diſcipuli, dùm urgentur à Thomiſtis, ut clarè, ac ſemota omni verborum ambiguitate exponant, quid ſibi velint, quidve intelligant, per gratiam illam *Sufficientem* quam ſe in ſtatu naturæ lapſæ admittere, & homini juſto, inſtante præcepto, non deeſſe profitentur? Confeſtim reſpondent iſti *Ianſenii* diſcipuli, ſe per Gratiam ſuam *Sufficientem* nihil aliud intelligere, quàm delectationem quamdam cæleſtem, concupiſcentiæ delectatione terrena minorem, quæ neceſſariò fortiori, & excandeſcentiori concupiſcentiæ delectationi cedere debet, quippè quam, ob defectum virium, vincere ac ſuperare non poteſt. In qua gratiæ ſuæ ſufficientis interpretatione palàm ſe ſe produnt diſcipulos *Ianſenii*, qui, ſicut jam ſæpiùs diximus, quemadmodùm gratiæ efficacis naturam in ſtatu naturæ lapſæ conſtituit in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrice, & ſuperiore terrena indeliberata concupiſcentiæ delectatione, ita gratiam inefficacem, quam *parvam* vocat, & quam nunc quidam ejus diſcipuli, ad fucum faciendum, appellant *Sufficientem*, conſtituit idem *Ianſenius* in cæleſti indeliberata delectatione, quæ terrena indeliberata concupiſcentiæ delectatione minor, inferior, & debilior eſt, cuique neceſſariò, ob virium defectum, cedere debet.

Quis igitur non videt, hanc Gratiam, quam modò nonnullis *Ianſenii* diſcipulis *Sufficientem* appellare placet, aliam non eſſe præter Gratiam, quam *Ianſenius* appellat *parvam*, quamque ait eſſe indeliberatam cæleſtem delectationem, terrena concupiſcentiæ delectatione minorem ac debiliorem, cui debellandæ cùm impar ſit, neceſſariò oportet ut ei, ut potè fortiori, cedat, faſceſque ſubmittat? Hanc autem Gratiæ (quam *Ianſenius* appellat *parvam*, quamque nunc aliquot ejus diſcipuli vocant fucato tamen nomine *Gratiam ſufficientem*) explicatam notionem alienam omninò eſſe à vera, & genuina Gratiæ Sufficientis, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, notione, lato ſatis calamo oſtendi in mea ſuperiori Epiſtola, nec confidentèr affirmare dubito, nullum unquàm, ſive ex antiquis, ſive ex recentioribus Thomiſtis, à *Ianſenii* diſcipulis in medium productum iri, qui docuerit, aut dixerit, gratiam ſufficientem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, eſſe indeliberatam cæleſtem delectationem minorem ac debiliorem terrena concupiſcentiæ delectatione, cui neceſſariò, proptèr defectum virium, cedat oportet. Sudent, quantum voluerint *Ianſenii* diſcipuli, & in omne latus ſeſe verſantes, miserè ſe torqueant, atque aſſidua lectione cùm antiquorum, tùm recentiorum Thomiſtarum Opera volvant, nullum, me hercle, ex his offendent, qui in hac notione Gratiæ ſufficientis, *Ianſeniſticè* intellectæ, conſentiat, & confeſſas manus præbeat.

Secundò *Ianſenii* diſcipuli, qui unà cum *Ianſenio* efficaciam gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ repetunt ex indeliberata cæleſti delectatione relativè victrice, & ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione; *Ianſenii*, inquam, diſcipuli, ſi compellantur à Thomiſtis, ut exponant, quænam ſit illa obſervandi præ-

Digitized by Google

cepta, & vincendi tentationes potentia, quam voluntati creatæ dat iſta Gratia ſufficiens, quam admittunt in ſtatu naturæ lapſæ? incunctantèr *Janſenii* diſcipuli reſpondebunt, potentiam illam adimplendi præcepta, & ſuperandi tentationes, quam ſua Gratia Sufficiens in ſtatu naturæ lapſæ impertitur voluntati creatæ, eſſe dumtaxàt potentiam abſolutam, & abſtractam à diſpoſitionibus, quæ ſunt in ſubjecto, ſeu eſſe potentiam, quæ præcepta Dei reddit poſſibilia abſolutè, præciſis actualis, & ardentioris oppoſitæ terrenæ concupiſcentiæ delectationis gradibus ac circumſtantiis, quæ ſunt in ſubjecto; ſed non eſſe potentiam relativam ad oppoſitam terrenæ concupiſcentiæ delectationem.

Volunt itaque *Janſenii* diſcipuli, Gratiam illam ***parvam***, quam in ſtatu naturæ lapſæ à Gratia per ſe efficaci diſtinctam admittunt, quamque ***Sufficientem*** appellant; volunt, inquam, hanc Gratiam ***parvam*** conferre voluntati creatæ potentiam obſervandi mandata, & vincendi tentationes abſolutam tantùm, & abſtractam à circumſtatiis, diſpoſitionibus & gradibus oppoſitæ ſuperioris terrenæ concupiſcentiæ delectationis; ſed præfractè negant, gratiam illam ***parvam***, quam in ſtatu naturæ lapſæ agnoſcunt, quamque vocitant ***Gratiam ſufficientem***, dare voluntati creatę potentiam relativam ad præſentes ſubjecti diſpoſitiones, hoc eſt veram, & expeditam potentiam vincendi oppoſitam ſuperiorem terrenæ concupiſcentiæ delectationem. In conflictu enim delectationis cæleſtis inferioris cum oppoſita terrena concupiſcentiæ delectatione ſuperiori, impedita eſt hìc, & nunc, & quaſi vinculo conſtricta manet illa obſervandi mandata, & vincendi tentationes potentia abſoluta, quam voluntati creatæ in ſtatu naturæ lapſæ dat gratia illa ***parva***, quam *Janſenii* diſcipuli ***Sufficientem*** appellant, quia nullo pacto fieri poteſt, ut minor delectatio vincat majorem, ſicut impoſſibile eſt, ut pondus gravius à leviori trahatur, idque diſertiſſimè docet *Janſenius* libr. 4. ***De Gratia*** capit. 9. ubi hæc habet: ***Vigente delectatione carnali impoſſibile eſt, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat.***

Velint igitur nolint *Janſenii* diſcipuli, fateri coguntur, ſe, dùm admittunt in ſtatu naturæ lapſæ, eo ſenſu mox à me expoſito, gratiam ***parvam***, quam perperàm ***Thomiſticè ſufficientem*** appellant, in eoſdem relabi errores in quos *Janſenius* in ſuo concinnando Syſtemate de Gratia impegit. Enim verò, erravit *Janſenius*, docens, Gratiam in ſtatu naturæ lapſæ ſuam deſumere efficaciam ex indeliberata cæleſti delectatione victrici, & ſuperiore indeliberata concupiſcentiæ terrena delectatione: Eumdem capitalem *Janſenii* errorem retinent etiamnùm *Janſenii* diſcipuli. Erravit *Janſenius*, aſſerens, gratiam, quam vocat ***parvam***, quamque in ſtatu naturæ lapſæ à Gratia per ſe efficaci, & victrici diſtinctam affirmat, ſitam eſſe in cæleſti indeliberata delectatione, quæ minor eſt ac debilior indeliberata concupiſcentiæ terrena delectatione, cuique neceſſariò cedere debeat. Eumdem *Janſenii* errorem amplectuntur, & tutantur ejus diſcipuli. Erravit *Janſenius*, dùm pertendit, Gratiam illam, quam ***parvam*** vocitat, non dare voluntati creatæ potentiam proximam, expeditam, & relativam vincendi, & ſuperandi oppoſitam concupiſcentię ſuperiorem delectationem, ſed tantùm ei conferre potentiam abſolutam, & abſtractam à prȩſentibus ſubjecti circumſtantiis, ſeu diſpoſitionibus & terrenæ cupiditatis delectationis gradibus, qui in eo reperiuntur; Eidē *Janſenii* errori adhærent ejus diſcipuli. Erravit *Janſenius*, contendens, vigente ac victrice delectatione terrena concupiſcentiæ, impoſſibile eſſe ut homo benè operetur, ſed neceſſarium eſſe ut peccet, non quidèm neceſſitate abſoluta, naturali, fixa & immutabili; ſed neceſſitate ſimplici, relativa, tranſitoria, & mutabili; eumdem *Janſenii* errorem ſectantur ejus diſcipuli, qui ſubindè cum ſuo Magiſtro *Janſenio* planè conſentiunt.

IV. Scio, *Janſenii* diſcipulos reſpondere ſolitos eſſe ***Janſenium*** docere, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, dùm in ipſo viget ac relativè victrix eſt indeliberata cæleſtis delectatio, carere non ſolùm potentia relativa malè operandi, ſed etiam illum non habere potentiam abſolutam peccandi; ſimilitèr, *Janſenium* aſſerere ho-

Digitized by Google

hominem in ſtatu naturæ lapſæ, dùm in ipſo dominatur, & relativè victrix eſt indeliberata carnalis concupiſcentiæ delectatio, non tantùm eſſe deſtitutum potentia relativa benè operandi, verùm etiam nullam ei in eſſe potentiam benè agendi, quamdiù in ipſo dominatur ac relativè victrix eſt indeliberata concupiſcentiæ delectatio, manetque ſuperior, fortior ac vehementior indeliberata cæleſti gratiæ delectatione.

Ab hoc *Janſenii* errore, ex quo ſequitur, hominem in ſtatu naturę lapſæ alternatìm per duas illas delectationes, cæleſtem nimirùm & terrenam, neceſſariò aut benè agere, aut peccare, ſe abhorrere dictitant hi, qui nunc nihil ſibì cum damnata *Janſenii* doctrina ſocietatis ac negotii eſſe de induſtria ſimulant, ajuntque, ſe cum Thomiſtis eſſe concordes, & cum illis ultro fateri, hominem in ſtatu naturæ lapſæ ſemper ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis retinere veram potentiam peccandi, eumque itidem, gratia per ſe efficaci deſtitutum, ſervare potentiam benè operandi, & abſtinendi à peccato.

Verùm, hæc reſponſio duplici nititur ſuppoſitione, quam à vero maximè abludere proclive eſt demonſtrare. Supponit quippè primò hæc reſponſio, *Janſenium* negaſſe, hominem ſub motione victricis delectationis retinere potentiam abſolutam ad oppoſitum; quod tamen nunquàm venit in mentem *Janſenii*, ut potè qui paſſim ſuo in Opere De Gratia totus in id potiſſimùm incumbit, ut probet, hominem in ſtatu naturæ lapſæ ſub motione victricis delectationis, ſive cæleſtis, ſive terrenæ, non retinere quidèm potentiam relativam ad oppoſitum, ſed retinere tamen ſub motione victricis delectationis potentiam abſolutam ad oppoſitum, ſeu potentiam abſtractam à circumſtantiis, & diſpoſitionibus ſubjecti.

Mentem ſuam pluribus in locis ſuper hac re aperit *Janſenius*, ſed præcipue L8. *De Gratia Chriſti* c 20 ubi hæc habet: *Dicimus liberum arbitrium quantumcumq; vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poſſe bonum non tantùm non facere, ſed etiam malum. ..... Nimirùm quia eodem tempore, quo voluntatis arbitrium ſub gratiæ delectatione efficaciter eam movente poſitum eſt, immò, quo etiam actum voluntatis bonum facit, eſt in eadem voluntate poteſtas illud non faciendi, immò peccandi; non quòd ceſſatio ab actu, quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum Gratiæ delectantis influxu conſiſtere poſſit (quod ſenſus compoſitus poſtularet) ſed quia ceſſandi & peccandi poteſtas cum eadem gratia ſimul in eodem voluntatis arbitrio conjungi poteſt. Nam quamvis duo actus contrarii ſint oppoſiti, & in eadem voluntate ſimul eſſe non poſſint, poteſtates tamen ad oppoſita non ſunt oppoſitæ, nec ſibi invicèm, nec actibus oppoſitis, & in eodem ſubjecto, ſive agente, ſive quieſcente, commorantur.*

Ex hoc locupletiſſimo *Janſenii* teſtimonio ſic argumentor: *Ianſenius* ultrò ac lubentiſſimè fatetur, hominem in ſtatu naturæ lapſæ, quantumcùmque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, retinere potentiam peccandi, atqui *Ianſenius* per illam potentiam peccandi, non intellexit potentiam proximam, expeditam, & relativam peccandi, ſed intellexit dumtaxàt potentiam abſolutam peccandi; ergò *Ianſenius*, homini ſub imperio Gratiæ efficacis, ſeu victricis cæleſtis delectationis conſtituto, concedit tantùmmodò potentiam abſolutam non peccandi, ſed ei reapsè denegat potentiam proximam, expeditam, & relativam non peccandi. Minorem Propoſitionem ſic probo: Potentia proxima, expedita ac relativa ea eſt, quæ nullo oppoſito vinculo impedita & ligata eſt; Atqui *Ianſenius* innumeris in locis docet, hanc potentiam peccandi, quam retinet homo ſub imperio Gratiæ efficacis, ſeu victricis delectationis cæleſtis, eſſe potentiam impeditam, & indiſſolubili vinculo ligatam, videlicet per ſuperiorem & relativè victricem cæleſtem delectationem, cui neceſſariò cedere debet minor ac debilior oppoſita terrenæ concupiſcentiæ delectatio. Similiter, docet *Ianſenius*, hominem, in quo dominatur & vehementior eſt terrena concupiſcentiæ delectatio, habere potentiam faciendi bonum impeditam atque ligatam per majorem ac ſuperiorem terrenam

nam concupiſcentiæ delectationem, cui neceſſariò cedere debet oppoſita cæleſtis delectatio gratiæ, utpotè inferior, minor, ac debilior.

Ergo potentia illa peccandi, quam *Janſenius* tribuit homini ſub imperio gratiæ efficacis, ſeu Victricis delectationis cæleſtis & potentia itidem illam benè agendi, quam idem *janſenius* concedit homini, in quo dominatur & relativè victrix eſt terrena concupiſcentiæ delectatiò, eſt potentia dumtaxàt abſoluta ad oppoſitum, ſeu potentia abſtracta à circumſtantiis & diſpoſitionibus ſubjecti, non verò potentia proxima, expedita & relativa ad circumſtantias & diſpoſitiones ſubjecti, ſeu ad cæleſtis, vel terrenæ delectationis gradus, qui ſunt in ſubjecto. Audi, ſi placet, *Janſenium* l 7. *De Gratia Chriſti* Cap. V. mentem ſuam Sole clariùs his verbis promentem: *juſtitiæ, vel peccati delectatio eſt iſtud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ità firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiù iſto ſtabiliter poſſidetur ac conſtringitur, actus oppoſitus eſt extra ejus poteſtatem* hoc eſt, juxtà *Janſenium*, eſt extra ejus *poteſtatem*, non quidèm *abſolutam*, ſed *relativam*, quia homo ſi determinetur à ſuperiori & relativè victrici cæleſti gratiæ delectatione, habere non poteſt potentiam proximam, expeditam, & relativam potentiam peccandi, cùm minor & inferior concupiſcentiæ delectatio nullo pacto vincere poſſit majorem ac vehementiorem gratiæ cæleſtem delectationem, & verſa vice, homo, in quo dominatur ardentior & relativè victrix concupiſcentiæ terrena delectatio, caret potentia proxima, expedita & relativa benè agendi, cum impoſſibile ſit, ut minor ac debilior gratiæ delectatio ſuperet majorem, & intenſiorem concupiſcentiæ delectationem.

Hinc *Janſenius* l. 7. *De gratia Chriſti* C. I. infert, ſine delectatione ſuperiori ac victrice *tam impoſſibile eſſe voluntati ut benè velit, & operetur, quàm homini cæco ut videat, vel ſurdo ut audiat, vel tibiis fracto ut rectè gradiatur, vel avi ut volet ſine alis*. Et lib. 3. *De Gratia Chriſti* c. 13. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque gratia, qua illis poſſibilia fiant*; ideſt, juſtis deeſt gratia, qua præcepta fiant eis poſſibilia, poſſibilitate proxima, expedita & relativa ad actualem concupiſcentiæ delectationem, quæ tunc in ipſis major eſt & excandeſcentior cæleſti gratiæ delectatione.

Falsò itaque ſupponitur, *Janſenium* docuiſſe, hominem ſub motione delectationis victricis, ſeu cæleſtis, ſeu terrenæ non retinere potentiam abſolutam ad oppoſitum cùm tamen negaverit dumtaxat hominem ſub motione delectationis relativè victricis ſeu cæleſtis, ſeu terrenæ, retinere potentiam proximam, expeditam & relativam ad oppoſitum. In hoc certè ſitus eſt error qui in prima *Janſenii* Propoſitione, quam Eccleſia proſcripſit, radiis ſolaribus clariùs exprimitur, & à quo ne tranſverſum quidèm digitum recedunt illi, qui indivulsè adhærentes capitali *Ianſenii* errori circà delectationem relativè, ſeu per gradus ſuperiorem ac victricem & neceſſitantem, vellent tamen, ambigua unius vocis, ſeu *potentiæ* ſignificatione tecti, perſuadere, ſe à confixis *Ianſenii* erroribus quàm maximè eſſe remotos atque alienos.

Sed planè intolerabilis eſt altera ejuſdem *Ianſenii* diſcipulorum ſuppoſitio, qua plenis ac crepitantibus buccis clamitant, ſe, in vera gratiæ *Sufficientis* in ſtatu naturæ lapſæ admitenda notione, à Thomiſtis non diſcrepare, cùm tamen certò certius ſit, eos cum Thomiſtis verbis quidèm concordes videri velle, ut ſuis erroribus pallium Thomiſtarum falsò obtendant, ſenſu tamen illos à Thomiſtarum gratiæ *Sufficientis* notione remotiſſimos eſſe.

At enim, omnes Thomiſtæ aſſerunt, voluntatem creatam, abſente Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice, habere ope Gratiæ *Sufficientis* plenam, completam, proximam expeditam potentiam bene operandi, & vincendi oppoſitam actualem concupiſcentiam, ita ut voluntati creatæ, Gratia Sufficienti Thomiſticè intellectæ ſemel inſtructæ nihil deſit ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ, quamvis tamen ad actu operandum, & vincendam oppoſitam actualem concupiſcentiam opus habeat voluntas creata, præter Gratiam Sufficientem, alia ex parte Dei Gratia, ſeu gratia per ſe efficaci prædeterminatrice, quę tenet ſe ex parte actus ſecundi, facitque intrinſeca ſui virtute, ut voluntas creata in-

actua-

actualem ac perfectam exeat operationem.

Ab hac vera & Catholica Thomiſtarum Gratiæ ſufficientis notione multis paraſangis diſtat exotica illa, quam nobis obtrudunt *Janſenii* diſcipuli, Gratiæ ſufficientis notio. Volunt enim Janſeniſtæ, Gratiam illam, quam *Janſenius* appellat *Gratiam parvam*, quamque ipſi *Gratiam ſufficientem* vocant, conferre dumtaxàt voluntati creatæ (abſente Gratia efficaci, ſeu cæleſti delectatione relativè victrici) potentiam abſolutam & abſtractam à præſentibus circumſtantiis & diſpoſitionibus ſubjecti, ſed ei non impertiri potentiam proximam, expeditam, & relativam vincendi oppoſitam ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem victricem. Cùm enim gratia illa *Janſeniſticè ſufficiens* ſita ſit in cæleſti delectatione, quæ inferior ac debilior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione, quæ relativè victrix eſt, indè manifeſtò ſequitur primò, Gratiam illam *Janſeniſticè ſufficientem* non conferre voluntati creatæ potentiam proximam & relativam vincendi oppoſitam ſuperiorem ac relativè victricem concupiſcentiæ delectationem; cùm potiùs neceſſarium omninò ſit ut cæleſtis Gratiæ delectatio, quæ inferior, minor ac debilior eſt, cedat oppoſitæ delectationi terrenæ actualis concupiſcentiæ, quæ major, ſuperior, atque relativè victrix eſt. Secundò ſequitur, potentiam illam ad oppoſitum, quam Gratia *Janſeniſticè ſufficiens* dat voluntati creatæ, non eſſe potentiam liberam & expeditam, ſed eſſe potentiam ligatam, impeditam, & inſuperabili vinculo conſtrictam; ligatur enim, impeditur; ac retinetur prædicta illa potentia ab oppoſita concupiſcentiæ delectatione, quæ major ac ſuperior eſt cæleſti delectatione Gratiæ *Janſeniſticè ſufficientis*. Confer nunc, obſecro te notionem Gratiæ ſufficientis Thomiſtarum cum Gratia ſufficienti Janſeniſtarum, & ultrò fateberis, notionem Gratiæ ſufficientis Thomiſtarum plus diſtare à notione Gratiæ ſufficientis Janſeniſtarum, quàm diſtent homo à ſimia, & aurum à plumbo.

V. Sed aliam nunc accipe inſignem diſcrepantiam, quæ intercedit Gratiam ſufficientem Thomiſtarum inter & illam *Gratiam parvam*, quam à gratia efficaci diſtinctam admiſit *Janſenius*, quamque ejus diſcipuli ſpecioſo quidèm, ſed falſo *Gratiæ ſufficientis* nomine nunc cohoneſtare ſolent. Gratia enim ſufficiens Thomiſtarum, quæ voluntati creatæ dat veram, proximam, & expeditam agendi potentiam, ita ex entitate, ſeu ex natura & eſſentia ſua, diſtinguitur à gratia per ſe efficaci, in ſenſu Thomiſtico intellecta, ut nunquàm & in nullo caſu poſſit evadere per ſe efficax.

Aſt gratia *parva* Janſenii, quam modò ejus diſcipuli *ſufficientem* appellant, poteſt eſſe in eodem ſubjecto nunc ſufficiens, nunc efficax, juxtà majorem vel minorem terrenam concupiſcentiæ delectationem, qua afficitur ſubjectum. Si enim in eo occurrat carnalis concupiſcentiæ delectatio major, & intenſior quàm ſit gratiæ cæleſtis delectatio, tunc gratia, ut volunt *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, erit tantùm ſufficiens & inefficax; ſi verò minuatur in eodem ſubjecto cupiditas, & terrena concupiſcentiæ delectatio ſit minor, debilior, ac remiſſior cæleſti gratiæ delectatione, tunc eadem gratia, quæ erat tantùm ſufficiens & inefficax, evadet efficax & victrix.

Hoc arcanum doctrinæ *Janſenii* diſcipulorum, qui nunc, ut imperitum vulgus decipiant, gratiam ſufficientem, à gratia efficaci diſtinctam, ſe haud illibenter in ſtatu naturæ lapſæ admittere clamitant, reſeravit, & in apertam lucem produxit unus ex illorum grege *Vuillelmus Vuendrockius*, videlicèt *Nicolius*, qui *in Dialogo in Epiſtolam XVIII. Ludovici Montaltii* pagina mihi 317 Tom. 2. Editionis Colonienſis, hæc habet, quæ totius *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum doctrinæ virus complectuntur: *Gratia* (ait Nicolius) *quæ nunc victrix eſt, dùm cum levi cupiditate pugnat, aucta cupiditate & acriùs inflammata, poteſt etiam actu ſuperari . . . . . . Et quemadmodùm cupiditas quæ victrix erat dùm cum alia minore certabat, ſi hæc invaluerit, & admotis propiùs incitamentis exarſerit, deſinit eſſe victrix, deſinit plenam elicere voluntatem; ſic item eadem illa gratia, quæ cum minore cupiditate pugnans, victrix dicebatur, ſi novus* in-

ingruat cupiditatis fluctus, *actu ſuperatur*. *Ita fieri poteſt*, *ut qui levem tentationem ſuperat*, *à majore ſuperetur*, *etiamſi eadem utrobique gratia polleat*. Poteratne *Nicolius* diſcipulorum *Janſenii* doctrinam, cui addictus erat, quamque apprimè callebat, clariùs patefacere, eamque evidentiùs ſecernere à doctrina, quam de Gratia ſufficienti & efficaci hactenùs invictè Thomiſtæ propugnarunt?

Ecquem, amabò, verum Thomiſtam dare unquàm poterunt *Janſenii* diſcipuli, qui ſomniaverit, aut dixerit aliquandò, eamdem Gratiam eſſe nunc ſufficientem & inefficacem; nunc verò efficacem ac victricem? certè hæc paradoxa, quæ ſunt principiis doctrinæ *S. Thomæ* de Gratia ſufficienti & efficaci è fronte oppoſita, fuerunt in Schola Thomiſtica ad noſtram uſque memoriam à ſæculis inaudita, nullum planè tam peregrinæ & falſæ doctrinæ veſtigium extat in Operibus cùm antiquorum, tùm recentiorum Thomiſtarum, qui potiùs concordibus animis atque ſuffragiis docent, Gratiam ſufficientem, Thomiſticè intellectam, quæ voluntati creatæ dat potentiam completam, proximam, & expeditam benè agendi; ità ex entitate ſua, ideſt, ex natura & eſſentia ſua diſtingui à Gratia per ſe efficaci, quæ hanc potentiam proximam & expeditam, à Gratia ſufficienti collatam, applicat & reducit ad actum ſecundum, ſeu ad actualem & perfectam operationem, ut nunquàm, & in nullo caſu fieri poſſit, ut *Gratia ſufficiens*, in ſenſu Thomiſtico intellecta, evadat *per ſe efficax*; &, verſa vice, *gratia per ſe efficax*, in ſenſu Thomiſtico intellecta, reddatur *ſufficiens* & *inefficax*, id, inquam, in Syſtemate Thomiſtarum de Gratia ſufficienti & efficaci nullo pacto fieri poteſt.

Ex quo facile deteguntur fraudes & artes *Janſenii* diſcipulorum, qui nunc, ut Cenſuras Eccleſiaſticas contra aſſertores damnatæ doctrinæ *Janſenii* latas declinare poſſint, profitentur, ſe ambabus manibus amplecti, & admittere gratiam *Sufficientem* Thomiſtarum, quia ficté & fraudulentèr ſupponunt, quòd Thomiſtæ doceant, Gratiam *Sufficientem* aliquandò reipſa evadere *Efficacem*, & opus bonum atque perfectum ſe ſola producere. Suam, & aliorum *Janſenii* diſcipulorum mentem diſertè ſuper hac re aperit *Antonius Arnaldus* in Diſſertatione De Gratia efficaci, quæ extat in *Cauſa Arnaldina*, ubi hæc habet: *Quam volent igitur* (inquit *Arnaldus* pag. 357.) *excitantem gratiam ſufficientem appellent recentiores Thomiſtæ*, *nos omninò repugnantes non habebunt*, *dummodò*, *ut faciunt*, *eò tantùm ſenſu ſufficientem dicant*, *quod in nobis initia bonæ voluntatis producat*; *atque adeo quamdam benè agendi potentiam & virtutem largiatur*; *quòd talis ſit*, *ut niſi validior ei concupiſcentia reſiſteret*, *non modò boni operis deſiderium fructu vacuum*, *ſed ipſum bonum opus reipſa* (& quidem ſola, ut ibidem ait) *produceret*.

Viden, ex ipſamet *Janſenii* diſcipulorum ingenua confeſſione liquere, illos ideò nunc aſſerere, ſe Gratiam *Sufficientem* Thomiſtarum admittere, quia ficté & fallacitèr ſibi perſuadent, Gratiam ſufficientem, quam defendunt Thomiſtæ, talem eſſe, ut quandòque efficax evadat, & ſe ſola bonum opus perfectum producat, videlicèt ſi ei non reſiſtat validior concupiſcentię delectatio; quod tamen tam falſum eſt, quàm quod maximè.

Nam primò, omnes Thomiſtæ reprobant notionem illam Gratiæ *Janſeniſticè ſufficientis*, quæ ſita eſt in delectatione cæleſti, quæ terrena concupiſcentiæ delectatione minor ac debilior eſt, & quæ tamen (ſi vel minuatur oppoſita concupiſcentiæ delectatio, vel ſi augeatur cæleſtis delectatio) fiet efficax ac victrix, ſeque ſola perfectum opus, ſeu converſionem peccatoris, producet, hanc, inquam, Gratiæ *Janſeniſticè ſufficientis* notionem averſantur, diriſque devovent omnes ad unum Thomiſtæ, quia continet & exprimit capitalem *Janſenii* errorem circà delectationem relativè, ſeu per gradus ſuperiorem, ac victricem.

Secundò, in confeſſo eſt apud omnes veros Thomiſtas, cùm antiquos, tum recentiores, Gratiam ſufficientem *Thomiſticè intellectam*, quæ voluntati creatę dat veram, completam, proximam & expeditam benè agendi potentiam, ità

ità ex natura, ſeu ex eſsentia ſua differre à Gratia per ſe efficaci *Thomiſticè* accepta, quæ hanc proximam, & expeditam potentiam applicat & determinat ad actu agendum, ſeu ad actualem & perfectam operationem, ut nunquàm contingere poſſit, Gratiam *Thomiſticè ſufficientem* evadere efficacem, ſeque ſola bonum opus perfectum ſeu converſionem peccatoris, producere.

Eant ergò nunc *Janſenii* diſcipuli, & vana, quantùm voluerint, exultatione bacchentur, jactitentque, ſe Gratiam *Sufficientem* Thomiſtarum admittere ac propugnare. Poterunt quidèm auritæ, & imperitæ plebi fumum & ſimiles quiſquilias venditare, ſed non Scholæ Thomiſticæ, quæ illos intus, & in cute cognoſcit, eoſque, tanquàm ſpurios, & larvatos Thomiſtas, procul à ſuo contubernio arcet.

VI. Tertium modò explicandum ſuſcipio diſcrimen, illudque palmare, quod occurrit Gratiam *Sufficientem* Thomiſtarum inter & Gratiam, quàm *parvam* appellat *Janſenius*, quamque ejus diſcipuli nomine tenùs *Sufficientem* vocant. Id autem diſcriminis in eo potiſſimùm ſiſtit, quòd *Janſenius*, ejuſque diſcipuli doceant, Gratiam *janſeniſticè* ſufficientem ordinari quidèm à voluntate Dei conſequenti ad producendos in voluntate creata actus imperfectos, ſeu velleitates, & imperfecta quædam deſideria, ſed hanc Gratiam nec à voluntate Dei conſequenti, nec à voluntate Dei antecedenti deſtinari, ſeu ordinari ad ulteriorem actum perfectum, videlicèt ad converſionem integram peccatoris, vel ad actualem obſervantiam mandatorum Dei. Ex quo inferunt, Gratiam illam *janſeniſticè ſufficientem* carere ulteriori illo effectu, ſeu actu perfecto, & converſione peccatoris, non propter culpam, vitium, & negligentiam hominis, ſed quia hæc Gratia *janſeniſticè ſufficiens*, quæ ſecum dumtaxat importat cæleſtem delectationem, quæ inferior ac debilior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, non dat voluntati creatæ veram, completam, proximam, expeditam, & relativam potentiam vincendi oppoſitam ſuperiorem ac victricem concupiſcentiæ delectationem, cui neceſſariò propter defectum virium, cedere debet. Quò fit, ut hæc Gratia *janſeniſticè ſufficiens* relinquat hominem in vera impotentia ſeſe convertendi, & obſervandi præcepta Dei.

Hanc Gratiæ *janſeniſticè Sufficientis* notionem repudiant, ac natalitiis tenebris damnant omnes Thomiſtæ, quippè qui coſtantèr docent, Gratiam *Thomiſticè ſufficientem* deſtinari, ſeu ordinari à voluntate Dei conſequente ad imperfectos actus, & pia deſideria, eoſque imperfectos actus in voluntate creata re ipſa producere, & eo in ſenſu efficacem eſse; ſed inſuper aſseruntque, eamdem Gratiam *Thomiſticè ſufficientem* ordinari à vera, & ſincera voluntate Antecedenti, quæ in Deo eſt, ad perfectum & principalem effectum, ſeu ad actualem converſionem peccatoris, vel ad actualem obſervantiam mandatorum Dei; atque eo in ſenſu dicunt Thomiſtæ, eamdem Gratiam non eſse *efficacem*, ſed tamen eſse *verè ſufficientem*, quia dat homini veram, completam, proximam, & expeditam potentiam producendi ulteriorem & principalem effectum, ſeu actum perfectum, & ſe actu convertendi ad Deum, obſervandique ejus præcepta. Quòd autem effectus ille principalis non ſequatur, id non Gratiæ ſufficientis impotentiæ, ſed voluntariæ & liberæ hominis reſiſtentiæ adſcribendum eſse affirmant Thomiſtæ; niſi enim homo propria ſua culpa, malitia, pervicacia ac negligentia curſum Gratiæ ſufficientis ſiſteret, & impediret ne ulteriùs tenderet, ſtata lege Gratia ſufficiens attraheret ad ſe Gratiam uberiorem, & tandèm Gratiam per ſe efficacem, per quam Gratiæ ſufficientis virtus applicaretur, & potentia completa, proxima, & expedita benè agendi, quam homini impertitur, reduceretur ad actum ſecundum, ſicque principalis effectus, ad quem Gratia ſufficiens ex voluntate Dei Antecedenti ordinatur, reapsè obtineretur.

Neque enim cum *Janſenio*, ejuſque diſcipulis, dicunt, aut dixere unquàm Thomiſtæ, hominem, cùm non frænat concupiſcentiam, non accepiſse à Deo Gratiam ſufficientem, quæ ſuppe-

Digitized by Google

peditet veram, completam, proximam & expeditam potentiam ſuperandi concupiſcentiam, ſed potiùs hanc Gratiam ſufficientem conceptis verbis admittunt Thomiſtæ.

Non dicunt Thomiſtæ, Gratiam efficacem (quam *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli conſtituunt in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, & ſuperiore indeliberata concupiſcentiæ terrena delectatione) eſse omninò neceſsariam ut homo poſſit agere; ſed dicunt Thomiſtæ, Gratiam per ſe efficacem, quæ eſt inſtrumentum omnipotentiæ divinæ, eſse tantummodò neceſsariam, ut homo agat, eamque dumtaxàt potentiam proximam, & expeditam benè agendi, quam jam homini beneficio Gratiæ ſufficientis collatam ſupponit, applicare & reducere ad actum ſecundum, ſeu ad actualem, & perfectam operationem.

Non dicunt, aut dixere unquàm Thomiſtæ, ſtante in homine Gratia efficaci (ſeu ut loquuntur *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli, ſtante in homine Victricis delectationis motione) actum oppoſitum non eſse in poteſtate voluntatis creatæ; ſed contrarium aſſerunt Thomiſtæ, docentque, gratiam per ſe efficacem, quam (rejecto *Janſenii* errore circà delectationem relativè, ſeu per gradus ſuperiorem ac victricem & neceſſitantem) reponunt in Præmotione phyſica, ſtare in voluntate creata, unà cum potentia ad oppoſitum. Non dicunt Thomiſtæ, poteſtatem peccandi, quam habet homo, ſtante in ipſo gratia efficaci, eſſe ligatam, aut ſaltèm impeditam, & irretitam (ſicut effutiunt *Janſenius*, ejuſque diſcipuli) ſed hanc peccandi potentiam expeditam, nulloque vinculo conſtrictam ac irretitam eſſe aſſerunt Thomiſtæ.

Poſtremò, non dicunt Thomiſtæ cum *Ianſenio*, ejuſque diſcipulis, gratiam ſufficientem effectu principali, & ulteriori ideò carere, quòd, cùm ſit gradibus & virtute inferior ac debilior actuali oppoſita concupiſcentia, voluntati creatæ non det proximam & expeditam potentiam vincendi omnem obſiſtentem concupiſcentiam. Id certè non dicunt, nec unquàm dixerunt Thomiſtæ, ſed, juxta avitam ſuæ Scholæ doctrinam, aſſerunt, ideò gratiam ſufficientem privari principali, & ulteriori effectu, ad quem ex voluntate Dei Antecedenti deſtinatur, quia homo ei reſiſtit, propria ſua culpa obicem ponit, ejus curſum ſua pervicacia ſiſtit, ſuaque pervicacia impedit, ne gratia ſufficiens, quę ei confert proximam & expeditam potentiam effectum principalem producendi; ulteriùs provehatur; non ſecùs ac (Exempli cauſa) virtus Solis dicitur ſufficiens & ſufficientèr adeſse plantis ad fructificandum, licèt proprio defectu plerùmque non fructificent, quia defectus ille non oritur ex impotentia virtutis Solis, ſed ex prava virtutis plantæ diſpoſitione.

Gratia igitur *Sufficiens*, juxta Thomiſtarum ſententiam, non propter ſuæ virtutis impotentiam (ſicut ajunt *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli) caret effectu principali & ulteriori; ſed ideò gratia Sufficiens, *Thomiſticè* intellecta, caret effectu principali & ulteriori, ad quem ex voluntate Dei Antecedenti ordinatur, quia homo, ſciens, ac volens, ei reſiſtit, & propria culpa ac vitio ſuo curſum ſiſtendo gratiæ ſufficientis, in cauſa eſt cur gratia ſufficiens ulteriùs non tendat, & ad ſe attrahat gratiam uberiorem, ſeu gratiam per ſe efficacem, cujus præſidio principalem & ulteriorem, ad quem gratia Thomiſticè ſufficiens tendit, infallibilitèr homo produceret effectum. Quandò enim Deus largitur homini gratiam ſufficientem ut poſſit benè agere, paratus eſt ex ſe conferre ei gratiam per ſe efficacem ad actu benè agendum omninò neceſsariam, & reverà hanc gratiam per ſe efficacem Deus ei actutùm largiretur, niſi homo gratiæ ſufficienti reſiſteret, & vitio ſuo impediret, ne gratia ſufficiens, quæ illum reddidit completè ac proximè potentem ad principalem effectum, ulteriùs tenderet.

VII. Quartum diſcrimen, quod extat gratiam *ſufficientem* Thomiſtarum inter & illam gratiam, quam *Ianſenius* appellat *parvam*, quamque nunc ejus diſcipulis ementito nomine *ſufficientem* appellitare placet, in eo pręſertim ſitum eſt, quòd *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli acritèr, magniſque animis pertendant, omnem gratiam eſse ex natura ſua efficacem, totum

Digitized by Google

que ſua intrinſeca virtute producere effectum, ad quem producendum deſtinatur & ordinatur à divina voluntate. Verùm enim verò, *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli duplicem in ſtatu naturæ lapſæ admittunt Gratiam, unam videlicet, quam *victricem* nuncupant, Alteram, quam *non victricem* appellant; utramque tamen Gratiam volunt eſſe efficacem, ſeu producere omnem effectum, cujus relativè capax eſt, & propter quem à Deo datur, habita ratione circumſtantiarum ſubjecti. Gratia enim *victrix*, quam *Janſenius*, ejuſque diſcipuli conſtituunt in cæleſti indeliberata delectatione relativè Victrice, & ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione, ac neceſſitante; hæc, inquam, *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum, Gratia relativè victrix, & ſuperior concupiſcentiæ delectatione, ſemper efficax eſt, & producit plenum ac perfectum effectum, ad quem à Deo datur, nimirùm actualem & perfectam converſionem peccatoris, vel actualem obſervationem mandatorum Dei. Gratia verò, quam *Janſenius*, ejuſque diſcipuli vocant *non victricem*, quamque conſtituunt eſſe volunt in cæleſti indeliberata delectatione, quæ minor ac debilior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione relativè victrice; hæc, inquam, *Gratia non victrix*, juxta *Janſenium*, ejuſque diſcipulos, eſt itidem efficax, & producit in voluntate creata effectum, imperfectum & debilem, ad quem à Deo datur, videlicet actus imperfectos, velleitates, & pia deſideria. Cæterùm, negant *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, Gratiam illam, quam *non victricem* appellant, poſſe dici *ſufficientem* comparatè ad effectum principalem, plenum, ac perfectum, nimirùm comparatè ad actualem peccatoris converſionem, & actualem obſervantiam mandatorum Dei, quia, inquiunt, hæc *Gratia non victrix* dare nequit homini potentiam veram, proximam, expeditam & relativam producendi principalem, plenum, ac perfectum effectum, ſeu actualem operandi converſionem, vel actu obſervandi præcepta Dei. Sola quippè *Gratia Victrix*, ajunt *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, dat homini veram, proximam, expeditam & relativam potentiam producendi effectum, principalem, plenum ac perfectum, ſeu actualem producendi converſionem, & actu obſervandi mandata Dei.

Ex quo ſequitur primò, *Janſenium*, ejuſque diſcipulos, nullam in ſtatu naturæ lapſæ admittere Gratiam, niſi efficacem. Secundò, eos nullam agnoſcere Gratiam verè ſufficientem, à Gratia efficaci victrici diſtinctam, quæ det homini veram, completam, proximam, expeditam, & relativam potentiam producendi actum plenum ac perfectum, ſeu actualem converſionem, vel obſervantiam mandatorum Dei. Sequitur tertiò, Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſti. In ſententia enim *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum, ſicut mox obſervavi, quælibet Gratia in ſtatu naturæ lapſæ eum ſemper obtinet effectum, cujus, relativè ad oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem, capax eſt, & ad quem, habita ratione hujus delectationis ſuperioris, producendum à Deo datur, ſive plenum ac perfectum, ſi terrena concupiſcentiæ delectatio inferior fuerit, & Gratiæ delectatio cæleſtis ſuperior; imperfectum verò ac debilem, ſi concupiſcentiæ delectatio ſuperior extiterit, Gratiæ verò delectatio inferior; adeòque in doctrina *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum, *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*; quod in ſecunda *Janſenii* Propoſitione, ab Eccleſia Catholica fuit damnatum.

Ab hac autem *Janſenii*, & aliorum, qui etiamnùm ab ejus partibus ſtant, ſe remotiſſimos eſſe invictè planè probant Thomiſtæ: Aſſerunt quippè primò, Gratiam *Thomiſticè ſufficientem* ordinari ex voluntate Dei conſequenti ad excitandos in voluntate creata actus imperfectos, ſeu velleitates & pia deſideria; & quantùm ad illos actus debiles, & imperfectos, qui hominem diſponunt ac præparant ad actum plenum ac perfectum, ſeu ad actualem converſionem, vel obſervantiam mandatorum Dei, dicunt Thomiſtæ, Gratiam *Thomiſticè ſufficientem* eſſe efficacem, eique neminem reſiſtere.

Secundò, affirmant Thomiſtæ, Gratiam

tiam.

Digitized by Google

tiam *Thomiſticè ſufficientem* deſtinari à voluntate Dei Antecedenti (quam veram ac ſinceram eſſe agnoſcunt) ad plenum & perfectum effectum, ſeu ad actualem peccatoris converſionem, vel obſervantiam præceptorum Dei, eumque, quantùm ad illum effectum, ſeu actum plenum, ac perfectum, non eſſe *efficacem*, ſed dumtaxàt *ſufficientem*, quia dat homini veram, completam, proximam, & expeditam potentiam producendi effectum, ſeu actum plenum ac perfectum, videlicèt confert homini proximam & expeditam potentiam ſeſe convertendi, vincendi inſurgentes tentationes, & obſervandi divina præcepta.

Tertiò, docent Thomiſtæ, Gratiæ *Tomiſticæ ſufficienti*, quatenùs ex voluntate Dei Antecedenti ordinatur ad plenum ac perfectum effectum, ſeu actum, hominem reverà reſiſtere, dùm propria ſua culpa, & malitia ſiſtit ejuſdem Gratiæ curſum, & impedit ne ulteriùs tendat, ſicut paulò antè liquidò me expoſuiſſe memini. Porrò, nec *Janſenius*, nec Janſeniſtæ idem de Gratia *Janſeniſticè ſufficienti* dicere poſſunt, quia ipſi docent, Gratiæ huic *parvæ*, ſeu *Janſeniſticè ſufficienti*, etiam quantùm ad ulteriorem effectum, ſeu actum plenum, ac perfectum, ad quem prædicta Gratia *parva*, ſeu *Janſeniſticè ſufficiens*, ex ſe, propriaque natura abſolutè tendit & ordinatur, quemque propter oppoſitam ardentiorem concupiſcentiæ delectationem non aſſequitur; dicunt, inquam, *Janſenius*, & Janſeniſtæ, hominem huic Gratiæ *Janſeniſticè ſufficienti*, non reſiſtere etiam quantùm ad ulteriorem effectum, ſeu actum plenum ac perfectum, ad quem prædicta gratiæ *Janſeniſticè ſufficiens* ex ſe, propriaque natura, abſolutè tendit; quia, inquiunt, hæc gratia *parva*, ſeu *Janſeniſticè ſufficiens*, effectum illum, ſeu actum ulteriorem, plenum & perfectum, ad quem ex ſe abſolutè tendit, non poteſt relativè obtinere propter obicem, quem ponit oppoſita ardentior concupiſcentiæ delectatio. Qua in ſuppoſitione *Janſenii* manifeſtò patet, dici nequaquàm poſſe, hominem reſiſtere gratiæ *parvæ*, ſeu *Janſeniſticè ſufficienti*, etiam quantùm ad illum ulteriorem, plenum ac perfectum effectum, ad quem ex ſe abſolutè tendit, quia propriè & ſtrictè loquendo, reſiſtere gratiæ, eſt eam fruſtrare, ſeu privare eo effectu, quem habere poteſt in his circumſtantiis, in quibus datur. Cùm igitur *Janſenius*, & Janſeniſtæ pertendant, hanc gratiam *parvam*, ſeu *Janſeniſticè ſufficientem*, non poſſe relativè obtinere effectum ulteriorem, ſeu plenum ac perfectum, ad quem abſolutè ex ſe tendit, planè ex intimis eorum doctrinæ principiis ſequitur, hominem non reſiſtere huic gratiæ *parvæ*, ſeu *Janſeniſticè ſufficienti* etiàm quantùm ad effectum ulteriorem, plenum, & perfectum, ad quem prædicta gratia *Janſeniſticè ſufficiens* ex ſe abſolutè tendit, & quem, propter oppoſitam ardentiorem concupiſcentiam, cui neceſſariò cedere debet, nullo pacto in his circumſtantiis, in quibus datur, obtinere poteſt, quia eſt ligata & irretita à majori & fortiori oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione.

Hæc, quæ hactenùs ad te ſcripſi, ſat ſuperque (ni meus me fallit animus) ſufficere poſſunt, ut intelligas, gratiam illam *parvam*, ſeu *Janſeniſticè ſufficientem*, longè lateque diſcrepare à *Gratia ſufficienti* in ſenſu Thomiſtico intellecta, ſubindèque nunc *Janſenii* diſcipulos, ut ſibi conſulant, falsò jactitare, ſe Thomiſtarum doctrinæ de gratia ſufficienti in ſtatu naturæ lapſæ firmitèr adhærere, & ab ea ne latum quidèm unguem deſciſcere; cùm tamen certò certiùs conſtet, eoſdem *Janſenii* diſcipulos tam in ſuis familiaribus colloquiis, in quibus mentem ſuam liberè aperiunt, quàm in illis, quas ad amicos mittitant, Epiſtolis, quæque legi poſſunt in *Præfatione Hiſtoriæ Congregationum De Auxiliis*, quam paucis abhinc annis vulgavit *Theodorus Eleutherus*, ſeu P. *Livinus De Meyer*, Soc. Jeſu, cùm tamen, inquam, certò certiùs ſit, eoſdem *Janſenii* diſcipulos, qui in defenſione Gratiæ ſufficientis ſe Thomiſtas eſſe mentiuntur, eamdem Gratiam, in ſenſu Thomiſtico intellectam, pleno buccarum rictu deridere, cachinnis, & ſibilis explodere, eamque ad febricitantium, delirantiumve ſomnia, aut ad aniles fabulas ablegare. Sic mentitur iniquitas ſibi; ſic calidum & frigidum, ſimùl ex eodem ore perflant *Janſenii* diſcipuli,

& ad

& ad ſuos occultandos errores variant linguis ac ſententiis.

Hanc fraudulentam *Ianſenii* diſcipulorum artem facilè detexerunt Thomiſtæ, qui nunquàm adduci potuerunt, ut unionem, aut ſocietatem firmarent, fœduſque inirent cum illis. Teſtatur quippè Auctor *Hiſtoriæ generalis Ianſeniſmi* (Tom. 1. pag 504.) ad conciliandos Thomiſtas cum Janſenianis, inſtitutum fuiſſe in Galliis, mediantibus Epiſcopis Vencienſi *D. Godeau*, & Catalaunenſi *D. Vialart*, celebrem inter eos congreſſum, ſeu Collationem menſe Decembri anni 1651. ſed exitu planè infelici; nuſquàm enim Thomiſtæ & Janſeniani conſentire inter ſe potuerunt, ſenſibus omninò diverſi: hinc eſt, quòd Cardinali *Barberino* poſtulanti à Domino *De Sainct Amour*, qui tum Romæ ſub INNOCENTIO X. Summo Pontifice, Janſeniorum partes agebat, *cur Dominicanis ſe cùm ſuis non adjungeret?* reſponderit: *Dominicani res ſuas agunt, ſuas verò Auguſtiniani* (eo ſiquidèm *Auguſtinianorum* nomine appellari geſtiebant Janſeniani.) Id narrat ipſemet *D. De Sainct Amour* in ſuo *Diario* Part. 6. cap. 13. pag. 418.

Hinc etiam eſt, quòd Thomiſtæ ſemper Janſenianis bellum implacabile indixerint, eorumque errores immenſis non minùs mole, quàm eruditione voluminibus profligarint, ſicut fidem facit locupletiſſimus teſtis & probatiſſimæ fidei Scriptor Societatis Jeſu *Stephanus Dechamps* in lib. 2. *De Hæreſi Ianſeniana* Diſputatione 3. cap. 4. & Diſputatione 6. cap. 9. ubi hæc habet: *Glorientur licèt Ianſeniani, tot ſe nuperi dogmatis patronos habere, quot phyſicæ Prædeterminationis defenſores extiterunt; verè tamen mihi videor dicturus, nullos huic doctrinæ infenſiores reperiri, quàm qui, poſt natam Calvini hæreſim, ex S. Dominici Ordine, aliiſque ejuſdem Sacramenti Theologis, majoris eruditionis & ingenii laude floruerunt.*

Hinc denique eſt, quòd Schola Thomiſtica, Sedi Apoſtolicæ tot nominibus obſtricta, omnes omninò Summorum Pontificum Conſtitutiones, contra doctrinam *Ianſenii* & *Queſnelli* hactenùs promulgatas, maxima ſemper, ut par eſt, veneratione, & exoculata obedientia exceperit, & petulantem damnaverit audaciam Janſeniſtarum, qui os ſuum ponunt in Cœlum; contra Romanorum Pontificum definitiones temerario auſu perduelles inſurgunt; Janſeniſmum non niſi phantaſma eſſe, & hæreſim planè imaginariam clamitant, quinque famoſas Propoſitiones, ab Eccleſia confixas, in libro *Ianſenii* reperiri pervicacitèr negant; *Ianſenii* in his quinque Propoſitionibus ſenſum & doctrinam non hæreticam, ſed catholicam eſſe pertendunt; libellos famoſos, injuriis & calumniis à capite ad calcem ſcatentes, cudunt, diſtribuunt, & promiſcuè omnibus, etiam mulierculis, lectitandos obtrudunt, horrendum denique, excommunicationis fulmen; quod Romani Pontifices, ſupremi in terris Chriſti Domini Vicarii, in eos vibrant, irretortis oculis impavidi adſpiciunt, rident, aſpernantur, & ab exercitio muniorum Eccleſiaſticorum non abſtinentes, ſuis in erroribus adhùc ſordeſcunt, ac bene multos, ſui ſacrilegi erroris conſcios, miſerè ſecum ad tartara trahunt.

Quæ cùm ita ſint, vide, ſi placet, qua fronte iſti *Ianſenii* diſcipuli audeant aſſerere, ſe doctrinæ Scholæ Thomiſticæ adhærere, cùm tamen certiſſimè conſtet, illos etiamnùm acritèr propugnare ipſiſſimos *Ianſenii* errores, ab Eccleſia protritos, quos damnant & execrantur veri Thomiſtæ, & germani *S. Thomæ* diſcipuli. Unum tamen eſt, ut ſincerè & candidè dicam, quod iſti *Ianſenii* diſcipuli reprobant in ſuo Magiſtro, atque ſequi & imitari totis viribus reluctantur, videlicèt illud obſervantiæ & obedientiæ exemplum, quod ergà Sedem Apoſtolicam dedit *Janſenius* propediem moriturus. Sic enim in ſuo Teſtamento loquens *Janſenius* de ſuo Opere De Gratia, quod necdùm typis mandatum erat, hæc habet: *Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, ſum obedientiæ filius; & illius Eccleſiæ, in qua ſemper vixi, uſque ad hunc lectum mortis obediens ſum.* Idem conteſtatus fuerat *Ianſenius* cap. 29. librì Prœmialis, & in Epilogo totius ſui Operis De Gratia: *Mihi conſtitutum erat*, ait priori loco, *eamdem, quam ab infantia ſecutus ſum, ſenſuum meorum ad extremum ſpiritum uſ-*

que

que ducem ſequi Romanam Eccleſiam, & Beatiſſimi Petri in Romana Sede Succeſſorem. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Qui cum ipſo non colligit; ſpargit, apud quem ſolum incorrupta Patrum ſervatur hæreditas. Quidquid ab iſta Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porrò vivere & mori fixum eſt, ab ipſo Principis Apoſtolorum Succeſſore, ab iſto Chriſti Domini noſtri Vicario, ab iſto Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ Capite, Moderatore, Pontifice, præſcriptum fuerit, hoc teneo; quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.

Simile modeſtiæ & obedientiæ ergà Sedem Apoſtolicam exemplum jàm antè *Janſenium* exhibuerat *Michael Bajus*, Doctor *Lovanienſis*, qui die 24. menſis martii anni **MDLXXX.** palinodiam decantavit, & omnes errores, in quos impegerat, à Summis Pontificibus S. PIO V. & GREGORIO XIII. proſcriptos, ea animi promptitudine, modeſtia & alacritate damnavit, ut præcones habere meruerit non tantùm *Aubertum Miræum* in ſua *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum*, verùm etiam tres Societatis Jeſu Theologos, *Poſſevinum* in lib. *De viris illuſtribus*, Cardinalem *Palavicinum* Lib. XV. *Hiſtoriæ Concilii Tridentini* cap. 7. nu. 17. & *Theophilum Raynaudum*, qui ultimus, modeſtiam & obedientiam *Michaelis Baij* in ſuis damnatis erroribus, impensè laudat in Clauſula ſui Operis *De libris configendis* num. 571. ubi agens de humilitate poſt juſtam librorum confixionem tenenda, hæc habet: *Quo in genere Michael Bajus æternum quibuſvis Scriptoribus exemplum ſapientiæ ac virtutis ſtatuit; cùm, confixis à Franciſco Toleto, per Pontificem ad id delegato, non nullis eius libris, oblataque Cenſura, an aquieſceret rogatus, malle ſe dixit, porcos paſcere, quàm cujuſcumque per Eccleſiam delecti judicio de Scriptionibus ſuis pervicacitèr obluctari.*

Oh! ſi *Janſenii* vindices iſtud *Michaelis Baij*, & *Cornelii Janſenii*, Magiſtrorum ſuorum, obſervantiæ & obedientiæ ergà Sedem Apoſtolicam imitarentur exemplum, ſi, inquam, damnatis quinque famoſis Propoſitionibus, quas toties proſcripſit Eccleſia, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſinceris animis amplecterentur; omni procul dubio videremus quamprimùm, omnes illas procellas & tragædias, quas adamantina pervicacia ſua hactenùs in Eccleſia excitarunt, in optatam diù tranquillitatem converti; ſtatim etiam finem tandèm aliquandò haberet, quod à tot annis Eccleſiæ, præſertim Gallicanæ, ſinum dilacerat, totum iſtud de Janſeniana doctrina diſſidium, ac nos omnes in unitate Fidei, ac vinculo charitatis colligati, tranquilla pace frueremur. Hanc pacem, hanc animorum conſenſionem concordibus votis à Deo, Optimo Maximo, flagitemus, ut ſicut nobis, in Eccleſia Dei verſantibus, una lux eſt, unum Baptiſma, unus Deus, una ſpes, unus ſpiritus, ita itidèm ſit & una vox catholicam Fidem profitentium. Vale.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA QUINTA

THEOLOGICA,

In qua fit ſatis Objectionibus, queis Janſeniani Gratiam Sufficientem, in Thomiſtico ſenſu intellectam, vulgò impetere ſolent.

AD Riſu, fateor, temperare haud potui, dùm inter legendum eam, quam ad me nuperrimè ſcripſiſti, Epiſtolam, intellexi, te colloquium habuiſſe cum quodam Theologo, à capite ad talos Janſeniſta, eique ſuperiorem, quam ad te miſi, Epiſtolam legendam porrexiſſe; quam poſtquàm legiſſet, contractâ fronte, elato ſupercilio, ac tragica voce illum fuiſſe vehementer lamentatum, quòd dixerim, doctrinam, ab Eccleſia in quinque famoſis Propoſitionibus jure optimo damnatam, contineri reverà in libro, quem edidit *Cornelius Janſenius*, Iprenſis Epiſcopus; & quòd etiam plures Theologos Janſenianorum nomine, quaſi aliqua infecti eſſent hæreſi, infamare de induſtria præſumpſerim, quos potiùs *Auguſtinianos*, ſeu veros S. *Auguſtini* diſcipulos nuncupare debuiſſem. Ais denique, hunc Janſeniſtam adeò æſtu diſputationis incaluiſſe, ut Gratiam ſufficientem Thomiſtarum diris devoverit, multa ad illam profligandam congeſſerit argumenta, teque, multis oneratum injuriis, è colloquio dimiſerit.

I. Quapropter, ut, data opportuna occaſione, poſſis faciliùs os iſtius Janſeniani obturare, poſtulas à me primò, quo pacto hunc Janſenianum, negantem reperiri in *Janſenii* libro doctrinam, quam in quinque Propoſitionibus proſcripſit Eccleſia, convincere valeas? Poſtulas ſecundò, nùm Janſenii Vindices poſſint & debeant juſta de cauſa appellari *Janſeniani*? Tandèm rogas me, ut diluam omnia argumenta, queis hic Janſenianus Gratiam ſufficientem Thomiſtarum oppugnavit, quæque ſigillatim mihi in tua Epiſtola proponis. Votis tuis libens annuo, ea tamen lege, ut à duobus prioribus capitibus breviter me expediam, & potiſſimùm hac in Epiſtola immorer in elidendis objectionibus, quibus Janſeniſta ille, quicum diſputationem habuiſti, doctrinam Thomiſtarum de Gratia ſufficienti aggreſſus eſt.

Et primò quidèm Janſeniſtam, pervicaciter negantem, in libro *Janſenii* re ipſa inveniri doctrinam, quam in quinque Propoſitionibus confixit univerſa Eccleſia, convincere debes non ſolùm his omnibus momentis, quæ in ſuperioribus meis Epiſtolis, ad impugnandam *Janſenii* doctrinam, adduxi; verùm etiam Conſtitutionibus multorum Summorum Pontificum, expreſſis declarationibus inſignium Epiſcoporum, qui tam in Galliis, quàm alibi, doctrina & pietate celebres floruerunt; necnon doctrinalibus judiciis illuſtrium, totius Orbis Academiarum ac Theologorum, qui poſt maturum ac diuturnum libri *Janſenii* examen, ſignificarunt, doctrinam in quinque Propoſitionibus expreſſam, & à Catholica Eccleſia damnatam, reperiri in libro *Janſenii*, eamq; cum principiis doctrinæ *Janſenii*, arctiſſimam connexionem & agnationem habere.

Quid ad hæc, quæſo Janſeniſtæ reponent? dicentne, ſe ingenii acumine & oculorum perſpicacia tot Romanos Pontifices, tot Epiſcopos, tot Academias, tot Doctores ac Theologos vincere ac ſuperare? ſed hoc eſt inſolentiſſimæ ſuperbiæ, velle ſe perſpicaciores univerſa Eccleſia judicare, ſuaque privata judicia, errori obnoxia, totius Eccleſiæ ju-

dicio , matura cum deliberatione facto , anteponere .

Dicentne Janſeniſtæ , in Quæſtione Facti *Janſenii* judicium Eccleſiæ non eſſe infallibile ? Sed in hoc ſuam inobedientiam & temeritatem produnt , quippè qui in Doctrinalibus Factis , quæ videlicet connexionem habent cum quæſtione juris , ſeu cum Fide (quale eſt Factum *Janſenii*) judicio univerſæ Eccleſiæ , quæ in Cenſura , ſeu in proſcriptione , vel approbatione librorum , Spiritus Sancti lumine regitur ac illuſtratur , obſtinatis animis morem gerere detrectant . Et ſanè , ut obiter dicam , ſi à judicio Factorum Doctrinalium , ab univerſa Eccleſia lato , impunè reſilire liceat , poterit quilibet pro omnibus Hæreticis, eorumque Operibus , à Catholica Eccleſia confixis . Apologias pro ſuo nutu & arbitrio concinnare. Periclitabitur infallibilis Sanctorum Patrum Traditionis auctoritas , quæ , ut nemo neſcit , pendet è ſenſu Librorum Sanctorum Patrum , quem Eccleſia Catholica præfixit & approbavit . Non poterit Eccleſia comprimere tumultus & contentiones , quæ identidèm ſuboriuntur occaſione ſenſus librorum , nec ſanam doctrinam à falſa & noxia , quæ in libris Auctorum continetur , certò valebit diſcernere ; deridebunt vaniloqui Scriptores Summorum Pontificum & Epiſcoporum Decreta , Cenſuras , & Tribunalia , quæ , dirimendis Controverſiis in Eccleſia emergentibus , & fovendæ tranquillitati Reipublicæ Chriſtianæ divina providentia inſtituit , ſicque in Eccleſia æternùm regnarent lites , contentiones & jurgia , procùlque exularet illa pax , quam ſuis Chriſtus Dominus reliquit pretioſiſſimam hæreditatem .

Suppetunt denique multa exempla ex Hiſtoria Eccleſiaſtica petita , quibus certiſſimè conſtat , hanc ſemper in Eccleſia obtinuiſſe conſuetudinem , ut hæretici , ad Catholicæ Eccleſiæ gremium reverti cupientes , non admitterentur , niſi priùs non tantùm ſuos ejuraſſent errores , ſed etiam anathema dixiſſent ſuorum errorum Auctoribus, *Ario* , *Neſtorio* , *Pelagio* , eorumque Operibus ab Eccleſia proſcriptis . *Damnent* (inquit S Leo Papa , in Epiſtola 86. ad *Nicetam* , Epiſcopum Aquilejenſem , loquendo de Pelagianis) *damnent apertis profeſſionibus ſui ſuperbi erroris Auctores,& quidquid indoctrina eorum univerſalis Eccleſia exhorruit , deteſtentur; omniaque Decreta Synodalia , quæ ad excidium hujus hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas , amplecti ſe , & in omnibus approbare , planis & apertis ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus , eloquantur. Nihil in verbis eorum obſcurum , nihil inveniatur ambiguum ; quoniam novimus hanc iſtorum eſſe verſutiam , ut in quacumque particula dogmatis execrandi , qua ſe à Dogmatiſtarum ſocietate diſcreverint , nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non ſalvum* .

Si ergò Janſeniani , juxtà antiquam illam conſuetudinem , in Eccleſia Catholica recipi velint , palàm ac ſinceris animis profiteantur , ſe damnare quinque Propoſitiones in ſenſu libri *Janſenii*; omnes Conſtitutiones Summorum Pontificum , Cenſuras Epiſcoporum , Decreta Synodalia , Doctrinalia Academiarum judicia , quæ ad proſcriptionem quinque Propoſitionum in ſenſu libri *Janſenii* , Apoſtolicæ Sedis confirmavit auctoritas , amplectantur , & citrà verborum ambages , fraudes , & æquivocationes , in omnibus approbent plenis ſi apertis ac propria manu ſubſcriptis proteſtationibus ; deſinant tandem aliquandò clamitare per *Janſenii* & *Queſnelli* latus *S. Auguſtinum* peti, & divinam ejus doctrinam, tot Romanorum Pontificum Decretis , tot Conciliorum Sanctionibus, tot Sanctorum Patrum,& Theologorum elogiis conſecratam , exploſam ac proſcriptam fuiſſe ; doctrinam verò *Ludovici Molinæ* eſſe probatam ; hoc , inquam , Janſeniani effutire deſinant , quod putidum mendacium eſſe certiſſimè conſtat tùm ex vivæ vocis Romanorum Pontificum oraculis , tum etiam ex publicis eorum Diplomatibus , Literis ac Conſtitutionibus , præſertim Innocentii X Alexandri VII. Clementis IX. Clementis X. Innocentii XI Alexandri VIII Innocentii XII. Clementis XI. Innocentii XIII. & BENEDICTI XIII.

XIII. (clavum Eccleſiæ nunc ſanctiſſimè gubernantis) qui omnes, Summorum Pontificum prædeceſſorum ſuorum veſtigiis indivulsè inhærentes, ſæpiùs declararunt, doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia & libero arbitrio à Sede Apoſtolica eſſe receptam, approbatam, & in Eccleſia conſecratam; doctrinam verò *Ianſenii*, cui adhæſit *Queſnellus*, à Sede Apoſtolica eo potiſſimùm nomine fuiſſe damnatam ac profligatam, quod *Ianſenius*, ac ſubindè *Queſnellus*, non ſolùm toto oſtio, ſed totis etiam ædibus à vera & germana *S. Auguſtini* doctrina de Gratia, aberraverint. Hoc præſertim argumento (quod, mea quidem ſententia, peremptorium eſt) convincere debes illum Janſeniſtam, qui te è colloquio, quod cum illo habuiſti, injuriis oneratum dimiſit. Quod ſi verò à ſuo errore nolit ullo pacto reſipiſcere, miſeram ipſius ſortem dolere debes. Eſt enim Tireſia, & talpa cæcior, dum jactat, ſe vidiſſe in libro *Ianſenii* ea, quæ non ſunt, videlicet doctrinam *S. Auguſtini*, quæ profectò eo in libro non eſt, & ſe non vidiſſe in libro *Ianſenii* ea, quæ ſunt, doctrinam ſcilicet quinque propoſitionum ab univerſa Eccleſia anathemate perculſam. Sed ſatis de hoc primo capite, & de illo, quod cum Janſeniſta habuiſti, colloquio, hactenus dictum ſit.

II. Quod autem ſpectat illam querimoniam, ſeu litem, quam mihi (ſicut ſcribis) intentavit iſte Janſeniſta, eo quòd *Ianſenii* Vindices appellaverim *Ianſenianos*, ſeu *Ianſenii* diſcipulos, quos potiùs (ſicut ajebat ille) vocare debuiſſem *Auguſtinianos*, ſeu *S. Auguſtini* diſcipulos; hanc illius Janſeniſtæ querimoniam injuſtam omninò eſſe conſtanter affirmo. Quamdiù enim *Ianſenii* vindices, contra Conſtitutiones Summorum Pontificum, contra promulgatum univerſæ Eccleſiæ judicium pervicaciter contendent, doctrinam, quam in quinque Propoſitionibus damnavit Eccleſia, non contineri in libro *Ianſenii*, tandiù illos *Ianſenii* Vindices appellabo *Ianſenianos*, ſeu *Ianſenii* diſcipulos, quia doctrinam contentam in libro *Ianſenii*, quam Eccleſia hæreticam eſſe declaravit, ipſi, infallibili Eccleſiæ judicio palàm ac temerè reſragantes, *Catholicam*, *Auguſtinianam*, & *Apoſtolicam* eſſe blaterant eamque pro aris ac focis tutantur.

Certè (ut ait *S. Athanaſius* Diſputatione ſecunda contra Arianos) *illi, quorum Marcion caput eſt, vocantur Marcioniſtæ, & à Valentino, Baſilide, Manichæo, Simone Mago, Valentiniani, Baſilidiani, Manichæi, & Simoniani nuncupantur*. Solemus etiam alios hæterodoxos nuncupare Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Pelagianos, Lutheranos, & Calviniſtas, quia *Arii*, *Neſtorii*, *Eutychetis*, *Pelagii*, *Lutheri*, & *Calvini* proſcripta ab Eccleſia dogmata amplexantur ac propugnant, Quorsùm igitur *Ianſenii* vindices, qui doctrinam in libro *Ianſenii* ab Eccleſia confixam ſe tenere ac docere confitentur, eamque, contra Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, *Auguſtinianam*, *Apoſtolicam* & *Evangelicam* prædicant, non potero ipſe hujuſmodi Janſenii Vindices appellare *Ianſeniſtas*, ſeu doctrinæ *Ianſenii* ſectatores, & aſſeclas?

Verùm, ſi hi, qui hactenùs *Ianſenio* devoti, ejuſque doctrinæ vindices fuerunt, nunc, ipſa rei veritate convicti, ultrò fateantur, doctrinam quinque Propoſitionum, quam, ceu hæreticam, damnavit Eccleſia, reverà reperiri in libro *Ianſenii*, eamque, juxtà Summorum Pontificum Conſtitutiones, ſincerè deteſtentur; abſit tunc ut illos; Eccleſiæ judicio obtemperantes, probroſo & invidioſo Janſeniſtarum nomine appellare velim.

Scio enim, id diſtrictè vetitum eſſe ab INNOCENTIO XII. Summo Pontifice in ſuo *Brevi* Apoſtolico ad Belgii Epiſcopos dato die 6. menſis Februarii Anni MDCXCIV. in quo hæc ſtatuit: *Injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga illa accuſatione & invidioſo nomine Ianſeniſmi traduci, aut nuncupari ſinatis, niſi prius ſuſpectum eſſe legitimè conſtiterit, aliquam ex his Propoſitionibus docuiſſe aut tenuiſſe*. Quibus verbis apertè improbat Summus ille Pontifex morem, qui invaluit apud quoſdam, qui per ſummam calumniam, aliquot Theologis, Clericis & Regularis diſciplinæ cultoribus, quos conſtat execrari

doctrinam quinque Propoſitionum ab Eccleſia damnatam in libro *Janſenii*, audent vagam, & illiberalem Janſeniſmi notam eo ſolò nomine affingere, quod illi Theologi, Clerici ac Religioſi conſtanter nolint laxatam doctrinam Moralem calculo ſuo approbare, atque doctrinæ de Gratia verſatili & ſubdita libero hominis arbitrio aſſenſum præſtare detrectent.

Sint, Exempli cauſa, Thomiſtæ, præſertim familiæ Dominicanæ alumni, & Sacræ Theologiæ Profeſſores, qui palàm ac disertè conteſtentur, ſe damnare quinque Propoſitionum doctrinam, quam in libro *Janſenii* proſcripſit Eccleſia; velint tamen nolint, apud quoſdam calumniatores audient *Janſeniſtæ*, eoque probroſo nomine traducentur, quia Thomiſtæ doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de gratuita Prædeſtinatione ad gloriam ante omnem prævisio nem meritorum acritèr propugnant, & quia etiam tutiora in moralibus ſequuntur, incertas & periculoſas quorumdam laxiorum Theologorum regulas averſantur, & arctam Evangelij viam ingrediuntur, aliiſque demonſtrant. Sint etiam Parochi, qui doctrinam quinque Propoſitionum, in libro *Janſenii* ab Eccleſia profligatam, anathemate percellant, & *Formulario*, ut ajunt, à Summis Pontificibus præſcripto, prompta & ſincera obediéntia ſubſcripſerint; erunt tamen ſuis ingratiis *Janſeniſtæ* apud illos calumniatores, eò quòd iſti Parochi indefeſſa vigilantia gregi ſibi à Deo credito excubantes, ſectentur & accuratè obſervent, ſive conciones habendo, ſive ligando & ſolvendo, canones tam antiquæ, quàm modernæ Diſciplinæ, quos iſti calumniatores temporum diuturnitate, & per non uſum, fuiſſe antiquatos & penitùs abrogatos dictitant. Sit denique Chriſtianus, qui (rejecta communi & lata mundanorum vita) oratione, & pœnitentia, aliarumque virtutum piis exercitationibus ad Evangelicæ perfectionis amuſſim ſuos mores componere ſatagat, hic, inquam, Chriſtianus, etiamſi ſincero animo dicat, ſe damnare quinque Propoſitionum doctrinam, quam Eccleſia tanquàm hæreticam in libro *Janſenii* proſcripſit, per ora omnium velut Janſeniſta à calumniatoribus traducetur, quia duram viam calcat à trita illa via, quam mundani, deliciis, divitiis & honoribus affluentes, ſequuntur, longè diverſam.

Hæ ſunt, ut nemo non videt, horribiles calumniæ, quibus ut obviam iret Summus Pontifex INNOCENTIUS XII. jure optimo injunxit Epiſcopis Belgii, ut tales calumniatores punirent, ſanxitque illos dumtaxàt appellari debere *Janſeniſtas*, quos legitimè conſtaret eſſe priùs ſuſpectos, & aliquam ex quinque Propoſitionibus, ab Eccleſia in libro *Janſenii* confixis docuiſſe aut tenuiſſe. Hujus igitur Sanctiſſimi Pontificis menti inhærendo ipſe, abſit ut eos, qui hactenùs *Janſenii* vindices fuerunt, quique nunc, ſuum errorem agnoſcentes, ſimplici corde, candido ac ſincero animo recipiunt omnes Conſtitutiones, ac ſingula Decreta, quibus Eccleſia doctrinam quinque Propoſitionum, in libro *Janſenii* contentam, declaravit hæreticam eſſe, & ab eadem doctrina ſe abhorrere profitentur; abſit, inquam, ut illos probroſo nomine appellare velim *Janſeniſtas*, ſed potius illos pro veris catholicis habebo, eorumque fidem & obedientiam conſtanter prædicabo. Sed de hoc *Janſeniſtarum* nomine pluſquàm ſatis.

III. Venio nunc ad præcipuum tuæ Epiſtolæ caput, quod ſpectat objectiones, quas contra *Gratiam Thomiſticè Sufficientem* tibi propoſuit iſte Janſeniſta in colloquio, quod cum ipſo habuiſti. Sed priùs obſervare debes, Eccleſiam agnoſcere præter Gratiam efficacem, aliam ſufficientem; & per Gratiam Sufficientem intelligere eam, quæ dat homini veram, proximam, & expeditam potentiam obſervandi præcepta, vitandi peccata, & tentationes ſuperandi, ita ut ex parte potentiæ nihil deſit. En Dogma Catholicum, in quo omnes Orthodoxi conſentire debent. Cæterùm, quo in ſenſu explicanda ſit hæc Gratiæ Sufficientia, an Thomiſtico, an Moliniano, an Suareſiano? fateor lubens, id necdum ab Eccleſia fuiſſe definitum, ſed

ſed eſſe litem, quæ adhùc ſub judice pendet, quamque Eccleſia Theologorum diſputationibus ventilandam permittit. Hoc unum eſt certiſſimum, nulli licere Theologo quidquam docere aut ſtatuere, quod huic catholico dogmati adverſetur, ſicut reverà adverſatur gratia illa, quam *Janſenius* appellat *parvam*, quæque ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis oſtendi) cùm ſemper inferior ſit concupiſcentia, non dat homini veram, proximam, expeditam, & relativam potentiam vincendi oppoſitam ſuperiorem concupiſcentiæ ardentiorem delectationem, ſed ei neceſſariò cedere debet, ſicut multis momentis memini me oſtendiſſe in ea, quam nuperrimè ad te miſi, Epiſtola, ad quam impræſentiarum te remitto.

Hac igitur præmiſſa obſervatione, præſtat nunc ut objectiones, contrà Gratiam *Thomiſticè* Sufficientem tibi propoſitas, & in ea, quam ad me ſcripſiſti, Epiſtola inſertas, breviter, quo ad ejus fieri poterit diluam. Indè enim patebit luculentiſſimè, Gratiam *Thomiſticè* Sufficientem catholicæ doctrinæ eſſe apprimè conſentaneam, eamque toto Cœlo diſtare à Gratia illa, quam *parvam* appellat *Janſenius*, quamque ejus diſcipuli, ut fucum faciant, & imperitum vulgus decipiant, vocitare ſolent *Sufficientem*.

Ordior à prima objectione, quam ſic proponis. Gratia illa verè ac propriè ſufficiens non eſt, præter quam alia Gratia ad actu operandum, & ad obſervandum præceptum prorſus neceſſaria eſt, (id enim, juxtà vulgarem & uſitatum loquendi modum, verè ac propriè *Sufficiens* dicitur, præter quod nihil ultrà requiritur). Atqui, docent omnes Thomiſtæ, præter Gratiam, quam vocant *Sufficientem*, aliam Gratiam, ſeu ſe ipſa efficacem, eſſe omninò neceſſariam ad actu operandum, ſeu ad actualem obſervationem præceptorum, ergò Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, non eſt verè ac propriè ſufficiens, ſed eſt nomine tenus *Sufficiens*, & reapsè ad actu operandum *Inſufficiens*.

Id confirmas exemplo hominis, cui Deus dat Gratiam *Thomiſticè* Sufficientem, ſed ei ſubtrahit Gratiam ſe ipſa efficacem, quæ ad obſervandum præceptum eſt omninò neceſſaria. Hac facta hypotheſi, quæris à me, an illa Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, quam Deus huic homini largitur, ſit verè & propriè *Sufficiens*, cùm non complectatur omnia, quæ ſunt neceſſaria ad actu obſervandum præceptum? & an idem homo cenſeatur habere Gratiam verè & propriè *Sufficientem*, cui Deus, urgente præcepto, denegat Præmotionem Phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, quæ ad præceptum adimplendum abſolutè neceſſaria eſt?

Huic objectioni, quæ lucet vanitate, ſed frangitur veritate, multifariàm reſpondent Thomiſtæ, ſed, ne longior ſim, tribus ſolidioribus hic inhærebo Reſponſis. In primis dicunt, non ad Grammaticalem, ſed ad Theologicam ſignificationem, de qua una hic agitur, vocis hujus *Sufficientis* attendi debere, quam diuturnus in Eccleſia Catholica Scholarum uſus probavit, & excitatæ contra Novatores Controverſiæ neceſſariam reddiderunt. Hanc autem Gratiæ *Sufficientis* vocem eo in ſenſu adoptarunt Thomiſtæ, ut dicant, præter Gratiam Sufficientem, quæ dat poſſe, neceſſariam eſſe aliam Gratiam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, ut homo bonum ſupernaturalis ordinis perficiat. Ut quid igitur opus eſt de lana caprina, & de Grammaticali Gratiæ Sufficientis nomine diſputare, cùm non ſoli Thomiſtæ, ſed alii etiam Theologi Moliniſtæ Gratiam in ſenſu Theologico appellent *Sufficientem* tametſi fateantur nova opus eſſe Gratia ad actu operandum, nimirùm Gratia adjuvante & operante, quæ concurſus ſupernaturalis vices gerit?

Ne autem hæc Gratiæ Sufficientis, quam Thomiſtæ admittunt, vox, apud imperitam multitudinem promiſcuè jactata, ad ſenſum Moliniſticum præpoſterè detorqueatur, ſolent Thomiſtæ quà Scriptis, quà Diſputationibus Gratiam, quam vocant *Sufficientem*, omni Moliniſtica ſignificatione exuere, eamque appellare *Gratiam Thomiſticè Sufficientem*, quæ (ſicut mox oſtendam) excitat ac producit in voluntate creata

actus imperfectos, eamque reddit proximè potentem & expeditam ad proſiliendum in actum perfectum: Quamvis tamen voluntas creata, ut actum perfectum reapsè efficiat, neceſſariò opus habeat alia Gratia, ſeu ſeipſa efficaci, quæ ex natura, ſeu eſſentia ſua diſtinguitur à Gratia *Thomiſticè* Sufficienti, quæque intrinſeca ſui virtute facit ut voluntas creata in perfectam prodeat operationem.

Gratiam Sufficientem in hoc ſenſu Thomiſtico intellectam admittunt omnes Thomiſtæ, *Cumel* in 1. 2. Quæſt. 109. Art. 8. *Cabrera* in 3. Part. Summæ *S. Thomæ* Quæſt. 18. Art 4 Dubio 3 *Bannes* in 1. Partem Summæ *S. Thomæ* Quæſt 23. Art 3. *Ledeſma* in *Tractatu de Auxiliis* Quæſt. unica Art 15. & 16 *Medina* in 1. 2 Quæſt. 109. Art. 10 *Alvares* lib 8. *De Auxiliis* Diſputatione 71. & Diſput 76. Quem ultimum Scriptorem ſequuntur omnes recentiores Thomiſtæ, ſicut in ſuo libro cui titulus eſt: *Defenſe de la Conſtitution* d'INNOCENT X., ſeu *Defenſio Conſtitutionis* INNOCENTII X candidè fatetur *Antonius Arnaldus*, qui idcircò pag. 288 ejuſdem libri recentiores Thomiſtas appellat *Alvariſtas*, quòd putet, ſed falsò, *Alvareſium* omnium primum hanc opinionem in Scholam Thomiſticam invexiſſe. Fatetur etiam idem *Arnaldus* pag. ejuſdem lib 56. 98 99 102. & 184. Dominicanos à tempore Congregationum de Auxiliis, huic *Alvareſii* ſententiæ utroque pollice ſubſcripſiſſe, unde manifeſtò ſequitur, eam pro doctrina totius Scholæ Thomiſticæ in Eccleſia receptæ habendam eſſe, maximè cum noſter *Sebille* in libro, quem, ad impugnandos Janſenianos, edidit *De Libero Arbitrio*, probet invictis momentis, omnes recentiores Thomiſtas hanc notionem Gratiæ *Thomiſticè* Sufficientis ex *S. Thoma*, & ex antiquioribus Thomiſtis hauſiſſe, eamque omni ævo conſtanter propugnaſſe.

Sed ut dem, verum eſſe id quod ait *Ludovicus Montaltius* in ſua ſecunda Epiſtola ad Provincialem, *id vulgò, & juxta uſitatum loquendi modum, dici ſufficiens; præter quod non requiritur aliud*. Reſpondeo cum Thomiſtis Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, poſſe etiam, juxtà illum vulgarem loquendi modum, dici, verè ſufficientem in ſuo ordine, quia Gratia *Thomiſticè* ſufficiens ità voluntati creatæ dat internam poteſtatem proximam, completam & expeditam agendi, ut nulla alia, præter ipſam, gratia requiratur ad conferendam eidem voluntati hanc proximam & expeditam agendi potentiam, tametſi alia Gratia, ſeu per ſe efficax neceſſaria ſit ad movendam & applicandam ad actum ſecundum hanc potentiam agendi proximam, quam Gratia *Thomiſticè* ſufficiens dat ſe ſola, & abſque interventu, vel ope Gratiæ ſe ipſa efficacis. Quò fit, ut Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, ſit, juxtà etiam vulgarem loquendi modum, verè ac propriè ſufficiens in ordine & genere ſuo, quia, cùm ſe teneat dumtaxàt ex parte actus primi, dat ſe ſola & independenter ab omni alia Gratia veram, completam & proximam agendi potentiam; quamvis tamen Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, (ſi uſitato ac vulgari loquendi modo inhærere velimus) non ſit verè ſufficiens ad actu agendum, quia, juxta Thomiſtarum doctrinam, præter Gratiam Thomiſticè ſufficientem, quæ dat potentiam agendi, alia Gratia, ſeu Gratia per ſe efficax, ad actu agendum eſt neceſſaria, quæ potentiam agendi, quam ope Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis habet voluntas humana, applicat ad actu agendum, efficitque ut in actualem ac perfectam erumpat operationem.

Id multis familiaribus exemplis confirmant ac dilucidant Thomiſtæ. Sic panis, inquiunt, dicitur *ſufficiens* ad conſervationem vitæ, non quòd aliud ad conſervationem vitæ non requiratur, ſed quia nihil abſolutè requiritur in certo quodam genere, videlicèt in genere cibi. Sic lumen dicitur *ſufficiens* ad videndum, quamvis, præter lumen, ſpecies, ſanitas, approximatio objecti, & alia ad videndum requirantur. Sic ignis habet ſufficientem calorem, ſeu virtutem comburendi ſtupam, tametſi ad illam actu comburendam opus habeat divino influxu, & neceſſaria etiam ſit applicatio ſtupæ ad ignem. Sic denique

(di-

Digitized by Google

(dicunt Thomiſtæ poſt S. *Thomam* 3. Parte Quæſt. 61. Art. 1.) Paſſio Chriſti Domini eſt in actu primo ſufficiens, ut ſalutem noſtram poſſit operari, quamvis tamen, ut Paſſio Chriſti reipſa, & (ut ajunt) in actu ſecundo noſtram ſalutem operetur, noſque ſanctificet & emundet neceſſaria omninò ſit illius applicatio, quæ fit per Fidem per Gratiam ſanctificantem, per Sacramenta, per bona opera &c. Quorsùm igitur (inquiunt Thomiſtæ) non poterit Gratia *Thomiſticè* ſufficiens *dici verè & propriè ſufficiens in genere & ordine ſuo*, quæ, ſe ſola, & excluſa quacumque alia Gratia, voluntatem creatam complet in ratione potentiæ agendi proximæ & expeditæ, ita ut ex parte potentiæ nihil ei deſit, licèt ad productionem actualis & perfectæ operationis gratia per ſe efficax neceſſariò requiratur, quæ hanc proximam & expeditam potentiam applicat & reducit ad actum ſecundum, facitque ut voluntas creata in actualem & perfectam exeat operationem?

Reſpondent denique Thomiſtæ, falſum eſſe, quod deceptus ab illo Janſeniſta, quocum colloquium habuiſti, in tua objectione ſupponis, videlicèt Gratiam *Thomiſticè ſufficientem* ideò ulteriori effectu, ſeu actu perfecto, ad quem tendit, deſtitui, quia, inquis dum Deus illam alicui homini peccatori, urgente præcepto, concedit, ei denegat præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam efficacem, neceſſariam ad reducendam ad actum ſecundum potentiam quam voluntati hujus peccatoris obſervandi præceptum impertitur Gratia Thomiſticè ſufficiens ex qua ſuppoſitione ſequitur Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem eſſe planè ſterilem, ſubindéque eam nec verè, nec propriè poſſe *ſufficientem* appellari.

Verùm, hanc falſam ſuppoſitionem, in qua ſubeſt ſpuria omninò Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis notio, rejiciunt Thomiſtæ, ajuntque, Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem eſſe principium & inchoationem boni operis ac veluti ſemen illuc Evangelicum cordi noſtro divina bonitate inſitum, virtute continens piæ actionis fructum, ad quem producendum re ipſa tendit, ſed à cujus productione impeditur propria culpa hominis, ſeu defectiva ejus libertate, quæ ſiſtit virtutis Gratiæ Thomiſticæ ſufficientis curſum, impeditque data opera ne Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, ulteriùs tendendo, attrahat ad ſe Gratiam per ſe efficacem, quæ, applicando virtutem Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis, produceret fructum piæ ac perfectæ operationis.

Quod igitur homo, Gratia *Thomiſticè* ſufficienti inſtructus, non producat ulteriorem actum perfectum, ad quem prædicta gratia *Thomiſticè* ſufficiens ulteriùs tendit, non eſt quia Deus huic homini denegat aut ſubtrahit Præmotionem Phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem (ſicùt falsò cum Adverſariis Scholæ Thomiſticæ ſupponis) ſed id ex eo provenit, quòd homo propria ſua culpa ac malitia ſiſtit Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis curſum, & de induſtria impedit ne ulterius tendat; non ſecus ac terræ ariditas, vel ſpinæ ex ea germinantes ſiſtunt virtutem producendi fructus. quam habent ſemina terræ mandata, & impediunt, ne virtus illorum ſeminum perveniat ad actualem fructuum productionem, ad quem ex ſe ipſa ulteriùs tendit. Deus enim (ſicut docent Thomiſtæ) quando dat homini Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, non ei denegat, aut ſubtrahit Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, quæ eſt abſolutè neceſſaria ad eliciendam perfectam operationem, ad quam ex natura ſua, & ex voluntate Dei Antecedenti tendit Gratia *Thomiſticè* ſufficiens; ſed potius Deus, dum homini largitur Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, offert ei Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, eamque ei dare paratus eſt, niſi homo liberè impedimentum poneret.

Sic cenſent Scholæ Thomiſticæ celebriores Theologi, *Thomas De Lemos*, & *Didacus Alvares*, quorum prior Tomo 4. *Panopliæ* lib 4 Part. 2. Tractatu 3. cap. 2. hæc habet: *Auxilium ſufficiens ita ſufficientiam tribuit ad operandum, quod defectus operationis nullo modo provenit ex inſufficientia talis auxilii, ſed tantùm ex defectu liberi arbitrii*;

quod ei reſiſtit, & impedimentum ponit. Et cap 6. *Deus*, inquit, *tribuens auxilium ſufficiens, in eo offert efficax; ſed quia homo reſiſtit ſufficienti, privatur efficaci, quod ſibi offerebatur*. Idem docet *Alvares* lib 10 *De Auxiliis* Diſputatione 113. *Deus*, inquit, *quamdiù obligat præceptum, tribuit de facto auxilium ſufficiens; paratus homini dare auxilium efficax, niſi eidem auxilio impedimentum præſtaret*. Et Diſputatione 8 ad 4. *Homo*, inquit, *reſiſtendo auxilio ſufficienti impedimentum ponit, ne Deus ſua gratia ulteriùs progrediatur*. Ubi vides, Deum, cum impertitur homini Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, ſimul offerre Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, neceſſariam ad producendum actum perfectum, ad quem tendit Gratia *Thomiſticè* ſufficiens. Quæ certè Thomiſtarum doctrina eſt omninò conſentanea menti Patrum Concilii Tridentini, qui Seſſione ſexta cap 13. ſic decernunt: *Deus*, inquiunt, *niſi homines illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans & velle & perficere*.

Procùl ergò amandari debet hæc ſpuria Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis notio, quam comminiſcuntur Scholæ Thomiſticæ adverſarii, dictantes, Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem dare voluntati creatæ potentiam agendi planè ſterilem, eique Deum ſubtrahere Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam efficacem, neceſſariam omninò ad reducendam illam agendi potentiam in actum ſecundum, indeque contingere, Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem effectu ſemper deſtitui. In hac autem confutanda ſpuria notione, quam Gratiæ *Thomiſticè* ſufficienti affingunt noſtri Adverſarii, non eſt quò diutiùs hic immorari velim, cùm in meis ſuperioribus Epiſtolis ſat ſuſè oſtenderim, in quo ſita ſit vera ac genuina notio Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis.

IV. Velim dumtaxàt ut brevitèr hic obſerves, perperam *Honoratum Tournely*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem in ſuis *Prælectionibus Theologicis* To. 2. pag. 437. & ſeq. redarguere Thomiſtas, quòd dicant, juſtum propria ſua culpa privari Gratia ſe ipſa efficaci, quia non benè utitur Gratia ſufficiente, ſed ei reſiſtit: Atquì Thomiſtæ (inquit *Tournely*) hac in re non ſibi conſtant, quia, ut juſtus benè utatur Gratia ſufficienti, eique non reſiſtat, neceſſariò, juxtà Thomiſtarum doctrinæ principia, opus habet Prædeterminatione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, quam non habet in ſua poteſtate, ſed eam à ſolo Deo accipere poteſt, ergo, (concludit *Tournely*) non poſſunt Thomiſtæ (ſi ſuæ doctrinæ principiis ſtare ac concordare velint) dicere, juſtum ideò carere Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci, quia non benè utitur Gratia ſufficiente, eique propria culpa reſiſtit; quia ſi benè uteretur, eique non reſiſteret, Deus huic juſto ad benè operandum ſuppeditaret Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem.

At, hæc objectio futilis eſt, dicunt enim Thomiſtæ, ideò hominem ſua culpa privari Prædeterminatione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, quia non benè utitur Gratia ſufficienti, ſed ei reſiſtit; non quòd exiſtiment Thomiſtæ, juſtum, ut benè utatur Gratia ſufficienti, eique non reſiſtat, non indigere prævio influxu Dei, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice (ab hac certè peregrina doctrina remotiſſimi ſunt omnes Thomiſtæ) ſed volunt dumtaxàt, juſtum ideò ſua culpa deſtitui Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice, quia propria ſua malitia reſiſtendo Gratiæ ſufficienti, & impediendo, ne ulteriùs progrediatur, ſe ſe volens privare Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice, quam Deus paratus eſt ei dare, quamque ei denegat, quia juſtus propria ſua culpa reſiſtendo Gratiæ ſufficienti, obicem & impedimentum ponit receptioni Gratiæ per ſe efficacis prædeterminatricis, quam Deus ipſi offert. Undè, ſicut Moliniſtæ, quorum Syſtema de Gratia amplectitur *Honoratus Tournely*, dicunt, juſtum, qui reſiſtit Gratiæ ſufficienti verſatili & indifferenti juſtè & ſua culpa privari gratia adjuvante, quam, præter prævenientem Gratiam ſufficientem verſatilem, docent eſſe abſolutè neceſſariam ad conſentiendum Gratiæ ſufficienti; ita Thomiſtæ aſſe-

runt

Digitized by Google

ſunt, Juſtum, qui reſiſtit Gratiæ ſufficienti *Thomiſticè* intellectæ, juſtè & ſua culpa privari Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci, quam Deus ei offert, & paratus eſt dare, quæque neceſſaria eſt, ut juſtus Gratiæ ſufficienti aſſenſum præſtet, eaque benè utatur.

Hanc doctrinam hauſerunt Thomiſtæ è ſuo Præceptore *S. Thoma*, qui pluribus in locis diſertiſſimè docet, voluntatem peccatoris ponere impedimentum receptioni Gratiæ efficacis, eamque ſolam eſſe cauſam ac principium reſiſtentiæ, obſtinationis, excæcationis, obdurationis & privationis gratiæ Legeſis l. 3. contra Gentes cap 159 & 162. ubi probat, *quod Deus nemini ſit cauſa peccandi*; & in lib 1. Sent. Diſtinct. 40 Quæſt. 4. Art. 2. ubi S. ille Angelicus Doctor inquirit, *utrum Deus ſit cauſa obdurationis?* Præterea, docet idem *S. Thomas Aquinas* lectione 3. in caput 12. Epiſtolæ *S. Pauli* ad Hebręos, quod ſi quis non reſiſtat Gratię, eique obicem non ponat id ex gratia & ſpeciali divinę miſericordię dono procedit. Sic enim habet: *Reſpondeo dicendum, quod hoc ipſum quod aliquis non ponit obſtaculum ex gratia procedit. Unde ſi aliquis ponat, & tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc eſt ex dono Dei vocantis per miſericordiam ſuam* Poteratne, quæſo *S. Thomas* doctrinam, quam tuentur ejus diſcipuli, luculentioribus verbis exprimere? *licet ergò* (inquit noſter *Alvares* lib. 3. *De Auxiliis* diſputatione 18.) *motio Dei prævia non ſit in poteſtate creatæ voluntatis, tanquàm in cauſa, eſt tamen in facultate noſtræ voluntatis ſe ipſam impedire, ne habeat illam motionem. Undè ſi non operetur actum, qui eſt in præcepto, imputabitur illi ad culpam, eò quòd ſua culpa ſe impedivit, ne daretur auxilium efficax, quod neceſſarium erat ut actualiter operaretur actum virtutis qui eſt in præcepto: Sicut ſi* Deus *imponeret homini præceptum volandi, & quantum eſt ex parte ſua offerret illi alas & adjutorium neceſſarium ut volaret, ipſe autem libertate ſua reſponderet* Domine, *nec volo alas recipere, nec volare; meritò reputaretur reus & tranſgreſſor præcepti, etiamſi non poſſet abſque aliis volare, quia ſua culpa ſe impedivit, ne illi donarentur à Deo.*

V. Sed ais in Epiſtola, quam ad me ſcripſiſti: *Pertendebat ille Janſeniſta (quicum habui colloquium) Gratiam Thomiſticè ſufficientem eſſe inutilem, ut potè qua nemò benè uſus eſt, aut nunqam ſit uſurus. Secundò dicebat, illam eſſe pernicioſam, quia ex ea homo pejor evadit; nam quotiès illam ſolam habet, toties peccat, & ſit tranſgreſſor legis. Tertiò affirmabat, Gratiam illam Thomiſticè ſufficientem, quæ dat tantùm poſſe, fuiſſe prorsùs Antiquioribus Thomiſtis incognitam & ab Alvare, aliiſque recentioribus Thomiſtis excogitatam.*

Audio veterem equidèm cantilenam, quam Adverſariis Scholæ Thomiſticæ in Scholis, & in circulis occinere ſolemne eſt; ſed in qua diſſlanda non multum negotii, & operis eſt. At enim, Gratia *Thomiſticè* ſufficiens non eſt inutilis ex ſe, cum potiùs det homini potentiam veram, proximam, completam & expeditam benè agendi, vitandi peccata, & divina obſervandi præcepta; ſed tantùm per accidens evadit inutilis, per culpam videlicèt, vitium, & defectum hominis, qui, ſicut jam ſæpius obſervavi, reſiſtendo Gratiæ *Thomiſticè* ſufficienti, & ſiſtendo ipſius curſum, propria ſua malitia impedit, ne ulteriùs hæc gratia progrediatur, & ad ſe uberiorem gratiam, ſeu per ſe & ab intrinſeco efficacem, attrahat, cujus ope homo benè uteretur Gratia *Thomiſticè* ſufficienti, & benè ageret. Non ſecùs ac virtus fructificandi quæ eſt in ſemine, non eſt ex ſe inutilis in plantis, licèt per accidens in pleriſque, propter emergentes defectus, ſine effectu remaneat. Falſum autem eſt, neminem Gratia *Thomiſticè* ſufficienti benè uti, aut unquam benè uſurum; id, inquam, falſum eſt, quia quamplurimi benè utuntur Gratia *Thomiſticè* ſufficienti, eique non reſiſtunt, tametſi, ut mox dixi, illa non reſiſtentia, & bonus uſus Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis ſit effectus uberioris Gratiæ, ſeu Gratiæ per ſe efficacis, quam Deus homini offert dum ei tribuit Gratiã *Thomiſticè* ſufficientem, eamque illi reve-

rà

rà conferret, ni ſua culpa ac malitia reſiſteret Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis.

Tantùm autem abeſt, ut Gratia *Thomiſticè* ſufficiens ſit pernicioſa, & per illam homo fiat pejor (ſicut garriebat tuus ille Janſeniſta) ut potiùs melior per illam reddatur; quia licèt reus magis ſit, & graviùs peccet, qui non facit bonum cùm poſſit, quàm qui non poteſt: melior tamen eſt aliquo ſenſu qui bonum agere poteſt, quàm qui non poteſt. Quò fit. ut Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, quæ dat homini veram benè agendi potentiam, ex ſe reddat illum meliorem, non verò pejorem. Quod ſi homo, Gratiæ *Thomiſticè* ſufficienti reſiſtendo, peccet, & pejor evadat, id certè Gratiæ *Thomiſticè* ſufficienti, quæ pias cogitationes & illuſtrationes homini inſtillat, eique confert veram benè agendi, & à peccato abſtinendi potentiam, adſcribi minimè debet, ſed vitio & culpæ datur ſoli homini, qui Gratiæ *Thomiſticè* ſufficienti propria ſua malitia reſiſtendo, privat ſe Gratia per ſe efficaci, quam Deus ex ſe paratus eſt ei dare, & per quam homo benè uteretur Gratia *Thomiſticè* ſufficienti, & abſtineret à peccato.

Denique. Janſeniſta ille, quocum colloquium habuiſti, ſeſe omninò peregrinum & hoſpitem prodit in doctrina antiquiorum Thomiſtarum, dum aſſereſè auſus eſt, Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem fuiſſe recens ab *Alvareſio*, aliiſque modernis Thomiſtis procuſam, & antiquioribus Thomiſtis prorsùs ignotam: cum tamen certò certius ſit, Antiquiores Thomiſtas admiſiſſe in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, diſtinctam à Gratia per ſe efficaci, & hanc eſſe conſtantem ac perpetuam omnium cùm antiquiorum, tum recentiorum doctrinam; *Cajetanus* enim Comment. in Epiſtolas *Pauli* exponens hæc verba Apoſtoli primæ Epiſtolæ ad Corinthios cap. 10. *Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſubſtinere* hæc, habet *Dixit Apoſtolus ut poſſitis ſufferre, & non dixit ut ſufferatis: ſat enim eſt fidelitati divinæ ut tribuat poſſe ſufferre. Velle autem ſufferre, & ipſum ſufferre, alterius gratiæ eſt, quæ electis confertur, & non eſt omnibus communis.* Quibus verbis (ut nemo non videt) utramque Gratiam videlicèt *Thomiſticè* Sufficientem, & per ſe efficacem, clariſſimè expreſſit doctiſſimus ille Cardinalis Idem docent *Ferrarienſis*, coætaneus *Cajetano*, in ſuo Comment. in caput 159 lib 3. contra gentes, *Medina* in 1. 2. Quæſt. 109. Art. 10. *Navarrete* in 1. partem Quæſt. 91. Art. 8. *Bannes* ibidèm Quæſt 23. Art. 3 *Ledeſma* in Tractatu *de Auxiliis* Quæſtione unica Art. 15 & 16 aliique antiquiores Thomiſtæ, quorum teſtimonia acuratè referunt *Joannes Baptiſta Gonetus* Diſputatione IV. *De Voluntate Dei Antecedente* Parag 3 & *Honoratus Tournelly*, Sacræ Fac Pariſienſis Doctor, in ſuis Prælectionibus Theologicis *De Gratia Chriſti* Tom. 2. pag. 376 Luculentiſſima horumce antiquiorum Thomiſtarum de Gratia Sufficienti teſtimonia legeſis in locis, quæ mox indicavi, & facilè admodum exſufflabis putidiſſimam calumniam, quam nunc Janſeniſtæ affingunt Thomiſtis, quos ajunt proprio marte excogitaſſe Gratiam *Thomiſticè* Sufficientem, cujus nec vola, nec veſtigium extat in libris antiquiorum Thomiſtarum.

VI. Nec contrarium evincit altera objectio, quam in tua Epiſtola ſic proponis; *Gratia Sufficiens*, inquis, *quam nunc Thomiſtæ propugnant, ea eſt, quæ ita voluntati creatæ tribuit completas agendi vires, ut Præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax novas ei non conferat vires, ſed mera ſit tantùm applicatio virium, quas Gratia ſufficiens impertitur voluntati: Atqui antiqui Thomiſtæ, antè Alvarem, longè aliter ſentiebant, quippe qui aſſerebant, voluntatem creatam completas agendi vires accipere à Præmotione* phyſica, ſeu à Gratia ſe ipſa efficaci, juxtà doctrinam *S. Auguſtini*, qui lib. *De Gratia & libero arbitrio cap.* 16. *hæc habet*: Certum eſt nos velle cùm volumus, ſed ille facit ut velimus, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino: Certum eſt nos facere cùm facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo

bendo vires efficaciſſimas voluntati. *Quæ verò* (poſtea ſubdis) *gratia illa eſt, qua facit Deus ut velimus, ut faciamus, niſi Præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax? & hæc porrò* præbet, *Auguſtino judice*, vires efficaciſſimas voluntati. Quod tamen recentiores Thomiſtæ mordicùs negant, & quod è diverſo antiqui, antè *Alvarem*, Thomiſtæ acritèr propugnabant.

Hæc, inquam, objectio, quam proponis, ne levitèr quidem probat, recentiores Thomiſtas, in explicanda notione Gratiæ Sufficientis, quam admittunt in ſtatu naturæ lapſæ, diſcrepare ab antiquioribus Thomiſtis. Verùm enim verò, dùm dicunt recentiores Thomiſtæ, Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, non dari vires agendi, ſed jam vires exiſtentes in voluntate, eique datas per gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, applicari ad actum, loquuntur de viribus agendi ſufficientibus, quæ voluntati inſunt per modum formæ permanentis, ſeu (ut ait S. Thomas Quæſt. 3 *De potentia* Art. 7.) quæ *habent eſſe ratum & fixum*, ideſt, permanenter exiſtunt in voluntate. Quales vires ſufficientes & in voluntate creata permanentes dat Gratia *Thomiſtice* ſufficiens; non propterea tamen negant recentiores Thomiſtæ, Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci, dari alias vires agendi, quæ ſcilicet voluntati creatæ inſint per modum formæ tranſeuntis, & *ad modum, quo virtus artis eſt in inſtrumento artificis,* ſicut ait *S. Thomas* loco mox à me laudato. De his porrò viribus, quæ voluntati inſunt per modum formæ tranſeuntis, non verò de viribus, quæ inſunt voluntati, pèr modum formæ permanentis, loquuntur antiquiores Thomiſtæ, qui docent, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam per ſe efficacem addere novas vires, novumque robur. Qua in re antiquiores Thomiſtæ cùm recentioribus optimè conſentiunt.

Eodem in ſenſu intelligendus venit *S. Aug.* dum ait, *Deū facere ut faciamus præbendo vires efficaciſſimas voluntati*, nimirùm *vires efficaciſſimas* appellat Aquilinus ille Doctor, quia vires illæ, quas dat gratia per ſe efficax, tenent ſe tantùm ex parte actus ſecundi, & nihil aliud ſunt, quàm ipſa Præmotio phyſica, ſeu applicatio voluntatis ad actu agendum, humanæ voluntati per modum formæ tranſeuntis à Deo impreſſa; ad diſcrimen aliarum virium, quas, per modum formæ permanentis, dat voluntati humanæ Gratia *Thomiſticè* ſufficiens; hæ ſiquidem vires, voluntati humanæ à Gratia *Thomiſticè* ſufficienti collatæ, non poſſunt appellari *efficaciſſimæ*, cùm non ſe teneant ex parte actus ſecundi, ſed ſunt & dicuntur tantùm *Sufficientes*, quia tenent ſe dumtaxàt ex parte actus primi.

Cohæret igitur perfectiſſimè recentiorum Thomiſtarum doctrina, cum doctrina antiquiorum Thomiſtarum. Dicunt enim recentiores Thomiſtæ cum *S. Thoma*, & omnibus antiquis Thomiſtis, Deum eſſe cauſam efficientem actionis noſtræ, in quantùm movet voluntatem noſtram ad agendum, *in quo* (inquit Angelicus Doctor) *non intelligitur collatio aut conſervatio* virtutis (ſc. permanentis quam voluntati humanæ dat Gratia *Thomiſticè* Sufficiens) *ſed intelligitur applicatio virtutis* (ideſt permanentis) *ad actionem. Sicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo quòd applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipſum*. Dicunt etiam recentiores Thomiſtæ cum Sanctis Doctoribus *Auguſtino*, & *Thoma*, atque cum omnibus antiquis Thomiſtis Præmotione phyſica, ſeu Gratia per ſe efficaci, quā Deus applicat ad agendum illas vires permanentes, quas Gratia *Thomiſticè* ſufficiens dat voluntati humanæ, conferri eidem voluntati virtutem tranſeuntem *per modum quo virtus artis eſt in inſtrumento artificis*, dum applicatur & movetur ab ipſo.

Id perdoctè explicat *Carolus Du Pleſſis d'Argentrè*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, nunc Tutelenſis Epiſcopus, in Opuſculo quod Pariſiis Anno MDCCXX. edidit, cuique hunc indidit titulum: *De Numine Dei, ut omnium rerum effectoris*; in eo quippè Opuſculo cap. 1. probat ille Theologus, præter virtutem operandi, quam à natura inſitam habent omnes cauſæ ſecundæ, quæque eis ineſt

tan

tanquàm permanens forma, adhuc ad motum, ſeu ad actualem operationem requiri vim moventem, ſeu Præmotionem Phyſicam, qua Deus virtutem illam operandi, quæ omnibus cauſis, ſive neceſſariis, ſive liberis, ideſt tanquam forma permanens, applicat ad motum, ſeu ad actualem operationem. Sic autem habet: *Virtus in natura inſita ſicut manens quædam forma ſe habet, præter quam ad motum vis movens* (ſeu Præmotio phyſica) *requiritur. Quod autem in rerum natura Deus imprimit, ut motus fiat, vis movens eſt, quæ permanentem formam non habet, ſed in quadam impreſſione conſiſtit. Ut igitur ſecuris permanentem formam, ſeu qualitatem ad ſecandum aptam ab arte accipit, ſed impreſſio artificis ſecurim moventis ad propriam formam ſecuris pertinere non poteſt, ſic natura manentes quaſdam virtutes habet, quarum propria eſſe non poteſt ea vis & impreſſio, quæ dat principium motionis. Aliud igitur eſt ad id quod naturalis virtus ſufficit, & aliud id ad quod primæ cauſæ motio requiritur. Naturalis enim virtus in genere manentis formæ ſufficit, non autem in genere vis moventis, niſi cauſæ primæ impreſſio accedat; itaque ſi quis dixerit, ad naturalem actum virtus activa ſufficit, ex parte agentis; quoniam ambiguum eſt* ACTIVÆ *virtutis vocabulum, ſic diſtingue; Virtus activa, quæ ſcilicet in genere vis moventis actuoſa ſit, ad actu agendum ſufficit, hoc verum eſt: ſi tantùm actuoſa ſit in genere manentis formæ quatenùs ad agendum aptæ, ſufficit quidem in ſuo genere, ideſt, in genere potentiæ ad agendum aptæ, non autem in genere vis moventis niſi externo impulſu primæ cauſæ.* Hactenùs doctiſſimus ille Theologus Pariſienſis Carolus Du Pleſſis *Dargentré*, qui c. 2. ejuſdem Opuſculi eruditè exponit, *quid ſit phyſica Præmotio, & phyſica prædeterminatio primę cauſę attributa?* ibidemq; exſufflat, & falſi convincit decem calumnias, quibus invidiam in Thomiſtas concitare adverſarii tentant, ac denique capite tertio brevem, ſed eruditam, attexit hiſtoriam errorum adversùs phyſicam Præmotionem, & probat, ipſum vocabulum PRÆDETERMINATIONIS longè ante *Dominicum Bannem*, Ordinis Prædicatorum, in Sorbonicis Scholis fuiſſe uſurpatum.

Nullum igitur antiquiores Thomiſtas inter & recentiores vel minimum extat, in explicanda Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis notione, diſcordiæ veſtigium, ſed omnes Thomiſtæ tam antiqui, quàm recentiores, conſtanter docent, præter Gratiam ſe ipſa efficacem in ſtatu naturæ lapſæ admittendam eſſe Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, quæ dat veram & expeditam potentiam benè agendi, obſervandi mandata, & vincendi oppoſitam concupiſcentiam; quæ certè Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis notio, quàm maximè diſcrepat à ſpuria notione Gratiæ *Janſeniſticè* ſufficientis, quæ (ſicut in ſuperiori mea Epiſtola latè commonſtravi) cùm nihil aliud ſit, quàm cæleſtis indeliberata delectatio, inferior ac debilior terrena oppoſitæ concupiſcentiæ delectatione, non dat veram, expeditam, ac relativam potentiam vincendi oppoſitam actualem concupiſcentiam, adeoque *inſufficiens*, non verò *ſufficiens*, appellari debet, cùm prorsùs impoſſibile ſit, ut minor ac inferior delectatio vincat, ac ſuperet majorem ac ſuperiorem oppoſitam delectationem. Quis enim unquam dicet, pygmęum habere ſufficientem virtutem, veramque potentiam vincendi ac debellandi gigantem?

Deſinant ergò tandem aliquandò Janſeniſtæ ſibi patronos adſciſcere antiquiores Thomiſtas, quos certiſſimè conſtat in defenſionem utriuſque Gratiæ, videlicèt ſe ipſa efficacis, & *Thomiſticè* ſufficientis, conjunctis animis conſpiraſſe, atque in illorum mentem ne per ſomnium quidem veniſſe iſtud *Janſenii*, eiuſque diſcipulorum de delectatione relativè victrice Syſtema ex quo, ſicut libertatis humanæ, ita & Gratiæ verè ſufficientis integrum ſequitur exterminium.

V Dilutis tuis prioribus argumentis, nunc alia, quæ in tua Epiſtola proponis argumenta, quæque tibi omni procul dubio ſuggeſſit ille Janſeniſta cum quo colloquium habuiſti; ita elidam,

ut

ut facilè percipias, objectiones, queis Scholæ noſtræ Adverſarii Gratiam *Thomiſticè* Sufficientem oppugnant, planè ficulneas eſſe, eorumque in Thomiſtas impetum adeò debilem eſſe, ut ne primam Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis cutem (ſi ita loqui fas ſit) attingant, tantùm abeſt ut ei aliquod vulnus infigant.

Sic autem argumentaris: *Si præter Gratiam Thomiſticè Sufficientem, neceſſaria ſit homini, ad bene operandum, & ad obſervanda præcepta ſupernaturalia, alia Gratia, ſeu Gratia per ſe efficax, palàm ſequitur, hominem inſtructum ſola Gratia Thomiſticè Sufficienti, & deſtitutum Gratia per ſe efficaci, non habere veram potentiam bene operandi, & obſervandi præcepta ſupernaturalia; nam quemadmodum* (inquis) *quia navis eſt neceſſaria ad navigandum, alimenta ad conſervandam vitam, colores & penicillus ad pingendum: nemo profectò dicet, hominem poſſe navigare ſine navi, poſſe conſervare vitam ſine alimentis, & poſſe pingere ſine coloribus & penicillo.* Hoc ſemel conſtituto ac ſuppoſito, poſtulas à me, *an homo, privatus gratia per ſe efficaci, ad obſervanda præcepta, & ingruentes ſuperandas tentationes, juxta Thomiſtarum doctrinam, omninò neceſſaria, hanc ſuis peccatis excuſationis cauſam obtendere non poſſit, ſibi videlicèt defuiſſe gratiam per ſe efficacem, quam Thomiſtæ docent ad vitanda peccata, & ad obſervanda mandata Dei eſſe prorsùs neceſſariam, & quam ipſe in ſua non habet poteſtate?*

Nec reponas mihi (ais) *hominem illum liberè peccare; & à peccato abſtinere poſſe; id, inquam, non mihi reponas: quia inquiet ille homo: Quomodo abſtinere me poſſum à peccato abſque Gratia per ſe efficaci? Dominatur in me cupiditas, premit urgens occaſio, tentatio gravis ſollicitat, longa ac diuturna peccandi conſuetudine abripior, deeſt verò mihi gratia per ſe efficax, quæ ad reſiſtendum tentationibus (ut docent Thomiſtæ) eſt omninò neceſſaria. Quid ergo, amabò te, huic homini ipſe regeram? dicamne ei: Ora, & divinam opem ſupplex implora? At, ille actutum mihi reponet: Quo pacto orabo ſine Gratia per ſe efficaci, prorsùs ad orandum mihi neceſſaria, quam Deus pro ſuo nutu & beneplacito ſuo impertitur, vel denegat? Hoc unum ergo mihi, ad has extremas anguſtias redacto, ſupereſt, ut cupiditatibus meis indulgeam, & tranquillè, in utramvis aurem dormiendo, expectem donec Deus largiatur mihi gratiam per ſe efficacem, ad evitanda peccata, & ad ſuperandas tentationes abſolutè neceſſariam.* Hanc denique argumentationem tuam his tandem verbis concludis. *Huic mihi propoſitæ objectioni diluendæ imparem me eſſe ultrò profiteor: hæreo ad aquas, & qua parte mihi vadum tentandum ſit, prorsùs ignoro. Opem igitur tuam imploro, teque (quem tanquàm Magiſtrum meum, impensè colo) obſecro & obteſtor, ut mihi in tenebris oberranti facem præferas, & hunc nodum ſolvas, te vindice dignum.*

Quòd tàm blandis, & officioſis verbis caput meum demulceas, tibi immenſas grates rependo; & ut tuos in rebus Theologicis progreſſus pro meo modulo juvare poſſim, explanare pergam difficultates, quas circa Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem in tuis ultimis litteris animo non contentioſo, non ſuperbo, novitatis aut rixarum avido, ſed placido, modeſto, unius veritatis inquirendæ, & perdiſcendæ doctrinæ Scholæ Thomiſticæ ſtudioſo, proponis.

Et in primis dico, hæc, quæ adducis, exempla de navi neceſſaria ad navigandum, de penicillo neceſſario ad pingendum, & de alimentis, ad conſervandam vitam neceſſariis, non quadrare ad præſentem, quam verſamus, quæſtionem de neceſſitate Præmotionis, ſeu Gratiæ per ſe efficacis ad benè operandum, & à peccatis abſtinendum. At enim, ideò verum eſt dicere, hominem non poſſe navigare ſine navi, pingere ſine penicillo & coloribus, conſervare vitam ſine alimentis, quia hæc ſunt neceſſaria ad navigandum, ad pingendum, ad conſervandam vitam, ex parte ipſius potentiæ & actus primi. Aſt, Gratia per ſe efficax in ſenſu Thomiſtico non eſt neceſſaria ad agendum ex parte potentiæ,

tiæ, ſeu actus primi; nec Gratia per ſe efficax confert voluntati creatæ potentiam proximam & expeditam benè operandi, ſed potius ejuſmodi potentiam ſupponit jam voluntati collatam à Gratia *Thomiſticè* ſufficienti, ſicut ſæpiùs meis in Epiſtolis obſervavi & inculcavi. Quò fit, ut homo, qui caret præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci, ad actu benè agendum neceſſaria, non ſit impotens ad benè operandum, ille verò, qui caret navi, penicillo, & alimentis ſit omninò impotens ad navigandum, ad pingendum, & ad conſervandam vitam ſuam; quia navis, penicillus, & alimenta ſunt neceſſaria ex parte potentiæ, ſeu actus primi. Viden, parem non eſſe utrobique rationem, ſubindeque tuam argumentationem, his potiſſimùm exemplis, quæ certè ad rem non faciunt, fultam, claudicare?

Præthereà, dico; hominem, qui caret Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci, quæ ad benè agendum, & ad vitanda peccata eſt prorsùs neceſſaria, non poſſe peccatis ſuis hanc obtendere excuſationem, quòd ei defuerit Præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax, quam ſi à Deo accepiſſet, non peccaſſet. Id, inquam, prætexere & cauſari non poteſt homo, quia Deus (ſicut ſæpè dixi) quando largitur homini Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, quæ dat veram, completam, proximam & expeditam potentiam orandi, benè agendi, obſervandi præcepta, & vincendi tentationes, paratus eſt ei dare Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem neceſſariam ad orandum, ad benè agendum, ad obſervanda præcepta, & ſuperandas tentationes; nec ſolùm Deus homini offert Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem, verùm etiam illam reverà ei conferret, niſi homo liberè, & propria ſua culpa ac malitia reſiſteret Gratiæ *Thomiſticè* ſufficienti, & ſciens ac volens, impediret, ne prædicta Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, ad ulteriorem & principalem effectum, ſeu ad actualem obſervantiam mandatorum Dei, progrediatur. Sibi ergò ſoli imputare debet homo, quòd careat Præmotione phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficaci, quia, libera voluntate, & propria ſua culpa reſiſtendo Gratiæ ſufficienti, obicem poſuit receptioni Gratiæ per ſe efficacis, quam Deus ex ſe paratus erat ei dare, ſicut ſuperiùs memini ſat copiosè me expoſuiſſe, ita ut actum planè agerem, ſi eamdem telam hic retexere vellem.

Non poſſum tamen, quin te hìc obiter præmuniam contra illuſoriam & doloſam loquendi rationem, quam *Janſenii* Diſcipuli, (ut videantur cum Thomiſtis conſentire) vulgò uſurpare ſolent in libris, quos publicam in lucem emittunt. Ajunt enim, quòd ſi homo Gratiæ ſufficienti non reſiſteret, certiſſimè haberet Gratiam efficacem. Quæ loquendi ratio videtur prima fronte non differre ab ea loquendi ratione, qua utuntur Thomiſtæ. Sed ſi velis fraudem & æquivocationem, quæ in hac captioſa Janſeniſtarum loquendi formula latet, detegere, oportet ut illos interroges, an admittant Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem, quæ dat veram, completam proximam, & expeditam benè agendi potentiam, & cui homo verè & liberè reſiſtit? confeſtìm reſpondebunt Janſeniſtæ, ſe hanc Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis notionem rejicere, & eam duntaxàt ſe admittere Gratiam ſufficientem, quam *Janſenius* appellat *parvam*, quæ in gradibus cæleſtis delectationis cùm ſit minor & inferior terrena concupiſcentiæ delectatione, non dat homini plenam, proximam, expeditam & relativam potentiam vincendi majorem & ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem, ſed ei neceſſariò cedere debet; quia prorsùs impoſſibile eſt, ut minor & inferior delectatio, majorem ac ſuperiorem vincat delectationem.

Hac Janſeniſtarum reſponſione nullo negotio intelliges, quàm ſubdola & illuſoria ſit iſta, qua, ad fucum faciendum, utuntur loquendi ratio, & quàm immenſo intervallo diſtet à catholica loquendi ratione, quam, poſt ſuum Doctorem Angelicum, in ſuis Scholis Thomiſtæ etiamnùm uſurpare ſolent. Præter quàm quòd docent *Janſenii* diſcipuli, Gratiam illam *parvam*, quam admittunt, quamque ſufficientem appellant, de-

Digitized by Google

debiles & imperfectos excitare in voluntate ad pietatem affectus, atque tam ex natura ſua, quàm ex voluntate Dei Antecedente tendere & ordinari ad perfectiores actus, quos re ipſa producere, ſi minor eſſet oppoſitæ concupiſcentiæ reſiſtentia; indèque inferunt, gratiam illam *parvam*, ſeu *Janſeniſticè* ſufficientem, perfectiori privari effectu, non quia homo ei libera voluntate reſiſtit & ſua malitia impedit, ne prædicta Gratia ulteriùs progrediatur; ſed quia, inquiunt, oppoſita concupiſcentiæ delectatio, quæ ſuperior, major, & ardentior eſt, ità reſiſtit, ut prorſùs impoſſibile ſit huic gratiæ *parvæ* (quam *Janſeniſticè* ſufficientem appellant) vincere ac ſuperare hanc oppoſitæ concupiſcentiæ reſiſtentiam

Aſt, verſa vice, Thomiſtæ cum ſuo Angelico Præceptore docent, Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem excitare in voluntate creata imperfectos actus, atque tam ex natura ſua, quàm ex voluntate Dei antecedenti, tendere & ordinari ad perfectiores actus, quos tamen non producit, non quia (ut ſentiunt Janſeniſtæ) ei reſiſtit major, ſuperior concupiſcentiæ delectatio, ſed quia, inquiunt Thomiſtæ, homo libera ſua voluntate huic Gratiæ *Thomiſticè* ſufficienti reſiſtit, ſuaque reſiſtentia impedit, ne hæc Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, ulteriùs progrediendo, attrahat ad ſe uberius auxilium, ſeu per ſe efficax, per quod homo reapsè efficeret actus perfectiores, ad quos tendit & ordinatur Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, ſicut ſat ſuperque, ni meus me fallat animus, jam ſuperius explanavi. Sic Thomiſtæ cum *Sancto Hieronymo* in Pſalmum 140 ajunt: *O infeliciſſimum humanum genus, qui peccata excuſamus, dicentes: victus ſum à natura, cum in poteſtate noſtra ſit, & peccare, & Domino adjuvante non peccare.*

VI. Hactenùs primam tuam in oppugnanda Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis notione velitationem retudi ac fregi, modò excutiendum mihi incumbit ultimum argumentum, quod tibi (ut ais videtur invictum, quodque, è ſacris literis, ex definitionibus Conciliorum, atque ex *S. Auguſtini* teſtimoniis petitum, apertè militat contra Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem. Porrò, tuum argumentum proponit conceptum his verbis.

Gratia *Thomiſticè* ſufficiens (inquis) ea eſt (ſicut docent Thomiſtæ) quæ dat voluntati creatæ plenam, completam, proximam & expeditam bene agendi potentiam, ita ut ex parte potentiæ nihil omninò deſit: Atqui, Sacræ Literæ, Concilia, & *S. Auguſtinus* diſertis verbis docent, ſolam gratiam efficacem dare potentiam bene agendi, & abſque illa nihil boni non poſſe agere; igitur admitti non debet hæc Gratia *Thomiſticè* ſufficiens, quæ (ſicut pertendunt Thomiſtæ) dat creatæ voluntati (abſente Gratia efficaci) proximam & expeditam benè agendi potentiam, ita ut ex parte potentiæ nihil planè deſit. Minorem tui argumenti propoſitionem ut probes, laudas primò hæc Scripturæ Sacræ teſtimonia: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, Joannis cap. 6. *Nemo, poteſt venire ad me, niſi ei datum fuerit à Patre*, Joannis cap 6. Quibus in locis (ais nemo non videt, verbum iſtud *traxerit*, & *datum fuerit*, indigitare Gratiam efficacem, citrà quam nemo poteſt venire ad Patrem, nec ſubindè poteſt elicere actus Fidei, ſpei, & charitatis, per quos accedimus ad Deum.

Prætereà, profers definitionem Conciliorum, Africani ſub *Zozimo*, Papa, & Arauſicani ſecundi, quorum prius ſic ſtatuit: *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum nos ad ſingulos actus adjuvari, ita ut ſine illa, nihil veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, agere, dicere valeamus.* Alterum verò Concilium, ſeu Arauſicanum, Canone 2 ſanxit; *Dei adjutorium etiam renatis & Sanctis ſemper eſſe implorandum, ut ad bonum finem pervenire, & in bono poſſint opere perſeverare.* Poſtremò, benè multa adducis *S. Auguſtini* teſtimonia, quæ (ut ais) apertè probare videntur, nos in ſtatu naturæ lapſæ non poſſe abſque Gratia efficaci velle & operari bonum.

Verùm, hanc objectionem, quam tu invi-

ctam putas, ipſe infirmam, caducam, & aranea tela leviorem eſſe reputo; idque tutè ultrò fateberis, ſi in memoriam tuam revoces celebrem illam diſtinctionem utriuſque potentiæ, nimirum *Antecedentis*, & *conſequentis*, quam in ſuperioribus meis Epiſtolis ſæpiùs inſinuavi & expoſui. Ibi quippè dixi, Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem dare *potentiam antecedentem* benè agendi, ſeu poſſibilitatem proximam & expeditam, ab actu tamen ſejunctam: Gratiam verò ſe ipſa efficacem conferre benè agendi *potentiam conſequentem*, ſeu poſſibilitatem conjunctam cum actu, quia Gratia ſe ipſa efficax intrinſeca ſui virtute facit, ut humana voluntas actu benè operetur, applicando videlicèt potentiam illam antecedentem (quam jam per Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem habet voluntas) ad actualem operationem.

Hac ſemel poſita utriuſque potentiæ, nimirum *Antecedentis*, & *conſequentis* celebri & in Scholis conſecrata diſtinctione, unico flatu exſufflatur tua objectio, & nullo negotio explicantur omnia, quæ in Epiſtola tua congeris, Scripturæ Sacræ, Conciliorum, & *S. Auguſtini* teſtimonia. Hoc unum enim duntaxàt ex his teſtimoniis extundi poteſt, nos abſque Gratia ſe ipſa efficaci non poſſe potentia conſequenti & conjuncta cum actu velle & operari bonum, vel aliquid veræ ſanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, & agere, vel in bono opere perſeverare. Id omnes Thomiſtæ cum Sacris literis, Conciliis, & Sanctis Patribus tanquàm certum profitentur ac tutantur. At, Thomiſtæ contendunt, Scripturam Sacram, Concilia, & Sanctos Patres, præſertim *S. Auguſtinum*, præter Gratiam ſe ipſa efficacem, quæ dat benè agendi potentiam conſequentem, ſeu poſſibilitatem conjunctam cum actu, & cui nemo reſiſtit, agnoſcere neceſſitatem alterius Gratiæ, ſeu Gratiæ ſufficientis, quæ independenter à Gratia efficaci dat humanæ voluntati benè agendi, & obſervandi præcepta Dei potentiam antecedentem, ſeu veram & proximam poſſibilitatem, ſejunctam tamen ab actu & cui Gratiæ ſufficienti nos propria culpa ac malitia reſiſtimus.

Hanc certè Gratiam ſufficientem, quæ abſque Gratia efficaci confert potentiam antecedentem benè agendi, & cui tamen voluntas reluctatur & reſiſtit, pluribus in locis disertè adſtruit Scriptura Sacra. Proverbiorum c. I. v. 24. *Vocavi & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis.* Iſaiæ cap. 65. v. 2. *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem.* Matthæi cap. 23. v. 37. *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quotiès volui congregare filios tuos quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Actorum cap. 7. v. 51. *S. Stephanus* redarguit Judæorum duritiem his verbis: *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Denique, Deus cap. 3. v. 20 lib. Apocalypſeos ait: *Ecce ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.*

His, & aliis id genus Scripturæ Sacræ teſtimoniis clariſſimè conſtat, pleroſque gratiam Dei in vacuum recipere, illi deeſſe, reſiſtere, illam extinguere &c. Atquì talis non eſt gratia efficax, cui neminem reſiſtere docent omnes Theologi; ergo Scriptura Sacra, prætèr gratiam efficacem, quæ dat voluntati benè agendi potentiam conſequentem, ſeu poſſibilitatem conjunctam cum actu, & cui nemo reſiſtit: agnoſcit neceſſitatem gratiæ ſufficientis, quæ independenter à gratia efficaci confert voluntati potentiam antecedentem benè agendi, ſeu poſſibilitatem præcepta Dei obſervandi, ſejunctam tamen ab actu, & cui voluntas reſiſtit.

Idem prorsùs, cum Scriptura Sacra ſanxit Oecumenicum Concilium Tridentinum Seſſ. 6 Cap. XI. Canone 18. his verbis: *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Datur ergò (juxta Patrum Concilii Tridentini Dogma ſaltem juſtis gratia ſufficiens, qua eis præcepta poſſibilia fiant, licèt ea (dum gratia efficaci ſunt deſtituti) non ſervent.

De

Denique, quod ſpectat *S. Auguſtinum*, certum eſt, Aquilinum illum Doctorem probaſſe quidem contra Pelagianos & Semipelagianos neceſſitatem Gratiæ efficacis, quæ dat homini potentiam conſequentem, ſeu poſſibilitatem conjunctam cum actu obſervandi mandata, & vitandi peccata, ſed eum nunquàm negaſſe hominem, qui caret Gratiâ efficaci, habere per alteram Gratiam, ab efficaci diſtinctam, quam Theologi *Sufficientem* appellant, veram poſſibilitatem obſervandi mandata, & vitandi peccata, ſejunctam ab actu, alioquì dicendum eſſet, *S. Auguſtinum* docuiſſe hominem peccare in eo quod vitare non poteſt, eumque eſſe peccati reum, qui non fecit, quod facere non potuit. Quod certè paradoxum ait *S. Auguſtinum* eſſe ſummæ iniquitatis & inſaniæ: *Peccati reum teneri quemquam* (inquit ſummus ille Gratiæ Doctor cap. 12. libri de duabus Animabus) *quia non fecit, quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis & inſaniæ eſt*. Idem docet *S. Auguſtinus* cap. 16. lib 3. *De libero arbitrio*, cap. 6 lib. *de correptione & gratia*, Tractatu 2 in *Joannem*, Comment. in Pſalmum 91 & multis aliis in locis, quæ citavi in ea Epiſtola quam ad te ſcripſi, & in qua contra *Lutherum*, *Calvinum*, *Bajum*, & *Janſenium* probavi, nullam ex peccato Adami invectam eſſe neceſſitatem peccandi in ſtatu naturæ lapſæ.

VII. In calce tuæ Epiſtolæ quæris à me primò, cur hunc loquendi modum ſemper in Epiſtolis, quas ad te ſcribo, uſurpare ſoleam: *Datur in ſtatu naturæ lapſæ Gratia Thomiſticè ſufficiens?* cur verò cum aliis Theologis ſimpliciter & abſolutè non dicam: *Datur in ſtatu naturæ lapſæ Gratia ſufficiens?* Putant enim nonnulli (inquis) ſub hoc loquendi modo: *Datur Gratia Thomiſticè ſufficiens*, latere anguem in herba. Quæris ſecundò, ut quid diſputandò contra Janſeniſtas, illos adſtringere velim, ut admittant in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam ſufficientem, quæ non ſolùm dat veram & completam benè agendi potentiam, ſed quæ dat etiam potentiam relativam ad præſentes ſubjecti circumſtanſtias; cùm tamen omnes Thomiſtæ, qui hactenùs de Gratia ſufficiente ſcripſerunt, dixerint, Gratiam Sufficientem, quam tota Schola Thomiſtica propugnat, eam eſſe, quæ dat poſſe bene agere, non autem agere, ſeu quæ veram & propriè dictam ad opus veræ pietatis agendum confert potentiam; ſed quòd Gratia ſufficiens det potentiam *relativam ad præſentes ſubjecti circumſtantias*, ais, te à nullo Thomiſta hucuſque audiviſſe; ſubindeque has novas & peregrinas voces procul à Schola Thomiſtica ablegari debere.

Primæ tuæ quæſtioni breviter facio ſatis, & dico, me ideò hunc uſurpaſſe loquendi modum: *Datur in ſtatu naturæ lapſæ Gratia Thomiſticè ſufficiens*, quia mihi ſolùm probatur notio Gratiæ ſufficientis in ſenſu Thomiſtico intellectæ, & improbo notionem Gratiæ ſufficientis tam in ſenſu Moliniano, quàm in ſenſu Janſeniano acceptæ. *Molina* quippè docet, Gratiam ſufficientem eam eſſe, quæ fit efficax per conſenſum voluntatis humanæ, & inefficax per illius diſſenſum. Hanc porrò Gratiæ ſufficientis in iſto ſenſu Moliniano intellectæ notionem cum tota Schola Thomiſtica impugno; primò, quia Gratia ſufficiens hoc in ſenſu Moliniano accepta nutrit hominis ſuperbiam; uſus namque vel non uſus iſtius Molinianæ Gratiæ ſufficientis à libero hominis pendet arbitriò, qui indè occaſionem ſuperbiendi arripere poteſt. Præterea, hæc doctrina de Gratia ſufficienti Moliniana ſocordiam ac negligentiam fovet, hac falſa videlicet injecta homini fiducia fore ut ſemper, & ad ultimam uſque vitæ periodum præſens adſit hæc Gratia ſufficiens Moliniana, quâ ad libitum ſuum poterit homo uti, eamque ſuo aſſenſu reddere efficacem, cùm ad Deum redire & converti voluerit. Tertiò, hæc Gratia ſufficiens Moliniana ſpem Chriſtianam penitùs labefactat, quia homo ſpem ſuam non collocat in Deo, ſed in ſemetipſo hoc eſt, in proprio ſuę voluntatis conſenſu. Denique, hęc Gratia ſufficiens Moliniana ingenerat ſecuritatem, & Sanctum illum expellit timorem, quem jugiter habere debent juſti, ne acceptæ Gratiæ jacturam faciant. *Qui ſe exiſtimant ſtare* (ait

(ait poſt Apoſtolum *Paulum Sacra* Synodus Tridentina Seſſ 6. de juſtif. cap. 13.) *videant ne cadant , & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus , in vigiliis , in eleemoſynis , in orationibus &c.* His motus rationibus Gratiam ſufficientem, in ſenſu Moliniano intellectam, planè repudiandam eſſe cenſeo.

Sed inſupèr abhorreo à Gratia illa, quam *Janſenius* appellat *parvam*, quamque ejus diſcipuli nuncupant *ſufficientem*, eamque ajunt ſitam eſſe in cœleſti indeliberata delectatione, quæ minor, debilior, & inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ delectatione. Ab hac Gratia *Janſenſticè* ſufficienti, quam univerſa Schola Thomiſtica damnat, vehementèr ipſe abhorreo, meque prorsùs alienum eſſe ſanctiſſimè juro. Ut igitur tot inter varios Gratiam ſufficientem explicandi modos, faciliùs intelligeres, cui ipſe inſiſtam, & quem tu itidèm obviis ulnis amplecti debes, ſæpiùs in meis Epiſtolis dicere ſoleo, *dari in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam Thomiſticè ſufficientem*, quo loquendi modo ſignificare dumtaxàt volo, me ſolùm admittere ac defendere Gratiam ſufficientem *in ſenſu Thomiſtico* intellectam, & explodere Gratiam ſufficientem ſive *in ſenſu Moliniano*, ſive *in ſenſu Janſeniano* acceptam.

Quò fit, ut ridendi potiùs, quàm confutandi ſint illi, qui prompti ad carpenda ea, quæ ad illorum ſalivam non ſunt ſatis temperata, non probant iſtum, quo ſæpiùs ipſe utor loquendi modum: *datur in ſtatu naturæ lapſæ, Gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico intellecta*, quaſi ſub hoc lapide aliquis deliteſceret ſcorpio, vel lateret anguis in herba. Sed video quid ſibi velint iſti vitilitigatores; optarent ut ipſe abſolutè & ſimplicitèr dicerem, *admittendam eſſe Gratiam ſufficientem*. quò poſteà apud imperitum vulgus jactare poſſent, Thomiſtas ultrò admittere Gratiam ſufficientem in ſenſu Moliniano. At ego non feram, non patiar, non ſinam, ut mihi, & Scholæ Thomiſticæ tribuatur ſenſus Gratiæ ſufficientis Moliniſticus; autorque ſum omnibus Thomiſtis, ut quotieſcumque dicerent, *dari Gratiam ſufficientem*, ſtatim cum maxima cautione adjungant, *in ſenſu Thomiſtico intellectam*, qua, inſtàr antidoti, adhibita reſtrictione, excludentur peregrini Gratiæ ſufficientis ſenſus Moliniſticus & Janſeniſticus, qui auditoribus ſenſum alienum à genuino Gratiæ ſufficientis ſenſu Thomiſtico affricare poſſent. Hoc meo, ſi ſapis, deinceps utere conſilio quo Scholæ noſtræ Adverſarios, (ut ſpero) ad incitas redigès, eiſque doctrinam noſtram de Gratia ſufficienti ſuggillandi, aut calumniandi omnem omnino occaſionem præripies, & tandèm aliquandò tacendi neceſſitatem impones.

Alteri, quam proponis, quæſtioni Reſpondeo, mirum tibi videri non debere, quòd Thomiſtæ in explicanda notione Gratiæ *Thomiſticè* ſufficientis non ſoleant dicere, hanc gratiam dare potentiam *relativam* ad præſentes ſubjecti circumſtantias, ſeu ad cupiditatis gradus, qui ſunt in ſubjecto. Nam cùm Thomiſtæ internam Gratiæ efficaciam non repetant ex cœleſti indeliberata delectatione, quæ ſit relativè victrix & ſuperior gradibus oppoſitæ concupiſcentiæ; cùm etiam Thomiſtæ non doceant, Gratiam *Thomiſticè* ſufficientem ſitam eſſe in cœleſti indeliberata delectatione, quæ ſit debilior & inferior gradibus oppoſitæ delectationis concupiſcentiæ; ideò Thomiſtæ, juxtà ſuæ doctrinæ principia, dicunt primò, Gratiam ſe ipſa efficacem (quam reponunt in Prædeterminatione phyſica, quæ non eſt *relativè*, ſed *abſolutè* & ſimplicitèr victrix) in omni loco, tempore, & in quibuſcumq; circumſtantiis ſeu cupiditatis gradibus collocetur humana voluntas, ſemper & infallibilitèr ſuum conſequi effectum.

Secundò, dicunt Thomiſtæ, Gratiam, quam admittunt, *Thomiſticè* ſufficientem, dare voluntati humanæ abſolutam, veram, completam, proximam, & expeditam potentiam benè agendi, & ſuperandi non tantùm aliquos cupiditatis gradus, ſed omnes cupiditatis gradus, qui in ſubjecto reperiuntur, ita ut voluntati humanæ, ſemel inſtructæ Gratia *Thomiſticè* ſufficienti, nihil planè deſit ex parte potentiæ benè agendi &

& ſuperandi omnes cupiditatis gradus, qui in ſubjecto occurrunt.

Quo fit, ut Thomiſtæ, in ſuo adſtruendo Syſtemate de Gratia ſe ipſâ efficaci, & de Gratia *Thomiſticè* ſufficienti, nulla prorsùs neceſſitate adſtringantur utendi hac voce *potentia relativa*, qua voce certè non uſi ſunt antiqui Thomiſtæ, & veteres Scholæ Magiſtri, qui non diſtinxerunt inter potentiam, quam dat Gratia ſufficiens, abſolutam, & relativam, quia in eorum Syſtemate hac voce potentia *relativa* utendi nulla omninò exigit neceſſitatis ratio.

At, quando Thomiſtæ nunc diſputant contra *Janſenii* diſcipulos, qui docent, Gratiam ideò eſſe efficacem, quia eſt relativè victrix; Gratiam verò eſſe ideò inefficacem, ſeu *Janſeniſticè* ſufficientem, quia non eſt relativè victrix, ſed eſt debilior ac inferior gradibus terrenæ delectationis oppoſitæ concupiſcentiæ; Thomiſtæ, inquam, ad tollendam æquivocationem & ambiguitatem hujus vocis *potentiæ*, qua ad occultandum de induſtria ſuum errorem Janſeniſtæ callidè abutuntur, debent uti hoc *potentiæ relativæ* vocabulo quod maximè idoneum & opportunum eſt ad invictè probandum Gratiam *Janſeniſticè* ſufficientem, non eſſe verè *ſufficientem*, ſed eſſe prorsùs *inſufficientem*. Sic autem Thomiſtæ adversùs *Janſenii* diſcipulos argumentari debent: Gratia verè ſufficiens (juxta Eccleſiæ doctrinam) ea eſt, quæ ita complet potentiam benè agendi, & oppoſitam ſuperandi concupiſcentiam, ut nihil ei ex parte potentiæ deſit: Atqui Gratia *Janſeniſticè* ſufficiens non ita complet potentiam benè agendi, & ſuperandi omnes oppoſitæ concupiſcentiæ gradus qui ſunt in ſubjecto, ergò Gratia *Janſeniſticè* ſufficiens, non eſt verè ſufficiens; ſed planè inſufficiens. Probatur minor Propoſitio: Gratia *Janſeniſticè* ſufficiens non dat homini potentiam relativam ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto, ergò Gratia *Janſeniſticè* ſufficiens non ita complet potentiam ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto, ut nihil ei omninò deſit ex parte potentiæ. Probatur Antecedens, primò, quia docent diſcipuli *Janſenii*, ſolam Gratiam relativè victricem, & cœleſti delectatione ſuperiorem, oppoſita concupiſcentiæ delectatione, dare potentiam relativam ſuperandi omnes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto; igitur Gratia *Janſeniſticè* ſufficiens, quæ non eſt relativè victrix, & cujus cœleſtis delectatio, debilior & inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, non dat potentiam relativam ſuperandi omnes oppoſitæ concupiſcentiæ gradus, ſeu vincendi ardentiorem & ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem. Gratia itaque *Janſeniſticè* ſufficiens non dat potentiam relativam ad præſentes concupiſcentiæ gradus, qui ſunt in ſubjecto, ſubindèque relinquit hominem in impotentia relativa vincendi ac debellandi oppoſitam concupiſcentiæ excandeſcentiorem & ſuperiorem delectationem.

Præterea, impoſſibile eſt impoſſibilitate relativa, ut minor & inferior delectatio vincat majorem & ſuperiorem oppoſitam delectationem; atqui Gratia *Janſeniſticè* ſufficiens nihil aliud eſt quàm indeliberata cæleſtis delectatio, quæ minor & inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, ergò impoſſibile eſt impoſſibilitate relativa ut Gratia *Janſeniſticè ſufficiens* vincat ardentiorem & ſuperiorem oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem; ſed potiùs ei neceſſariò cedere debet, proindeque hominem relinquit in relativa impoſſibilitate ſuperandi oppoſitam concupiſcentiæ ſuperiorem, ac relativè victricem delectationem.

Hoc argumentum peremptorium eſt, & evertit omninò Syſtema de delectatione relativè victrici, quod obſtinatis animis propugnant *Janſenii* diſcipuli, quodque à doctrina Scholæ Thomiſticæ remotiſſimum eſſe docet ipſemet *Janſenius* lib. 8 *De Gratia Chriſti* cap. 2. ubi lato calamo exponens cauſas omnes diſcriminis quod intercedit Prædeterminationem phyſicam inter & Gratiam medicinalem, quam dicit ſe tueri, hæc habet: *Prædeterminatio phyſica talis eſſe dicitur, ut in quibuſcumq; circumſtantiis voluntas collocetur, ſemper faciat facere, &*

operetur effectum ſuum, omnemque ſuperet reſiſtentiam; Chriſti adjutorium nullo modo. Nam delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix, quando alteram ſuperat. Quòd ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficacitèr unquàm volet, quod volendum eſt.

Non negant autem *Janſenius*, ejuſque diſcipuli (ſicut in mea ſuperiori Epiſtola commonſtravi) Gratiam *parvam*, ſeu *Janſeniſticè* ſufficientem, dare homini potentiam abſolutam ad oppoſitum, ſeu potentiam abſtractam à circumſtantiis, & diſpoſitionibus ſubjecti, ſeu à cupiditatis gradibus qui ſunt in ſubjecto; ſed negant *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli, Gratiam *parvam*, ſeu *Ianſeniſticè* ſufficientem, dare homini potentiam relativam ad oppoſitum, ſeu ad circumſtantias, diſpoſitiones, & cupiditatis gradus, qui ſunt in ſubjecto, ſubindèque aſſerunt, hominem, qui caret Gratia relativè victrici, & habet dumtaxàt Gratiam *parvam*, ſeu *Ianſeniſticè ſufficientem*, eſſe in impoſſibilitate relativa vincendi omnes cupiditatis gradus, qui ſunt in ſubjecto, ſeu ſuperandi oppoſitam concupiſcentiæ ardentiorem, ſuperiorem, ac relativè victricem delectationem.

In hac impoſſibilitate relativa totius Janſeniani Syſtematis quaſi medulla, & ultimæ veluti fibræ ac radices reconduntur, ſubindèque ſi deinceps velis cum *Ianſenii* diſcipulis miſcere colloquium, vel cum illis aliquam inſtituere concertationem, debes præ oculis ſemper habere capitalem illum *Ianſenii*, ejuſque diſcipulorum *de impoſſibilitate relativa* errorem, quem hactenùs confutavi, & quem ſi ignorares, vix certo ac ſecuro pede cum iſtis *Ianſenii* diſcipulis congredi poſſes; in mediis, denſiſque tenebris veluti palpando ambulares, &, Andabatarum more, clauſis pugnares oculis, quia, relicto illo principali Janſeniſtarum *de impoſſibilitate relativa* errore, aerem verberares, ac vagam cum illis haberes diſputationem, quam ipſi ſolitis ſuis artibus, argutiis, & æquivocationibus obſcurarent, implicarent, & tandem mediis è retibus elaberentur.

Vale, & ut Janſeniſtas, qui ſe Thomiſtas eſſe fingunt, & tamen luto Janſeniſmi, in quo pedem fixerunt, tenacitèr hærent, efficaciùs refellere valeas, oſtendam in proxima, quam ad te ſcribam, Epiſtola, doctrinam Thomiſtarum de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci eſſe Sacris Litteris, doctrinæ SS. Patrum, definitionibus Conciliorum, & Summorum Pontificum Decretis conſentaneam; doctrinam verò *Ianſenii*, & Janſeniſtarum, qui in ſtatu naturæ lapſæ internam Gratiæ vim & efficaciam deſumunt ex indeliberata cœleſti delectatione relativè victrice, & ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione, proindè neceſſitatem inferente jure optimo fuiſſe ab Eccleſia proſcriptam.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA SEXTA

In qua oſtenditur, Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci eſſe Sacris Litteris, doctrinæ Sanctorum Patrum, definitionibus Conciliorum & Summorum Pontificum Decretis apprimè conſentaneam; doctrinam verò Janſenii & Janſeniſtarum de Gratiæ efficacia ſita in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, ſubindeque neceſſitante, jure merito fuiſſe ab Eccleſia confixam.

De divinæ Gratiæ efficacia, quæ ampliſſimum Theologis præbet diſputandi argumentum, ſic hodiè ad te ſcribam. ut non immemor Epiſtolam me in præſentia ſcribere, non librum) conſultò prætermittam, brevitatis ergò, varios Gratiæ efficaciam explicandi modos, qui apud Theologos circumferuntur, totamque operam & induſtriam meam in iſta Epiſtola dumtaxàt ponam in tutanda Thomiſtarum de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci doctrina, quæ nihil planè affinitatis habet cum damnata doctrina *Janſenii*, & ipſius diſcipulorum, qui Gratiæ efficacis naturam, ſeu eſſentiam, conſtituunt in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, & ſuperiore concupiſcentiæ oppoſita terrena delectatione, ac neceſſitante, ſicut ex eorum locupletiſſimis, quæ adducam, teſtimoniis manifeſtò patebit.

I. Igitur (quod tibi & mihi felix ac fauſtum ſit) rem protinùs aggredior, & oſtendo, ſententiam, quæ ſtatuit Gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem ſitam eſſe in Prædeterminatione phyſica, ac ſubindè ſuam mutuari & haurire efficaciam ex omnipotentia divina, & ſupremo Dominio, quod Deus habet ſuper corda hominum, ſicut ſupra omnia, quæ in Cælo & ſub Cælo ſunt, eſſe veram, ipſiſſimamque ſententiam, quam totus Prædicatorum Ordo, tanquam germanam *S. Auguſtini*, & *S. Thomæ*, doctrinam ſemper amplexus eſt, & pro ea, velut pro aris ac focis, pugnavit, præſertim in celeberrimis Congregationibus *De Auxiliis*, ſub Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. habitis, in quibus Familia Dominicana per ſuos Alumnos *Thomam Lemoſium*, & *Didacum Alvareſium* (Deus bone, quales Viros!) immortalem ſibi gloriam comparavit.

Quia tamen (ut benè memini) in prioribus, quas ad te ſcripſi, Epiſtolis, probavi multis argumentis tàm Theologicis, quàm Philoſophicis, neceſſariò admittendam eſſe Prædeterminationem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem ad exerendos actus ſupernaturales, ideò, ne iteratis repetitionibus nunc tibi faſtidium ingeram, hæc argumenta impræſentiarum miſſa faciam, totuſque in id incumbam, ut luculentiſſimè demonſtrem, Thomiſtarum doctrinam de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci Sacris Litteris, Doctrinæ SS Patrum, Definitionibus Conciliorum, & Decretis Summorum Pontificum eſſe omninò conſonam; & è diverſo eam eſſe penitùs alienam à proſcripta doctrina *Janſenii*, & Janſeniſtarum, qui internam Gratiæ efficaciam repetunt ex indeliberata cæleſti delectatione, quæ relativè victrix eſt, & major, intenſior, fortior, ac ſuperior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione.

In primis, innumera ſuppetunt Scripturæ Sacræ teſtimonia, in quibus efficacia gratiæ ex eo potiſſimùm commendatur, quòd Deus ipſe ſit qui facit ut faciamus, qui cor inclinat quocumque vult, qui duritiam ejus aufert, & proclive ad bonum reddit, qui non ſolùm vocat per gratiam, ſed etiam aures vocationi obedientes præbet, qui præparat voluntatem, qui quæcumque promiſit, potens eſt & facere, qui aptat nos ad omne opus bonum, qui operatur in nobis ipſum velle, ideſt, conſenſum, qui demum convertit nos, & ex impiis juſtos facit. Hæc omnia, quibus gratiæ per ſe efficacis energia, ſeu virtus magnificè commendatur, aperte exprimunt iſta,quæ hìc ſubjicio, Scripturæ Sacræ teſtimonia: *Dabo vobis cor novum, & ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis*; Ezechielis cap. 36. verſ. 26. & 27. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum*; Joannis cap. 6. verſ. 44. & ibidem: *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*. Item. *Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*, Epiſtolæ ad Romanos cap. 9. verſ. 16. *Sicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*. Proverbiorum cap. 21 verſ. 1. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate ſua*; Epiſt. ad Philippenſes cap. 2. verſ. 13. *Quæcumque promiſit Deus, potens eſt, & facere*; Epiſt. ad Romanos cap. 4. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*; Lucæ cap. 3 Denique, *converte me, Domine, & convertar*; Hieremiæ cap. 31. *Converte nos Domine & ad te convertemur*; Threnorum capite ultimo.

His, & ſimilibus Scripturæ Sacræ locis commendatur & adſtruitur divina quædam gratia, cui nunquàm reſiſtitur, quæque ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo, quod in omnes creaturas obtinet, dominio, ſuam propriam energiam, ideſt, internam vim & efficaciam ſuam deſumens ſuum ſemper & infallibiliter conſequitur effectum: Atqui talis gratia eſt ipſamet Gratia per ſe & ab intrinſeco efficax, quam ad omnes pietatis actus & ſupernaturales eliciendos neceſſariam eſſe docet univerſa Schola Thomiſtica, ergò doctrina ejuſdem Scholæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci eſt Sacris Litteris apprimè conſentanea.

Præterea, non poteſt meliùs & ſecuriùs nobis innoteſcere, quænam ſit vera mens, & genuinus ſenſus Scripturæ Sacræ, quàm ex perpetua Sanctorum Patrum traditione, ex Definitionibus Conciliorum, & ex Decretis Summorum Pontificum: Atqui Sancti Patres Summi Pontifices, & Concilia neceſſitatem Gratiæ ſe ipſa efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus agnoſcunt; ergò, juxtà germanam Scripturæ Sacræ intelligentiam, admittenda eſt doctrina Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci. Longior profectò eſſem, ſi, ad probandam minorem Propoſitionem hujuſce argumenti, huc adducere vellem omnia Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum clariſſima teſtimonia, & Conciliorum Canones, quibus veritas doctrinæ de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci in aperto Sole ponitur.

Quapropter, ut compendioſiori via progrediar, hoc unum, antequam minorem Propoſitionem hujus argumenti probem, ſuppono, quod eſt in confeſſo apud omnes Catholicos, videlicet Doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia & Prædeſtinatione eſſe toti Sanctorum Patrum traditioni conſonam, à Conciliis Africanis, Arauſicano II. & Oecumenico Concilio Tridentino probatam, & à Summis Pontificibus (incipiendo ab INNOCENTIO I. uſque ad BENEDICTUM XIII. nunc clavum univerſæ Eccleſiæ ſapientiſſimè gubernantem) tanquam doctrinam Eccleſię commendatam, præclariſque encomiis celebratam. CLEMENS XI. Pontif. Max. die XXVIII. menſis Januarii Anni MDCCIV. diris devovit poſthumum, maleque conſarcinatum *Joannis Launoii* libellum, in quo moroſus ac ſupercilioſus ille Cenſor proſcindit doctrinam *S. Auguſtini*, dictitans, Aquilinum illum Doctorem, de Gratia

tia & Prædeſtinatione diſputantem, novam viam calcaſſe, ignotos priſcis Eccleſiæ Patribus calles aperuiſſe, quos, dum Sancti *Proſper*, *Hilarius*, *Cæſarius*, *Prudentius*, *Remigius*, cæterique *Auguſtini* diſcipuli ſequuti ſunt, à vera & antiqua priorum Eccleſiæ Sæculorum traditione deſciverunt. Hunc inquam, *Joannis Launoji* libellum damnavit CLEMENS XI. ad minùs *tanquàm impium, blaſphemum, nec non fulgidiſſimo Eccleſiæ lumini, maximoque Doctori Sancto Auguſtino, quin imò ipſimet Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedi injurioſum*. Aſſerit etiam idem Summus Pontifex, ſe in defenſione doctrinæ *S. Auguſtini* de Gratia firmitèr inhærere velle veſtigiis Romanorum Pontificum Prædeceſſorum ſuorum, *qui ejuſdem Sancti Doctoris præcelſam doctrinam magno ſemper in pretio habuerunt, totoque mentis affectu amplexi fuerunt*.

Hoc in laudem & approbationem doctrinæ *S. Auguſtini* De Gratia & Prædeſtinatione ſemel poſito, minorem mei argumenti Propoſitionem ſic invictè probo: Doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia ſuo calculo approbarunt Sancti Patres, Concilia, & Summi Pontifices. Atqui diſſertiſſimè *S. Auguſtinus* in ſuis Operibus admittit neceſſitatem Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus eliciendos; ergo omnes Sancti Patres, Summi Pontifices, & Concilia approbarunt doctrinam *S. Auguſtini*, admittentis neceſſitatem Gratiæ per ſe efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus. Totius difficultatis cardo nunc in eo vertitur, utrùm *S. Auguſtinus* reverà admiſerit neceſſitatem Gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus? Id autem probo benè multis ejuſdem S. Doctoris locupletiſſimis teſtimoniis. Et primò quidem *S. Auguſtinus* ſæpiſſimè affirmat, Deum efficaciſſima ſua gratia operari in nobis velle & perficere bonum: *Certum eſt*, inquit, *nos velle, cum volumus; ſed ille facit ut velimus bonum . . . . Certum eſt nos facere cum facimus: ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit: Faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis*; lib. *De Gratia & libero Arbitrio* cap. 16. Et cap 5. ejuſdem libri loquens de Vocatione *S. Pauli*, ait: *Ut de Cælo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala*.

Prætereà, *S. Auguſtinus* lib. 1. *ad Bonifacium* cap. 19. explicans illud Chriſti oraculum cap 6. Joannis, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum*, hæc habet: *Quis trahitur, ſi jam volebat, & tamen nemo venit, niſi velit? Trahitur ergò miris modis ut velit ab illo qui novit intùs in cordibus ipſis operari. non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant*. Sed clariùs etiam *S. Auguſtinus* mentem ſuam promit his in locis, in quibus vim & efficaciam gratiæ repetit ab una omnipotentiſſima Dei voluntate: *Volenti* (Deo) *ſalvum facere*, inquit, *nullum hominis reſiſtit arbitrium. Sic enim velle aut nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem . . . . Sine dubio habens* (Deus) *humanorum cordium quò placeret, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem*, lib. *De corrept. & Gratia* cap 14. Idem cap. 24. libri *De Gratia Chriſti* docet: *Interna & occulta, mirabili ac ineffabili poteſtate*, inquit, *operatur Deus in cordibus hominum non ſolùm veras revelationes, ſed bonas etiam voluntates*. Et lib. *de Prædeſtinatione Sanctorum* cap. 8. ait: *Hæc itaque Gratiā, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo corde reſpuitur; ideò quippè tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Poſtremò, cap. 12. libri *de Correptione & Gratia* aſſerit *S. Auguſtinus*, tantam eſſe vim & efficaciam gratiæ, ut invincibilitèr, & inſuperabilitèr determinet voluntatem ad bonum: *Subventum eſt igitur* (inquit) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabilitèr & inſuperabilitèr ageretur; ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur*.

Plura non adducam *S. Auguſtini* teſtimo-

nia,

nia, cùm hæc jam à me laudata abundè evincant, Sanctum illum Doctorem fuiſſe acerrimum Gratiæ per ſe efficacis defenſorem; undè inferre debes, doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci eſſe omnium Sanctorum Patrum Traditioni & definitionibus Summorum Pontificum, & Conciliorum conſentaneam. At enim primò, cum certiſſimè conſtet, omnes Summos Pontifices (ab INNOCENTII I. temporibus uſque ad BENEDICTUM XIII. nunc ſedentem) Sacra Concilia, & utriuſque Eccleſiæ, cùm Latinæ, tùm Græcæ, Patres *S. Auguſtini* doctrinam, ex quo primùm vulgata eſt, ad hanc uſque diem excepiſſe, coluiſſe, propugnaſſe, neceſſariò fatendum eſt, hanc *Sancti Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci doctrinam avitæ Traditioni Eccleſiæ eſſe conſonam, ne univerſam cum *Auguſtino* erraſſe Eccleſiam, & à Sanctorum Patrum Traditione exorbitaſſe concedamus. Si enim contrariam antiquis Patribus *Auguſtini* doctrinam autumavit Eccleſia, quorſùm igitur eam probavit, fecitque ſuam? Si verò contrariam non cenſuit, immò conſentaneam prorſùs agnovit; igitur doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci eſt doctrina totius Eccleſiæ.

Secundò, *S. Auguſtinus*, ut omnem novitatis invidiam, ſibi à Semipelagianis impactam, amoveret, doctrinæ ſuæ de Prædeſtinatione gratuita, & de Gratia ſe ipſa efficaci antiquitatem tribus potiſſimùm argumentis aſſeruit ac vindicavit. Primùm, ex mira cum Apoſtolo *Paulo* conſenſione, cujus ſexcenta fermè clariſſima teſtimonia excerpta ex variis ejuſdem Epiſtolis, atque ex illa præſertim quæ ad Romanos ſcripta eſt, defloravit & laudavit in libris, quos edidit *de Dono perſeverantiæ*, & *de Prædeſtinatione Sanctorum*. Secundò, ex fuſis omni retrò ætate Eccleſiæ precibus, quibus à Deo poſtulamus Gratiam ſe ipſa efficacem, qua Infideles convertantur ad Fidem, peccatores reſipiſcant, & juſti perſeverent in bono. Hoc argumentum ex Eccleſiæ precibus petitum ſæpiùs adverſùs Semipelagianos urget *S. Auguſtinus*, ſed præſertim cap. 23. libri *de Dono perſeverantiæ*. Tertiò, *S. Auguſtinus* doctrinæ ſuæ antiquitatem confirmavit teſtimoniis veterum, quos in ea tradenda præceptores atque magiſtros ſe habuiſſe gloriatur cap. 19. laudati libri *de Dono perſeverantiæ*: *Hoc ſcio*, inquit, *neminem contra iſtam Prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando, diſputare poſſe. Puto tamen eis, qui de hac re ſententias Tractatorum requirunt, Sanctos, & in fide atque doctrinâ Chriſtiana laudabiliter uſquequaque diffamatos viros, Cyprianum, & Ambroſium, quorum tam clara teſtimonia poſuimus, debere ſufficere*. Tùm recitatis eorum teſtimoniis, ſubdit: *Sed his, qui ſufficere debuerunt, Sanctum Gregorium addamus & tertium*; nimirum *Nazianzenum*, cujus fragmentum refert ex Oratione in Pentecoſten.

Certè, qui *S. Auguſtini* ingenium novit, compertum itidèm habere debet, S. illum Doctorem ea religione Veterum Patrum ſententiis ità firmiter hæſiſſe, ut hoc ei exprobraverit *Julianus* Pelagianus, cujus convincia non modò æquo animo ferebat S. Doctor, verùm etiam lucro vertebat. Sic enim capite 86. libri 1. ſecundi Operis, quod contra *Julianum* Pelagianum, lucubravit, illum affatur: *Nobis ineſſe impietatem veterem conviciaris, quoniam dogmata antiqua, catholica, quæ docuerunt, qui Eccleſiam Chriſti ante nos, in ejus gratia, ac vera pietate rexerunt, contra perverſitatem veſtram novitiam, quantulocumque labore defendimus. In te igitur agnoſce ſtultitiam, in te imprudentiam, in te impietatem non veterem; ſed novam*.

Dici ergò non poteſt, *S. Auguſtinum*, dùm contra Pelagianos & Semipelagianos Prædeſtinationem gratuitam, & Gratiæ ſe ipſa efficacis ad omnes & ſingulos pietatis actus neceſſitatem ſtabilivit, novam & hactenus in Eccleſia inauditam invexiſſe doctrinam, novos aperuiſſe calles antiquis Eccleſiæ Patribus ignotos; ſed cum *S. Fulgentio* dicendum eſt, hanc *S. Auguſtini* doctrinam omnium cùm Orientis, tùm Occidentis Epiſcoporum conſenſione fuiſſe probatam; *Hæc itaque* (ait ille addictiſſimus *S. Auguſtini*

ſtini diſcipulus cap 18 lib. 2. De veritate Prædeſtinationis & Gratiæ (*Catholicorum Patrum Apoſtolicis inſtitutionibus tradita permanet in Eccleſiis, ſine aliqua dubitatione doctrina; quam Græci, latinique Pontifices, Sancti Spiritus infuſione firmati; uno atque indiſſolubili ſemper tenuere conſenſu*.

II. Verùm, ſi adhùc addubites, ſententiam, quam propugnat Schola Thomiſtica, de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice, fuiſſe *S. Auguſtino*, cæteriſque Patribus, Conciliis, & Summis Pontificibus probatam remittam te ad eam, quam jam ad te ſcripſi, Epiſtolam ad explicandam genuinam mentem Patrum Concilii Tridentini circa Gratiam ſe ipſa efficacem. Ibi quippè multis, iiſque, (ni meus me fallit animus) invictis demonſtravi argumentis, Scientiam Mediam nec *S. Auguſtino*, nec aliis Sanctis Patribus. nec antiquis Theologis, nec Patribus Concilii Tridentini notam fuiſſe, cùm nullum illius Scientiæ Mediæ veſtigium reperire ſit ſive in Sanctorum Patrum, & antiquorum Theologorum Operibus, ſive in Actis Concilii Tridentini, ſed Scientiam illam Mediam fuiſſe poſtremis hiſce temporibus excogitatam, vel à *Fonſeca*, vel à *Molina*, Societatis Jeſu Scriptoribus. Ex quo ſemel demonſtrato neceſſaria conſecutione deduxi, Divum *Auguſtinum*, & cæteros Sanctos Patres, nec non antiquos Theologos, & Patres Concilii Tridentini, quibus ignota penitùs fuit hæc Scientia media, uni doctrinæ de Gratia per ſe efficaci prædeterminatrice adhæſiſſe, quia (ſicut docet *Suares* lib. 2. *De Scientia Media futurorum conditionatorum* (cap. 4.) *ſemèl non admiſſa Scientia Media, ut gratiæ efficacitas conſiſtat, & infallibilitas Divini Decreti & Divinæ Predeſtinationis, debet neceſſariò admitti Prædeterminatio phyſica. Nam infallibilis conſecutio effectus ex vocatione efficaci intelligi non poteſt, niſi aut ex phyſica efficacia, & prædeterminatione cauſæ, aut ex mera ſcientia: illa autem ſcientia non eſt alia niſi conditionata*.

Cum igitur (ſicut in prædicta Epiſtola latè probavi) nec Patres Concilii Tridentini, nec antiqui Theologi, nec *S. Auguſtinus*, nec cæteri Sancti Patres in explicanda Gratiæ efficacia, & infallibilitate Divini Decreti & Divinæ Prædeſtinationis, Scientiam Mediam admiſerint, nec ea unquàm (teſte ipſomet *Molina*, primo illius inventore) uſi fuerint, neceſſe eſt, ut hi omnes (juxta hanc certiſſimam *Suareſii*, doctiſſimi Societatis Jeſu Theologi, regulam) admiſerint Prædeterminationem phyſicam, ſeu Gratiam ſe ipſa efficacem prædeterminatricem, quam ad omnes & ſingulos pietatis actus neceſſariam eſſe pertendunt Thomiſtæ.

His argumentis, quæ ex Sacris Litteris, & ex perpetua Sanctorum Patrum Traditione invictè probant antiquitatem doctrinæ de Gratia ſe ipſa efficaci, quam ſtrenuè propugnant Thomiſtæ, ſi addideris alia argumenta cùm Theologica, tùm Philoſophica, queis probavi in meis præcedentibus Epiſtolis, Præmotionem phyſicam eſſe prorsùs neceſſariam ad producendos actùs ſupernaturales, eaque ſemel ſublata, Deum non fore principium omnis entis, primum liberum, fontem totius boni, & primam cauſam omnis effectus & cauſalitatis cauſarum ſecundarum; Hęc (inquam) omnia argumenta ſi, ut par eſt, ſimul connectas, fateberis ultrò, doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice eſſe omni argumentorum genere munitam, ſubindèque flocci facies argumenta, quæ Adverſarii Scholæ Thomiſticæ objiciunt nunc & objecerun, olim in Congregationibus *de Auxiliis*, dictitantes, Præmotionem phyſicam, ſeu Gratiam efficacem prædeterminatricem, eſſe inutilem, tollere libertatem Deum facere authorem peccati, & adverſari Concilio Taidentino; quas ſæpe recoctas objectiones pleniſſimè ipſe in ſuperioribus meis Epiſtolis dilui, & concilavi (quantùm humanis viribus fieri poteſt) invictam Divinæ gratiæ efficaciam cum libertate & contingentia voluntatis creatæ.

Non eo quidèm inficias; difficile & arduum eſſe hanc inire concordiam, ſed tamen exiſtimo, hanc difficultatem, quæ Sanctorum Patrum, preſertim *Auguſti*

ni

ni, torſit ingenia, neminem dimovere debere à certiſſimis principiis, & ſolidiſſimis fundamentis, quibus nititur doctrina de Præmotione phyſica, ſeu de Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice, quia propter occulta negari non debent certa & manifeſta. Quo fit, ut etiamſi nos lateret modus illius concordiæ, immò contra eam occurrerent difficultates, quibus ſolvendis impares eſſemus, non tamen ob id revocanda eſſet in dubium omnipotentiſſima Divinæ Gratiæ efficacia, quam Scriptura Sacra, Sancti Patres, Summi Pontifices, Concilia & antiqui Theologi conſtanter adſtruunt, quæque inconcuſſis principiis, & validiſſimis fulcitur argumentis: *Numquid negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt, quod occultum eſt?* inquit *S. Auguſtinus* cap. 14. libri *De Dono perſeverantiæ*.

III. Hactenùs doctrinam Thomiſtarum, qui internam Gratiæ efficaciam repetunt ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo dominio, quod Deus obtinet ſuper corda hominum, & ſuper omnia, quæ in Cœlo & ſub Cœlo ſunt, veram & catholicam eſſe oſtendi; nunc evincam, doctrinam *Janſenii*, & Janſeniſtarum, qui internam Gratiæ efficaciam conſtituunt in cœleſti indeliberata delectatione relativè victrici, & ſuperiori concupiſcentiæ terrena delectatione, ſubindèque neceſſitante, jure optimo fuiſſe ab Eccleſia proſcriptam.

Sed antequàm id probem; præſtat ut ſedulò obſerves, *Ianſenium*, & Janſeniſtas, qui Gratiæ efficaciam ſtatuunt in cœleſti indeliberata delectatione relativè victrici, & ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione, ſic ſuum Syſtema explicare. Ajunt, liberum hominis arbitrium, ante Adami peccatum, fuiſſe conſtitutum in æquilibrio, quod nulla omninò præveniens delectatio, vel cœleſtis, vel terrena, in alteram partem flecteret, ſed ipſe, adhùc in ſtatu innocentiæ poſitus, proprio nutu, ut libuiſſet, inclinaret, atque ita hominem innocentem perfectè fuiſſe liberum libertate indifferentiæ; àt per peccatum Adami ſublato illo æquilibrio, & abolita funditùs hac indifferentia, hominem ita eſſe delectationis vel cæleſtis, vel terrenæ mancipium, ut neceſſariò eat quò trahit illa delectatio. Enim verò, indeliberata cæleſtis delectatio ſi ſit relativè victrix, & fortior ac ſuperior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, neceſſariò hominem trahit ad pios actus. Sin verò, indeliberata concupiſcentiæ terrena delectatio ſit relativè victrix, & major ac ſuperior oppoſita cæleſti delectatione, tunc homo æſtro quodam ſenſibilis ac majoris hujus delectationis ad flagitia rapitur, ſicque in conflictu duarum illarum delectationum, quarum una gradibus alteri præponderat, eaque fortior ac ſuperior eſt, oportet ut minor delectatio neceſſariò cedat majori.

In hoc uno ſitum eſſe totum *Janſenii* de efficacia Gratiæ Syſtema, fatetur ipſemet *Janſenius* innumeris in locis, quorum aliquot hic indicare abundè ſufficiet. Et primò *Janſenius* cap. 2. lib. 8. *De Gratia Chriſti* hæc habet: *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix quandò alteram ſuperat. Quod ſi contingant alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquàm volet quod volendum eſt.* Viden, ex iſto agendi modo delectationis relativæ ſeu per gradus, neceſſariò ſequi, quod mox dicebam, ſuperiorem nimirùm delectationem à minori nunquàm vinci poſſe? quod ipſemet agnoſcit *Ianſenius*. Secundò, idem docet *Ianſenius* cap. 6. lib. 4. De Gratia Chriſti, ubi ait: *Perſpicuè intelligitur, tantoperè neceſſariam eſſe iſtam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut niſi major fuerit quàm terrena, qua noſter affectus detinetur, fieri non poſſit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquàm ſanè delectatione minore ſuperabitur.* Et capite nono ejuſdem libri: *Conflictus ille delectationum ſopiri non poteſt* (inquit Janſenius) *niſi altera alteram delectando ſuperaverit, & eò totum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat, ſecundùm id operemur*

mur neceſſe eſt. Vigente enim delectatione carnali, impoſſibile eſt ut virtutis ac honeſtatis conſideratio prævaleat.

Denique, ut infinita alia prætermittam loca, quæ in ampliſſimo libro *Janſenii* eodem colliment, eamdem doctrinam *Janſenius*, in ſuo errore ſemper ſibi conſtans, explicat cap. 10 ejuſdem libri *De Gratia Chriſti*, dicens: *Cùm nulla ſit gratia operandi præter iſtam ſuavitatem Dei, niſi iſta tanta fuerit, ut ei delectatione rerum creatarum ceſſerint, vel peccabitur, vel, alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur.* Non poterat certè *Janſenius* ſuum Syſtema de delectatione Gratiæ efficacis relativè victrice, & ſuperiori concupiſcentiæ terrena delectatione clariùs exprimere, idque ultrò & candidè faſſi ſunt ejus diſcipuli, quos inter ne unum quidem reperiens, qui vim gratiæ efficacis non repetat ex indeliberata cœleſti delectatione relativè victrici, & ſuperiori oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, ut videre eſt in libris, quos Janſeniani hactenùs in lucem protrulerunt, & quorum catalogum hic texere, vel diſerta eorum ſuper hac re proferre teſtimonia nimis longum eſſet

Hac itaque præmiſſa obſervatione, nunc probandum ſuſcipio, capitalem hunc *Janſenii* errorem de Gratiæ efficacis delectatione relativè, ſeu per gradus, victrice ac ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione, fuiſſe jure optimo ab Eccleſia proſcriptum, tanquàm virulentum principium, ex quo fluunt quinque damnatæ *Ianſenii* Propoſitiones. Et primò quidem, ex hoc *Ianſenii* principio de delectatione Gratiæ efficacis ſuperiori ac relativè victrice ſponte fluit hæc prima *Ianſenii* Propoſitio: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, præcepta ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Germanus quippè illius primæ *Ianſenii* Propoſitionis ſenſus hic eſt: aliquibus juſtis, urgente præcepto, deeſt Gratia efficax, ſeu cœleſtis delectatio relativè victrix, & ſuperior terrena concupiſcentiæ delectatione, adeſtque tantùm gratia, quam *Ianſenius* appellat *parvam*, quæque comparatè & relativè ad illorum majorem ac ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem non eis dat proximam, expeditam, & relativam potentiam vincendi ſuperiorem oppoſitam concupiſcentiæ delectationem; quia minor cœleſtis delectatio, quam importat Gratia illa *parva*, non poteſt relativè ſuperare oppoſitam majorem ac ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem, & quia etiam conſenſus voluntatis juſtorum, ſub motione concupiſcentiæ delectationis ſuperioris & relativè victricis, ità, juxta *Ianſenium*, neceſſarius eſt, ut ab eo juſti ſe ſe cohibere non poſſint, ſed neceſſariò illum præſtare debeant: *Vigente enim delectatione carnali* (ait *Ianſenius* lib. 4. *de Gratia Chriſti* cap. 9.) *impoſſibile eſt, ut virtutis & honeſtatis conſideratio prævaleat.* Et lib 7. *de Gratia Chriſti* cap. 5. idem *Ianſenius* ait: *juſtitiæ vel peccati delectatio eſt illud vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ita firmiter ligatur & retinetur, ut quamdiù iſto ſtabilitèr poſſidetur, & conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita videlicèt ut arbitrium non liberatum eum non velle non poſſit.* Ex qua *Ianſenii* doctrina manifeſtò ſequitur, aliquos juſtos, qui carent gratiæ efficacis delectatione ſuperiori & relativè victrici, & in quibus tantummodò ineſt *parvæ* gratiæ delectatio inferior & minor oppoſita concupiſcentiæ delectatione, non poſſe hanc oppoſitam concupiſcentiæ ſuperiorem ac relativè victricem ſuperare delectationem, ſubindèque *Præcepta eſſe illis impoſſibilia, deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant*, ideſt, deeſſe illis Gratiæ efficacis delectationem ſuperiorem & relativè victricem, quæ, juxta *Ianſenium*, ſe tenet ex parte potentiæ, datque ipſa ſola voluntati creatæ potentiam completam, proximam, expeditam, & relativam obſervandi præcepta, & ſuperandi omnem oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem.

Non negant quidem *Ianſenius*, & Janſeniſtæ, hanc gratiam *parvam*, quam habent aliqui juſti, deſtituti gratia

efficaci, dare potentiam abſolutam ſuperandi concupiſcentiam (ſi enim minor eſſet oppoſita concupiſcentia, ab illa parva gratia vinceretur) ſed negant *Ianſenius*, & Janſeniſtæ, *parvam* illam gratiam, quæ ineſt aliquibus juſtis, gratia efficaci deſtitutis, dare illis potentiam relativam ad oppoſitos concupiſcentiæ gradus, per quam aliqui juſti (abſente Gratia efficaci) poſſint ſuperare majorem & ſuperiorem oppoſitam concupiſcentiæ delectationem, quia (inquiunt *Ianſenius*, & Janſeniſtæ) cùm illa gratia *parva* nihil aliud ſit quàm indeliberata cœleſtis delectatio, quæ minor, debilior & inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, impoſſibile prorsùs eſt ut *parva* illa gratia vincat oppoſitam majorem concupiſcentiæ delectationem. Minor enim delectatio non poteſt vincere oppoſitam majorem delectationem, ſed ei neceſſariò cedere debet. Ex quo doctrinæ *Ianſenii*, & Janſeniſtarum principio evidentèr ſequitur *aliquibus juſtis* (qui habent dumtaxàt gratiam illam *parvam*, & carent gratia efficaci, ſeu relativè victrici) *Præcepta eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque illis gratiam, qua poſſibilia fiant*.

Altera *Ianſenii* damnata Propoſitio, quæ his verbis concepta eſt : *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*, profluit itidem & quaſi pro re nata erumpit ex iſto Janſenianæ doctrinæ principio, baſi, ac fundamento, de delectatione ſuperiore ac relativè victrice. Quamvis enim *Janſenius* doceat (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis jam oſtendi) omnem Gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem, & producere ſemper effectum, cujus relativè capax eſt, & propter quem à Deo datur; diſtinguit attamen *Janſenius* duplicem in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam efficacem, unam videlicet, quam vocat *parvam*, & alteram, quam appellat *robuſtam*, & *relativè victricem*. Utraque autem Gratia efficax, ſive *parva*, ſive *relativè victrix*, ſemper, juxta *Janſenium*, eum omnem conſequitur effectum, cujus eſt capax relativè ad oppoſitos cupiditatis, ſeu concupiſcentiæ gradus. Si enim oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatio ſit major ac ſuperior cœleſti gratiæ delectatione, tunc, juxta *Ianſenium*, gratia quidem erit efficax ; ſed *parva*, quæ inefficaces tantùm, debiles & imperfectos motus ad bonum in intellectu & voluntate excitabit, ſeu (ut docet, Janſenius) *animus in ſolis deſideriis inefficacibus hærebit*. Si verò Gratiæ cœleſtis delectatio vehementior ac ſuperior ſit oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, tunc gratia eſt efficax relativè victrix ad omnes oppoſitos concupiſcentiæ gradus, plenumque ac perfectum effectum, ſeu opus bonum, obtinet, ſicque, juxta Syſtema *Ianſenii*, omnis gratia in ſtatu naturæ lapſæ eſt efficax, quia ſemper aliquid efficit, eique, quantùm ad illum effectum, ad quem producendum datur à Deo, nunquàm reſiſtitur. Gratiæ quippè, cujus cœleſtis delectatio ſuperior eſt oppoſita concupiſcentiæ delectatione, nunquàm reſiſtitur, ſed talis gratia, juxta *Ianſenium*, plenum ac perfectum effectum opus producit. Gratiæ verò efficaci, quam *parvam* appellat *Ianſenius*, non reſiſtitur quantùm, ad effectum imperfectum, quia, juxtà *Janſenium*, hunc effectum ſemper producit, & eo nunquàm fruſtratur. Quantùm, verò ad effectum plenum ac perfectum, ad quem illa parva gratia Janſeniana abſolutè tendit & ordinatur, non poteſt in Janſenii Syſtemate dici, quod ei reſiſtatur, quia hunc effectum plenum atque perfectum gratia illa *parva*, relativè ad majorem & ſuperiorem concupiſcentiæ oppoſitam delectationem, conſequi & producere non poteſt in doctrina *Ianſenii*, ſicut latè oſtendi in mea ſuperiori Epiſtola. Patet itaque, hanc ſecundam *Ianſenii* damnatam Propoſitionem: *Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*, eſſe intimè connexam cum eo Janſenianæ doctrinæ de delectatione ſuperiori, & relativè victrice capitali ac fundamentali principio.

Tertia *Ianſenii* damnata Propoſitio, quæ his verbis continetur : *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, arctiſſimo itidem vinculo connectitur

tur

Digitized by Google

tur cum doctrinæ Janſenianæ principio de delectatione ſuperiori & relativè victrice, immò, nullibi, mea quidèm ſententia, clarius elucèſcit hæc connexio, quàm in hac tertia *Ianſenii* damnata Propoſitione; cùm enim *Janſenius* ſæpiùs aſſerat, libertatem in uno dumtaxàt voluntario deliberato conſiſtere, nec aliud eſſentialiter poſtulare, noſque id magis velle, quod magis non delectat, demulcet, ac rapit, tametſi neceſſariò; hinc infert *Ianſenius*, ſuperiorem & relativè victricem Gratiæ delectationem, cauſam eſſe noſtræ libertatis, ideſt, *à coactione*, quia facit, ut velimus, quamvis hæc ſuperior & victrix Gratiæ delectatio nobis neceſſitatem benè agendi non quidèm perpetuam, immutabilem, & involuntariam, ſed tranſitoriam, mutabilem, & voluntariam, imponat.

Idem docet *Ianſenius* de ſuperiori ac relativè victrice concupiſcentiæ delectatione, quam itidèm dicit eſſe cauſam cur liberè (ideſt libertate à coactione) peccemus, tametsì hæc concupiſcentiæ major delectatio nobis imponat ſimplicem, voluntariam, mutabilem, tranſitoriam, & relativam peccandi neceſſitatem. Sed præſtat audire *Janſenium*, qui lib. 7. *De Gratia Chriſti* cap. 3. hæc habet: *cùm igitur vera cauſa, cur arbitrium ad appetendum aliquid moveatur, ſit delectatio, qua intrinſecus in ipſa voluntate mulcetur, hinc eſt quod conſequenter Auguſtinus tradit, tàm in appetendo, quàm in omittendo peccato voluntatem delectatione liberam fieri.* Id etiam clariùs exprimit *Ianſenius* cap. 10. lib. 6. *de Gratia Chriſti*, & lib. 8. Cap. XV. ubi ait *Gratiam, quantumcumque efficacem, etiam talem, qualis in Cælo cum ſumma delectatione dabitur, nullo modo tollere libertatem quia non tollit voluntatem, hoc ipſo videlicèt quo eam NON COGIT, aut invitam rapit.* Quin *Ianſenius* cap. 9. lib. 8. *De Gratia Chriſti* pertendit, *S. Auguſtinum* docuiſſe, ad peccandum ſufficere libertatem à coactione, eumque conquerentibus Pelagianis nihil aliud reſpondiſſe ut liberum ſalvaret arbitrium, *niſi hominem non cogi, ſed libenter cum delectatione & ideò propria & libera voluntate peccare . . . . . Et concludendo clarius intelligens id quod dixerat, nec aliter liberum arbitrium in peccato quærendum eſſe ſignificans, niſi quia vi delectationis iſtius quam dixerat, non alius quiſpiam cogat hominem, ſed ipſe homo delinquens propria voluntate peccatum facit.* Patet itaque, hanc tertiam *Ianſenii* damnatam Propoſitionem habere arctiſſimam connexionem cum præcipuo & fermè unico Janſenianæ doctrinæ principio de delectatione, ſive cæleſti, ſive terrena, ſuperiori, & relativè victrice.

Quarta *Ianſenii* proſcripta Propoſitio, quæ his verbis exprimitur: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*: hæc, inquam, quarta *Ianſenii* Propoſitio ſequitur planè ex palmari Janſenianæ doctrinæ principio de delectatione ſuperiori & relativè victrice. Senſus quippe hujus quartæ *Ianſenii* Propoſitionis verus ac germanus hic eſt: *Semipelagiani admiſerunt neceſſitatem Gratiæ interioris etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici quod, rejecta Chriſti gratia efficaci* (hoc eſt, juxta mentem *Ianſenii*, rejecta Chriſti gratia efficaci, quam ipſe vult ſitam eſſe in cæleſti indeliberata delectatione ſuperiori & relativè victrice volũtatem humanam neceſſitate inſuperabili indeclinabili determinante) *ſolam admitterent gratiam, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*. Hic eſt verus, proprius & genuinus quartæ iſtius Propoſitionis ſenſus, qui intimam connexionem habet cum illo hæretico Janſenianæ doctrinæ principio in hoc poſito, quòd *Ianſenius* & Janſeniani velint, Gratiæ efficaci, cujus indeliberata cæleſtis delectatio relativè victrix eſt, ſeu, major, fortior, ac ſuperior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, humanam voluntatem non poſſe diſſentire, quia neceſſe prorsùs eſt, ut voluntas humana ſecundùm indeliberatam majorem, ſuperiorem ac relativè victricem delectationem ſemper operetur. Falsò igitur in hac

quar-

quarta Propoſitione pertendit *Ianſenius*, Semipelagianos in hoc fuiſſe hæreticos, quod non admiſerint talem gratiam efficacem Ianſenianam, quæ planè ineluctabilis eſt, quæ neceſſitatem imponit, & cui voluntas humana diſſentire haud poteſt.

Quinta denique *Ianſenii* Propoſitio, his verbis concepta: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*; intimo pariter nexu cohæret cum *Ianſenii* Syſtemate duplicis delectationis, cujus quæ inferior eſt alteri neceſſariò cedere debet. At enim, *Ianſenius* in hac quinta Propoſitione apertè innuit primò, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus, nec omnibus, etiam reprobis, præparaſſe per voluntatem antecedentem gratias verè ſufficientes, quæ dant veram, proximam, & expeditam potentiam obſervandi pręcepta, & ſalutem æternam conſequendi; quia *Ianſenius* (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis ſat copiosè oſtendi) nullam admittit in ſtatu naturæ lapſæ gratiam verè ſufficientem, quæ det veram, completam, proximam, expeditam, & relativam potentiam benè agendi, quæque ſit diſtincta à Gratia efficaci, quam ait *Ianſenius* eſſe indeliberatam cæleſtem delectationem, quæ relativè victrix eſt, ſeu major ac ſuperior eſt oppoſita concupiſcentiæ terręna delectatione. Pręterea, *Ianſenius* in iſta quinta Propoſitione inquit etiam, Chriſtum pro ſalute dumtaxàt Electorum ac Prædeſtinatorum oppetiiſſe mortem & ſuum ſanguinem ſudiſſe, ita ut omnibus reprobis negata ſint auxilia ſufficientia, queis poſſint æternam adipiſci ſalutem. Quem *Janſenii* errorem in proxima, quam ad te ſcribam, Epiſtola, ſpeciatìm confutabo, multiſque argumentis evincam, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, omnibuſque, etiam reprobis, præparaſſe per voluntatem antecedentem auxilia ſufficientia (non in ſenſu Moliniano, ſed in ſenſu Thomiſtico intellecta) quibus ſalutem æternam conſequi poſſint.

Hactenùs ſat liquidò, ni mea me fallat mens, probavi, quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones, ab Eccleſia confixas, ſponté, & quaſi pro te rata effluere ex illo erroneo Janſenianæ doctrinæ principio de indeliberata cæleſti delectatione ſuperiori & relativè victrici, in qua *Ianſenius* totam vim & efficaciam Gratiæ reponit, indèque rectè ſequi, Syſtema *Ianſenii*, Gratiæ efficaciam in hac indeliberata delectatione ſuperiori & relativè victrice ac neceſſitante reponentis, fuiſſe jure ac merito à Catholica Eccleſia reprobatum ac proſcriptum. Cum igitur aliundè conſtet, Summos Pontifices à temporibus INNOCENTII I. uſque ad BENEDICTUM XIII qui nunc ſanctiſſimè Eccleſiam regit, ſemper judicaſſe doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci eſſe veram, ſanam, orthodoxam, Sacris Literis, & menti Sanctorum Patrum, atque Decretis conciliorum maximè conſentanea, neceſſariò dicendum eſt, hanc de Gratia ſe ipſa efficaci doctrinam, quam Summi Pontifices approbarunt, vigere adhùc in Schola Thomiſtarum, qui damnant errores *Lutheri*, *& Calvini*. *Janſenii &c.* & qui internam Gratiæ efficaciam non deſumunt ex indeliberata cæleſti delectatione ſuperiore, & per gradus relativè victrici, ſed eam repetunt ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo, quod in omnes creaturas obtinet, dominio; ſicut poſt *S. Auguſtinum* docet *S. Thomas* fideliſſimus ejus interpres.

Quò fit, ut Thomiſtæ doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, à Sanctis Patribus, à Summis Pontificibus, & à Conciliis approbatam, in celeberrimis totius orbis Accademiis propugnatam, ſummo ſtudio, & totis ſuis viribus etiamnùm defendant, & ſimul cum Ecçleſia Catholica damnent & anathemate percellant iſtud hæreticum Janſenianæ doctrinę Syſtema, quod, totum quantum eſt, revocatur (ut mox oſtendi) ad unam indeliberatam delectationem ſuperiorem & relativè victricem, in qua *Ianſenius* Gratiam efficacem collocat. Hæc enim delectatio ſuperior & per gradus relativè victrix (ſicut ſæpius tibi inculcavi) eſt primum ac unicum principium, in quod collineat immenſum *Ianſenii* volumen. Hæc origo eſt ac radix,

un:

unde, velut à fonte fluvii, quinque Propoſitiones neceſſario & indiſſolubili nexu inter ſe connexæ dimanant, quas ipſe *Janſenius* velut totidem concluſiones, à ſuo principio indivulſas, derivavit.

IV. Verùm, quia *Janſenius* pluribus in locis, ſed præſertim primis undecim capitibus libri quarti *De Gratia Chriſti* (ubi hoc doctrinæ ſuæ de delectatione ſuperiore, & relativè victrice principium latè probat) ſibi *S. Auguſtinum*, ſummum Gratiæ Doctorem, patronum adſciſcit, operæ pretium me facturum eſſe exiſtimo, ſi hìc pluribus momentis evincam, nullibi *S. Auguſtinum* efficaciam Gratiæ collocaſſe in cæleſti indeliberata delectatione, quæ ſit relativè victrix & ſuperior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione. Non eo quidem inficias, frequentiſſimam eſſe apud *S. Auguſtinum* iſtam phraſim, Gratiam eſſe delectationem, eamque victricem; divina Gratia delectationem ingenerari in anima, qua voluntas illecta trahentem gratiam ſequitur, quia (ut inquit S. ille Doctor in Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas cap. 5. *quod amplius nos delectat ſecundùm illud operemus neceſſe eſt*.

Sed tria dumtaxat contrà *Janſenium* hæc probanda ſuſcipio. Primò *S. Auguſtinum* naturam, ſeu eſſentiam Gratiæ ſe ipſa efficacis non collocaſſe in delectatione. Secundò, hanc delectationem, quam *S. Auguſtinus* ait ingenerari à gratia in anima noſtra, non eſſe delectationem indeliberatam, ſicut pertendit *Janſenius*, ſed eſſe delectationem deliberatam, quam habet humana voluntas in ſuis operationibus, ad quas determinatur à Gratia ſe ipſa efficaci, ſubindeque iſtam delectationem non inducere, juxta *S. Auguſtinum*, neceſſitatem operandi abſolutam & antecedentem, ſicut docet *Ianſenius*, ſed neceſſitatem dumtaxat conſequentem, ſeu hypotheticam, & infallibilitatis, ſicut dum loquor neceſſe eſt ut loquar; quæ neceſſitas, ut docent omnes Theologi, nullo pacto officit libertati. Poſtremò evincam, illam Gratiæ delectationem, de qua loquitur *S. Auguſtinus*, non eſſe relativè victricem, ut vult *Ianſenius*, ſed eſſe abſolutè & ſimpliciter victricem.

In primis, quòd *S. Auguſtinus* naturam, ſeu eſſentiam Gratiæ efficacis non repoſuerit in delectatione, ſicut docet *Janſenius*, duplici momento evinco. Delectatio quippè movet dumtaxat moraliter, nec habet infallibilem & neceſſariam connexionem cum effectu ad quem movet, nec ſemper homo operatur ex majori etiam, qua prævenitur, delectatione, ſicut de ſe ipſo teſtatur *S. Auguſtinus* lib 8 Confeſſionum cap. 8. his verbis: *Non faciebam quod incomparabili affectu ampliùs mihi placebat*. Agnoſcit etiam *S. Auguſtinus* lib. 4. contra *Iulianum* cap. 3. delectationem Dei in hac vita nuſquam eſſe tantam, quæ boni proprii complacentia ſuperari nequeat; quam *S. Auguſtini* doctrinam tenet cum omnibus Theologis *S. Thomas*, probat que multis in locis, Deum non clarè viſum nuſquàm ſic allicere voluntatem humanam, ut ab hac cæleſti delectatione per bona ſenſibilia abduci non poſſit. Cùm igitur, juxta principia doctrinæ *S. Auguſtini*, Gratia efficax habeat neceſſariam & infallibilem connexionem cum effectu ad quem movet, nulla ratione veriſimile eſt, Sanctum illum Doctorem eſſentiam & efficaciam Gratiæ repoſuiſſe in delectatione quæ moraliter tantùm movet, &, in principiis ejuſdem Doctoris, non habet cum effectu, ad quem movet, neceſſarium & infallibilem nexum.

Certè, *S. Thomas*, fidiſſimus *S. Auguſtini* interpres, diſertè docet Lectione V. in caput 6. *Ioannis*, *S. Auguſtinum* non conſtituiſſe eſſentiam & efficaciam Gratiæ in delectatione, ſed eam repoſuiſſe in interiori inſtinctu, ſeu in divina operatione, & motione, quæ immutat cor hominis, & operatur in ejus voluntate velle & perficere, inferendo delectationem, cum qua voluntas liberè & ſuaviter ſuas elicit operationes. Sic enim Doctor Angelicus loco mox à me laudato explicans hæc verba Chriſti Domini: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*, mentem S. Auguſtini interpretatur: *ſi enim (ut dicit Auguſtinus, trahit ſua quem-*

Digitized by Google

quemque voluptas, quantò fortius debet homo trahi ad Chriſtum, ſi delectatur veritate, beatitudine, juſtitia, ſempiterna vita, quod totum eſt Chriſtus. J...... Sed quia non ſolùm revelatio interior, vel objectum; virtutem attrahendi habet, ſed etiam interior inſtinctus impellens & movens ad credendum; ideò trahit multos Pater ad Fidem, per inſtinctum divinum operationis moventis cor hominis ad credendum: Ad Philippenſes cap. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere Oſee Cap. 11. In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis. Proverbiorum Cap. 21 Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud. Quibus verbis docet *S. Thomas*, juxta principia doctrinæ *S. Auguſtini*, eſſentiam & efficaciam Gratiæ ſitam eſſe in interiori inſtinctu, ſeu motione divina tangente cor hominis, illud immutante, & ingenerante delectationem, itaut tamen illa delectatio ſit effectus dumtaxàt motionis divinæ, non verò natura, ſeu eſſentia Gratiæ efficacis, ſicut falsò pertendit *Janſenius*.

Hinc facilè intelliges, rectè à doctiſſimo *Guillelmo Eſtio*, Academiæ Duacenſis Cancellario, fuiſſe obſervatum, à nemine unquàm melius quàm à *S. Thoma*, intellectum *S. Auguſtinum* fuiſſe, ac ſemper in materia de Gratia principia *S. Thomæ* ad explicationem *S. Auguſtini* advocari oportere; quæ ſi ſemel divellantur, non procul aberit periculum à recto tramite aberrandi, ſicut hac noſtra tempeſtate in præclaris alioqui ingeniis (proh dolor!) infelici experimento comprobatum eſt. Multi namque, prætermiſſis, aut ſpretis etiam *S. Thomæ* principiis, explicationem doctrinæ *S. Auguſtini* proprio marte aggreſſi ſunt; quos à germano, veroque ſenſu *S. Auguſtini* quam longiſſimè deſciviſſe, & in varios prorupiſſe errores, ſæpius Eccleſia Catholica pronunciavit.

Præterea, ſi *S. Auguſtinus* exiſtimaſſet, eſſentiam Gratiæ ſitam eſſe in indeliberata delectatione, ſenſit itidem S. ille Doctor, Deum per ſolam delectationem attrahere ad ſe corda hominum, atqui *S. Auguſtinus* pluribus in locis docet, Deum non tantùm per delectationem attrahere ad ſe corda hominum, ſed etiam per timorem, per vehementiſſimum de peccatis odium, & per alios innumerabiles modos: *Iſti ſic, illi aliter, atque alii aliter diverſis, & innumerabilibus modis vocantur ut reformentur*, ait *Sanctus Auguſtinus* cap. 5. lib. *De Correptione & Gratia*, idem innuit Aquilinus ille Doctor c. 20. Lib. 1. contrà duas Epiſtolas Pelagianorum, ubi hæc habet: *Trahitur ergò* (homo) *miris modis ut velit, ab illo, qui novit intùs operari; non ut homines (quod fieri non poteſt) nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant.* Quibus verbis docet primò *S. Auguſtinus*, eſſentiam & efficaciam Gratiæ ſitam eſſe in occultiſſima, potentiſſima & interna motione, qua Deus in ipſis hominum cordibus operatur, & per quam homines ex nolentibus fiunt volentes. Secundò, docet *Sanctus Auguſtinus*, ſive delectationem, quam Deus per Gratiam efficacem, ſeu per ſuam motionem internam, cordibus hominum immittit, ſive timorem & odium peccati, quod in nobis ingenerat Gratia Dei efficax, eſſe tantùm effectus Gratiæ efficacis, ſeu internæ motionis divinæ, quæ interdùm, ſed non ſemper, producit in nobis delectationem, interdùm ſanctum timorem, & odium peccati. Falſum igitur eſt, *S. Auguſtinum* docuiſſe, eſſentiam & efficaciam Gratiæ ſitam eſſe dumtaxat in cœleſti delectatione, ſicut à capite ad calcem ſui Operis acriter contendit *Janſenius*.

Et ſanè ut obiter dicam, eſſentiam & efficaciam Gratiæ ſitam non eſſe in delectatione liquet ex illo agendi modo, quem Deus ergà juſtos adhùc imperfectos, & ergà juſtos perfectos tenere ſolet: Quamvis enim Deus juſtos adhùc imperfectos, inſtillata quadam rerum divinarum delectatione ac ſuavitate, ad ſe quandoque alliciat; perfectis tamen juſtis, ne ſuperbiant, omnem non nunquàm delectationem ſubtrahit, eos ſalubri tremore ac periculi timore percellit, ſiccitatibus, ariditatibus, & tantùm non derelictionibus illos probat, ut quæ Dei ſunt, inſipida, amara & cruciantia ſepè ſentiant, ut diſcant Deum colere non ſolùm gratis, ſed etiam ſuo quodam diſpendio, præ-

præ-

præciſè quia dignus eſt; non illecebra propriæ ſatisfactionis illecti, ſed ſicca & pura rectitudinis, officii, legiſque æternæ regula inducti. Chriſtus Dominus ſuo exemplo nos docuit non ſuavia ſequi, ſed recta, quantumvis ægro palato noſtro amara: ideſt, docuit nos, non gaudium ac delectationem deſiderare, ſed crucem amplecti, Deumque amare, non quia delectat, ſed quia amore noſtro dignus eſt.

Non ergò eſſentia & efficacia Gratiæ in delectatione repoſita eſt, ut falsò contendit *Janſenius*, ſed ſita eſt in ſecreta, interna, & forti motione, qua Deus operatur in cordibus hominum, efficitque, ut ea, quæ etiam nobis magis placent, propter ipſius amorem, repudiemus; quæ nos cruciant, & averſamur, fortiter eligamus, non quia nobis, ſed quia illi ſic placet, cui parere æquiſſimum ac præ omni alio bono æſtimabile eſt, ſive delectet, ſivè cruciet. Hac via omnes Sancti ad vitam æternam pervenerunt, quibus Chriſtus Dominus, vivens & moriens, ſuo exemplo præivit.

V. Ad alterum caput probandum nunc accedo, & dico, delectationem illam, quam *S. Auguſtinus* ait, generari in nobis à Gratia efficaci, non eſſe indeliberatam, quæ præveniat uſum & advertentiam rationis, atque deliberationem; ſeu conſenſum voluntatis, quæque facit ut voluntas neceſſariò benè operetur; ſicùt ait *Ianſenius*: ſed eſſe delectationem deliberatam, quam præmotio phyſica, ſeu Gratia ſe ipſa efficax producit in voluntate; facitque ut voluntas ſibi complaceat in Lege Dei, & delectetur in ea. Et primò quidèm, hac in Epiſtolâ jam oſtendi, eſſentiam & efficaciam Gratiæ reponi non debere in cæleſti indeliberata delectatione (quæ juxta *Janſenium*, nihil aliud eſt, quàm vitalis animi motus indeliberatus, rationis advertentiam & conſenſum voluntatis antevertens, & cujus agendi modus, juxta eumdem *Ianſenium*, in hoc poſitus eſt, quòd hæc indeliberata Gratiæ delectatio, quandò per gradus eſt relativè victrix, & major, & ſuperior oppoſita concupiſcentiæ delectatione, neceſſariò impellat voluntatem ad benè agendum, ita ut voluntas ei reſiſtere non poſſit, nec eam ſuperare valeat minor & inferior oppoſita concupiſcentiæ delectatio, ſed ei neceſſariò cedere debeat) in hac, inquam, indeliberata cæleſti delectatione, quæ arbitrio voluntatis non ſubjacet, immò ſecundùm quam ex *Janſenio* neceſſe eſt voluntatem ſemper operari, naturam & efficaciam Gratiæ non eſſe reponendam, jam ſatis ſupérque probavi in hacce Epiſtola contra *Ianſenium*, qui ex hoc capitali doctrinæ ſuæ principio de indeliberata gratiæ delectatione relativè victrice, & ſuperiori oppoſita concupiſcentiæ delectatione deduxit quinque ſuas hæreticas Propoſitiones ab Eccleſia Catholica jure optimo damnatas. Undè ipſe infero, *S. Auguſtinum*, cujus doctrinam de Gratia approbarunt Summi Pontifices, per illam delectationem, quam ait à Gratiâ efficaci immitti cordibus noſtris, non intellexiſſe indeliberatam delectationem, quæ rationis advertentiam & conſenſum voluntatis præveniat, eique neceſſitatem benè operandi imponat (ſicut contendit *Ianſenius*, ſed Sanctum Doctorem per hanc delectationem, quam ait cordibus noſtris à Gratia efficaci ingenerari, intellexiſſe delectationem deliberatam voluntatis, id eſt, cui voluntas, à gratia efficaci præmota, propria ſua electione ac libertate adhæreſcit.

Hanc eſſe veram & germanam *Sancti Auguſtini* mentem patet ex eodem loco, quem frequentiſſimè citat *Ianſenius*, videlicèt ex expoſitione Aquilini illius Doctoris in Epiſtolam Apoſtoli *Pauli* ad Galatas capit. 5. ubi ait: *Quod ampliùs nos delectat ſecundùm illud operemur neceſſe eſt*. Manifeſtum quippè eſt, *Sanctum Auguſtinum* eò loci loqui de actione externa, quæ neceſſariò fit ſecundùm id quod per electionem & deliberatum voluntatis actum magis amamus; quæ neceſſitas non eſt antecedens, ſed tantùm conſequens, ac ipſum libertatis uſum & exercitium demonſtrat.

Probat id apertè exemplum, quod ibidèm adducit *Sanctus Auguſtinus*, hominis ſcilicèt cui obvia occurrit ſpecioſæ formæ mulier, qua movetur ad delectatio-

nem fornicationis, qui tamen, ſi plus delectatur interna pulchritudine caſtitatis, ſecundùm majorem illam delectationem vivit & operatur. Delectatio autem illa, ſecundùm quam voluntas exteriùs operatur, non eſt indeliberata & objectiva, nec rationis advertentiam & voluntatis conſenſum antevertit; ſed eſt delectatio deliberata & interna, quam actu habet voluntas, ſeſe, ope Gratiæ ſe ipſa efficacis, liberè determinans ad amorem caſtitatis: Actio quippe exterior (ut docent omnes Theologi ac Philoſophi) fluit ex interiori determinatione voluntatis, quod *S. Auguſtinus* ibidèm exprimit his verbis: *Manifeſtum eſt certè ſecundùm id nos vivere, quod ſectati fuerimus, ſectabimur autem quod dilexerimus*, ideſt, dilectione & delectatione non indeliberata & objectiva (ut docet *Janſenius*) ſed dilectione & delectatione deliberata & ſubjectiva, cui voluntas hominis, à Gratia ſe ipſa efficaci præmota, propria ua electione ac libera determinatione ſdhæreſcit, quia Gratia ſe ipſâ efficax airtute ſua intrinſeca facit, ut voluntas, vuam præmovet, deliberatam ſentiat delectationem internam, ei per proprium conſenſum, electionem, ac liberam determinationem ſuam adhæreat, atque ſecundùm hanc, qua intùs perfunditur, deliberatam delectationem, ſuas eliciat operationes: *Intellectus* enim *divinus*, (inquit *Sanctus Thomas* primæ ſecundæ Quæſtione 35.) *qui eſt naturæ inſtitutor, delectationes poſuit propter operationes*.

Id etiam egregiè explicat Doctor Angelicus I. Part. Quæſt. 60. Art. 5. ubi, obſervando diſcrimen, quod intercedit nter motum violentum, & naturalem, iſthæc habet: *Hoc enim*, inquit, *diſtat in motibus naturalibus, & violentis, quòd in motibus violentis impreſſio relicta à primo motore in ſecundis motoribus, eſt præter naturam eorum, & ideò operatio conſequens ex tali impreſſione eſt eis difficilis & laborioſa: ſed in motibus naturalibus impreſſio relicta à primo motore in ſecundis motoribus eſt eis cauſa naturalis; & ideò operatio hanc impreſſionem conſequens, eſt conveniens, & ſuavis, & ideò dicitur Sap. cap. 8 quia Deus omnia ſuavitèr diſponit. Quia & unaquæque res ex natura, ſibi divinitùs indita, tendit in id, ad quod per divinam providentiam ordinatur ſecundùm exigentiam impreſſionis receptæ. Et quia omnia procedunt à Deo in quantum bonus eſt, ut dicit Auguſtinus libr. 11. De Civit. Dei cap. 22. & Dionyſius De Divinis Nominibus cap. 4. ideò omnia creata ſecundùm impreſſionem, à Deo Creatore receptam, inclinantur in bonum appetendum ſecundùm ſuum modum*. Quibus verbis manifeſtò patet, *S. Auguſtinum* (ſicut illum interpretatur *Sanctus Thomas*) dum ait: *Quod ampliùs nos delectat ſecundùm illud operemur neceſſe eſt*, non loqui de delectatione indeliberata, quæ rationis advertentiam, & conſenſum voluntatis præveniat, eique neceſſitatem antecedentem operandi imponat (ſicut falsò aſſerit *Janſenius*) ſed *Sanctum Auguſtinum* loqui de delectatione deliberata, quam impreſſio divina, ſeu Gratia efficax, producit & relinquit in voluntate creata, cuique voluntas per liberum ſuum conſenſum, electionem, ac propriam determinationem adhæret.

Secundùm hanc Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* explicationem intelligendum eſt iſtud effatum: *Quod ampliùs nos delectat*, ideſt, non delectatione indeliberata & objectiva, quæ rationis advertentiam, & voluntatis conſenſum antevertit, ſed delectatione deliberata, cui voluntas liberè adhæret, *ſecundùm illud operemur neceſſe eſt*, ideſt, neceſſitate hypothetica, conſequentiæ & infallibilitatis; quæ neceſſitas (ut docent omnes Theologi) non nocet libertati, ſed potiùs cum illa optimè cohæret. Senſus verò hæreticus *Janſenii*, ſic explicantis iſtud *S. Auguſtini* effatum; *Quod nos ampliùs delectat*, ideſt (interprete *Janſenio*) delectatione indeliberata & objectiva, quæque rationis advertentiam & voluntatis conſenſum antevertit; *Secundùm illud operemur neceſſe eſt*, hoc eſt, (interprete eodem *Janſenio*) neceſſitate antecedenti, quæ rapit ac ſecum trahit conſenſum voluntatis humanæ ei adimendo veram potentiam ad oppoſitum; hic, inquam, *Janſenii* ſenſus hæreticus & à mente *S. Auguſtini* omninò

nò alienus; explodi debet, quia (ſicut ſuperiùs obſervavi) eſt capitale principium, ex quo *Janſenius* ſuas derivavit quinque Propoſitiones ab Eccleſia ſæpiùs damnatas, quæ vera totius illius Operis Analyſis dici poſſunt. Hinc jure merito dicebat Illuſtriſſimus *Boſſuetius*, Meldenſis Epiſcopus, & inter Galliarum Antiſtites celeberrimus; *ſi totus Janſenii Liber Chimico quaſi clibano liqueſiat, nihil aliquid ſucci indè ſtillaturum, quàm ipſas quinque ab Eccleſia proſcriptas Propoſitiones*.

VI. Supereſt nunc, ut in calce hujuſce Epiſtolæ, breviter oſtendam (ſicut promiſi) *Sanctum Auguſtinum* per illam delectationem, quam ſæpiùs ait cordibus noſtris immitti à gratia efficaci, non intellexiſſe delectationem per gradus relativè victricem, & ſuperiorem oppoſita concupiſcentiæ delectatione (ſicut falsò *Janſenius* in ſuo prægrandi Opere docet) ſed *Sanctum Auguſtinum* intellexiſſe dumtaxat ſuavitatem, ſeu delectationem quamdam deliberatam, & conſequentem, quæ ex gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatrice profluit velut effectus ex cauſa, & qua fit, ut voluntas, tali delectatione delibuta atque delinita, longè magis ſibi placeat in eliciendo actu bono, ad quem à Gratia efficaci prædeterminatrice movetur, quàm in exercendo opere malo; atque ut prædictam delectationem deliberatam, ſibi à gratia ſe ipsà efficaci immiſſam, & ex ſua libera determinatione ortam præferat voluntas cuicumque alteri contrariæ, & illicitæ delectationi.

In primis, quòd *Sanctus Auguſtinus* per delectationem, quam cordibus noſtris immittit Gratia efficax, non intellexerit indeliberatam delectationem relativè victricem, in qua ſola *Janſenius* eſſentiam, & efficaciam Gratiæ reponit, multa evincunt momenta. Primò, quia inter omnia illa *Sancti Auguſtini* teſtimonia, quæ operosè congerit *Janſenius*, nullum prorsùs eſt, quo probetur, *S.* illum Doctorem per delectationem, quam Gratia efficax immittit cordibus noſtris, intellexiſſe indeliberatam delectationem relativam, & per gradus victricem, qualem admiſit *Ianſenius*. Hanc quippè delectationem nullibi appellat *Sanctus Auguſtinus* indeliberatam, relativam, & per gradus victricem; ſed tantùm dicit, eam eſſe internam ſuavitatem, dulcedinem, & delectationem victricem; ideſt, eam non eſſe relativam, & per gradus victricem, ſed eſse delectationem ſimpliciter, & abſolutè ex ſe ipſa victricem, ſeu delectationem non indeliberatam, ſed deliberatam, ut potè quæ profluit ex Gratia ſe ipſa efficaci prædeterminatricem, tanquàm effectus ex cauſa, & ideò hæc delectatio dicitur à *Sancto Auguſtino* ſimpliciter, & abſolutè victrix. Oritur etiam hæc delectatio ex libera determinatione voluntatis, quæ per impulſum gratiæ ſe ipſa efficacis liberè ſeſe determinat, & delectatur in lege Dei, quò fit, ut hæc delectatio, quæ, ſecundùm *Sanctum Auguſtinum*, non antevertit, ſed ſequitur liberam voluntatis determinationem, ſit delectatio deliberata, ſeu motus deliberatus, quo voluntas liberè fertur, & inclinatur ad eliciendum actum, ad quem movetur à gratia ſe ipſa efficaci, & in eo actu exercendo ſibi complacet ac delectatur.

VII. Hinc varia prodeunt diſcrimina, quibus delectatio illa, quam *Sanctus Auguſtinus* ait à gratia efficaci immitti cordibus noſtris, maximè diſcrepat ab ea indeliberata delectatione relativa, in qua *Ianſenius* naturam, ſeu eſsentiam, & efficaciam gratiæ reponit. Primum diſcrimen in eo ſitit, quòd hæc delectatio, quam *Sanctus Auguſtinus* ait à gratia efficaci nobis immitti, profluat à gratia efficaci, ſeu ab intrinſeca divina motione, tangente cor hominis, ſicut effectus profluit à cauſa: *Ianſenius* verò cenſet, hanc indeliberatam delectationem relativam non eſse effectum gratiæ efficacis, ſed in ea totam collocat naturam, ſeu eſsentiam & efficaciam gratiæ.

Alterum diſcrimen iſtud eſt: quòd *S. Auguſtinus* velit, hanc delectationem, quæ à gratia efficaci nobis immittitur, eſse deliberatam, & ſequi liberam determinationem voluntatis humanæ: contrà docet *Janſenius*, hanc delectationem relativam eſse indeliberatam, & rationis advertentiam, ac voluntatis

conſenſum, ſeu liberam ejus determinationem antevertere.

Tertium diſcrimen in hoc ſitum eſt, quòd *Sanctus Auguſtinus* ſentiat, hanc delectatione eſse ſimpliciter, & abſolutè, ſive ex ſe ipſa victricem, quia hæc delectatio à Gratia ſe ipſa efficaci, hoc eſt, à prævia, & phyſica Dei motione, tanquàm à cauſa, producitur: *Janſenius è* diverſo aſserit, delectationem gratiæ non eſse abſolutè, & ſimpliciter, ſeu ex ſe ipſa victricem, ſed eam tantùm relativè & per gradus eſse victricem, ideſt, quandò delectatio Gratiæ major ac ſuperior eſt oppoſita concupiſcentiæ delectatione.

Quartum diſcrimen in hoc conſiſtit, quòd *Sanctus Auguſtinus* ſæpiùs dicat, gratiam efficacem, cujus eſsentiam conſtituit in motione interna, qua Deus tangit, & convertit hominum corda, eſse quidèm ſemper victricem, in nobis tamen non ſemper producere delectationem ſed interdùm ingenerare in cordibus noſtris ſanctum timorem, aliquandò dolorem, nonnunquàm odium, & turpitudinem peccati: *Janſenius* verò totus in hoc eſt, ut probet, gratiam efficacem victricem eſse inſeparabilem à delectatione, & nullam gratiam efficacem eſſe victricem, niſi ejus delectatio major ac ſuperior ſit oppoſita concupiſcentiæ delectatione.

Poſtremò, *Janſenius* acriter pertendit, Gratiæ relativè victricis indeliberatam delectationem, ità neceſsariò determinare voluntatem ad benè agendum ut voluntas ei reluctari non poſſit, nec velle queat actum oppoſitum, quia (ut inquit *Janſenius* cap. 20. lib. 8. *De Gratia Chriſti*) *tunc facultas* (volendi actum oppoſitum) *impedita ligataque permanet*, vinculo ſcilicèt delectationis gratiæ relativè victricis, quæ major ac ſuperior eſt oppoſita concupiſcentiæ delectatione; quo fit, ut voluntas non tantùm actum oppoſitum non velit, ſed nec velle poſſit. Similitèr docet ibidèm *Janſenius*, quòd terrena concupiſcentiæ delectatio (quandò relativè victrix eſt, & major ac ſuperior oppoſita Gratiæ delectatione cæleſti) *parit benè faciendi impotentiam, quam voluntas ſuperare non poteſt, quia velle non poteſt, idque ideò, quia fortitèr ſtabiliterque non vult*. At, contrarium palàm docet *Sanctus Auguſtinus*, quippè qui (ut pauld ante dicebam) lib. 8. *Confeſſionum* cap. 8. probat ſuo exemplo, hominem non ſemper operari ex majori, qua prævenitur, delectatione Agnoſcit etiam S. ille Doctor, cæleſtem Dei delectationem nuſquàm in hac vita mortali tantam eſse, quæ ab homine proprii boni complacentia vinci ac ſuperari non poſſit; cenſet enim *Sanctus Auguſtinus*, quod cum omnibus Theologis docet *Sanctus Thomas*, nempè homines, qui Deum clarè, & intuitivè non vident, cæleſtibus Dei illecebris ac delectationibus ita allici non poſse, ut illas neceſsariò amare, & ſecundùm illas operari debeant; ad diſcrimen beatorum, qui Deum in Cælis clarè, & intuitivè vident, quique per delectationem, qua fruuntur in clara viſione ſummi boni, ſic neceſſitantur ad illud amandum, ut actum amoris; quo in illud jugitèr feruntur, ſuſpendere non valeant. Solum quippè ſummum bonum, clarè in viſione beatifica cognitum, explet ac omninò ſatiat totam capacitatem, quam habet voluntas hominis appetendi bonum infinitum, eamque ſubindè neceſsariò ad ſui amorem rapit.

Cæterùm, voluntas hominis in ſtatu viæ non obſtringitur neceſſitate quantùm ad exercitium amandi ſummum Bonum ſeu Deum, quem non clarè, ſed obſcurè tantùm cognoſcit; nec à quibuſcumque delectationibus ſive cæleſtibus, ſive terrenis, nec ab ullo bono creato poteſt neceſsariò trahi, & induci ad operandum, quia in ſtatu viæ omnes delectationes, ſive cæleſtes, ſive terreſtres, ſicut, & quæcumque bona creata habent dumtaxat bonitatem finitam, & limitatam, quæ explere, & exhaurire haud poteſt totam capacitatem, quam habet voluntas hominis, appetendi ſummum, & infinitum bonum. Quo fit, ut nullæ delectationes, ſive cæleſtes, ſive terrenæ, voluntati humanæ in ſtatu viæ neceſſitatem imponere poſſint benè vel male operandi.

VIII Hæc eſt Sanctorum *Patrum Auguſtini*, & *Thomæ*, omniumque Theolo-

go-

Digitized by Google

gorum doctrina, quam fuſiùs expoſui ea in Epiſtola, quam ad te ſcripſi ad explanandam veram notionem libertatis humanæ, & ad eam cum divinæ Gratiæ efficacia conciliandam. Ex qua doctrina, totum corruit Syſtema *Ianſenii*, aſſerentis, voluntatem hominis ſemper debere benè, vel malè operari ex majori, qua prævenitur delectatione, ſive cæleſti, ſivè terrena; quod ſanè apertè contrarium eſt mox explicatæ doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, omniumque Theologorum, aſſerentium, voluntatem hominis in ſtatu viæ nullis delectationibus cæleſtibus, nulliſque delectationibus terrenis, nulliſque bonis creatis, quæ finitam dumtaxat & limitatam habent bonitatem, neceſſitari poſſe ad benè, vel malè operandum, ſubindèque erroneum eſſe Syſtema *Janſenii*, aſſerentis, voluntatem hominis in ſtatu viæ ex majori, qua prævenitur, delectatione, ſive cæleſti, ſive terrena, debere ſemper & neceſſariò benè vel malè operari.

Si plura de his ſcire deſideres, legeſis Diſſertationem primam, Quæſt. 3. Art. 17. & Diſſertationem ſecundam, Quæſt. 6. Art. 7. inſignis Operis, cui titulus eſt: *Divus Thomas ſui Interpres*, quòd Romæ edidit, & Sanctiſſimo Pontifici INNOCENTIO XII. nuncupavit noſter *Maſſoulieus*, doctrina & pietate conſpicuus, meuſque in officio Theologi Caſanatenſis perilluſtris deceſſor. In his quippè locis mox à me laudatis, doctiſſimus ille Theologus diſertiſſimè profitetur juxtà doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, cæleſtem Gratiæ delectationem non eſſe indeliberatam, nec antecedentem, ſeu non antevertere determinationem & conſenſum voluntatis humanæ, ſed illam cæleſtem Gratiæ delectationem eſſe deliberatam, & conſequentem voluntatis humanæ determinationem & conſenſum, adeò ut eſſentia, ſeu natura efficaciæ Gratiæ reponi minimè debeat in cæleſti indeliberata delectatione, quæ antecedat conſenſum, & determinationem voluntatis creatæ (ſicut falsò *Janſenius*, ejuſque Diſcipuli pertendunt) ſed efficacia Gratiæ repetenda ſit ex Præmotione phyſica, quam cæleſtis deliberata delectatio, tanquàm effectus, conſequitur, qua delibuta ac perfuſa voluntas ſibi in ſua operatione complacet, ſicut, docet *S. Thomas*, cui hac in re ſuffragantur omnes tam Theologi, quàm Philoſophi. Hanc eſſe genuinam mentem *Maſſouliæi* patet, quia doctiſſimus ille Theologus nullibi in toto ſuo Opere, vel leviter inſinuat, cæleſtem Gratiæ delectationem eſſe indeliberatam, & antecedentem voluntatis humanæ conſenſum, ſed potiùs in locis, mox à me indicatis, & ad quæ idem Theologus, explicando ſuum quartum modum efficaciæ Gratiæ, lectorem remittit, conſtantèr docet cum Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma*, hanc cæleſtem gratiæ delectationem, eſſe deliberatam & conſequentem, utpotè immiſſam à motione divina, quæ eſt ipſius cauſa. Sic enim loquitur clariſſimus ille Theologus: *Secunda Obſervatio in eo poſita eſt, quòd etiam aliqui decepti eſſe videantur ex D. Auguſtini phraſi & modo loquendi; quòd cum ipſa delectatio, motus ſit ipſius animi, & D. Auguſtinus in ea victrici delectatione Gratiam repoſuiſſe videatur, exiſtimarunt etiàm quidam Theologi, non aliam eſſe S. Auguſtino Gratiam, præter eam delectationem, & poſitam eſſe Gratiam in ipſis actibus animi, quibus voluntas traheretur. Verùm id parùm rationis principiis conſentaneè...... Non in ipſis motibus, actibuſque vitalibus voluntatis repoſita eſt divina Gratia*; SED IN IPSA DIVINA MOTIONE, ET CONTACTU ILLO DIVINO, QUO VOLUNTATEM IMPELLIT, AC MOVET AD AMOREM. Per divinam autem motionem intellexiſſe *Maſſouliæum* Præmotionem phyſicam, quæ delectationem & amorem in voluntatem creatam immittit, nullus, qui has duas ipſius legerit Diſſertationes, ad quas ſuos lectores remittit, inficias ire poterit, ſed potiùs ipſa rei veritate convictus fatebitur, *Maſſouliæum* in his duabus Diſſertationibus profligaſſe illud virulentum, doctrinæ Janſenianæ principium, quo *Ianſenius*, ejuſque Diſcipuli naturam, ſeu eſſentiam gratiæ efficacis reponunt in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, antecedente conſenſum voluntatis humanæ, eamque ab benè operandum neceſsariò determinante.

IX. Præterea, ut evidentiùs conſtet, Syſtema *Janſenii* de indeliberata cæleſti delectatione ſuperiori, & relativè victrice eſſe prorsùs alienum à doctrina *S. Auguſtini*, quatuor hic referam abſurda, quæ ex iſto Janſeniano Syſtemate conſequuntur, quæque cum intimis *Sancti Auguſtini* principiis colliduntur. In primis, in hoc *Janſenii* Syſtemate locum habet ſcientia media, qua Deus priùs dirigatur, quàm aliquid abſolutè futurum decernat. Verùm enim verò, in Syſtemate *Janſenii* de indeliberata cęleſti delectatione relativè victrice, & ſuperiori oppoſita concupiſcentiæ delectatione, neceſſe eſt ut Deus, antequàm abſolutè ſtatuat impertiri alicui Gratiam relativè victricem, priùs exploret quot ille habeat concupiſcentiæ gradus, ut nempè ſuam iiſdem gradibus commenſuret, ac ſuperiorem accommodet cæleſtem Gratiæ delectationem. Quod ni exploraverit Deus, incertus prorsùs ac dubius hærebit quis futurus ſit Gratiæ effectus. Certò namque ſcire haud poteſt gratiam fore relativè victricem & ſuperiorem concupiſcentiæ gradibus, niſi anteà exploraverit quot ſint gradus terrenæ delectationis concupiſcentiæ, ut ſciat ac ſtatuat quot gradus cæleſtis delectationis gratiæ conferre debeat, qui vincant ac ſuperent omnes oppoſitos concupiſcentiæ delectationis gradus. Atqui hæc de ſcientia Media opinio non eſt *Molina* antiquior, & cum principiis doctrinæ *S. Auguſtini* pugnat, ſicut docent omnes veri diſcipuli *S. Auguſtini*; igitur *Janſenii* Syſtema cohærere nequit cum principiis doctrinæ *S. Auguſtini*.

Secundò, in Syſtemate *Janſenii* de delectatione ſuperiori, nulla datur gratia ex ſe, ſeu ex natura, & virtute intrinſeca victrix & efficax, ſed vis & efficacia gratiæ, juxtà *Janſenium*, non tam ex interna ipſius virtute pendet, quàm ex minori oppoſitæ concupiſcentiæ reſiſtentia. Indè eſt, quòd in hoc *Janſenii*, & Janſeniſtarum Syſtemate eadem Gratiæ entitas, citrà ullum novum ex parte Dei auxilium, in uno & eodem homine, variè diſpoſito, ſit modò victrix, modò non victrix, prout major vel minor in ipſo fuerit oppoſitæ concupiſcentiæ actualis reſiſtentia, ſicut in meis præcedentibus Epiſtolis latè expoſui: Atqui, *S. Auguſtinus* (ſicut illum cum tota ſua Schola interpretatur Angelicus Doctor) internam Gratiæ virtutem & efficaciam ita repetit ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo, quod in omnes creaturas obtinet, dominio, ut, in quibuſcumque circumſtantiis humana voluntas collocetur, ſemper Gratia ſe ipſa efficax faciat facere, perrumpat omnes difficultates, ſuum operetur effectum, omnemque ſuperet oppoſitæ concupiſcentiæ reſiſtentiam. Qua in re *S. Auguſtinus*, & fidiſſimus ejus interpres *S. Thomas*, nobis Gratiæ efficacis exhibent ideam planè omnipotentia Dei dignam. Ex adversò autem *Janſenius* ideam Gratiæ efficacis depingit omnipotentia Dei omninò indignam, Deumque ſimilem facit alicui Principi, quem, tanquàm invictum in bello aliquis eo nomine commendaret, quòd illas omnes urbes ſubigeret, quæ, deſtitutæ præſidio, non reſiſterent, ab earum verò urbium, quæ munitiores forent, obſidione, non ſemel deſiſtere cogeretur; vel qui de hoſtibus victoriam toties reportaret, quoties iis numero copiarum longè ſuperior eſſet; totiès verò proſterneretur, vel fugam arripere cogeretur, quotiès copiarum numero paulò impari decertaret. Profectò, ſi quis vellet hoc pacto aliquem Principem, tanquàm invictum & validiſſimum in bello commendare, numquid, amabò, ſeſe, ſuumque Heroem omnibus deridendum propinaret? In idem certè vitium impingit *Janſenius*, quippè qui omnipotentiam Dei, & Gratiæ Chriſti efficaciam indè maximè commendat, quia, inquit, totiès Gratia Chriſti eſt efficax & victrix, ideſt, totiès Gratia Chriſti oppoſitam concupiſcentiam vincit, quotiès ea gradibus ſuperior ac fortior eſt; totiès è contra vincitur Gratia Chriſti, quotiès oppoſita concupiſcentia eſt gradibus inferior & debilior. Præclarum ſanè omnipotentiæ divinæ, & internæ efficacię Gratię Janſenianum præconium!

Tertiò, in Syſtemate *Ianſenii* de delectatione ſuperiori & relativè victrice, facilis eſt, planus & expeditus modus explicandi cur Gratia Chriſti efficax contumacem hominis voluntatem frangat ac domet. Tunc enim, juxta doctrinam *Janſenii*, Gratia Chriſti eſt efficax ac victrix, quandò gradibus cæleſtis delectationis ſuperior

ac

Digitized by Google

ac major eſt oppoſita concupiſcentiæ delectatione, quam proindè vincit ac ſuperat. Sed ſi Gratia Chriſti fuerit gradibus cæleſtis delectationis inferior ac minor gradibus terrenæ delectationis oppoſitæ concupiſcentiæ, tunc Gratia Chriſti vincetur à terrrena concupiſcentiæ delectatione, quæ erit relativè victrix, ideſt, ſuperior ac major oppoſita gratiæ Chriſti cæleſti delectatione. Porrò, quis, ſodes, tam plumbeo & ſtupido ingenio præditus eſt, qui ſtatim mente non aſſequatur hunc gratiæ efficaciam explicandi modum? Cùm etiam ruſtici, qui habent ingenium omni piſtillo retuſius, non ignorent, imò experientia probè compertum atque exploratum habeant, inter duos colluctantes eum vincere, qui viribus altero fortior ac ſuperior eſt; & inter duo pondera inæqualia in bilance poſita, illud, quod majus eſt, ad ſe neceſſariò trahere minus pondus. Modus igitur, quo victrix gratia Chriſti rebellem hominis voluntatem frangit ac domat, nihil haberet in ſententia *Ianſenii* aſperum, nihil reconditum, nihil abſtruſum & intricatum, ſed unicuique facilis, apertus, & pervius eſſet: Atqui tamen modus, quo gratia victrix domat ac vincit rebellem hominis voluntatem, ſemper *S. Auguſtino* viſus eſt maximè difficilis, abſtruſus, occultus, ineffabilis; nec aliò, ut eum exponeret, recurrit, quàm ad omnipotentiſſimam Dei voluntatem: *Legant*, inquit, *& intelligant, intueantur atque fateantur, interna & occulta, mirabili & ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum bonas voluntates*, cap. 24. lib. de gratia Chriſti. Syſtema ergò *Janſenii* de delectatione ſuperiori, & relativè victrice longè diſtat à Doctrina *S. Auguſtini* de gratia efficaci.

Quartò, *Janſenius*, juxtà ſuum Syſtema de indeliberata delectatione ſuperiori & relativè victrici, pertendit, omnem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem, ac totum producere effectum, ad quem producendum datur à Deo, ablegatque idem *Ianſenius* à ſtatu naturæ lapſæ Gratias verè Sufficientes, quibus reapsè voluntas humana reſiſtat; hinc fluit damnata illius Propoſitio: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*: Atquì, hoc *Ianſenii* Syſtema palàm adverſatur doctrinæ *S. Auguſtini*, qui, præter Gratias efficaces, quibus voluntas humana nunquàm reſiſtit, admittit in ſtatu naturæ lapſæ Gratias interiores, quibus voluntas hominis propria malitia & contumacia reluctatur, impeditque, ne hujuſmodi gratiæ ad ulteriorem effectum, quem producere poſſunt, progrediantur. Audi, quæſo, Aquilinum illum Doctorem, mentem ac ſententiam ſuam Enarratione in Pſalmum 102. clariſſimis iſtis verbis exprimentem: *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multum miſericordiæ. Quid tam longanimum? quid tam multum in miſericordia? Peccatur & vivitur; accedunt peccata, augetur vita; blaſphematur quotidiè, & facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos; vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pænitentiam, vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus vivendi, vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagellum correptionis, vocat per miſericordiam conſolationis: longanimus, & multum miſericordiæ, ſed obſerva ne longitudine miſericordiæ Dei malè utendo, tu tibi theſaurizes, quod ait Apoſtolus, iram in die iræ. Nam hoc ait Apoſtolus: An divitias benignitatis & longanimitatis ejus contemnis, ignorans quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit?* Deindè ſubdit S. ille Doctor: *cùm tibi theſaurizaveris iram in die iræ, nonne experieris juſtum* (Deum) *quem contempſiſti benignum?* Quibus verbis præfocavit in anteceſſum *S. Auguſtinus* errorem *Janſenii*, aſſerentis, *nulli Gratiæ interiori in ſtatu naturæ lapſæ unquàm reſiſti*.

Addo denique, nec addidiſſe pigebit, Syſtema *Ianſenii* de cæleſti indeliberata gratiæ delectatione ſuperiore, & relativè victrice, cum principiis doctrinæ *S. Auguſtini* ideò ſtare ac cohærere haud poſſe, quia in doctrina *S. Auguſtini* non difficilè intelligitur, quomodò Adamus, & nonnulli Angeli peccaverint, & è juſtitia, in qua conditi fuerant, exciderint. At, in Syſtemate Janſenii de cæleſti indeliberata delectatione relativè victrice & ſuperiori oppoſita concupiſcentiæ delectatione non poteſt intelligi, nedùm explicari, quo pacto Adamus, & nonnulli Angeli peccaverint, & in accepta juſtitia non perſeveraverint. Vult quippè *Ianſenius*, impoſ-

ſibile eſſe, ut homo peccet, quamdiù viget in ipſo cæleſtis delectatio gratiæ relativè victrix, & ſuperior oppoſita concupiſcentiæ delectatione, quia (ut millies inculcat Janſenius) impoſſibile eſt ut minor concupiſcentiæ delectatio vincat majorem ac ſuperiorem oppoſitam gratiæ cæleſtem delectationem. Quo ſemel poſito principio, nec intelligi, nec minùs explicari poteſt in Syſtemate *Janſenii*, quo pacto Adamus, & nonnulli Angeli, à Deo conditi in gratia, peccaverint. Enim verò, Adamus, & Angeli, à Deo conditi, tanta erant, in Syſtemate *Janſenii*, cæleſti gratiæ delectatione perfuſi, ut ei nulla ne leviſſima quidèm repugnaret oppoſitæ concupiſcentiæ delectatio. Quorsùm igitur hæc cæleſtis Gratiæ delectatio victrix non fuit, nec impedivit quominus Adamus, & aliqui Angeli peccarent? Profectò hìc *Janſenio*, & Janſeniſtis hæret aqua, nec habent quod mutire poſſint. Deindè, docet *Janſenius* cap. 8. lib. 4. *De Gratia Chriſti*, idcircò Beatos in cælis amare Deum neceſſariò, quia nulla ineſt eis terrena delectatio, ſed tantùm cæleſtis delectatio, ſubindeque affirmare debet *Janſenius*, Adamum, & Angelos innocentes, in quibus nulla erat terrena delectatio, Deum neceſſariò amaviſſe, & peccare illos non potuiſſe. Poſtremò, pluribus in locis aſſeverat *Janſenius*, ideò peccatores, antequàm Gratiam accipiant, neceſſariò peccare, quia nulla in eis cæleſtis gratiæ delectatio, ſed una tantummodò viget in ipſis terrena concupiſcentię delectatio, ergò cùm nulla fuerit in Adamo & Angelis in ſtatu innocentiæ inordinata vel creaturæ, vel concupiſcentiæ delectatio, nullo pacto in Syſtemate *Janſenii* intelligi & explicari poteſt, quomodò fuerint ad peccandum inducti.

His momentis (ni meus me fallit animus) luce meridiana clariùs demonſtratur, doctrinam *Janſenii*, conſtituentis naturam, ſeu eſſentiam, & efficaciam Gratiæ in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrice, & ſuperiore oppoſita concupiſcentiæ delectatione, penitùs eſſe alienam à doctrina *S. Auguſtini*; Doctrinam verò Thomiſtarum, qui internam Gratiæ vim & efficaciam repetunt ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo, quod Deus in omnes creaturas obtinet, dominio, eſſe principiis doctrinæ *S. Auguſtini* apprimè conſentaneam; indèque infero, Thomiſtarum de Gratia ſe ipſa efficaci doctrinam omni ævo fuiſſe ab Eccleſia in Sanctis *Auguſtino* & *Thoma* probatam, ſummiſque exornatam laudibus. Quod quidèm vel unico iſto ſimplici argumento, quo huic Epiſtolæ finem imponam, demonſtro: *S. Auguſtinus* & *S. Thomas*, & poſt illos, univerſa Schola Auguſtiniano-Thomiſtica internam Gratiæ vim & efficaciam repetunt ex omnipotentiſſima Dei voluntate, & ex ſupremo ejus in creaturas dominio: *Janſenii* verò eſſentiam & efficaciam Gratiæ collocat in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrice, & ſuperiori oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione. Atqui Eccleſia doctrinam *Janſenii* proſcripſit, & graviſſimis cenſuris confixit; ſed, verſa vice, Eccleſia ſæpiùs Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci approbavit; ergò Eccleſia auctoritate ſua probavit doctrinam Scholæ Auguſtiniano-Thomiſticæ, quæ internam vim & efficaciam Gratiæ deſumit ex omnipotentia Dei, & ex ſupremo ejus in omnes creaturas dominio.

Vale, dilectiſſime Diſcipule, &, ut ab antiqua Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci doctrina, tanquàm à regia via, non diſcedas, & neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram unquàm deflectas, te vehementer adhortor cultiſſimis verbis *Vincentii Lirinenſis*, qui cap. 27. ſui *Commonitorii* hæc habet: *Si te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina; eſto ſpiritualis Tabernaculi Beſeleel. Pretioſas divini dogmatis gemmas exculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter, adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur, te exponente, illuſtriùs, quod anteà obſcuriùs credebatur . . . . . Eadem tamen, quæ didiciſti, doce, ut, cùm dicas novè, non dicas nova.*

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA SEPTIMA

In qua contrà Janſenium *evincitur, Chriſtum Dominum oppetiiſſe mortem pro omnibus omninò hominibus; & ſingulis, etiam reprobis, præparaſſe Gratias verè ſufficientes, in ſenſu tamen Thomiſtico intellectas, quibus ſalutem æternam conſequi valeant.*

AIs in ultima, quam ad me ſcripſiſti, Epiſtola, te necdùm mente aſſequi potuiſſe genuinum ſenſum, in quo damnata eſt quinta *Ianſenii* Propoſitio, his verbis concepta: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Quocirca, quiſnam ſit hujus quintæ *Ianſenii* Propoſitionis, ab Eccleſia proſcriptæ, certus ac germanus ſenſus, ſcire à me vehementer deſideras; præſertim, cùm non deſint etiamnùm nonnulli, qui dictitant; *Ianſenium* nunquàm negaſſe Chriſtum mortuum eſſe & ſanguinem fudiſſe pro omnibus omninò hominibus voluntate (ut ajunt Theologi) generali & antecedenti; ſed hoc unum tantummodò voluiſſe *Ianſenium*, quòd Chriſtus mortem obierit & ſanguinem fuderit pro ſolis Prædeſtinatis voluntate efficaci & conſequente, ſicut univerſa docet Schola Thomiſtica.

I. *Conſului* (ipſiſſima tua verba refero) *viros quoſdam doctrinæ Janſenii & Janſeniſtarum callentiſſimos, qui benè multa Ianſenii protulerunt, atque digito monſtrarunt teſtimonia ex variis ipſius prægrandis Operis locis deprompta, ſed potiſſimùm ex capite 21. lib. 3 De Gratia Chriſti, ubi Ianſenius; data opera agens de morte Chriſti, profitetur primò, Chriſtum mortuum eſſe pro univerſa Eccleſia toto Orbe diſperſa, & conſequenter pro omnibus hominum generibus, Regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus &c. Secundò, ibidèm Ianſenius aſſerit, Chriſtum mortuum eſse pro ſalute aliquorum reproborum, quatenus per mortem ſuam illis promeruit aliqua actualia Gratiæ auxilia, immò; ipſam Gratiam ſanctificantem, quam in Sacramento Baptiſmi, vel Pœnitentiæ percipiunt, & in qua Gratia ſanctificante non perſeverant tamen uſque ad mortem. Tertiò docet Ianſenius, Chriſtum mortuum eſse ſufficienter pro omnibus omninò hominibus, ſufficientia pretii, quia pretioſus ſanguis, quem in Ara Crucis effudit, ſufficientiſſimum erat redimendis omnibus hominibus. Denique, viri illi eruditi, quos conſului, dixerunt mihi, omnes Ianſenii diſcipulos, qui hactenus in ipſius doctrinæ defenſionem ſcripſerunt, non ægrè fateri, voluntatem Dei erga reproborum ſalutem non eſſe otioſam & ſterilem, ſed eſſe veram & actuoſam, eamque reprobis præparare interiores gratias, quas ipſimet vocant ſufficientes; quamvis tamen Deus non conferat reprobis gratias efficaces, quibus ad eternam ſalutem certò perveniant, & ſine quibus à ſalute æterna certiſſimè excident.* Et, poſt pauca interjecta, hæc in tua Epiſtola ſubdis: *Si vera ſit hæc, quam de morte Chriſti tradiderunt mihi viri illi eruditi, quos conſului, doctrinæ Ianſenii & Ianſeniſtarum expoſitio; non video ſanè (ut liberè & candidè dicam) quid diſcriminis aſſignari poſſit doctrinam Ianſenii & Ianſeniſtarum inter & doctrinam Thomiſtarum, qui itidem docent, Chriſtum pro ſolis Electis & Prædeſtinatis mortuum eſse voluntate efficaci & conſequente, impertiendo illis gratias per ſe & ab intrinſeco efficaces, quibus certiſſimè & infallibiliter æternam ſalutem adipiſcentur; pro reprobis verò Chriſtum mortuum eſse voluntate dumtaxàt generali, ſeu antecedenti, ejuſque*

præ-

præparaſſe auxilia non efficacia, ſed tantùm ſufficientia, queîs nunquam pervenient ad ſalutem æternam. Sed quia timeo, inquis, *ne falſa, aut ſubdola ſit hæc Ianſenii & Ianſeniſtarum circà mortem Chriſti doctrinæ expoſitio, nevè ſub ea, velut ſub lapide, lateat aliquis ſcorpius, rem mihi longè gratiſſimam faceres, ſi, antequam probes, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus & ſingulis hominibus, genuinum aperias Janſenii, & Janſeniſtarum ſenſum, quem, tanquam hæreticum in hac Propoſitione:* Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe, *confixit Eccleſia*.

Quòd à me poſtules, an hæc *Ianſenii*, & Janſeniſtarum doctrinæ de morte Chriſti expoſitio, quam à quibuſdam viris eruditis accepiſti, vera ſit ac ſincera, vel potiùs, ut juſtè times, falſa & ſubdola? prudentiſſimè facis. Solent enim viri ſuſpecti, ut fucum faciant, Catholicis illudant, ſeque Cenſuris Eccleſiæ ſubducant, quædam proferre, quæ in ſpecie ſana & orthodoxa apparent, ſed quæ ipſa prava & hæretica interpretatione, tanquam peſtifero quodam afflatu, corrumpunt & inficiunt. Quò fit, ut plurimùm ad vim diſputationis interſit, noſſe quæ ſit indoles, doctrina, quæ interpretationes, quæ argutiæ, & æquivocationes eorum, cum quibus concertatio inſtituitur, alioquì nihil certi in diſputatione extundi & concludi poſſet.

Præſtat igitur, ut hìc, ſemota omni ambiguitate verborum, aperiam genuinum *Ianſenii* & Janſeniſtarum ſenſum, quem, tanquàm hæreticum, proſcripſit Eccleſia in hac Propoſitione, *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum fuiſſe, aut ſanguinem fudiſſe*. Ex quo facilè admodùm intelliges, viros illos eruditos, quos conſuluiſti, ſubdolam tibi dediſſe doctrinæ *Ianſenii* & Janſeniſtarum circà mortem Chriſti expoſitionem, eoſque de induſtria celaſſe germanum *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum, ſenſum, quem, velut hæreticum, in prædicta Propoſitione damnavit Eccleſia.

II. In primis igitur velim ſcias, ſenſum *Ianſenii*, ejuſque diſcipulorum in hac damnata Propoſitione: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*; In hoc ſitum non eſſe, quòd negaverit *Ianſenius*, Chriſtum mortuum eſſe pro generibus ſingulorum, ideſt, pro Regibus, privatis, nobilibus, & ignobilibus &c. Id certè nunquàm negavit, *Janſenius*; Sed ſenſus *Ianſenii* eſt, quòd Chriſtus non ſit mortuus pro ſalute omnium omninò hominum, nec per mortem ſuam promeritus ſit, aut eis præparaverit Gratias verè ſufficientes, quibus reprobi ſalutem æternam conſequi poſſint.

At enim, quamvis *Janſenius* cap. 21. libri 3. *De Gratia Chriſti* fateatur, Chriſtum promeritum eſſe per mortem ſuam aliquibus reprobis temporalia Gratiæ auxilia, & gratias non nullas, quas *Parvas* appellat; contendit attamen, nec illa temporalia Gratiæ auxilia, nec illas Gratias, quas *parvas* vocat, & quibus ait aliquos reprobos in vita donari, eſſe Gratias verè ſufficientes, quæ dent illis reprobis veram, proximam, expeditam, & relativam potentiam ſuperandi oppoſitam ſuperiorem concupiſcentiæ terrenam delectationem, & æternam ſalutem conſequendi; quia *Janſenius* per gratiam verè ſufficientem, quæ dat potentiam veram, proximam, expeditam & relativam vincendi ſuperiorem concupiſcentiæ delectationem, & æternam ſalutem conſequendi, eam dumtaxàt Gratiam intelligit, cujus ſufficientiam & efficaciam reponit in cœleſti indeliberata delectatione relativè victrice, & ſuperiore concupiſcentiæ terrena delectatione. Hanc ſolam Gratiam appellat *Janſenius* verè ſufficientem, quam ſolis prædeſtinatis Chriſtum per mortem ſuam largiri voluiſſe, eamque reprobis denegare, docet idem *Ianſenius*. Ex quo capitali doctrinæ *Ianſenii* principio palàm ſequitur, Chriſtum per mortem ſuam nullo pacto reprobis promeruiſſe aut præparaſſe Gratiam verè ſufficientem, quæ conferat illis potentiam veram, proximam & expeditam vincendi oppoſitam ſuperiorem concupiſcentiam, & æternam conſequendi ſalutem. In hoc ſtat palmaris error *Ianſenii*.

Præterea, ſenſus *Ianſenii* damnatus in hac Propoſitione: *Semipelagianum eſt di-*

dicere Chriſtum mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe pro omnibus omninò hominibus; non in hoc ſiſtit, quòd *Ianſenius* negaverit, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus quantùm ad ſufficientiam pretii; id certè nunquàm negavit *Ianſenius*, ſed potiùs, loco mox à me laudato, docet, *Chriſtum etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem, quibus redimendis ſine dubio pretium ſanguinis ejus fuit ſufficiens*: Verus itaque *Ianſenii* ſenſus, in hac Propoſitione damnatus, in hoc poſitus eſt, quòd velit *Ianſenius*, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus quantùm ad intentionem offerentis, & quantum ad applicationem ſui ſanguinis, per præparationem mediorum ſeu auxiliorum verè ſufficientium, quæ omnibus hominibus vel conferat, vel ſaltèm offerat, quæque dent veram, proximam, completam, & expeditam vincendi cupiditatem, & æternam ſalutem conſequendi.

Tertiò, hujus damnatæ *Ianſenii* Propoſitionis ſenſus non eſt, Chriſtum noluiſſe omnes homines ſalvos fieri, eos in ſe ipſis conſiderando, in quantùm videlicèt creaturæ ſunt conditæ ad imaginem Dei, facta præciſione peccati eorum; (id enim nunquàm docuiſſe *Ianſenium*, certiſſimum eſt) ſed ſenſus *Ianſenii*, ab Eccleſia in hac quinta Propoſitione confixus, in hoc ſtat, quòd Deus conſiderando homines in ſtatu peccati, ſeu poſt lapſum Adami, velit dumtaxàt Electis ac Prædeſtinatis concedere gratias verè ſufficientes, quæ dent illis veram, completam, proximam, & expeditam potentiam, qua poſſint omnem concupiſcentiæ delectationem vincere, & ſalutem æternam adipiſci; nolit verò Deus reprobis conferre, aut offerre gratiam verè ſufficientem, qua poſſint ſuperioris concupiſcentiæ ardorem, terrenamque victricem delectationem vincere, & æternam conſequi ſalutem.

Denique, ſenſus *Ianſenii* in hac Propoſitione ab Eccleſia proſcriptus, in hoc conſiſtit, quòd velit *Ianſenius*, voluntatem Dei *antecedentem* de ſalute omnium hominum pertinere dumtaxàt ad ſtatum naturæ innocentis; voluntatem verò Dei *conſequentem*, quæ ſpectat tantummodò ſalutem Electorum ac Prædeſtinatorum, pertinere ſolùm ad præſentem ſtatum naturæ lapſæ. Ex quo capitali ſuæ doctrinæ principio *Janſenius* infert primò, voluntatem Dei *antecedentem* de ſalute omnium hominum non eſſe in ſtatu naturæ lapſæ veram ac ſinceram voluntatem, qua Deus velit ſalutem omnium hominum, ſed eſſe tantùm ſimplicem velleitatem, quæ (ut ait *Janſenius*) *in ſola præciſione mentis, ſeu in nuda, & ſterili Dei velleitate, nihil gratiæ cauſante*, poſita eſt. Infert ſecundò *Janſenius*, Deum pro omnibus reprobis in ſtatu naturæ lapſæ nec præparaſſe, nec ipſis per voluntatem *antecedentem* conferre voluiſſe gratias verè ſufficientes, quæ eis dent veram, proximam, completam, expeditam, & relativam potentiam vincendi ardentiorē ac ſuperiorem concupiſcentiam, atque æternam ſalutem conſequendi. Tertiò infert *Ianſenius*, Deum velle tantùm ſalutem Electorum ac Prædeſtinatorum in ſtatu naturæ lapſæ; iiſque ſolis per voluntatem *conſequentem* præparare ac conferre auxilia verè ſufficientia, quæ illis dent proximam, completam, expeditam, & relativam potentiam vincendi omnes concupiſcentię gradus & conſequendi ſalutem æternam.

III. Ut igitur omnes hæreticos circà mortem Chriſti ſenſus tam Pelagianorum, & Semipelagianorum, quàm *Calvini*, & *Ianſenii*, diſtinctius juxta ac ſolidius hac in Epiſtola refellere poſſim; veram Eccleſiæ Catholicæ mentem, ſeu genuinam, & Catholicum ſenſum, in quo fideles credere debent, Chriſtum pro omnibus hominibus mortem ſubiiſſe, ſanguinemque ſuum fudiſſe, aliquot Aſſertionibus aperiam, multiſque argumentis, è Sacris Litteris, ex Sanctis Patribus, ex Decretis Summorum Pontificum, & ex definitionibus Conciliorum petitis, confirmare, atque in præclaro ordine collocare ſatagam.

Aſſertio prima: *Chriſtus ſpecialiori modo, ſeu voluntate conſequente, & efficaci, mortuus eſt pro æterna ſalute ſolorum Electorum, & prædeſtinatorum, impertiendo illis non tantùm auxilia ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſ-*

poſſint, *verùm etiam conferendo illis auxilia ſe ipſis & ab intrinſeco efficacia quibus æternam ſalutem infallibiliter conſequentur, & quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur.*

Hanc Aſſertionem pervicacitèr negabant olim hæretici Pelagiani, & Semipelagiani, qui contendebant, Chriſtum æqualitèr pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe ac ſanguinem fudiſſe, hoc eſt, promiſcuè, & indifferenter tam pro reprobis, quàm pro electis & prædeſtinatis oraſſe, atque ex ſe perindè velle omnes homines ſalvos fieri, nec electorum, & prædeſtinatorum, qui ſalvantur, ſalutem magis velle, quàm ſalutem reproborum. Hunc ſpecialem fuiſſe illorum hæreticorum errorem teſtatur *Sanctus Proſper* in Epiſtola ad *Sanctum Auguſtinum*, ubi ait, docere Semipelagianos, quòd Chriſtus indifferenter, & citrà ullum delectum, velit omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Idem de Semipelagianis aſſerit *Sanctus Fulgentius* capit. 29. libri *De Incarnatione & Gratia*, ubi oſtendit, in hoc maximè ſitum eſſe errorem Semipelagianorum, quòd affirmarent, Chriſtum ex æquo, & eodem planè ſenſu ac modo pro reprobis mortuum eſſe ac pro electis, & prædeſtinatis, eademque prorsùs voluntate ſalutem reproborum velle & electorum.

Ex quo primo Semipelagianorum capitali errore alius pullulabat error, quem pari ſtudio tuebantur, aſſerentes ſcilicèt (ſuppoſita illa indiſcreta, indifferenti, & æquali voluntate Chriſti de ſalute omnium hominum (æternam ſalutem hominum ex ſola ipſorum voluntate pendere, ſubindèque Deum velle omnes homines ſalvos fieri, hac ſola poſita conditione, *ſi ipſi vellent*. In illius erroris luto hæſiſſe Semipelagianos affirmant *Sanctus Auguſtinus* pluribus in locis, & *Sanctus Proſper* loco mox à me laudato, & in *Carmine de ingratis* capit. 8 Hunc autem errorem damnavit Catholica Eccleſia, definivitque contra illos hæreticos, Chriſtum ſpecialiori quodam modo pro electis ac prædeſtinatis mortuum eſſe ac ſanguinem fudiſſe; Cùm enim nihil omninò ad ſalutem conducens homini lapſo conferat Deus, niſi intuitu mortis Chriſti; & aliundè contra Semipelagianos certum ſit, hanc eſſe ſpecialem gratiam, quam Deus vult, ut electi, & prædeſtinati, tanquàm ſingulare mortis Chriſti beneficium, reipſa conſequantur, palàm eſt, Chriſtum electis ac prædeſtinatis, præ reprobis, ſpecialiorem gratiam meruiſſe, ſicque ſpecialiori modo pro illis mortuum eſſe.

Quò fit, ut omnes Orthodoxi Theologi doceant, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus ſufficienter, ſeu voluntate generali, & antecedenti, ſed pro ſolis electis ac prædeſtinatis mortuum eſſe efficacitèr, ſeu voluntate conſequenti, ſicque ſpecialiori modo Chriſtum pro electis, ac prædeſtinatis mortuum eſſe quàm pro reprobis.

Hanc doctrinam totis ingenii ſui viribus contra Semipelagianos ſtabilivit *Sanctus Auguſtinus*. Cùm enim videret S. ille Doctor, præcipuum erroris Semipelagianorum cardinem in hoc verti, quòd docerent, Chriſtum non magis velle ſalutem prædeſtinatorum, quàm reproborum, indèque negarent Decretum abſolutum, & efficax, quo Deus vult ſpecialiori modo ſalutem prædeſtinatorum, ideò *Sanctus Auguſtinus*, diſputans contra Pelagianos, & Semipelagianos, totus in id incumbebat, ut Decretum illud abſolutum, & efficax, quo Chriſtus ſpecialiori modo, ſeu voluntate conſequenti, mortuus eſt pro ſalute prædeſtinatorum, adſtrueret, ut hoc pacto rectà arcem illorum invaderet, eorumque potiſſimùm errorem radicitùs extirparet; quamvis *Sanctus Auguſtinus* (ſicut contrà *Janſenium* mox evincam) nunquàm negaverit generalem, ſeu voluntatem Dei *antecedentem*, quam Deus habet, ſalvandi etiam in ſtatu naturæ lapſæ omnes omninò homines, modò Catholico ſenſu, non Semipelagiano, intelligatur.

Eodem in ſenſu loquuntur multi Sancti Patres, præſertim *Cyprianus* in Tractatu *de Oratione Dominica*, *Gregorius Niſſenus* Oratione 2. in *Orationem Dominicam*, *Chryſoſtomus* Homilia 20. in Matthæum, *Auguſtinus* Epiſtol. 153. aliàs 59. ad *Macedonium*, *Iſidorus Peluſiota* lib. 4. Epiſtol. 24. *Sanctus Thomas* in c. 6. Matthæi & alii, qui aſſerunt, Deum

non

Digitized by Google

non eſſe Patrem Infidelium, Judeorum, & iniquorum Chriſtianorum, ſed ſolùm eſſe Patrem eorum, qui per ſpiritum adoptionis; ſeu per gratiam, juſtitiam, & charitatem, fiunt Filii Dei.

Hi quippè Sancti Patres non negant, Deum eſſe Patrem omnium hominum, proindèque Judæorum, Infidelium, & impiorum Chriſtianorum; ſed hoc unum dumtaxat volunt, Deum ſpeciali quadam ratione eſſe Patrem Chriſtianorum, qui ſunt juſtificati, electi ac prædeſtinati, qua ratione Deus non eſt Pater Iudæorum, Infidelium, & impiorum Chriſtianorum, ſicut omnes ad unum fatentur Catholici Theologi, qui docent primò, Deum eſſe Patrem Judæorum & Infidelium, non ſolùm quia ipſis impertiit naturam ſpiritualem, liberam, immortalem, ratione pollentem, ſapientiæ juſtitiæ, & beatitudinis capacem, vita, intellectione atque volitione præditam; ſed etiam quia vera & ſincera voluntate antecedente miſit filium ſuum unigenitum in Mundum, ut in aſſumpta communi omnibus natura pro omnibus Judæis & Infidelibus ſanguinem ſuum funderet, pretium redemptionis omnibus commune dependeret, eiſque, quantùm in ſe ipſo erat, præpararet auxilia ſufficientia, quibus poſſent ad æternam ſalutem pervenire.

Secundò docent omnes Catholici Theologi, Deum eſſe Patrem malorum Chriſtianorum, in quantùm per januam baptiſmi eos in Eccleſiam ſuam introduxit, fecitque filios ſuos, atque illos peccantes excitat per gratias internas, per conſcientiæ remorſus, per pias illuminationes & cogitationes, quibus intellectum; per pias motiones, affectiones, & gratias verè ſufficientes, in ſenſu Thomiſtico intellectas, queis voluntatem eorum identidem prævenit, & ad ſalutaria impellit. Quam ob cauſam dicunt Theologi, Deum ſpecialiori quodam modo ſeſe Patrem exhibere erga impios & malos Chriſtianos, quàm erga Judæos & Infideles.

Poſtremò docent omnes Catholici Theologi, Deum longè ſpeciali & ſuperexcellenti modo eſſe Patrem juſtorum Chriſtianorum; qui in accepta juſtitia ſunt uſque in finem perſeveraturi, quia Deus aſſumit illos in filios adoptivos, futuros hæredes ſuos, cohæredes autem Chriſti; largitur illis vitam gratiæ, juſtitiæ & charitatis, magnumque perſeverantiæ donum, quód ipſis ſolis peculiare & eximium eſt. Et in hoc ſenſu Patres, mox à me laudati, rectè docent, Deum iſto ſpeciali & ſuperexcellenti modo eſſe Patrem dumtaxàt Chriſtianorum, qui per Gratiam Sanctificantem ſunt filii Dei adoptivi; non ſecùs ac Chriſtus (Sicut docet *S. Thomas*) eſt caput omnium hominum ſpeciali tamen modo, juſtorum, qui per gratiam & charitatem, tanquàm membra viva, cum ipſo connectuntur.

Chriſtus igitur ſpeciali modo, ſeu voluntate efficaci & conſequente, mortuus eſt pro ſolis Electis & prædeſtinatis, ſicut contra Semipelagianos, qui id inficiabantur, probat *S. Auguſtinus*; ſed voluntate generali, quam Theologi vocant *antecedentem*, Chriſtus mortuus eſt pro ſalute omnium hominum, eiſque præparavit auxilia verè ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quibus ſalutem æternam conſequi poſſunt. Videri poteſt hoc argumentum egregiè ac copioſè tractatum lib. 2 *De Vocatione gentium*, ubi illius operis Auctor (qui incertus eſt) probat Chriſtum eſſe Salvatorem omnium hominum, licèt ſpecialiori ratione ſit Salvator fidelium, ideſt Electorum perſeveranter credentium. Conſtat autem Auctorem Operis *De Vocatione gentium* (licèt incertus ſit) Doctrinę *S. Auguſtini* eſſe egregiè peritum ac renacem, eumque à *Gelaſio*, Papa, commendari & approbari tanquàm egregium Eccleſiæ Magiſtrum. Hinc jure optimo ALEXANDER VIII. Pontifex Maximus, hanc Propoſitionem proſcriſit his verbis conceptam: *Pagani Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque rectè inferes, in illis eſſe voluntatem nudam & inermem ſine omni gratia ſufficiente.*

Doctrinam, quam in hac prima Aſſertione expoſui, videlicèt Chriſtum ſpeciali modo, ſeu voluntate efficaci, & conſequente mortuum eſſe dumtaxàt pro Electis & Prædeſtinatis; pro reprobis verò, & pro omnibus omninò homi-

nibus

Digitized by Google

nibus mortuum eſſe ſufficienter, ſeu voluntate generali & antecedenti, ſemper Eccleſia Catholica, tanquàm dogma Fidei, conſtanter docuit, ac propugnavit, & ab ea Fidei regula non diſceſſerunt (reclamante licèt *Janſenio*) quidam Galliarum Epiſcopi in ea contentione, quæ nono Eccleſiæ ſæculo circà mortem Chriſti, & doctrinam redemptionis generalis inter illos vehementèr exarſit, cujus originem, progreſſum, atque exitum paucis hìc exponam, ut indè faciliùs intelligas, Eccleſiæ Gallicanæ Præſules huic doctrinæ generalis redemptionis indivulsè adhæſiſſe, totamque inter illos obortam litem fuiſſe puram putamque logomachiam, ſeu contentionem de modo loquendi, cùm re ipſa in doctrinæ ſubſtantia concordarent.

IV. Hæc lis circà mortem Chriſti, ſeu circa generalis redemptionis doctrinam nono Eccleſiæ ſæculo inter Galliarum Epiſcopos emerſit occaſione *Gotteſchalci*, Monachi Benedictini, Cænobii Orbacenſis, diæceſeos Sueſſinnenſis, quem *Hincmarus*, Remenſis Archiepiſcopus, & nonnulli alii Præſules accuſabant, quòd Prædeſtinatianorum hæreſim inſtauraret, & unà cum illis aſſereret, Chriſtum pro ſolis electis ac prædeſtinatis ſanguinem ſuum fudiſſe, nullatenùs pro reprobis mortuum fuiſſe. *Rabanus*, Moguntinus Epiſcopus in Concilio Moguntiæ habito anno 848. doctrinam *Gotteſchalci* damnavit, & eum remiſit ad *Hincmarum*, Remenſem Archiepiſcopum, ejus Metropolitam, à quo, in Concilio Cariſiacenſi anno 849. indictò, *Gotteſchalchus* Sacerdotali honore privatus eſt, damnatuſque ad verbera & carceres. Interea temporis, *Hincmarus*, *Amalarius*, & *Joannes Scotus Erigena* in doctrinam Gotteſchalci calamum acuerunt.

Sed, alii viri eruditi, exiſtimantes, per latus *Gotteſchalci* impeti *Sancti Auguſtini* doctrinam, acturùm *Gotteſchalco* patrocinati ſunt; quos inter præcipui fuerunt *Prudentius* Trecenſis Epiſcopus, *Florus* Diaconus Eccleſiæ Lugdunenſis *Ratrannus*, Corbeienſis Monachus, *Lupus Servatus*, Abbas Ferrarienſis, & *Remigius*, qui fuit ſucceſſor *Amoloais*, Archiepiſcopi Lugdunenſis, quique tribus Epiſtolis (quas ad illum miſerat *Hincmarus*, Remenſis Archiepiſcopus, quo eum ad ſuas partes trahere poſſet) cum viris peritis Eccleſiæ ſuæ Lugdunenſis diuturno examine diſcuſſis, reſpondit edito, Eccleſiæ Lugdunenſis nomine, erudito libro, qui inſcribitur: *De tribus Epiſtolis*, in quo, inter alia, probat præcipuè, rectè & catholicè dici poſſe, Deum velle ſpeciali quodam modo ſalvare tantùm eos, qui ſalvantur, illo ſcilicet ſenſu, quo id dixerat, *S. Auguſtinus*; concedit tamen, rectè itidem & catholicè alio ſenſu dici poſſe, Deum, quantùm in ſe ipſo eſt, velle bonitate Creatoris omnes ſalvos fieri, duaſque illas Patrum expoſitiones invicèm minimè repugnare. Statuit etiam eodem in libro *Remigius*, circa mortem Chriſti catholicè dici poſſe, eum pro ſolis fidelibus eſſe crucifixum, tametſi rurſum concedat, alio ſenſu, juxtà pleroſque Sanctos Patres, poſſe paritèr Catholicè dici, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus eſſe mortuum, etiam pro infidelibus & impiis in ſua impietate perſeveraturis. Unde concludit perdoctus ille Archiepiſcopus, neutram expoſitionem eſſe reiiciendam, ſed utramque potiùs, ob Patrum reverentiam eſſe ſuſcipiendam, cùm utraque invicem reapsè concordet, proindeque *Gotteſchalcum*, quòd priorem Patrum expoſitionem docuiſſe ſolùm videretur, non debuiſſe damnari, ne cum ipſo *S. Auguſtinus* eidem damnationi ſubjiceretur.

Hunc *Remigii*, Lugdunenſis Archiepiſcopi, librum inſcriptum: *De tribus Epiſtolis*, ægris oculis perlegit Hincmarus, Archiepiſcopus Remenſis, ſed minimè perterritus, ſuſceptam contra *Gotteſchalcum* cauſam urgens, alterum Cariſiacenſe convocavit concilium anno 853 (Quidam iſtud ſecundum Cariſiacenſe Concilium minùs accuratè referunt ad annum 849. illudque inſcitè confundunt cum priori Concilio Cariſiaco, in quo, ut mox dixi, damnatus eſt *Gotteſchalcus*). In hoc autem ſecundo Concilio Cariſiaco *Hincmarus* quatuor Capitula obtulit, quæ à Patribus ejuſdem Concilii ſuſcepta & approbata ſunt. Tertium ex his quatuor Capitulis ſic habe-

hebat : *Deus omnes homines ſine exceptione vult ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur; quòd autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium eſt meritum.* Quartum verò Capitulum erat his verbis conceptum : *Chriſtus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cujus natura in illo aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licèt non omnes Paſſionis ejus myſterio redimantur; quòd verò omnes Paſſionis ejus myſterio non redimantur, non reſpicit ad magnitudinem & pretii copioſitatem, ſed ad infidelium & ad non credentium ea fide, quæ per dilectionem operatur, reſpicit partem. quia poculum ſalutis, quod confectum eſt ex infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit, ſed, ſi non bibitur, non medetur.*

V. *Sed quorsùm*, inquis in ultima, quam ad me ſcripſiſti Epiſtola, *quatuor illa Concilii ſecundi Cariſiaci Capitula, quæ doctrinam de generali voluntate, quam Chriſtus habuit, moriendi & ſanguinem ſuum fundendi pro omnibus omninò hominibus, clariſſimè exprimebant; fuerunt proſcripta à Gallicanis Epiſcopis trium Provinciarum, Lugdunenſis, Arelatenſis, & Viennenſis, in Synodo Valentina tertia anno 855 congregatis? Sic enim prædicti Epiſcopi hujus Synodi Valentinæ Canone quarto (qui eſt de redemptione ſanguinis Chriſti) ſuum de his quatuor Concilii ſecundi Cariſiaci Capitulis judicium ferunt :* Porrò, *inquiunt*, Capitula quatuor, quæ à Concilio Fratrum noſtrorum minùs perſpectè ſuſcepta ſunt, propter inutilitatem, vel etiam noxietatem, & errorem contrarium veritati; ſed & alia novemdecim Syllogiſmis ineptiſſimis concluſa, & licèt jactetur, nulla ſeculari litteratura nitentia, in quibus commentum Diaboli, potiùs quàm aliquod augmentum Fidei, deprehenditur, à pio auditu Fidelium penitùs explodimus, & ut talia, & ſimilia caveantur, per omnia auctoritate Spiritus Sancti interdicimus. *Hic eſt*, ſubdis, *illius quarti Canonis Concilii Valentini tenor, ex quo ſequitur, benè multos nono Eccleſiæ ſeculo in Galliis Epiſcopos negaſſe, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus hominibus. ſubindèque immeritò fuiſſe damnatum Janſenium, qui ſecutus doctrinam Catholicorum Epiſcoporum, aſſeruit itidem, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus, ſed dumtaxàt pro Electis ac prædeſtinatis.*

Quòd hanc difficultatem mihi in poſtrema tua Epiſtola proponas, non miror. Necdum enim perſpectum habebas hæreticum ſenſum, in quo damnata eſt hæc *Janſenii* Propoſitio : *Semipelagianum eſt dicere Chriſtum mortuum eſſe; aut ſanguinem fudiſſe pro omnibus omninò hominibus*. Sed nunc per iſtam Epiſtolam facile percipies, ſenſum hæreticum in hac *Ianſenii* Propoſitione damnatum, in hoc ſitum eſſe quòd *Janſenius* neget, Chriſtum mortuum eſſe voluntate generali, ſeu antecedenti pro ſalute æterna reproborum, impiorum, Judæorum, & infidelium, iiſque præparaſſe auxilia verè ſufficientia, quibus poſſint oppoſitam vincere concupiſcentiam, & æternam ſalutem adipiſci, ſicut ſuperius oſtendi. Ab hoc autem hæretico ſenſu, in quo damnata eſt hæc *Janſenii* Propoſitio, alieni penitùs fuerunt Galliarum Epiſcopi, in Concilio tertio Valentino congregati; quippè qui, docuerunt, Chriſtum mortuum quidèm eſſe ſpeciali quodam modo, ſeu voluntate efficaci & conſequente pro æterna ſalute ſolorum Electorum ac Prædeſtinatorum, iiſque ſolis præparaſſe & conferre voluiſſe auxilia per ſe efficacia, quibus ſalutem æternam certiſſimè conſequentur; nunquàm tamen negarunt iſti Galliarum Epiſcopi, ſed potiùs ultro confeſſi ſunt, Chriſtum pro omnibus impiis, Judæis, Hereticis, Infidelibus, aliiſque reprobis, mortuum eſſe voluntate generali, proindèque illis præparaſſe auxilia verè ſufficientia, quibus ad æternam ſalutem pervenire poſſint. Hanc eſſe veram & germanam mentem Galliæ Epiſcoporum, qui nono Eccleſiæ ſeculo Concilium Valentinum celebrarunt, multis, iiſque evidentibus, momentis in ſequenti Aſſertione evincam, quibus liquidò conſtabit, tam Patres Concilii tertii Valentini, quàm Eccleſiam Lugdunenſem admiſiſſe & approbaſſe doctrinam de

ge-

Digitized by Google

de generalitate mortis Chriſti omnibus omninò hominibus impenſæ, & hunc perpetuum Catholicæ Eccleſiæ ſenſum, in Capitulis Cariſiacis expreſſum, non fuiſſe ab illis rejectum aut impugnatum.

VI. Aſſertio ſecunda: *Epiſcopi; qui Concilio Valentino tertio interfuerunt, & Eccleſia Lugdunenſis, ultrò ad miſerunt & approbarunt doctrinam Eccleſiæ Catholicæ de voluntate generali, ſeu antecedenti, qua Chriſtus pro omnibus omninò hominibus ſufficientèr mortuus eſt, & hunc orthodoxum ſenſum, in Capitulis Cariſiacis expreſſum, nec rejecerunt, nec impugnarunt unquàm.*

Ut vera mens Patrum Concilii Valentini tertii, & Eccleſiæ Lugdunenſis, optimo in lumine ponatur, oportet, ſtatim circà voluntatem Dei ſalvandi omnes homines, omnem æquivocationem & ambiguitatem tollere, diſtinctione voluntatis efficacis, quam Theologi *Conſequentem* appellant, & voluntatis inefficacis, quam *Antecedentem & generalem* vocant. Per priorem voluntatem eos tantùm Deus ſalvare vult, qui reverà ſalvantur; per poſteriorem verò voluntatem Deus etiam eos, qui non ſalvantur, vult ſufficientèr ſalvare non tantùm ſufficientia pretii, ſeu ſanguinis Chriſti Domini, ſed etiam ſufficientia offerentis, quòd videlicèt eo animo, eaque intentione ſanguinis ſui pretium Deo Patri in ara Crucis obtulit Chriſtus, ut omnibus omninò hominibus ad ſalutem prodeſſe poſſit.

Uterque ſenſus Catholicus eſt; neuter rejiciendus. Priori ſenſu pro illis tantùm mortuus eſt Chriſtus, quibus pretium ſanguinis ipſius efficacitèr applicatur; quo profectò ſenſu tam Patres Concilii Valentini, quàm Eccleſia Lugdunenſis, affirmant, Chriſtum mortuum eſſe voluntate efficaci & conſequente pro Electis & prædeſtinatis, qui reverà ſalvantur. Poſteriori verò ſenſu (etiàm fatentibus Patribus Concilii Valentini) Chriſtum pro impiis, Judæis, Hæreticis, infidelibus, aliiſque id genus reprobis ſufficientèr mortuum eſſe, hoc eſt, non tantùm ſufficientia pretii, ſed ſufficientia voluntatis & intentionis Chriſti pretium ſanguinis ſui offerentis, ut omnibus ad ſalutem prodeſſe poſſit, multis momentis demonſtro.

Primò, quia Patres Concilii Valentini explicant Chriſti redemptionem exemplo ſerpentis ænei, à Moyſe in deſerto exaltati, ut quicumque oculos in illum intenderent, à Serpentum morſibus ſanarentur. Sicut enim ex voluntate Moyſis Serpens ille omnibus propoſitus fuerat tanquàm ſufficiens remedium, ita ut, tamen ſolis aſpicientibus prodeſſet, cæteris verò non prodeſſet; non ex defectu voluntatis ex parte Moyſis, aut virtutis ex parte remedii, ſed eorum culpa; ſic Chriſtus in Cruce exaltatus omnibus ad ſalutem ſe remedium ſufficiens propoſuit; ita tamen ut ſolis per Fidem aſpicientibus prodeſſet: *Illud nobis* (inquiunt Patres Concilii Valentini tertii) *ſimplicitèr & fidelitèr tenendum ac docendum placet, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipſe Dominus noſter dicit: ſicut Moyſes exaltavit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Secundò, Patres Concilii Valentini tertii Canone quarto (qui agit de redemptione ſanguinis Chriſti) definierunt quidèm, *erroneum eſſe, aſſerere, Chriſtum mortuum eſſe pro illis impiis, qui à mundi exordio uſque ad Paſſionem Domini in ſua impietate mortui, æterna damnatione puniti ſunt*; ſed eo canone hoc unum tantummodò Patres illius Concilii ſtatuere voluerunt, videlicèt Chriſtum Dominum pro impiis, qui ab exordio mundi uſque ad Paſſionem Domini in ſua impietate mortui, æterna damnatione puniti ſunt, non eſſe mortuum voluntate efficaci, & conſequente, ut eos videlicèt ex inferno eriperet, ſicut Patriarchas, Prophetas, & antiquos Patres, qui antè ipſius Paſſionem objerant, liberavit è Limbo, & ſecum tranſvexit in Cœlum. Voluerunt, inquam, Patres Concilii Valentini eo canone quarto proſcribere dumtaxàt errorem quorumdam Hæreticorum, qui (teſte *Sancto Auguſtino* hæreſi 79) aſſerebant, *deſcendente ad inferos Chriſto, credidiſſe incredulos, & omnes exindè liberatos*, & (ut ait *Sanctus Gregorius M.* Homilia 22. in Evangelia) *morte Chriſti exinanitos fuiſſe inferos.* Hunc tantùm errorem proſcribere

Digitized by Google

bere dumtaxat eo canone quarto voluiſſe Patres Valentinos ex eo maximè conſtat, quod ibidèm ad ſuæ doctrinæ probationem; citant iſtud *Oſee* vaticinium: *Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero Inferne*. Quo ejuſdem Prophetæ teſtimonio utitur *S. Gregorius M.* loco mox à me laudato, & lib. 12. *Moralium* cap. 8. ad confutandum hunc errorem Hæreticorum, qui contendebant, omnes, pœnis inferni addictos, per mortem Chriſti fuiſſe liberatos: *Ex eo, quod mordemus* (inquit Sanctiſſimus ille Pontifex) *partem abſtrahimus, partem relinquimus; quia ergò in Electis ſuis Chriſtus funditus occidit mortem, mors mortis extitit: quia verò ex inferno partem abſtulit, & partem reliquit, non occidit funditùs, ſed momordit infernum*.

Cæterùm, quamvis Patres Concilii Valentini canone quarto damnent errorem eorum, qui effutiebant, omnes impios, qui antè Paſſionem Chriſti mortui erant, & ſuppliciis æternis cruciabantur, per mortem Chriſti fuiſſe liberatos, ſubindèque dictitabant, Chriſtum pro illis impiis mortuum eſſe voluntate efficaci, ſeu conſequente; quamvis, inquam, Patres Valentini jure optimo hunc errorem perſtringant ac rejiciant; non negant tamen Patres Valentini, ſed potiùs fatentur, Chriſtum etiam pro illis infidelibus, & impiis, qui, antè ejus Paſſionem mortui, pœnis inferni torquebantur, mortuum eſſe voluntate generali, eo videlicet ſenſu, ut, dum viverent, Chriſtus per mortem ſuam his providerit auxilia ſufficientia, quibus ſalvari potuiſſent.

Hinc Patres Concilii Valentini de impiis, & Infidelibus, qui poſt mortem Chriſti in ſua impietate, & infidelitate erant perituri, ne verbum quidèm faciunt. Quid ita? quia illis ſupererat locus pœnitentiæ, non verò iſtis, jam finali Sententia damnatis. Hinc etiam Patres Valentini, cum probè ſcirent, Patres Concilii Cariſiaci ſecundi ſtatuiſſe canone tertio, quod *Deus omnipotens ſine exceptione vult omnes ſalvos fieri, licèt non omnes ſalventur*, ex quo canone manifeſtè ſequebatur, etiam Chriſtum omnes ſalvos fieri voluiſſe, ſubindèque pro omnibus omninò hominibus in ara Crucis ſe ipſum Patri hoſtiam obtuliſſe; Patres, inquam, Concilii Valentini hunc Canonem, ſeu Capitulum tertium Concilii Cariſiaci ſecundi nullatenùs reprehendunt, adeoque tacitè approbant, innuuntque, ſe agnoſcere & admittere generalem Dei voluntatem, quam Theologi *antecedentem* appellant, pro ſalute omnium omninò hominum; quæ Dei voluntas fons eſt & origo mortis Chriſti omnibus hominibus impenſæ. Senſum itaque Eccleſiæ Catholicæ de generali, & antecedente voluntate, qua Chriſtus pro ſingulis omninò hominibus mortuus eſt, & ſanguinem fudit, in Capitulis Concilii ſecundi Cariſiaci expreſſum, non impugnarunt Patres Concilii Valentini tertii, nedùm damnarunt.

VII. Eodem pacto facilè explicatur mens Eccleſiæ Lugdunenſis, quæ in duobus libris; quos edidit, in ſpeciem negare videtur, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus. At enim, hæc clariſſima in Galliis Eccleſia in libro *De tribus Epiſtolis* totum genus humanum quatuor in claſſes diſtribuit. Prima eſt fidelium prædeſtinatorum: ſecunda horum fidelium, qui credunt & juſtificantur, ſed non perſeverant: ideoque reprobi ſunt. Tertia eorum infidelium, qui tempore Paſſionis Chriſti non credebant, ſed tamen credituri erant, & ad gratiam perventuri. Quarta tandem illorum infidelium, qui nunquam crediderunt aut credituri ſunt. De tribus prioribus Claſſibus, ſeu ordinibus, ſtatuit Eccleſia Lugdunenſis, tanquàm certum Fidei dogma, Chriſtum pro illis mortuum eſſe. At de quarta Claſſe, ſcilicet de infidelibus, in ſua infidelitate ante Paſſionem Chriſti defunctis, ait: *Veriſſimè credimus, & veriſſimè novimus, quòd nunquàm Dominus pro talibus paſſus, nunquam mortuus eſt, nec ad eos ſalvandos venit, nec pro eis pretioſum ſanguinem fudit*. Et in alio, quem eadem Eccleſia Lugdunenſis edidit, libro, *De tenenda veritate Scripturæ* Cap. XV. docet, abſurdum, ac planè erroneum eſſe, ut pro his hominibus qui in ſua impietate vel infidelitate mortui, divino jam judicio pœnis inferni erant addicti,

Chriſtus mortuus ſit ; alioquì & pro Diabolo, & damnatis Angelis ejus, Chriſtum paſſum dici poſſe : *ſicut ergò* (ſunt ipſiſſima iſtius celeberrimæ Eccleſię verba) *pro illis impiis & damnatis Angelis nullatenùs Dominus Jeſus Chriſtus dicendus eſt paſſus , ita pro iſtis impiis & damnatis hominibus abſit omninò ut paſſus : eſſe credatur.*

Verùm hæc , & alia ejuſmodi, quæ paſſim leguntur in illis duobus eruditiſſimis Libris , quos ea de re edidit inſignis Eccleſia Lugdunenſis , quique extant Tomo xv. Bibliothecæ Patrum poſterioris Editionis Lugdunenſis , circa finem ; hæc , inquam , & alia id genus loca , quæ prima fronte doctrinæ Eccleſiæ de generali redemptione Chriſti adverſari videntur , facilè explicari poſſunt , dicendo , Eccleſiam Lugdunenſem in his duobus quos conſcripſit,libris, tria potiſſimùm intendiſſe. Primò, Chriſtum non eſſe mortuum ſpeciali modo , ſeu voluntate efficaci , & conſequente pro impiis & infidelibus , qui antè ipſius Paſſionem in ſua impietate & infidelitate erant mortui , ut eos ex inferno liberaret . Secundò, hæc Sacræ Scripturæ loca , in quibus Chriſtus dicitur pro omnibus mortuus , rectè explicari poſſe de ſolis fidelibus , Electis ac prædeſtinatis , eamque expoſitionem eſſe Catholicam , qua ſæpè utitur *S. Auguſtinus* , qui contra Pelagianos & Semipelagianos diſputans , loca Scripturæ Sacræ , in quibus Chriſtus dicitur pro omnibus mortuus, ad ſolos fideles , immò aliquandò ad ſolos electos ac prædeſtinatos reſtringit . Tertiò, repudiandam eſſe , tanquam hæreticam , expoſitionem Pelagianorum & Semipelagianorum , qui docebant , Chriſtum indifferentèr, æquali affectu , & citrà ullum delectum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, tam pro reprobis. quàm pro fidelibus , electis ac Prædeſtinatis . Hæc tria dumtaxàt Eccleſia Lugdunenſis in his duobus, quos edidit, libris ſtabilire intendit. Cæterùm , Chriſtum voluntate generali, quam Theologi *Antecedentem* appellant , mortuum eſſe pro omnibus etiam infidelibus in ſua impietate morientibus , eo in ſenſu , ut illis , dùm viverent , Chriſtus merito mortis ſuæ providerit auxilia verè ſufficientia , quibus æternam ſalutem conſequi poſſent , non modò non negat , ſed etiam apertiſſimè admittit Eccleſia Lugdunenſis.

Enim verò , Eccleſia Lugdunenſis , poſtquàm capitibus 11. 12. & 13. libri *De tribus Epiſtolis* attulit & approbavit tres Expoſitiones , quibus *S Auguſtinus* ea Scripturæ Sacræ loca , in quibus Chriſtus dicitur pro omnibus hominibus mortuus , explicat de voluntate efficaci , & conſequente , qua Chriſtus mortuus eſt pro fidelibus , electis ac prædeſtinatis ; quartam approbat expoſitionem SS. Patrum , qui docent Chriſtum eſſe mortuum pro ſalute omnium hominum , non ſolùm ſufficientia pretii, ſed voluntatis ; ſeu intentione Chriſti, offerentis ſanguinis ſui pretium , ut omnibus hominibus ad ſalutem prodeſſe poſſet : *Quarto autem modo* (inquit Eccleſia Lugdunenſis c. 12 libri de tribus Epiſtolis) *ità à Sanctis Patribus intellectum invenitur quod dictum eſt : Qui vult omnes ſalvos fieri , ut ſimpliciter accipiatur hoc de omnibus hominibus quantùm in ipſo eſt , Deum velle , eò quòd omnes ſalvari velit bonitate creatoris* (ideſt , voluntate generali , quam Theologi *Antecedentem* vocant). Mentem ſuam clariùs Eccleſię Lugdunenſis c. 20. ejuſdem libri aperit his verbis : *Si autem placet. ſicut & nobis multùm placet , ut etiam iſtorum ſententia ex pietate veniens* (ſcilicèt Chriſtum pro omnibus omninò hominibus eſſe mortuum) *propter pacem & venerabilem pietatem Beatiſſimorum Patrum non renuatur : nulla ergò contentione pro aliis adversùs alios litigetur , non una ſententia præ alia damnetur* . Et paucis interjectis , ſubdit : *Si inventi ſint alii Patres , qui illud glorioſum pretium etiam pro nunquàm credituris & in ſua impietate perituris datum eſſe non abnuant , meliùs , ut credimus , utrique honorarentur , nec præ aliis alii damnarentur , quia & illud manifeſta divina authoritate firmatum eſt , & iſtud , ſi piè ſentitur , non eſt abnuendum* . Et poſt pauca , rurſus ait Eccleſia Lugdunenſis : *Quòd ſi aliqui Patrum pro omnibus omninò hominibus paſſum intellexerunt,*

runt, honoretur & iſte velut pius ſenſus: dummodò prior, qui eſt certiſſimus & divina veritate firmatus, nulla præſumptione contemnatur, vel etiam, quod gravius eſt, damnetur.

His paria habet eadem Eccleſia cap. 24. ejuſdem libri ubi loquens de duplici expoſitione hujus Apoſtoli Sententiæ: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, utramque approbat: *licèt quidam alii Sancti & venerabiles Patres* (inquit *ſimpliciter illa Apoſtoli verba accepiſſe inveniuntur, utrorumque tamen ſententia fuerat honoranda; nec, ut jam ſuperius dictum eſt, una præ altera damnanda: quia & illa ex divina auctoritate vera eſſe monſtratur, & iſta quadam pia ratione non abhorrere à veritate fideliter creditur.*

Ex his clariſſimis Eccleſiæ Lugdunenſis teſtimoniis, quæ ex ejus libro *De tribus Epiſtolis* decerpta hactenùs laudavi, & ex aliis ſimilibus locis, quæ in altero ejus libro *De tenenda Scripturæ veritate* paſſim leguntur; manifeſtò conſtat, hanc celebrem Eccleſiam non repuliſſe, ſed potiùs velut Catholicam admiſiſſe ſententiam, quæ aſſerit, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus paſſum eſſe, ideſt, Chriſtum eo animo, ea voluntate & intentione patri ſuo in ara Crucis ſui ſanguinis obtuliſſe pretium, ut omnibus & ſingulis hominibus, etiam reprobis, ad ſalutem prodeſſe poſſet, ſubindèque merito Paſſionis ſuæ eis præpararet auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem adipiſci poſſent.

VIII. Sed hìc omni procùl dubio dices: *ſi ita ſit, & ſi Patres Concilii Valentini tertii, atque Eccleſia Lugdunenſis admiſerunt doctrinam de generali redemptione, ſeu de voluntate generali, quam Theologi Antecedentem appellant; & qua Chriſtus mortuus eſt pro omnibus omninò hominibus, quorsùm ergo iidem Patres Valentini, & Eccleſia Lugdunenſis tam acri cenſura quatuor Capitula, in quibus Epiſcopi Concilii ſecundi Cariſiaci eamdem Catholicam doctrinam contra Monachum Goteſchalcum definierant, perſtrinxerunt, ac proſcripſerunt tanquam inutilia, exitioſa & erronea?*

Ad hæc Reſpondeo ipſe, ideò Patres Concilii Valentini & Eccleſiam Lugdunenſem quatuor Capitulis Concilii Cariſiaci tam gravem Cenſuram inuſſiſſe, quia errore facti ſibi perſuaſerunt, his quatuor Concilii Cariſiaci Capitulis non tam *Goteſchalcum*, quàm ejus prætextu, *S. Auguſtini* doctrinā de Gratia impugnari, etiam ab *Hincmaro*, Remenſi Archiepiſcopo, cujus ſuaſu atque impulſu ſcripſerat *Ioannes Scotus Erigena*, vir aliquali ſeculari literatura pollens, ſed in Sacris Litteris minimè verſatus, & in cujus Libro multa ex Pelagianorum lacunis hauſta, doctrinæ *S. Auguſtini* è diametro oppoſita, continebantur.

Hinc errore facti Valentini Patres decepti ſuum in animum induxerunt, *Hincmarum*, alioſque Concilii Cariſiaci Epiſcopos, in his condendis quatuor Capitulis faviſſe Semipelagianis, adhærentibus, Chriſtum indifferenter & cum æquali affectu tam pro ſalute reproborum, quàm pro ſalute Prædeſtinatorum, mortuum eſſe; immò ſibi perſuaſerunt Patres Cariſiacos patrocinari voluiſſe errori illorum, qui affirmabant, homines jam damnatos, ex pænis inferni Paſſione Chriſti fuiſſe liberatos. Hoc errore facti Valentini Patres decepti damnarunt quatuor Capitula Cariſiaca, quorum germanum & verum ſenſum nec dùm ſatis perſpectum ac exploratum habere potuerant propter diſcordiam Principum, quibus parebant illi Epiſcopi, quorum Cariſiaci *Carolo Calvo*, Valentini *Lothario* ſubjecti erant, & ob id convenire haud poterant, ut ſuos ſenſus pacificè conferrent & explicarent.

At, iſtis Principibus in concordiam adductis, & re, ſedatis animis, maturiùs expenſa, intellexerunt tandèm Patres Valentini, in his quatuor Capitulis Cariſiacis definitum tantummodo fuiſſe, Chriſtum voluntate generali, ſeu antecedente (ut vocant Theologi, mortuum eſse ſufficienter pro ſalute reproborum; voluntate verò ſpeciali, ſeu conſequente mortuum eſse efficaciter pro ſalute Prædeſtinatorum. Quo factum eſt primò, ut Epiſcopi Valentini expunxerint in Synodo Lingonienſi celebrata anno 859. Cenſuram, quam quatuor Capitulis Cariſiacis inuſſerant (quæ

 Cen-

Cenſura his Capitulis Cariſiacis inſerta putatur ab *Ebbone* Gratianopolitano Epiſcopo, illius *Ebbonis* ex ſorore nepote, cui à Remenſi ſede dejecto *Hincmarus* ſucceſserat, atque infenſo haud parùm eidem *Hincmaro*.) Deindè, factum eſt, ut utriuſque Synodi Cariſiacæ, & Valentinæ Præſules in Synodo Tullenſi apud Saponarias eodem anno, ex duodecim Galliæ Provinciis, habita, Valentinos Canones, expuncta Cenſura, tandem ſuſceperint, quia utrique Canones, ſcilicèt tam Cariſiaci, quàm Valentini, concordare viſi ſunt, & Cariſiaca Capitula, manentibus Valentinis Canonibus, ſententiæ *S. Auguſtini* minimè adverſari.

IX. Habes igitur nunc circa mortem Chriſti verum ſenſum Catholicæ Eccleſiæ, quæ docet, Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis electis & prædeſtinatis voluntate efficaci & conſequente, iiſque merito Paſſionis ſuæ largiri auxilia efficacia, quibus ſalutem æternam infallibilitèr conſequentur; pro reprobis verò, ſeu pro illis, qui pereunt, Chriſtum mortuum eſse voluntate generali ſeu antecedenti, ea videlicèt intentione Patri ſuo ſanguinis ſui pretium offerendo, ut ad illorum ſalutem proſit, eiſque merito Paſſionis ſuæ præparando auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint.

Ab hoc Eccleſiæ Catholicæ ſenſu quàm longiſſimè receſſit *Janſenius*, quippè qui pertendit, Chriſtum eſse mortuum pro ſolis electis & prædeſtinatis, illiſque ſolis conferre voluiſse auxilia verè ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint, & reverà conſequantur; pro reprobis verò, ſeu pro iis omnibus qui pereunt, Chriſtum mortuum eſse dumtaxàt ſufficientia pretii, ſed non ſufficientia voluntatis & intentionis offerendi Patri ſuo ſanguinis ſui pretium ut illis prodeſset ad ſalutem, ſubindèque Chriſtum per mortem ſuam non præparaſse reprobis auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint.

Hactenùs ſat luculenter, ni fallor, expoſui ſenſum, in quo fuit hæc quinta *Janſenii* Propoſitio damnata ab Eccleſia: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut Sanguinem fudiſſe.* Nunc errorem *Janſenii* in duabus ſequentibus Aſſertionibus refellam, & oſtendam dogma Fidei, eſse, Chriſtum mortuum eſse voluntate generali, ſeu Antecedente, pro ſalute omnium omninò hominum, eumque merito Paſſionis ſuæ præparaſse auxilia verè ſufficientia, quæ confert, vel ſaltem offert ſingulis reprobis, ita ut per illa auxilia ſufficientia, ſibi à Chriſto vel collata, vel oblata, poſſint omnes reprobi ad æternam pervenire ſalutem, & ex eorum culpa ac defectu ſit, non vero èx auxiliorum ſufficientium defectu, quòd ad eam minimè perveniant.

X. Aſsertio Tertia; *Dogma Fidei eſt, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus.*

Hanc Eccleſiæ Catholicæ doctrinam manifeſtò tradunt Sacræ Litteræ, Sancti Patres, Summi Pontifices, & Concilia generalia. Laudabo in primis hæc Sacræ Scripturæ loca, quæ mihi cæteris luculentiora videntur. Epiſtolæ primæ ad *Timothæum* cap. 2. ait Apoſtolus Paulus: *Unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et cap. 4. ejuſdem Epiſtolæ idem Apoſtolus præcipit *Timotheo*, Diſcipulo ſuo, ut hanc doctrinam prædicet: *In hoc enim* (inquit) *laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium, maximè fidelium.* Sed hanc veritatem evidentiùs confirmat Apoſtolus *Paulus* Epiſt. 2. ad Corint. cap. 5. ubi ait: *Charitas Chriſti urget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergò omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et Epiſtolæ ad Romanos cap. 5. ait idem Apoſtolus: *ſicut per unius* (Adam) *delictum, in omnes homines in condemnationem; ſic per unius juſtitiam, in omnes homines in juſtificationem vitæ.* Ex quibus locis hoc argumentum conficio: Apoſtolus *Paulus* Adami confert cum redemptione Chriſti quantùm ad extenſionem; Atqui Adami delictum reſpicit omnes homines, nullo excepto, ut ait Apoſtolus, *ergò*, ut infert, *omnes*,

nes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.

Hoc argumentum ſuppeditat mihi *S. Auguſtinus*, qui lib. 2. *Operis imperfecti* Pelagianum *Julianum* his verbis inſectatur: *Hinc te exue, ſi potes, quod unus pro omnibus mortuus eſt, & aude dicere, non omnes mortuos, pro quibus mortuus eſt Chriſtus, cùm tibi ſtatim Apoſtolus fauces premat, & opprimat audaciſſimam vocem, quod ſequitur, oſtendens & dicens: Ergò omnes mortui ſunt. Noli ſic laudare Apoſtolum, noli ſic exponere, ut nolis audire. In hos omnes cum peccato mors pertranſiit per illum* (ſeu Adamum) *in quo omnes moriuntur; ibi ſunt parvuli, quia & pro ipſis Chriſtus mortuus eſt, qui propterea pro omnibus mortuus eſt, quia omnes mortui ſunt.* Hoc argumentum, petitum ex his Apoſtoli *Pauli* jugulat planè errorem *Janſenii*, qui negat, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, nemine dempto.

Sed ne quis litiget contendendo per *omnes* intelligi, omnes Prædeſtinatos, non verò eos, qui pereunt, ecce tibi aliud Apoſtoli *Pauli* teſtimonium, quo hæc ſiniſtra exploditur interpretatio. Inquit enim hic Apoſtolus cap. 2. Epiſtolæ ad Hebræos: *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem*. ideſt, non ſolùm pro omnibus Prædeſtinatis, ſed etiam pro jis, qui pereunt, ſicut mentem ſuam idem Apoſtolus diſertè expoſuerat cap 8. Epiſtolæ primæ ad Corinthios, dicens: *Peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt*; ideſt, (ut exponit S Thomas) *propter quem ſalvandum Chriſtus mortuus eſt*.

His *S. Pauli* teſtimoniis duo adjungere placet deſumpta ex *S. Joanne*, Evangeliſta, quorum primum legitur cap. 1. v. 29 Evangelii, ubi de Chriſto hæc *S. Joannes Baptiſta* dicit: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccatum Mundi*: non dicit, peccata aliquorum de Mundo; ſed indefinitè, *qui tollit peccatum Mundi*. Quæ *Ioannis Baptiſtæ* verba *S. Hieronymus* interpretans Epiſtola 83 ad *Oceanum*, ait: *Mentitur Ioannes Baptiſta, & digito Chriſtum & voce demonſtrans, Ecce qui tollit peccata Mundi: ſi ſunt adhuc in ſæculo, quorum Chriſtus peccata non tulerit*. Alterum ejuſdem *S. Ioannis* teſtimonium colligo ex ipſius Epiſtolæ primæ cap. 2 ubi ſermonem habendo de Chriſto hæc habet: *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius Mundi*. Ubi *S. Ioannes* reſpicere videtur hæc Chriſti verba, quæ in Evangelio cap. 3. retulerat; *Sic Deus dilexit Mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut ſalvetur Mundus per ipſum*. Quo *Mundi* nomine, ne quis dicat, ſolos intelligi Prædeſtinatos, ſtatim idem Evangeliſta illum Mundum dividens in eos, qui credunt & non credunt, ſubdit: *Qui credit in eum* (ſeu in Chriſtum) *non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc autem eſt judicium, quia lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*. Quibus verbis diſertè teſtatur Sacer Evangeliſta, Chriſtum veniſſe ad omnes omninò illuminandos, etiam reprobos ipſos, qui, tenebras diligentes, lucem reſpuunt, & rebelles ſunt lumini.

Cum his clariſſimis novi fœderis libris conſpirant ac mirificè conſentiunt Sacra Veteris Teſtamenti Prophetarum Oracula, ſed præſertim *Iſaiæ*, qui cap. 53. graphicè deſcribens Paſſionem Chriſti, hæc habet: *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra; diſciplina pacis ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus; omnes nos quaſi oves erravimus, & poſuit Dominus iniquitates omnium noſtrûm*. Item cap. 18. v. 23. ſuæ Prophetiæ ait *Ezechiel* nomine Dei: *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?* & verſ. 32. ejuſdem capitis: *Nolo mortem morientis, dicit Dominus, revertimini & vivite*. Ad quem Prophetæ locum alludere videtur *S. Petrus* cap. 3. v. 9 ſuæ Epiſtolæ ſecundæ, dicens: *Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Sed

Digitized by Google

jam dudum vereor, ne tibi videar in his congerendis Scripturæ Sacræ teſtimoniis immodicus, cùm nuſquam non occurrant in divinis Voluminibus. Nunc tempus eſt, ut oſtendam, Sanctos Patres, præſertim S. *Auguſtinum*, quem *Ianſenius* ſuas in partes trahere fruſtrà molitur, apertè docere, Chriſtum mortuum eſſe, ſuumque ſanguinem fudiſſe pro ſalute omnium hominum.

Verùm, quia *Ianſenius* patrocinio S. *Auguſtini* potiſſimùm gloriatur, hic ipſe, poſt breviter relata Sanctorum *Ambroſii* & *Chryſoſtomi* teſtimonia; quæ ipſa luce ſunt clariora, producam in medium varios ac perſpicuos S. *Auguſtini* textus, quibus certiſſimè conſtabit, Auguſtinum illum Doctorem revera ſenſiſſe, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute omnium hominum, etiam eorum, qui non ſunt prædeſtinati, ſed pereunt. In primis S *Ambroſius* (quem S. *Auguſtinus* Magiſtrum ſuum appellat) Commentario in Pſalmum 118. ait: *Myſticus ille ſol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus eſt, & omnibus reſurrexit: ſi quis non credit in Chriſtum, generali beneficio ipſe ſe fraudat*. Idem docet S. *Chryſoſtomus* Homilia 4. in cap. 2. Epiſtolæ ad Hebræos: *Pro omnibus* (inquit) *guſtavit mortem* (Chriſtus) *non pro fidelibus tantùm, ſed & pro Mundo univerſo: nam ipſe quidem pro omnibus mortuus eſt*.

Horum, & aliorum Sanctorum Patrum, quorum teſtimonia hìc recenſere nimis longum eſſet, perpetuam Traditionem ſecutus eſt S. *Auguſtinus*, qui (ſicut ipſe pluribus in locis fatetur, ſed præcipuè cap. 86. lib. 1. ſecundi Operis contra *Julianum* Pelagianum) non univerſis tantùm Patribus, aut numero pluribus, qui eum præceſſerant, ſed ſingulis etiam aſſurgendum ſubſcribendumque putabat; & unum interdum *Ambroſium*, aut *Chryſoſtomum*, velut ineluctabilem obicem, Pelagianis opponebat.

Porrò, in tam copioſa ſegete teſtimoniorum *Sancti Auguſtini*, quæ in hanc rem à Catholicis Doctoribus produci ſolent, ſelectiora ipſe dumtaxat impræſentiarum colligam, quæ mentem S. illius Doctoris optimo in lumine collocabunt, & omnes tenebras, quas ei *Janſenius* offundere tentavit, objecta veritatis luce, diſſipabunt. Et primò quidem S. *Auguſtinus*, ut mox dicebam, probat adversùs *Julianum*. Pelagianum, ideò omnes omninò homines, etiam parvulos, obſtrictos eſſe peccato originali, ſeu mortuos eſſe in Adamo, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt. Hæc autem S. *Auguſtini* ratiocinatio, non tantùm frigida (ut nemo non videt) ſed prorsùs inepta eſſet, ſi S *Auguſtinus* exiſtimaſſet, Chriſtum pro iis omnibus & ſingulis, qui peccatum originale contrahunt, ſeu mortui ſunt in Adamo, mortuum non fuiſſe. Tota igitur vis argumenti, quod S. *Auguſtinus* in *Julianum*, negantem, peccatum originale fuiſſe ad omnes Adami poſteros propagatum, intorquebat, hoc Syllogiſmo continebatur: *ſi omnes mortui ſunt in Adamo, ſeu peccatum originale contraxerunt, prò quibus mortuus eſt Chriſtus: Atqui pro omnibus omninò hominibus, nemine excepto, mortuus eſt Chriſtus, ergò omnes omninò homines, etiam parvuli, mortui ſunt in Adamo, & contraxerunt peccatum originale*. Quod certè S. *Auguſtini* argumentum petitur ex verbis ſupra laudatis Apoſtoli *Pauli*, dicentis: *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*.

Prætereà, S. *Auguſtinus* pluribus in locis diſertè docet, Chriſtum non tantùm eſſe mortuum pro ſalute Prædeſtinatorum, ſed etiam pro ſalute reproborum. De *Juda* enim, nequiſſimo proditore, Serm. 2 in Pſalm. 68 hæc habet S ille Doctor: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium, quo ipſe à Domino redemptus erat*. Et in Pſalm. 108. ait: *Quemadmodum in Juda, ſic in iſto Populo* (judaico) *intelligendum eſt, qui, repulſo à ſe Chriſto, factus eſt ſubditus Diabolo, cujus perſuaſiones in omnibus pravis & terrenis cupiditatibus præpoſuit æternæ ſaluti*. Rursùm, Tractatu 12. in *Joannem* explicans S. *Auguſtinus* illa verba S. *Joannis* Evangelii cap. 3. *Non enim miſit Deus filium ſuum in* Mun-

Digitized by Google

Mundum ut judicet Mundum, ſed ut ſalvetur Mundus per ipſum, ſic interpretatur: *Ergò quantum eſt in Medico ſanare venit ægrotum, ipſe ſe interimit, qui præcepta Medici ſervare non vult. Venit Salvator in Mundum; quarè Salvator dictus eſt Mundi, niſi ut ſalvet Mundum, non ut judicet Mundum; Salvari non vis ab ipſò; ex te judicaberis*. Et Tractatu 4. in *Joannem* aſſerit *S. Auguſtinus*, Chriſtum eſſe Salvatorem eorum qui illum crucifixerunt; *Populi*, inquit *ſpernentes, propter ſuperbiam ſuam, humilitatem Dei; crucifixerunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum*.

Hinc idem S. Doctor Serm. 382. profitetur, Chriſtum, in Crucem pendentem, oraſſe ac veniam poſtulaſſe etiam pro illis, qui in ipſum ſæviebant, quoſque videbat & prævidebat inimicos: *Quandò ergo Chriſtus in Cruce pendens orabat* (ſunt verba S. Auguſtini) *videbat & prævidebat omnes inimicos, ſed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & idcò omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat. Illi dicebant Pilato, Crucifige; ille clamabat: Pater ignoſce . . . . . . Illis petebat veniam, à quibus tantam accipiebat injuriam*. Et Serm. 67. idem S. Doctor Chriſtum in die judicii reprobos ſic alloquentem inducit. *Suſcepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem, ſuſcepi mortem tuam, ut in æternum viveres, cur, quot pro te pertuli, perdidiſti? cur, ingrate, redemptionis tuæ munera renuiſti?* Similia inimicis ſuis, ideſt, reprobis, in die judicii exprobraturum Chriſtum teſtatur *S. Auguſtinus* lib 2. De Symbolo ad Cathecumenos his verbis; *Inimicis ſuis vulnera demonſtraturus eſt, propter quod dictum eſt per Prophetam: Videbunt in quem pupugerunt, non ut eis dicat, ſicut Thomæ: quia vidiſti & credidiſti; ſed ut convincens eos veritas dicat: Eccè hominem; quem crucifixiſtis, eccè Deum & hominem, in quem credere noluiſtis; videtis vulnera, quæ inflixiſtis; agnoſcitis latus quod pupugiſtis, quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis*.

Quin, *S. Auguſtinus* in Oratione contra Judæos, Paganos, atque Arianos cap 4 Diabolum hæc Chriſto dicentem inducit: *Æquiſſime judex, judica meum eſſe, qui tuus eſſe noluit &c. Quoniam quem tu tanto pretio non dedignatus es liberare, ipſe mihi ſe poſtmodùm voluit obligare*. Quibus perſpicuis *S. Auguſtini* teſtimoniis liquet, Aquilinum illum Doctorem reverà exiſtimaſſe, Chriſtum mortuum eſſe, ſanguinem fudiſſe, & oraſſe non tantùm pro ſalute Prædeſtinatorum, verùm etiam pro ſalute reproborum, in ſenſu ſupra à me expoſito.

Tertiò *S. Auguſtinus* Enarratione in Pſalmum 68 ex morte, quam Chiſtus pertulit, omnium hominum animos erigit in ſpem æternæ & immortalis Vitæ conſequendæ, quam ipſis promiſit Chriſtus: *Chriſtus*, inquit, *factus eſt ſpes noſtra. Undè factus eſt ſpes noſtra? Ecce ſic quomodò audiſtis, quia tentatus eſt, quia paſſus eſt, quia reſurrexit, factus eſt ſpes noſtra: Quid enim nobis dicimus, quando hæc legimus? non enim perdet nos Deus, propter quos miſit filium ſuum tentari, crucifigi, mori, reſurgere. Non enim verè nos deſpicit Deus, propter quos Filio proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Sic ergò factus eſt ſpes noſtra*. Et luculentiùs in Expoſitione Pſalmi 104. mentem ſuam aperit his verbis: *Attendamus ad judicium dilectionis, & promiſſionis Dei tales arrhas tenemus, mortem Chriſti tenemus . . . . Erigat ergo ſe humana fragilitas, non deſperet, non ſe collidat. Qui promiſit Deus eſt, & venit ut promitteret, & apparuit hominibus, venit ſuſcipere mortem noſtram, promittere vitam ſuam . . . . . . Quid tibi promiſit, o homo mortalis? quia victurus es in æternum. Non credis? crede, plus enim eſt quod fecit, mortuus eſt pro te. Quid promiſit ut vivas cum illo? incredibilius eſt, quod mortuus eſt æternus, quam ut in æternum vivat mortalis. Jam quod incredibilius eſt tenemus, ſi propter homines mortuus eſt Deus, non eſt victurus homo cum Deo? nunc eſt victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus eſt, qui vivit in æternum*.

Cenſet igitur *S. Auguſtinus*, ſpem Chri-

ſtianam, quæ omnium Fidelium cordibus altè infixa eſſe debet, hoc uno inniti fundamento, quòd credimus, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, idque profitetur Eccleſia in publicis, quas ad Deum fundit Orationibus, in quibus Chriſtum Dominum omnium & ſingulorum hominum Salvatorem & Redemptorem eſſe agnoſcit; id etiam ſuis Decretis & Conſtitutionibus definierunt Summi Pontifices INNOCENTIUS X. ALEXANDER VII. INNOCENTIUS XII. CLEMENS XI. qui hanc famoſam *Janſenii* Propoſitionem: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, tanquam hæreticam confixerunt, & ut talem ab omnibus Catholicis habendam eſſe, pronunciarunt.

Quartò, *S. Auguſtinus* reapſe admittit voluntatem in Deo generalem, quam Theologi vocant *Antecedentem*, in ſalute hominum procuranda, cui reſiſtitur quæque ſuo privatur effectu. Hanc Dei voluntatem ſic deſcribit *S. Auguſtinus* cap. 33. Libri de Spiritu & Littera: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes, juſtiſſimè judicentur: quod cùm fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt: nec ideò tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* Huic *S. Auguſtini* doctrinæ firmitèr adhæſerunt fideliſſimi ejus diſcipuli *S. Proſper, S. Fulgentius, S. Hilarius, S. Remigius, S. Bernardus, S. Thomas*, & alii doctrina & pietate eximii.

Denique, Chriſtum mortuum eſſe non tantùm pro ſalute Prædeſtinatorum ſed etiam pro ſalute reproborum, fuit, tanquam dogma Fidei, pluribus in Conciliis definitum. Concilium generale Nicænum primum celebratum anno 325. in Fidei Symbolo, quod condidit, Chriſtum propter omnium hominum ſalutem è Cœlo in terram delapſum eſſe declarat his verbis: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis.* Non ait Concilium: *Propter nos fideles, vel propter nos electos*; ſed *propter nos homines*: ut ſignificet, Chriſtum ad ſingulos homines redimendos veniſſe, & pro eorum ſalute mortem opetiiſſe. Idem ſanxit Æcumenica Synodus Tridentina Seſſ. 6. cap. 2. & 3. ubi de Chriſti morte loquens, hæc decernit. *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per Fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro peccatis noſtris, ſed etiam pro totius Mundi. Verùm, et ſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii dumtaxàt, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.*

Quibus verbis Patres Concilii Tridentini confoderunt errorem *Lutheri*, & *Calvini*, aſſerentium, Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus hominibus: Atqui illi duo Hæreſiarchæ non negabant, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus *ſufficientia pretii*; non negabant etiam, Chriſtum mortuum eſſe pro generibus ſingulorum, ſed pertendebant, Chriſtum mortuum non eſſe pro ſingulis generum, ideſt, pro ſingulis & in individuo hominibus, ita ut ſanguinem ſuum eo animo, ea voluntate, eaque intentione obtulerit, quo eis omnibus prodeſſet ad ſalutem. Hoc inficiabantur *Lutherus*, & *Calvinus*, ac pernegant etiamnùm eorum Sectarii. Ad hunc igitur *Lutheri*, & *Calvini* profligandum errorem, ſtatuerunt verbis mox à me laudatis Patres Tridentini, Chriſtum mortuum eſse pro omnibus omninò hominibus ſanguinemque ſuum in ara Crucis eo animo, ea voluntate & intentione obtuliſse, ut omnibus & ſingulis hominibus prodeſset ad ſalutem. Id profectò ſi Patres Concilii Tridentini contra *Lutherum*, & *Calvinum* non definiſsent, bruto fulmine illos Hæreſiarchas, eorumque ſectarios perculiſsent, quod certè nemo, niſi hæretica pravitate ſit infectus, dicere audeat.

Alia Concilia, quæ, occaſione *Goteſchalci*, nono Eccleſiæ ſæculo ſtatuerunt, Chriſtum non tantùm pro ſalute electorum, ſed etiam pro ſalute reproborum

rum

Digitized by Google

rum, eſſe mortuum, videlicèt duo Concilia Cariſiaca, Valentinum tertium, Lingonenſe, Tullenſe, hic non referam, quia eorum doctrinam, ſicut & Eccleſiæ Lugdunenſis, ſat ſuperque me jam expoſuiſſe memini.

XI. Ex his omnibus, quæ ex Sacris Litteris, ex Traditione SS. Patrum ex Conciliorum definitionibus, & ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus, hactenùs adduxi, momentis, liquidò patet, dogma fidei eſſe, Chriſtum non fuiſſe dumtaxat mortuum pro ſalute Prædeſtinatorum, ſed etiam pro ſalute reproborum, qui tamen nunquam æternam ſalutem conſequentur; proindèque, tanquam hæreticam, reijciendam eſſe doctrinam *Janſenii*, aſſerentis, Chriſtum non eſſe mortuum, nec oraſſe pro æterna ſalute ullius omninò reprobi, idque conſequenter ad ſuum principium. Cùm enim *Janſenius*, ut anteà obſervavi, nullam in Deo veram ac ſinceram voluntatem agnoſcat circà reproborum ſalutem, indè ſequitur planè, quod nec Pater æternus pro reprobis filium ſuum miſerit, nec ipſe filius, qui venit ut faciat voluntatem patris ſui, pro illorum ſalute ſe ipſum obtulerit, aut oraverit.

Verùm, quia plures ex reprobis baptizantur, ſicque gratiæ Chriſti parti. cipes fiunt, non diffitetur *Janſenius*, Chirſtum morte ſua hanc temporalem gratiam eis promeruiſſe, negat tamen *Janſenius*, Chriſtum mortuum eſſe pro reproborum æterna ſalute; quia, inquit, hæc gratia temporalis, quam quidam reprobi in Sacramento vel baptiſmi, vel pœnitentiæ, percipiunt, non eis datur ex vera & ſincera voluntate & intentione, quam habeat Chriſtus illos ſalvandi, ſed tantummodo propter aliquam Prædeſtinatorum utilitatem, nimirùm, ut Prædeſtinati, dùm vident illos cadere, humiliores & cautiores evadant.

Quo fit, ut *Janſenius* conveniat cum *Calvino* in hoc, quod inficias eat, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute æterna reproborum, ſed in hoc differat à *Calvino*, quòd *Calvinus* doceat, nullum reprobum unquam juſtificari, aut verè Sacramenta percipere, licèt pleriſque apparenter exhibeantur. *Janſenius* verò ultrò concedat, temporalem juſtificationis gratiam verè pleriſque reprobis in Sacramento vel baptiſmi, vel pœnitentiæ conferri, non tamen ex voluntate & intentione, quam Chriſtus habeat, illos ſalvandi, ſed ob alios fines, qui cedunt in commodum & utilitatem Prædeſtinatorum, atque hinc *Janſenius* cap. ultimo lib. 3. *De Gratia Salvatoris* concludit, *nullo modo principiis S. Auguſtini conſentaneum eſſe, ut Chriſtus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum redemptionem dediſſe, patrem oraſſe ſentiatur .... Ex quo factum eſt*, (ſubdit idem Janſenius) *ut (juxta Sanctiſſimum Doctorem) non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quam pro Diaboli deprecatus ſit.*

XII. Supereſt nunc, ut ſub finem iſtius Epiſtolæ oſtendam, Chriſtum ea voluntate & intentione pretioſum ſanguinem ſuum, in ara Crucis effuſum, æterno Patri obtuliſſe, ut reprobis prodeſſet ad ſalutem, ad cujus veritatis majorem elucidationem, ponam ſequentem Aſſertionem.

Aſſertio quarta: *Chriſtus pro reprobis ſanguinem ſuum fudit ea voluntate & intentione ut illis prodeſſet ad ſalutem, eiſque omnibus præparavit auxilia verè ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quibus æternam ſalutem conſequi poſſunt, eam tamen non conſequuntur, quia reprobi vel illa auxilia ſufficientia recipere nolunt, vel ea recipientes, propria malitia aut ſocordia illorum auxiliorum ſufficientium curſum ſiſtunt & interrumpunt, impediuntque ne ulteriùs progrediantur.*

Antequam ad iſtius Aſſertionis probationes accedam, monitum te velim, ut attento animo relegas Epiſtolas tertiam & quartam, quas in iſta ſecunda Epiſtolarum Claſſe contentas ad te ſcripſi, in quibus oſtendi primò, auxilium ſufficiens, in ſenſu Thomiſtico intellectum, dare veram, completam, proximam, & expeditam potentiam benè operandi, & æternam ſalutem conſequendi, ita ut ex parte potentiæ nihil planè

de

deſit, quamvis tamen ad actu benè operandum, ad actualem obſervationem mandatorum Dei, ad vincendam omnem obſiſtentem concupiſcentiam, & denique ad æternam ſalutem conſequendam neceſſarium prorſus ſit ex parte Dei aliud auxilium, ab auxilio ſufficienti omninò diſtinctum, videlicèt auxilium per ſe & ab intrinſeco efficax, quo reprobi ſua culpa ac propria malitia deſtituti, ſalutem æternam nunquàm adipiſcentur.

Secundò commonſtravi, Scholam Thomiſticam averſari ac penitùs repudiare auxilium ſufficiens, in ſenſu Moliniſtico intellectum, quod ad actu benè operandum, & ad æternam ſalutem conſequendam ita ſufficere arbitrantur Moliniſtæ, ut ad actu benè operandum & ad æternam ſalutem comparandam nullum aliud auxilium, ab auxilio ſufficienti diſtinctum, requiratur ex parte Dei, ſed tantummodò prærequiratur voluntatis humanæ conſenſus, per quem iſtud auxilium ſufficiens Moliniſticum redditur efficax.

Poſtremò latè probavi, proſcribendam omninò eſſe hanc gratiam, quam *Janſenius* appellat *parvam*, eamque à Gratia efficaci docet eſſe diſtinctam. Hæc enim Gratia, quam *Janſenius* vocat *parvam*; & quam nunc ejus diſcipuli, ut fucum faciant, & Cenſuras Eccleſiæ eludant, appellitare ſolent *ſufficientem*, non dat, juxta illorum doctrinæ principia, veram, proximam, completam, expeditam, & relativam potentiam vincendi oppoſitam concupiſcentiam majorem, ſuperiorem ac relativè victricem, ſed ei neceſſariò cedere debet. Ex quo *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum errore palàm ſequitur, Chriſtum per mortem ſuam nec conferre, nec præparare voluiſſe reprobis auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint.

Hac præmiſſa obſervatione, quam ſemper præ oculis habere debes, ut perſpectum habere poſſis verum, proprium, ac naturalem ſenſum, in quo ab Eccleſia hæc *Janſenii* Propoſitio proſcripta eſt: ***Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe pro omnibus omninò hominibus***; nunc ultimæ, quam præmiſi, Aſſertionis veritatem multis argumentis confirmo.

Primò, quia ſi Chriſtus per mortem ſuam non præparaſſet reprobis auxilia verè ſufficientia, quibus & præcepta Dei obſervare, & ſalutem æternam conſequi poſſent; indè manifeſtò ſequeretur, reprobis præcepta Dei eſſe impoſſibilia, eoſque non poſſe æternam adipiſci ſalutem. Quam hæreticam conſecutionem Eccleſia in hac quinta *Janſenii* Propoſitione damnavit.

Præthereà, Deus (ſicut docent Scriptura & Sancti Patres) totam naturam humanam in Adamo lapſam iterùm per Chriſtum & propter Chriſtum ad ſalutem recuperandam ordinavit, omnibuſque naturæ humanæ individuis ſalutem æternam procurandi curam ac providentiam reſumpſit, ſubindèque Chriſtus debuit per mortem ſuam præparare reprobis auxilia verè ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſent, cùm certum ſit, Deum illis, quos ad aliquem finem per ſuam providentiam ordinat, media quoque neceſſaria providere, ut ad illum finem pervenire queant; alioqui ſi Deus per mortem Chriſti nulla prorſus reprobis media, ſeu auxilia ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſent, præparaſſet, nulla ſalutis eorum eſſet in Deo providentia, ſicut nec jam Dæmonum, & damnatorum pro præſenti ſtatu ſpectatorum; quod profectò ſi quis aſſereret, in apertam impingeret hæreſim; quia Chriſti Paſſio, à Mundi exordio, Dei oculis præſens & accepta, meruit obtinuitque quidquid gratiæ fuit antiquis collatum, & ideò Chriſtus Cap. 13. Libri Apocalypſis dicitur *Agnus occiſus ab origine mundi*; quòd videlicèt ab exordio mundi ſalutem hominum cœperit operari.

At enim, fatentur omnes, Fidem in Chriſtum mediatorem & redemptorem eſſe medium ſeu auxilium ſufficiens homini lapſo ad recuperandam ſalutem, quo inſtructus homo, dici non poteſt deſtitutus auxilio ſufficienti, porrò, homines ante univerſale diluvium, pote-

rant (ſi eſſent adulti) per propriam Fidem in Chriſtum mediatorem, & redemptorem , & parvuli in parentum Fide , ſalvari . Undè liquèt , hominibus ante diluvium & parvulis non defuiſſe auxilium ſufficiens quo ſalutem æternam conſequi poſſent : Quin & Deus homines ante diluvium, dum eorum cæpit invaleſcere malitia , non ceſſavit admonere & corripere , tum per ſe ipſum , ut videre eſt in Caino , quem ſcelus meditantem Deus ipſe paternè admonuit , ut ad meliorem frugem ſeſe reciperet . tum per alios Sanctiſſimos viros videlicet *Enochum*, ſeptimum ab Adamo Patriarcham, & *Noemum* , qui pœnitentiam , & imminentem Dei per univerſale diluvium ultionem , prædicarent .

Poſt diluvium Deus iterùm fœdus cum toto genere humano per *Noemum* pepigit & renovavit , dicens : *Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum & cum ſemine veſtro poſt vos*, Geneſis cap 9. item elegit Deus *Abrahamum* , per quem futuri Mediatoris & Redemptoris fidem inſtauraret ; dedit legem *Moyſi* , Præcepta , & Cæremonias , quibus coli volebat ; miſit Prophetas , quorum verba , opera & oracula , quæ ubique terrarum per judæorum diſperſionem nota , ſalutis viam Gentibus propalabant .

Denique , in lege Gratiæ voluit Deus ut Apoſtoli irent in univerſum Mundum, & Evangelium prædicarent omni creaturæ , ideſt omnibus hominibus , ut palàm faceret , ſe ab hac gratia neminem repellere voluiſſe , ſuamque providentiam circa ſalutem hominum omnes, citrà ullam exceptionem , complecti , omnibuſque etiam reprobis auxilia verè ſufficientia præparaſſe , quibus æternam ſalutem conſequi poſſent , quamvis tamen eam non conſequantur , vel quia auxiliis ſufficientibus propria malitia obicem & impedimentum ponunt , vel quia illorum auxiliorum ſufficientium curſum data opera ſiſtunt ac interrumpunt , vel quia parentum ſuorum culpa à vera Religione & Eccleſia ſunt extorres . Hinc videmus , *Cainum*, *Chamum*, alioſque antè & poſt diluvium populorum authores , à vera Religione propria culpa deſcicentes , non ſibi tantùm nocuiſſe , ſed etiam eorum poſteris ; impediendo prava educatione , ne ad illos verus Dei cultus propagaretur. Hinc etiamnùm videmus integras familias , immò & nationes , hæreſibus , ac Schiſmatibus ita immerſas ut emergendi copia vix appareat , quas ſanè progenitorum culpa in hanc miſeriam prolapſas eſſe conſtat .

Denique addi debent. diſertiſſima illa divinæ ſcripturæ loca & luculentiſſima Sanctorum Patrum teſtimonia , quibus ſuperiùs oſtendimus Chriſtum pro omnibus omninò hominibus eſſe mortuum , nec non Sanctiones Conciliorum , definitiones ſummorum Pontificum , & Eccleſiæ Catholicæ expreſſiones , in quibus dicitur , Chriſtum veniſſe ut naturam humanam peccato perditam repararet, ut pro ſalute totius generis humani remedia conferret , illum eſſe Salvatorem Mundi , generis humani Redemptorem omnium &c indèque quiſque facilè intelliget , fœdus , quod Chriſtus per incarnationem Deum inter & homines ſancivit , non aliquot homines , ſeu electos ac prædeſtinatos dumtaxat , ſed omnes omninò homines , ideſt , ſingula naturæ humanæ individua , ſpectare ; ſubindèq; Chriſtum non pro ſolis prædeſtinatis , ſed pro aliis etiam prorsùs hominibus , nemine excepto , mortuum eſſe & ſanguinem ſuum ea intentione & voluntate obtuliſſe ut illis prodeſſet ad ſalutem . Quæ certè Chriſti omnes ſalvandi voluntas nequaquàm ſincera dici poſſet .˙ ſi (uti pertendit *Janſenius*) auxilia verè ſufficientia , quibus reprobi æternam ſalutem conſequi poſſint . Chriſtus per mortem ſuam non præparaſſet, eoſque mediis , ſeu auxiliis verè ſufficientibus, ad ſalutem neceſſariis deſtitutos relinquere voluiſſet .

XIII. Verùm , quia hæc omnia , quæ hactenus adduxi , Scripturæ Sacræ loca , Sanctorum Patrum teſtimonia , Conciliorum Sanctiones , Summorum Pontificum definitiones & Eccleſiæ Catholicę expreſſiones de morte Chriſti pro ſalute omnium hominum impenſa, *Janſenius* , ejuſque diſcipuli contortis interpretationibus eludere pro viribus moliun-

liuntur; ideò (ne longiùs, quàm par excurrat iſthæc Epiſtola) conſultius factum me eſſe exiſtimo, ſi hæc omnia remittam ad proximam, quam ad te ſcripturus ſum, Epiſtolam, in qua, benè favente Deo, *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum æquivocationes & tergiverſationes detegam, violentas ac ſiniſtras, quas adhibent, interpretationes refellam, & omnibus, quæ opponunt, objectis pleniſſimè faciam ſatis.

Hoc unum dumtaxàt ſub finem hujuſce Epiſtolæ monitum te velim, videlicet omnia argumenta, quæ ex Sacris Litteris, ex Conciliis, & Sanctis Patribus deſumit *Janſenius*, probare tantummodò Chriſtum efficaciter, ſeu voluntate conſequenti, mortuum eſſe pro ſalute ſolorum electorum ac prædeſtinatorum, eiſque ſolis conferre voluiſſe auxilia per ſe efficacia, quibus infallibilitèr pervenirent ad ſalutem æternam; ſed minimè probare, Chriſtum non eſſe mortuum inefficaciter, & voluntate antecedenti pro reprobis. Hi quidèm, fateor, pereunt & excidunt è ſalute æterna, non quòd Chriſtus eos ſanguine non emerit, vel quòd pro eis mortuus non ſit, aut eis per mortem ſuam auxilia verè ſufficientia non præparaverit, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint (ſicut falsò pertendit *Janſenius*) ſed pereunt reprobi, quia propria culpa ac malitia perire voluerunt, & ſalvari noluerunt.

Deus enim, propter Chriſti redemptoris mortem, omnibus reprobis contulit, vel ſaltèm obtulit, auxilia verè ſufficientia (in ſenſu tamen Thomiſtico intellecta) per quæ integrum redemptionis fructum, & ſalutem æternam conſequi poſſunt. Aſt, illi oblata ejuſmodi auxilia ſufficientia aut recipere nolunt, aut ea negligunt, aut, renitente cupiditate, pervicaciter contemnunt, & ideò ſalutem æternam non conſequuntur. Tales ſunt omnes juſti, qui in accepta juſtitia non perſeverant, fideles non ſecundùm Fidem viventes, *Judas*, Chriſti tortores & carnifices, Infideles omnes, qui Deum non colunt, verbo dicam, omnes omninò reprobi, pro quorum ſalute quamvis Chriſtus mortuus ſit voluntate antecedente, eiſque præparaverit auxilia verè ſufficientia, quorum ope poſſent conſequi ſalutem æternam; pereunt tamen omnes reprobi, nec finalem redemptionis fructum conſequuntur, nec ad ſalutem æternam perveniunt, quia illi (ut mox dixi) propria ſua malitia ac culpa perire voluerunt, & ſalvari noluerunt.

XIV. Ab hac Eccleſiæ Catholicæ doctrina longè receſſit *Janſenius*, quippè qui negat, Chriſtum per mortem ſuam præparaſſe reprobis gratias verè ſufficientes, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint. Per Gratias enim verè ſufficientes, quæ dant potentiam veram, proximam & expeditam benè operandi, & ſalutem æternam conſequendi, intelligit *Janſenius* (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis oſtendi) eas dumtaxàt Gratias, quæ ſunt relativè victrices, ideſt, quæ ſunt ſuperiores oppoſita concupiſcentia. Ex quo planè ſequitur, reprobos (quibus Deus non concedit gratias illas, quas *Janſenius* vocat *relativè victrices*, quaſque ſolas pertendit eſſe *verè ſufficientes*) carere Gratiis verè ſufficientibus, quibus poſſint benè operari, & ad ſalutem æternam pervenire.

Ait quidèm *Janſenius*, Deum largiri reprobis quaſdam Gratias, quas appellat *parvas*, & quæ non ſunt relativè victrices; at negat *Janſenius* (ſicut commonſtravi in meis ſuperioribus Epiſtolis) Gratias illas *parvas*, eſſe Gratias *verè ſufficientes*, & dare potentiam veram, & proximam & expeditam benè operandi & æternam ſalutem conſequendi, quia, juxta *Janſenii* doctrinam, Gratiæ illæ, quas *parvas* vocat, cùm ſint in gradibus cœleſtis delectationis minores, debiliores, & inferiores oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, neceſſariò huic concupiſcentiæ terrenæ delectationi relativè victrici cedere debent, nec dant potentiam veram, proximam, & expeditam benè operandi, & æternam ſalutem conſequendi. Cùm igitur Gratiæ illæ, quas *Janſenius* appellat *parvas*, non ſint (ipſomet fatente *Jan-*

Janſenio) verè ſufficientes, nec conferant veram, proximam & expeditam potentiam benè operandi & æternam ſalutem conſequendi, palàm ex Janſenianæ doctrinæ principiis ſequitur, Chriſtum (qui reprobis has dumtaxàt gratias *parvas* impertitur) eis per mortem ſuam non præparaſſe Gratias verè ſufficientes, quibus poſſent & benè agere, & conſequi ſalutem æternam, ſubindèque Chriſtum non eſſe mortuum pro æterna ſalute reproborum.

Hunc errorem circà mortem Chriſti redemptoris & Salvatoris noſtri, *Ianſenius* mutuatus eſt ex *Luthero*, & *Calvino*, qui itidem aſſerunt, Chriſtum pro ſalute æterna dumtaxàt electorum ac Prædeſtinatorum mortuum eſſe. In hoc tamen (ut candidè fatear) *Ianſenius* diſcrepat ab illis duobus Hæreſiarchis, quòd *Ianſenius* docet, Chriſtum per mortem ſuam obtinuiſſe reprobis temporarios quoſdam juſtitiæ effectus quos ſæpè eis per Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ impertitur. Sed quia temporarii illi juſtitiæ effectus non ordinantur, juxta *Ianſenium*, ad æternam reproborum ſalutem, ideò infert *Ianſenius*, Chriſtum non eſſe mortuum pro æterna ſalute reproborum, quamvis temporarios illos juſtitiæ effectus eis largiatur. *Si quid pro illis*, ſeu reprobis (inquit Janſenius lib 3 De Gratia Salvatoris cap. 21. ſub finem) *Chriſtus rogavit Patrem; pro temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum* At verò *Lutherus* & *Calvinus* non ſolùm negant, Chriſtum eſſe mortuum pro æterna ſalute reproborum, ſed etiam negant, Chriſtum per mortem ſuam obtinuiſſe reprobis, iiſque reverà conferre temporarios quoſdam juſtitiæ effectus, quia (ut anteà obſervavi) ambo illi Hæreſiarchæ, eorumque Sectarii docent, nullum reprobum gratiam juſtificationis unquàm recipere, aut Sacramenta verè percipere, quamvis pleriſque reprobis apparentèr exhibeantur.

Verùm, licèt in hoc, *Ianſenius* à *Luthero*, *Calvino*, & ab illorum Sectariis diſſentiat, hunc tamen cum illis communem habet errorem, à Catholica Eccleſia in Concilio Tridentino damnatum, quòd negat *Ianſenius*, Chriſtum mortuum eſſe pro æterna ſalute reproborum, eiſque præparaſſe auxilia verè ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint. Hunc *Lutheri*, & *Calvini* errorem (his, quæ mox dixi, exceptis) non tantùm recoxit *Ianſenius*, ſed etiam ut illum ſtabiliret, iiſdem planè rationibus, quas illi duo Hæreſiarchæ, eorumque Sectarii, adhibent, uſus eſt, iiſdem Scripturæ Sacræ, Patrumque teſtimoniis confirmat, iiſdem exemplis & ſimilitudinibus illuſtrat, iiſdemque effugiis, tergiverſationibus, & æquivocationibus à Catholicorum argumentis defendit. Legeſis *Stephanum Decamps* Societatis Jeſu Theologum, in libro quem edidit *De Ianſeniana Hæreſi*, ubi, poſtquàm Calviniſtarum libros capita, paginas, & ipſiſſima verba fideliter & ad longum retulit, atque cum *Ianſenii* doctrina contulit; hoc verum & æquiſſimum de *Ianſenio* profert judicium: *Qui hæc perpendit apud ſe, an non ſuſpicabitur, Ianſenium plus Auguſtinum in Calvino, quàm in Auguſtino legiſſe? Ego certè illud aſſeverare auſim, poſſe quemlibet, qui Auguſtinum nunquàm viderit (modò familiares ac notos habeat Calviniſtarum & Lutheranorum libros) illud ipſum Opus Ianſenii concinnare, quod jam nobis, quaſi diuturnæ Auguſtinianæ lectionis, obtruditur.*

Sed de *Ianſenii* errore, in quinta ejus Propoſitione ab Eccleſia proſcripto plura dicendi in Epiſtola, quam ad te propediem daturus ſum, ſeſe opportuna dabit occaſio. Interim, demus operam, Amice dilectiſſime, ut Gratiis, quas nobis per mortem ſuam promeruit Chriſtus, ingrati non abutamur, ne toties à nobis non exauditus Dominus, viciſſim non audiat nos clamantes ad ipſum. Sicut enim terra frequenter irrigata cœleſti pluvia, nec aliud cultori ſuo proferens, quàm ſpinas & tribulos, execrabilis eſt, & igni traditur; ita vehementer timere debemus, ne Deus, ob ſpretam à nobis bonitatem & miſericordiam ſuam, deſtituat nos ut deploratos, proprioque relinquat arbitrio, perindè

ac

ac Medicus nihil non expertus quidquid ars poteſt ad depellendum morbum, ubi videt ægrotum omnia pharmaca reſpuere, tandem illum ſuo morbo relinquit, tanquàm nolit vivere.

Ut igitur tam grave malum non incurramus, audiamus Jeſum Chriſtum comminantem, ne peccemus; audiamus invitantem ac revocantem, ne deſperemus, & ne à recta via deflectamus; Jeſum, inquam, Servatorem ac Redemptorem noſtrum amemus; huic uni inhæreamus hunc imitemur, hunc unum amplectamur, hoc uno fruamur, in quo eſt vera pax, tranquillitas, voluptas, immortalitas, & ſumma bonorum omnium. Ille ſit nobis in corde, in ore, in omni vita. Hic à nobis vigilantibus nunquàm diſcedat, hic nobis dormientibus occurrat, ſempèrque mentibus noſtris obverſetur, donec, emenſo hujus vitæ curriculo, perpetuum cum ipſo triumphum agamus in cœlis. Faxit Deus, & vale.

EPI.

Digitized by Google

EPISTOLA OCTAVA
POLEMICA,

In qua ſatisfit omnibus argumentis, quæ Janſenii Diſcipuli proponunt, ſivè ad vindicandum Janſenium ab hæretico ſenſu, quem Eccleſia in quinta ejus Propoſitione confixit, ſivè ad probandum, Chriſtum eſſe mortuum dumtaxàt pro æterna ſalute Prædeſtinatorum, non verò Reproborum.

TAmetſi in ſuperiori, quam ad te dedi, Epiſtola poſuerim (ni meus me fallit animus) in aperta pleniſſimaque luce obvium, naturalem, & genuinum *Janſenii* ſenſum, quem, tanquàm hæreticum, in hac quinta ejus Propoſitione: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum mortuum fuiſſe, aut ſanguinem fudiſſe pro omnibus omnino hominibus*, optimo jure Catholica confixit Eccleſia; nihilominùs, ad rei tanti momenti majorem evidentiam, neceſſarium duxi, te in hacce Epiſtola præmunire contrà varias Janſeniſtarum aggreſſiones, artes, æquivocationes, ac falſas detortaſque interpretationes, quibùs *Janſenium*, ſeque ipſos, à Cenſura, quam in hanc quintam *Ianſenii* Propoſitionem tulit Eccleſia, eximere poſſint.

I. In primis, pertendunt *Ianſenii* diſcipuli, genuinum *Ianſenii* ſenſum in hac quinta Propoſitione: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſse pro omnibus omninò hominibus*, eſſe planè Catholicum, ſubindeque penitùs diverſum à ſenſu hæretico *Lutheri*, & *Calvini*, à Patribus Concilii Tridentini damnato, atque à Summis Pontificibus INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. in hac quinta Propoſitione proſcripto.

Prætereà, *Ianſenii* diſcipuli plura comminiſcuntur effugia, quibus Cenſuram, qua quintam *Ianſenii* Propoſitionem anathemate perculit Eccleſia, eludere, & in alienum ac peregrinum ſenſum detorquere poſſint.

Tertiò affirmant, *Ianſenium* in hac quinta Propoſitione, quæ ſpectat mortem Chriſti, idem prorsùs ſentire, quod SS. *Auguſtinus*, & *Thomas* docent.

Quartò, Thomiſtas patronos ſibi adſciſcunt, eorùmque pallio ſe ſe involventes, dictitant, ſe ultrò cùm Thomiſtis agnoſcere & fateri, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibùs hòminibus, etiam pro reprobis; eiſque per mortem ſuam præparaſſe auxilia ſufficientia in ſenſu Thomiſticò intellecta; ſed ſolis Electis ac prædeſtinatis auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia ſuppeditare ad ſalutem æternam eos verè conducentia.

Poſtremò, multa obtrudunt argumenta, è Sacris Litteris, Conciliis, & Patribus petita, quibùs ſe probare poſſe putant, Chriſtum non eſſe mortuum pro æterna ſalute reproborum, ſed tantùm pro æterna ſalute Prædeſtinatorum.

Ad hæc quinque Capita facilè revocari poſſunt omnia, quæ circà hanc quintam *Ianſenii* Propoſitionem hactenùs ſcripſerunt ejus diſcipuli, quæque ut ſingillatim, claraque methodo refellam, primò oſtendam, ſenſum *Ianſenii* in hac quinta ejùs Propoſitione eſſe verè hæreticum, &, ut talem, jure optimo ab Eccleſia damnatum. Secundò, præcludam effugia, quibùs *Ianſenii* diſcipuli

Cen-

Cenſuram, quam contra hanc quintam *Janſenii* Propoſitionem tulit Eccleſia, detortis interpretationibus in alienum ſenſum trahere moliuntur. Tertiò, evincam, *Janſenium*, ejuſque diſcipulos immeritò gloriari patrocinio Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*. Quartò, commonſtrabo, doctrinam Thomiſtarum de voluntate antecedenti, quam Chriſtus verè habuit, offerendi, etiam pro reprobis, ſanguinem ſuum, ut eis prodeſſet ad ſalutem, illiſque præparandi auxilia verè ſufficientia ad ſalutem, in ſenſu Thomiſtico accepta, eſſe è diametro oppoſitam ſulguritæ ab Eccleſia doctrinæ *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum, expreſſæ in hac quinta *Janſenii* Propoſitione: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe pro omnibus omninò hominibus*. Denique, faciam ſatis jam ſæpiùs eliſis ac cribratis Janſeniſtarum objectionibus.

II. Dico itaque primò, *obvium & naturalem ſenſum Janſenii, in hac quinta Propoſitione:* Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum mortuum eſſe aut Sanguinem fudiſſe pro omnibus omninò hominibus, *ab Eccleſia proſcriptum, eſſe revera hæreticum, &, ut talem, ab univerſa Eccleſia reprobatum.*

Hujus Aſſertionis veritas liquidò comprobatur ex ſola expoſitione naturalis & obvii *Janſenii* ſenſus, qui in hoc maximè ſiſtit, quòd velit, Chriſtum mortuum eſſe & ſanguinem ſudiſse pro ſalute æterna duntaxàt Prædeſtinatorum, ſed non pro ſalute æterna reproborum. Sic enim *Janſenius* ſenſum ſuum tam perſpicuè cap. 21. lib. 3. *De Gratia Salvatoris* expreſſit, & in aperto poſuit, ut nemini de genuina ipſius mente dubitandi ullum locum reliquerit.

Expende, ſi placet, hæc *Janſenii* verba, quibus mentem ſuam eò loci apertè, & radiis ſolaribus clarius prodit: *Per illa occultiſſimè juſta & juſtiſſima conſilia ſua* (inquit) *quibuſdam hominibus* (Chriſtus) *dare prædeſtinavit fidem, charitatem, & in ea perſeverantiam uſque in finem, quos abſolutè Prædeſtinatos, electos & ſalvandos dicimus ..... Pro iſtis in æternum vivificandis mortuus eſt, pro iſtis ab omni malo liberandis rogavit Patrem ſuum; non pro cæteris, qui à fide, & charitate deficientes in iniquitate moriuntur.* Et poſteà eodem in capite *Janſenius* ſubdit: *Quæ ſatis cùm in Auguſtini doctrina perſpicua, certaque ſit; nullo modo principiis ejus conſentaneum eſt, ut Chriſtus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro juſtorum non perſeverantium* ÆTERNA SALUTE *mortuus eſse, ſanguinem fudiſse, ſemetipſum redemptionem dediſse, Patrem oraſse ſentiatur.* Denique, in eodem laudato capite ſic pergit Janſenius: *Scivit enim* (Chriſtus) *Decretum, quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat; ſcivit hoc Decretum neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe, neque ſe ipſum velle mutare. Ex quo factum eſt, ut, juxtà Sanctiſſimum Doctorem,* (Auguſtinum) *non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro diaboli deprecatus fuerit. Sed ſi quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum.* Ex quibus verbis manifeſtò conſtat, *Janſenium* docere, Chriſtum non eſse mortuum pro æterna ſalute Infidelium in ſua infidelitate morientium, ſed mortuum duntaxat eſse pro æterna ſalute Prædeſtinatorum.

Non negat quidem *Janſenius*, Chriſtum pro juſtis, qui non perſeverant uſque in finem, quique ſubindè reprobi fiunt, mortuum eſse, & ſanguinem fudiſse, eo in ſenſu, ut pro illis Patrem ſuum rogarit, eiſque obtinuerit *temporales quoſdam juſtitiæ effectus*, ſeu quaſdam temporaneas Gratias (quas in Sacramento Baptiſmi, vel Pœnitentiæ multis reprobis impertitur) at *Janſenius* palam inficiatur Chriſtum pro ÆTERNA SALUTE juſtorum, qui non perſeverant uſque in finem, ſicut & pro æterna ſalute aliorum, qui non ſunt prædeſtinati, mortuum eſse, & ſanguinis ſui pretium æterno Patri obtuliſse, ut illis prodeſset ad ſalutem æternam. Vult enim *Janſenius*, juxtà intima ſuæ doctrinæ principia, quæ in ſuperioribus meis Epiſtolis expoſui, Chriſtum nec pro ſalute

lute æterna juſtorum, qui non perſeverant uſque in finem, nec pro ſalute æterna aliorum reproborum mortuum eſſe, quia per mortem ſuam eis non promeruit, nec illis largitur Gratias verè ſufficientes, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint.

In hoc ſiſtit hæreticus *Ianſenii* ſenſus, quem in quinta ejus Propoſitione damnavit Eccleſia, & juxta omnium SS. Patrum Traditionem, avitamque doctrinam, definivit, Chriſtum mortuum eſſe pro æterna ſalute non tantùm Prædeſtinatorum, verùm etiam reproborum, cum hoc tamen diſcrimine, quòd Chriſtus ſpeciali modo, ſeu voluntate conſequenti & efficaci mortuus ſit pro æterna ſalute Prædeſtinatorum, quibus ſolis confert auxilia per ſe efficacia, quibus infallibiliter pervenient ad ſalutem æternam; at verò Chriſtus pro æterna ſalute reproborum mortuus ſit voluntate generali, quam Theologi vocant *Antecedentem*, per quam Deus, præparavit omnibus omninò reprobis auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint Quod certè *Ianſenius* rotundè negat, aſſerens primò, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute æterna dumtaxàt Prædeſtinatorum. Secundò, do centq; Chriſtum pro reprobis in hoc ſenſu tantummodo eſſe mortuum, quia ejus ſanguinis pretium fuit ſufficientiſſimum omnibus reprobis redimendis; vel quia Chriſtus aliquam pro ſalute reproborum velleitatem habuit, ſed non veram, & ſinceram voluntatem; vel quia denique Chriſtus largitur reprobis quaſdam Gratias, quas *Ianſenius* appellat *Parvas*, quæ, cum ſint gradu inferiores, minores, ac debiliores oppoſita actuali, ſuperiori, ac relativè victrici concupiſcentiæ, eam vincere non poſſunt, ſubindèque verè non ſunt *ſufficientes*, quia non dant potentiam proximam, & expeditam vincendi actualem oppoſitam, ſuperiorem, ac relativè victricem concupiſcentiam, nec pariter veram conferunt potentiam præcepta Dei obſervandi, & æternam ſalutem aſſequendi. Ex quo capitali Janſenianæ doctrinæ principio palàm ſequitur, Chriſtum per mortem ſuam non præparaſſe reprobis, nec eis largiri voluiſſe Gratias verè ſufficientes, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint, ſubindèque Chriſtum pro æterna eorum ſalute non eſſe mortuum.

Hunc *Ianſenii* ſenſum eſſe hæreticum, &, ut talem, ab Eccleſia damnatum, Scripturæ Sacræ, SS Patrum Traditioni, Summorum Pontificum, & Conciliorum definitionibus, totique retrò antiquitati Eccleſiaſticæ contrarium, ſuſè ſatis in ſuperiori Epiſtola oſtendi. Quocircà, neceſſe non eſt ut in ea reprobanda, quæ omnibus explorata eſt, quamque ſoli diſcipuli *Ianſenii*, tanquam cæci in meridie palpantes, pervicaciter negare, aut in dubium revocare audent; hic bonas horas malè collocemus.

III. Dico ſecundò, *facili negotio præcludi poſſe futilia Ianſeniſtarum effugia, & perverſas interpretationes, quibus tentant eludere Cenſuram, quam univerſa Eccleſia in quintam Ianſenii Propoſitionem tulit, ſeſeque extricare ab his Sacræ Scripturæ teſtimoniis, quibus in ſuperiori mea Epiſtola probavi, Chriſtum pro æterna reproborum ſalute mortuum eſſe, & ſanguinem ſuum fudiſſe animo ac ſincera voluntate offerendi æterno Patri ſuo pretium ſanguinis ſui, ut ipſis ad ſalutem æternam prodeſſe poſſet.*

Imprimis dicunt *Ianſenii* diſcipuli, ſe unà cum *Ianſenio* docere, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus hominibus quoad *ſufficientiam*, ſed non quoad *efficaciam*. Quæ certè doctrina, inquiunt, nullam prorsùs meretur Cenſuram, cùm vindices habeat Sanctos Doctores, præſertim *S. Thomam*, totamque ejus illuſtrem Scholam, quibus ſolemne eſt, hanc uſurpare diſtinctionem, quò pleraque Scripturæ Sacræ loca, quæ ſecum in hac materia in ſpeciem pugnare videntur, dilucidare, & occurrentes nodos diſſecare poſſint. Hinc concludunt, *Ianſenii* ſenſum eſſe Catholicum, & planè diverſum à ſenſu, quem, tanquam hæreticum, in hac quinta famoſa Propoſitione damnavit Eccleſia.

Verùm, hæc latebra, quam quærunt Ianſeniani, ut virus ſui erroris utcumque obtegere poſſint, objecta verita-

tis luce, facilè diſſipatur. At enim, Sancti Doctores, potiſſimùm Angelicus noſter Præceptor, totaque ejus Schola frequenter quidem uſurpant hanc diſtinctionem de morte Chriſti pro omnibus hominibus quoad *ſufficientem*, non quoad *efficaciam*; ſed in ſenſu Catholico, & planè diverſo à *Ianſenio*; ejuſque diſcipulorum ſenſu, quem, velut hæreticum, in hac quinta Propoſitione damnavit Eccleſia.

Ianſenius quippè, dùm ait, Chriſtum mortuum fuiſſe pro omnibus hominibus *ſufficienter*, vult duntaxàt, ſanguinem, quem Chriſtus moriendi effudit, fuiſſe pretium ſufficiens, immò, & ſufficientiſſimùm redimendis omnibus omninò hominibus. Sed *Ianſenius* negat, ſicut ſæpiùs dixi, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus reprobis *ſufficientèr* in eo ſenſu, ut Patri æterno ſanguinis ſui pretium ea voluntate & intentione obtulerit, ut eis prodeſſet ad æternam ſalutem. Negant *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, Chriſtum per mortem ſuam promeruiſſe, & præparaſſe reprobis gratias verè ſufficientes, quibus poſſint ad ſalutem æternam pervenire (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis latè commonſtravi:) hæc autem *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum doctrina à Catholico dogmate abludit quàm longiſſimè; tùm quia Eccleſia Catholica, in Concilio Tridentino congregata, damnavit *Lutherum*, & *Calvinum*, negantes, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus, tametſi duo illi hæreſiarchæ faterentur, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus ſufficientia pretii, idemque etiamnùm doceant *Lutheri*, & *Calvini* Sectarii: Tum quia etiam Catholicum Eccleſiæ dogma de generalitate mortis Chriſti pro omnibus hominibus impenſæ apertè negaret ille, qui diceret Chriſtum mortuum eſſe *ſufficientèr* pro damnatis ac dæmonibus, perindè ac pro reprobis, quia ſanguis Chriſti pretium fuit ſufficientiſſimum non ſolùm redimendis omnibus prorſùs reprobis, ſed etiam ſalvandis omnibus damnatis & Diabolis.

IV. Catholicum itaque Eccleſiæ dogma in hoc poſitum eſt, quod Chriſtus mortuus ſit pro omnibus omninò hominibus *ſufficienter*, non tantùm ſufficientia pretii, ſed etiam ſufficientia ſinceræ voluntatis & veræ intentionis offerendi Patri ſuo æterno ſanguinem ſuum, ut omnibus reprobis prodeſſet ad ſalutem æternam, quam ut conſequi poſſent reprobi, Chriſtus per mortem ſuam illis promeruit & præparavit auxilia verè ſufficientia, diſtincta ab auxiliis per ſe efficacibus quæ Chriſtus per mortem ſuam obtinuit electis & prædeſtinatis, & quibus ipſi æternam ſalutem infallibiliter conſequentur. Hoc eſt Catholicum Eccleſiæ dogma, quod impugnant *Lutherus*, *Calvinus*, *Janſenius*, & eorum Aſſeclæ.

Ab iſto autem Catholico Dogmate ne latum quidem unguem deſciſcunt Thomiſtæ, quippè qui docent primò Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe *ſufficienter*, non tantùm quia ſanguinis ſui pretium erat infiniti valoris, ideòque omnibus hominibus liberandis ſufficiens (quod Janſeniſtæ quidem & nihil ultrà concedunt) ſed inſuper ajunt Thomiſtæ, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, quia pretium ſanguinis ſui æterno Patri vera ac ſincera voluntate obtulit, ut omnibus omninò hominibus (nemine excepto) prodeſſet ad ſalutem æternam.

Nec hìc gradum ſiſtunt Thomiſtæ, ſed prætereà docent, Chriſtum per iſtam pretii ſanguinis ſui oblationem Patri exhibitam, ab eo impetraſſe, ut omnibus parvulis præpararetur medium ſeu auxilium ſufficiens ad ſalutem æternam conſequendam neceſſarium, videlicet Baptiſmi Sacramentum, quod ſi multis parvulis non applicetur, hoc tribui debet vitio Parentum, ut innuit incertus auctor Operis *De Vocatione gentium*, (quem alii *S. Proſperum*; alii S. Pontificem Leonem *M.* eſſe exiſtimant.) Hic, inquam, hujus Operis auctor lib. 2. cap. 23. ait, quòd parvuli pœnas alieni demeriti luunt ea ætate, qua mereri per ſe aut demereri non poſſunt: *ſicut enim*, inquit, *ex aliena confeſſione credunt* (parvuli) *ità ex aliena infidelitate aut diſſimulatione non credunt*; vel hoc pro-

provenit ex ordine cauſarum, in quo frequenter occurrunt impedimenta, quæ nque Deus juxta de cauſa perturbare non vult.

Poſtremò docent Thomiſtæ, Chriſtum per mortem ſuam, & oblationem pretioſi ſanguinis ſui præparaſſe & offerre omnibus hominibus auxilia verè ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint. Quòd ſi contingat, illos ad æternam ſalutem non pervenire, nec recipere illa auxilia ſufficientia, quæ Deus illis offert dicunt Thomiſtæ, id tribuendum eſſe ſoli hominum renitenti ac pervicaci voluntati, quæ propria ſua malitia receptioni gratiæ obicem & impedimentum ponit, ita ut *illi ſoli gratia priventur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant*; ſunt verba *S. Thomæ* c. 159. lib 3. *contra gentes*.

Confer, quæſo, nunc hanc Thomiſtarum doctrinam cum proſcripta *Janſenii* diſcipulorum doctrina, & actutùm percipies, quàm immenſo intervallo Thomiſtæ à Janſenianis diſtent. cùm Thomiſtæ (præter ſanguinis Chriſti ſufficientiam, quam ſolam Janſeniani admittunt) ulteriùs ejus ſanguinis Chriſti pretii pro omnibus omninò hominibus oblationem & directionem exigant, velintque. Chriſtum vi illius oblationis præparaſſe & offerre omnibus hominibus auxilia verè ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint, adeò ut non per Deum, ſed per ipſos ſtet, quominùs æterna felicitate donentur. Legeſis *S. Thomam* in Commentariis in Epiſtolam *ad Hebræos* c 2. lect. 3 Et in primam ad *Timotheum* cap 2. lect. 1. Et denique in Epiſtolam ad Romanos cap. 5. lect 5. & ſtatim percipies, Angelicum illum Doctorem, præter ſufficientiam ſanguinis Chriſti pretii, in *ſe ipſo* (quam ſolam agnoſcunt Janſeniani) ulteriùs requirere ejuſdem pretii *oblationem*, ſeu directionem pro omnium omninò hominum æterna ſalute. Sed ſatis hactenùs, ut autumo, eliſum ac contritum eſt primum iſtud *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum effugium.

V. Ab hoc primo effugio depulſi Janſeniani, quod illos nec ſecuros reddit, nec alienos ab hæretico ſenſu, quem in hac quinta *Janſenii* propoſitione proſcripſit Eccleſia; ad aliud ſe recipiunt, ajuntque, ſe in ſtatu naturæ lapſæ duplicis generis admittere gratiam, unam videlicet, quæ facit ut benè operemur, & ſalutem æternam conſequamur, & illa eſt gratia relativè victrix, quæ ſita eſt in cœleſti indeliberata delectatione; quæ major, intenſior ac ſuperior eſt oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, eamque ſemper vincit ac ſuperat; alteram verò gratiam, quam *Janſenius* vocat *parvam*, quamque ipſi nuncupant *ſufficientem in ſenſu Thomiſtico*, quia, inquiunt, hæc gratia *parva*, cùm importet dumtaxat cœleſtem indeliberatam delectationem, quæ minor & inferior eſt oppoſita concupiſcentiæ delectatione, eamque ſubindè non vincat ac ſuperet, illam tamen vincere poteſt datque voluntati creatæ veram potentiam ſuperandi oppoſitam concupiſcentiam. Quò fit, ut hæc Gratia (quam *Janſenius* appellat *parvam*) verè appellari poſſit, ajunt Janſeniſtæ, *Gratia ſufficiens in ſenſu Thomiſtico*, quia dat potentiam benè agendi, quamvis non faciat, ut benè agamus, & oppoſitam ſuperemus concupiſcentiæ delectationem relativè victricem.

Hac poſita utriuſque Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ diſtinctione, dicunt *Janſenii* Diſcipuli, Chriſtum per mortem ſuam non promeruiſſe quidem reprobis gratias relativè victrices, quæ ſuperant omnem concupiſcentiæ delectationem (has quippe gratias Chriſtus per mortem ſuam ſolis (ajunt) promeruit, præparavit, & largitur Prædeſtinatis, qui ſalutem æternam infallibiliter conſequuntur) promeritum tamen eſſe Chriſtum per mortem ſuam reprobis gratias illas, quas *Janſenius* appellat *parvas*, & quæ dici poſſunt (ut ajunt Janſeniani *Gratiæ*) *ſufficientes in ſenſu Thomiſtico*, quia iſtæ gratiæ *parvæ* dant veram potentiam vincendi oppoſitam concupiſcentiam, quamvis illam non vincant.

Hoc eſt alterum *Janſenii* diſcipulorum effugium, ex quo facilè exturbari poſſunt pluribus momentis quæ in meis ſuperioribus Epiſtolis latè expoſui, & quæ hic indicare abundè ſufficiet.

Oſtendi enim primò, nullas à *Janſenio* admitti in ſtatu naturæ lapſæ gratias verè ſufficientes à gratiis efficacibus diſtinctas, quæ dent completam, proximam & expeditam agendi potentiam; quia *Janſenius* tantùm agnoſcit in ſtatu naturæ lapſæ gratias, quæ ſunt ex natura ſua efficaces quæq; omnem effectum, ad quem à Deo dantur, obtinent. Secundò demonſtravi, gratias illas quas *Janſenius* appellat *parvas*, non eſſe verè *ſufficientes*, quia Gratia verè *ſufficiens* conferre debet homini completam, proximam, expeditam, ac relativam potentiam vincendi quamcumque oppoſitam concupiſcentiam; porrò, illæ gratiæ, quas in ſtatu naturæ lapſæ *Janſenius* admittit & appellat *parvas*, non tribuunt homini completam, proximam, expeditam & relativam potentiam ſuperandi oppoſitam concupiſcentiam relativè victricem, quia illæ gratiæ *parvæ* (juxta doctrinam *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum) cùm ſint in gradibus cœleſtis delectationis minores, debiliores, & inferiores gradibus terrenæ concupiſcentiæ delectationis, quæ in peccatore eſt relativè victrix, neceſſariò cedere debent oppoſitæ concupiſcentiæ, quæ eſt relativè victrix, quia juxtà *Janſenium*, minor & debilior cœleſtis delectatio, majori & ardentiori concupiſcentiæ delectationi neceſſariò cedere debet, quò fit, ut iſtæ gratiæ, quas *Janſenius* vocat *parvas*, oppoſitæ concupiſcentiæ, quæ ſuperior eſt, & relativè victrix, inſuperabili & ineluctabili vinculo ligatæ & impeditæ, non conferant peccatori, vel juſto, qui cadit, veram, proximam, completam, expeditam, & relativam potentiam ſuperandi oppoſitam concupiſcentiam. quæ ſuperior eſt & relativè victrix, ſubindèque non poſſint ullo pacto appellari *Gratiæ ſufficientes in ſenſu Thomiſtico*, quia (ſicut ſæpiùs dixi) Thomiſtæ negant, eam gratiam verè eſſe *ſufficientem*, quæ, ſecundùm ſe præcisè ſpectata, dat potentiam dumtaxàt abſolutam, & abſtractam à circumſtantiis ſubjecti, ſeu à concupiſcentiæ gradibus, qui ſunt in ſubjecto (hæc enim notio eſt Gratiæ, quam *Janſenius* appellat *parvam*, quamque nunc ejus diſcipuli perperàm vocitant *ſufficientem*, quamq; repudiat tota Schola Thomiſtica) dicunt autem omnes Thomiſtæ, eam Gratiam eſſe ſolùm verè *ſufficientem*, quæ homini impertitur proximam, completam, & expeditam & relativam potentiam vincendi quamcumque oppoſitam vehementem & ardentem concupiſcentiam, tametſi ad illam reipſa vincendam ac ſuperandam opus neceſſariò habeat gratia per ſe efficaci, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quæ videlicèt à Gratia ſufficienti ſit ex ſui entitate, ſeu ex natura ſua omninò diſtincta.

Cùm igitur Gratiæ illæ, quas *Janſenius* appellat *parvas*, quaſque reprobis à Deo ait tantùm concedi, non ſint verè ſufficientes in ſenſu Thomiſtico, ſequitur primò, *Janſenii* diſcipulos falli, & fallere velle, dum dicunt, ſe quidem non admittere auxilia ſufficientia dari reprobis in ſenſu vel Semipelagiano, vel Pelagiano, vel Moliniano, intellecta, ſed non negare, Deum largiri reprobis auxilia ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint, modò auxilia ſufficientia in ſenſu Thomiſtico accipiantur. Hoc enim oppidò falſum eſſe ſat copioſè probavi in meis ſuperioribus Epiſtolis, in quibus luculentiſſimè oſtendi, *Janſenium*, ipſiuſque diſcipulos, juxta intima doctrinæ ſuæ principia, nullum in ſtatu naturæ lapſæ agnoſcere auxilium, quod ſit verè ſufficiens in ſenſu Thomiſtico.

Sequitur ſecundò (juxtà *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum doctrinam) Chriſtum, qui confert dumtaxàt reprobis, gratias illas, quas *parvas* vocant, quæque, ut dixi, non ſunt verè *ſufficientes*, non præparaſſe reprobis per mortem ſuam auxilia verè ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint, proindèque Chriſtum pro æterna reproborum ſalute non mortuum eſſe, nec pretium ſanguinis ſui Patri ſuo ſincera voluntate obtuliſſe, ut illis prodeſſet ad ſalutem æternam.

VI. Hoc igitur ſecundùm effugium, in quo tutò pedem figere non poſſunt, deſerere coacti Diſcipuli *Janſenii*, tertium quærunt, & capiunt effugium, clamitantque, ſe lubentiſſimè cum Tho-

mi-

Google

miſtis fateriac docere, Chriſtu ſpro omnibus omninò hominibus, etiam reprobis, mortuum eſſe *voluntate antecedenti*; quamvis pro ſolis Electis ac Prædeſtinatis, qui infallibiliter ſalutem æternam conſequentur mortuus ſit *voluntate conſequenti*, hancque eſſe germanam *Ianſenii* mentem fidenter pronunciant.

Sed ab hoc tertio munimento diſcipulos *Ianſenii* extrudere proclive eſt. Primò, quia Janſeniſtæ, ſectantes doctrinam, quam *Ianſenius* lib. 3. *De Gratia Salvatoris* c. 20 latè exponit, pertendunt, ſinceram voluntatem Dei antecedentem de ſalute omnium hominum locum dumtaxàt habuiſſe in ſtatu naturæ innocentis, hoc eſt, ante peccatum Adami; Poſt verò peccatum Adami, docent cum *Ianſenio*, ſolam voluntatem Dei conſequentem de ſalute æterna tantummodò Prædeſtinatorum pertinere ad ſtatum naturæ lapſæ, ità ut in hoc præſenti ſtatu voluntas antecedens de ſalute omnium hominum non ſit propriè & formaliter in Deo, nec ſit voluntas ſincera, & beneplaciti ſalvandi omnes omninò homines, eiſque præparandi auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint, ſed ſit dumtaxàt voluntas impropriè dicta, voluntas *ſigni*, voluntas *metaphorica*, quæ *in ſola præciſione mentis conſiſtit*, *ſeu in nuda, & ſterili Dei velleitate*, *nihil gratiæ cauſante*, ſicut mentem ſuam clariſſimè exprimit *Ianſenius* loco mox à me laudato.

Hac autem ſemel facta utriuſque divinæ voluntatis *Antecedentis* & *conſequentis* de ſalute hominum diſtinctione, ſic auxilia itidèm Dei *Ianſenii* diſcipuli dividunt, ut auxilia ſufficientia, in ſenſu Moliniano intellecta, pertineant tantùm ad ſtatum naturæ innocentis, excluſis prorſus ac penitùs eliminatis ab eo feliciſſimo ſtatu auxiliis per ſe & ab intrinſeco efficacibus, & verſa vice, ad ſtatum naturæ lapſæ pertineant tantùm auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, ablegatis omninò ab eo ſtatu auxiliis verè ſufficientibus, tam in ſenſu Moliniano, quàm in ſenſu Thomiſtico intellectis. Hinc *Ianſenii* diſcipuli cùm negent, Deum, poſt peccatum Adami, habere veram & ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, eiſque præparandi auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint, & cùm etiam velint ad præſentem naturæ lapſæ ſtatum pertinere tantùm voluntatem Dei conſequentem (quæ, ut docent omnes Theologi, ſemper impletur) ſalvandi Electos ac Prædeſtinatos; neceſſe prorsùs eſt, ſi conſtare ſibi, ſuiſque principiis ſtare velint, ut dicant, Chriſtum non habuiſſe, poſt lapſum Adami, veram, ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi reprobos, nec pro illis mortuum eſſe, nec ſanguinis ſui pretium Patri ſuo obtuliſſe, ut illis ad æternam ſalutem prodeſſet, nec denique eis præparaſſe auxilia verè ſufficientia, quibus ſalutem æternam conſequi poſſent.

In hoc errore verſari *Ianſenium*, ejuſque diſcipulos patet ex libris, quibus totum orbem innundarunt, in quibus ſic argumentari ſolent: *Si Deus* (inquiunt) *vellet omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ ſalvos facere, omnes re ipſa ſalvi fierent. Omnia enim, quæcumque vult Deus, in Cælo & in Terra fecit, nec eſt qui poſſit ejus reſiſtere voluntati: Atquì certum eſt reprobos damnari, igitur Deus non vult omnes homines ſalvare*. Hoc autem *Janſenii*, eiuſque diſcipulorum argumentum manifeſtò ſupponit, Deum, poſt lapſum Adami, non habere generalem, veram & ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes omninò homines, ſed tantùm habere voluntatem conſequentem, ſeu efficacem, ſalvandi ſolos Electos ac Prædeſtinatos, qui infallibiliter æternam ſalutem conſequentur. Hinc (ut appoſitè obſervat *Stephanus De Champs*, Soc. Jeſu Scriptor, in libro, quem edidit *de Ianſeniana Hæreſi*) ipſimet Hæretici Calviniſtæ, qui negant, Deum habere generalem, ſeu antecedentem voluntatem veram ac ſinceram ſalvandi omnes homines, & pertendunt, Deum habere dumtaxàt voluntatem conſequentem, ſeu efficacem, ſalvandi Electos ac prædeſtinatos, hinc, inquam, Hæretici Calviniani eodem prorsùs argumento, ad ſui erroris confirmationem, utuntur; vide-

videlicet *Theodorus Beza* in Colloquio Mompelgartenſi, *Hieronymus Zanchius* cap. 5. lib. *De Prædeſtinatione*, Andreas Vvilletus in *Synopſi Papiſmi*, lib. *De Præparatione generis humani* pag. 145.

Hunc autem errorem, quem *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli communem habent cum Calvinianis, diris devovent omnes Thomiſtæ, quippe qui (ſicut ſæpiùs dixi) docent primò, Chriſtum voluntate ſpeciali, ſeu voluntate conſequenti & efficaci mortuum eſſe pro electis & Prædeſtinatis, eiſque præparaſſe auxilia per ſe efficacia, quibus adjuti ad ſalutem æternam certiſſimè pervenient. Secundò, docent omnes Thomiſtæ, Chriſtum ſincera voluntate antecedenti pro omnibus omninò hominibus, etiam reprobis, mortuum eſſe, illiſque præparaſſe auxilia verè ſufficientia, quibus ad æternam ſalutem pervenire poſſint. Denique docent Thomiſtæ, auxilia verè ſufficientia, quæ Chriſtus per mortem ſuam præparavit reprobis, eſſe ex natura ſua prorſus diſtincta ab auxiliis per ſe efficacibus, atque reprobos per illa auxilia ſufficientia (modò eorum receptioni ex malitia ſua obicem non ponant) percipere veram, proximam & expeditam potentiam è peccato emergendi, oppoſitam vincendi concupiſcentiam, & æternam ſalutem conſequendi, quamvis tamen auxiliis per ſe efficacibus (in ſenſu Thomiſtico intellectis) ſua culpa privati, nec è peccatis emergent, nec oppoſitam concupiſcentiam vincent, nec æternam ſalutem unquàm conſequentur.

Hæc catholica Thomiſtarum doctrina quàm lato diſcrimine diſtet à *Ianſenii* doctrina, quam Eccleſia in quinta ejus Propoſitione damnavit, nemo eſt qui ſtatim non videat. Qua fronte ergò *Ianſenii* diſcipuli, ut ſeſe è Cenſuris Eccleſiæ eximere poſſint, audent Thomiſtarum pallio ſe tegere, cùm tamen, conſtet *Ianſenianos*, dùm liberè loquuntur, ſive in privatis Colloquiis, ſive in Epiſtolis, quas ad Amicos ultrò citròque miſſitant (quarum multas *Livinus de Meyer*, Soc. Jeſu, ſub aſcititio *Theodori Eleutheri* nomine latens ſuæ in *Hiſtoriam Congregationum De Auxiliis* Præfationi inſeruit) traducere ac ſuggillare tam notionem Gratiæ ſufficientis, in ſenſu Thomiſtico intellectæ, quàm doctrinam totius Scholæ Thomiſticæ quæ in Deo (etiam poſt peccatum Adami) admittit veram, ſeriam, & ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes omninò homines, eiſque præparandi auxilia verè ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quibus poſſint conſequi ſalutem æternam. Legeſis etiam ſuper eadem re Eminentiſſimi *Ioſephi de Aguirre Diſputationes Selectas de multorum Belgarum, præcipuè Lovanienſium Ianſeniſmo in genere & ſpecie, cum Additionibus F. De Claireau*, Coloniæ Agrippinæ anno 1692. Plura non dicam, quia hæc abundè ſufficiunt, ad præcludendum Janſenianis hoc effugium, quo Cenſuram, a b Eccleſia in hanc quintam Propoſitionem *Ianſenii* latam, declinare fruſtrà conantur.

VII. Denique, conſultò prætermitto quartum effugium, quo *Ianſenii* diſcipuli putant, ſeſe expedire poſſe ex his omnibus Scripturæ Sacræ locis, quæ in ſuperiori mea Epiſtola adduxi, quæque apertè innuunt, Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, etiam pro reprobis, qui non ſalvantur. Hæc enim Scripturæ Sacræ loca diſcipuli *Ianſenii* in perverſum ſuum ſenſum detorquere moliuntur, dictitantque, ea eſſe intelligenda de *ſolis electis*, ſeu Prædeſtinatis; vel *de omnibus Chriſtianis*, ad quos ſaltèm gratia baptiſmi, & aliæ plerùmque etiam gratiæ (ſed *temporales* tantùm) ex Paſſione Chriſti promanant; vel denique, ſi ea Scripturæ Sacræ loca, quæ ſpectant mortem Chriſti ad omnium æternam ſalutem extenderis, illa intelligenda eſſe dicunt non *pro ſingulis generum*, ſed *pro generibus ſingulorum*, ita ut ſenſus ſit, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute hominum ex omni gente, populo, natione; Chriſtum tamen non eſſe mortuum pro ſalute omnium in individuo hominum, qui ſunt apud diverſas gentes, & populos & nationes.

Hoc, inquam, quartum *Ianſenii* diſcipulorum effugium conſultò in præſentia prætermitto, quia illud in præcedenti mea Epiſtola in anteceſſum occupavi, com-

by Google

commonſtrando, hæc Scripturæ Sacræ loca, quæ hìc laudavi, apertè probare, Chriſtum non tantùm eſſe mortuum pro *generibus ſingulorum*, ideſt, pro æterna ſalute Electorum ac Prædeſtinatorum, ſed etiam mortuum eſſe, ſinceraque voluntate ſanguinem ſuum fudiſſe *pro ſingulis generum*, hoc eſt, pro æterna ſalute omnium omninò hominum.

Addam dumtaxàt hìc unum Scripturæ Sacræ, quod mihi exciderat, luculentiſſimum teſtimonium petitum ex c. 23. v. 27. *Matthæi*, ubi Chriſtus Infauſtam Urbis Hieruſalem ſortem lugendo, ait: *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Quibus verbis Chriſtus (qui eſt increata veritas, & fallere non poteſt) palàm teſtatur, ſe vera ac ſincera voluntate velle ſalvare eos, qui non ſalvantur, quia propria malitia & obſtinatione ſua, ſalvari nolunt; ergo Chriſtus non pro ſolis electis & Prædeſtinatis, qui ſalutem æternam certiſſimè conſequentur, mortuus eſt, & ſanguinem ſuum fudit, ſed etiam mortem oppetiit Chriſtus pro æterna ſalute reproborum, qui tamen non ſalvi fient, quia ſalvari noluerunt, & ex propria malitia, cupiditate ac culpa ſua reſtiterunt, & obicem poſuerunt auxiliis verè ſufficientibus, quæ Chriſtus per mortem ſuam eis præparavit, & quibus ad ſalutem æternam poterant pervenire.

VIII. Dico tertiò: *Janſenium, ejuſque diſcipulos, qui negant, eſſe in Deo, poſt Adami peccatum, veram & ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes omninò homines, eiſque præparandi auxilia verè ſufficientia (in ſenſu Scholæ Thomiſticæ intellecta) quibus ſalutem æternam conſequi poſſint, toto Cœlo diſtare à doctrina Sanctorum Auguſtini, & Thomæ.*

Quàm plura *S. Auguſtini* teſtimonia, quibus palàm evincitur, Aquilinum illum Doctorem firmiter (juxtà antiquam SS. Patrum Traditionem, & perpetuam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam) ſtatuiſſe, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omninò hominibus, memini me laudaſſe in ſuperiori, quam ad te ſcripſi, Epiſtola. Verùm, quia *Janſenius*, ejuſque diſcipuli aſſerunt, nec *S. Auguſtinum*, nèc *S. Thomam*, ejuſque fideliſſimum diſcipulum, admiſiſſe in Deo (poſt lapſum Adami) veram, ſeriam, ac ſinceram voluntatem, generalem (quam Theologi vocant Antecedentem) ſalvandi omnes omninò homines, nec eis præparaſſe auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint; non abs re facturum me eſſe exiſtimo, ſi hìc perſpicuè oſtendam, hunc *Janſenii*, ejuſque Diſcipulorum errorem ab utroque Eccleſiæ Doctore fuiſſe præfocatum ac prædamnatum.

At enim Primò, *S. Auguſtinus* non ſolùm agnovit in ſtatu naturæ lapſæ veram eſſe in Deo ac ſinceram voluntatem ſalvandi omnes omninò homines, ſed etiam disertè docet, Deum per illam voluntatem ſinceram ac generalem, quam Deus habet ſalvandi omnes homines, quamque Theologi appellant *Antecedentem*, ſingulis hominibus (quantùm in ipſo eſt) præparare & offerre auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint. Sic enim S. ille Doctor Tractatu I. in *Joannem* hæc iſtius Evangeliſtæ verba, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*, hunc in modum interpretatur: *Ergò, quemmodò homo poſitus in Sole cæcus, præſens eſt illi Sol; ſed ipſe Soli abſens eſt. ſic omnis ſtultus, omnis iniquus, ſic omnis impius cæcus eſt in corde, præſens eſt illi ſapientia, ſed cum cæco præſens eſt, oculis ejus abſens eſt.* Quibus verbis apertè innuit *Sanctus Auguſtinus*, Deum, inſtar Solis, omnibus & ſingulis hominibus divinæ ſuæ gratiæ radios affundere & offerre, ſed illos dumtaxàt gratiæ luce privari, qui vel ſaucios, vel impeditos cordis oculos habent, & rebelles ſunt lumini: Ergò ex *S. Auguſtino* Deus offert & præparat per ſinceram voluntatem generalem omnibus omninò hominibus in ſtatu naturæ lapſæ auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſunt, & quibus tamen propria ſua malitia reſiſtentes, eiſque ſua culpa impedimenta liberè apponentes, æternam ſalutem non conſequentur.

His ſimilia habet *S. Auguſtinus* Tracta-

tu 1. in *Joannem*, ubi explicando hæc iſtius Evangeliſtæ verba ; *illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, ait : *Opus eſt , ut tu non recedas, & non deſereris . Noli cadere , & non tibi occidet . Si tu feceris caſum, ille tibi faciet occaſum ; ſi tu autem ſtas , præſens eſt tibi ..... Si malo non conſentires , ſtares , illuminatus maneres .* Prætereà , *S. Auguſtinus* mentem ſuam ſuper hac re clariùs aperit *Enarratione* in Pſalmum 102. ibi quippè hæc Vatis Regii verba exponens : *Miſerator , & miſericors Dominus , longanimis & multæ miſericordiæ* , ea ſic interpretatur : *Quid tam longanimum ? quid tam multum in miſericordia ? peccatur & vivitur ; accedunt peccata , augetur vita ; Blaſphematur quotidiè , & facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos . Vocat undique ad correctionem , vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ , vocat impertiens tempus vivendi , vocat per Lectorem , vocat per tractatorem , vocat per intimam cogitationem , vocat per flagellum correptionis , vocat per miſericordiam conſolationis . Longanimis & multæ miſericordiæ . Sed obſerva , ne longitudine miſericordiæ Dei malè utendo , tu tibi theſaurizes , quod ait Apoſtolus : An divitias benignitatis ejus contemnis ?*

Denique (ut aliis *S. Auguſtini* teſtimoniis , quæ eodem collimant , referendis ſuperſedeam) hoc unum dumtaxàt adjiciam , petitum ex cap. 10 lib. 3 *De Libero Arbitrio*, & ex c. 64 lib. *De Natura & Gratia* , ubi Sanctus Doctor mentem ſuam his verbis clariſſimè promit : *Rectè fortaſsè quererentur* (peccatores) *ſi erroris & libidinis nullus hominum victor exiſteret ; cum verò ubique ſit præſens* (Deus) *qui multis modis per creaturam, ſibi Domino ſervientem , averſum vocet, doceat credentem , conſoletur ſperantem , diligentem adhortetur ; conantem adjuvet , exaudiat deprecantem , non tibi deputatur ad culpam , quod invitus ignoras, neque illud , quod vulnerata membra non colligis , ſed quod volentem ſanare contemnis : iſta tua peccata ſunt . Nulli enim homini ablatum eſt ſcire utilitèr quæri quod inutilitèr ignoratur .*

Ex quibus verbis ſic argumentor : Docet *S. Auguſtinus* , nullam peccatoribus ſuppetere cauſam querendi contrà Deum , quòd non benè operentur , non abſtineant à peccatis , & æternam ſalutem non conſequantur . quia (inquit Aquilinus ille Doctor) *Deus ubique eſt præſens* , qui Gratias actuales ſingulis peccatoribus præparat & offert , quibus ad æternam ſalutem pervenire poſſint , atque peccata vitare ; Atqui , ſi *S. Auguſtinus* per illas gratias actuales , quas ait à Deo præparari , & offerri peccatoribus, non intellexiſſet Gratias verè ſufficientes , in ſenſu Thomiſtico intellectas , quæ videlicet dant veram , completam , proximam , & expeditam potentiam benè operandi , & perveniendi ad ſalutem æternam ; ſed per illas Gratias actuales S ille Doctor intellexiſſet Gratias quas *Janſenius* appellat *parvas* , quæque (ipſomet fatente *Janſenio*) non dant veram , proximam , completam , & expeditam potentiam benè operandi , abſtinendi à peccatis , & conſequendi ſalutem æternam ; certè *S. Auguſtinus* non ſatisfaceret huic peccatorum querimoniæ . Poſſent quippè peccatores reſpondere , ſe juſtè conqueri , quia Deus eis dumtaxat impertiret Gratias illas , *parvas* , quæ non ſunt verè ſufficientes, quia non dant veram , proximam , completam & expeditam potentiam benè operandi . peccata vitandi , & aſſequendi ſalutem æternam , ita ut prorsùs impoſſibile ſit ut, Gratiis illis *parvis* quantumvis adjuti . conſequi unquam poſſint ſalutem æternam . Vult igitur *S. Auguſtinus* , peccatores contra Deum obmurmurare , & queri haud poſſe , quia Deus eis confert , vel ſaltèm offert ac præparat Gratias verè ſufficientes , quibus ſalutem æternam aſſequi poſſint , ſed quibus ipſi aut propria malitia reſiſtentes, aut earum receptioni obicem ponentes , ſibi æternam damnationem accerſunt .

IX. Hanc eſſe veram ac germanam *S. Auguſtini* doctrinam aſſerit , eamque ſuis in Operibus egregiè defendit *S. Thomas*, fidiſſimus Aquilini Doctoris diſcipulus . In primis, inquirit Angelicus ille Doctor in lib. 1. Sent. Diſtinct. 40. Quæſt. 4.

Digitized by Google

Art. 2. *utrùm Deus ſit cauſa obdurationis?* & reſpondet: *Contrà eſt quod dicunt communiter Sancti, Dionyſius, Auguſtinus, & Anſelmus, ſcilicet quod cauſa quarè iſte non habeat gratiam, eſt quia noluit accipere, & non quia Deus non vult dare, quia lumen ſuum omnibus offert, quod lumen ab omnibus non percipitur, ſicut lumen Solis à cæco*. Igitur, juxta S. Thomam, docet S. Auguſtinus, Deum velle ſincera & generali voluntate ſalutem omnium hominum, eiſque præparare & offerre auxilia verè ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſunt; ſed quibus propria malitia reluctantes, vel pertinaciter ea recipere detrectantes, ſalute æterna (ad quam ope illorum auxiliorum verè ſufficientium pervenire poſſent) culpa ſua non potiuntur.

Prætereà, S. Thomas 1. Part Quæſt. 19. Art 6. Et in lib 1. Sent. Diſtinct. 46. Quæſt 1. Art 1. & Quæſt. 23. de Veritate Art. 2. aliiſque in locis, diſtinguit cum S. *Damaſceno* (lib 2. *De Fide Ortodoxa* cap. 29.) voluntatem Dei de ſalute hominum in *Antecedentem* & *conſequentem*, & docet, Deum velle omnes homines ſalvos fieri *voluntate Antecedenti*, ſed *voluntate conſequenti* & efficaci velle ſalutem Prædeſtinatorum, qui certiſſimè & infallibilitèr ſalvi fient. Utramque autem de ſalute hominum voluntatem, videlicèt *Antecedentem* de ſalute reproborum, quæ non impletur; & *Conſequentem* de ſalute Prædeſtinatorum, quæ ſemper impletur, eſſe proprié ac formalitèr in Deo, ſubindéque utramque Dei voluntatem de ſalute hominum eſſe *beneplaciti*, ideſt, veram ac ſinceram, ibidèm probat Angelicus Doctor.

A qua S. *Thomæ* doctrina apertè diſcedunt *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, qui pertendunt, voluntatem anteccedentem, quam Deus habet de ſalute omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ, non eſſe veram ac ſinceram voluntatem, quæ ſit reipſa & formaliter in Deo, ſed eſſe duntaxàt voluntatem *ſigni*, & *velleitatem* quandam; indéque inferunt, locutiones illas quę paſſim extant in Sacris Literis, de voluntate Dei ſalvandi omnes homines, eſſe metaphoricas, figuratas, & tropicas, eo videlicet modo, quo Scriptura Sacra Deo quandoque tribuit caput, brachia, pedes, iram, pænitentiam &c.

Hunc autem *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum errorem præfocavit in antecellum S. *Thomas*, tum quia, ut mox dixi, Angelicus ille præceptor conceptis verbis docet, voluntatem antecedentem, quam Deus habet de ſalute omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ eſſe veram & ſinceram voluntatem beneplaciti: Tum quia S. Doctor aſſerit ex voluntate antecedenti, quam Deus habet de ſalute omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ, promanare auxilia verè ſufficientia, quibus reprobi æternam ſalutem conſequi poſſunt: *Antecedentis voluntatis effectu* (inquit S. *Thomas* in 1. lib Sent. Diſtinct. 46. Quæſt 1. Art. 1.) *eſt ipſe ordo in finem ſalutis, & promoventia in finem, omnibus communitèr propoſita tam naturalia, quàm gratuita*. Et 3. Part. Quæſt 49 Art 3. ad 2. ait, omnibus hominibus per Paſſionem Chriſti ſemper paratum eſſe remedium, quo ſe ſe tueantur contra nequitias Dæmonum: *Dicendum*, inquit, *quòd Deus permittit diabolo poſſe decipere homines in certis perſonis, temporibus, & locis, ſecundùm occultam rationem judiciorum ſuorum. Semper tamen per Paſſionem Chriſti eſt paratum hominibus remedium ſe tuendi, contra nequitias Demonum etiam tempore Antichriſti: ſed ſi aliqui hoc remedio uti negligant, nihil deperit efficaciæ Paſſionis Chriſti*.

Ex quibus S. *Thomæ* teſtimoniis duo conficio argumenta. Primùm iſtud eſt: Chriſtus per Paſſionem ſuam (ſicut docet S. *Thomas*) præparavit omnibus hominibus remedium, ſeu auxilium verè ſufficiens, quo ſe tueri poſſint adversùs nequitias Dæmonum, etiam tempore Antichriſti, ergò Chriſtus vera ac ſincera voluntate Antecedenti mortuus eſt pro omnibus omninò hominibus, eiſque promeritus eſt auxilia verè ſufficientia, quibus poſſint æternam ſalutem conſequi quibus ſi malè utantur, nihil deperit efficaciæ Paſſionis Chriſti.

Alterum argumentum ſic propono: hæc

vo-

voluntas, quæ attenditur ſecundùm quod res ipſæ diſponuntur in Deo; & non ſolùm ſecundùm exteriorem ſignificationem, verè eſt & formaliter in Deo; atqui, juxtà *S. Thomam*, voluntas antecedens de ſalute omnium hominum attenditur ſecundùm quod res ipſæ diſponuntur interiùs in Deo, & non tantùm ſecundùm exteriorem ſignificationem, quia Deus per illam voluntatem interiùs ordinat omnes homines ad æternam ſalutem, tametſi, attenta naturæ humanæ defectibilitate, permittere velit, ut aliqui ab eo ordine excidant. Voluntate igitur antecedenti, quæ vera eſt ac ſincera, quæque formaliter extat in Deo, vult Deus ſalutem omnium omninò hominum, non tamen voluntate conſequente, quia non vult Deus in omnibus hominibus impedire defectus, quos multi apponet, ſed illos, tanquam proviſor univerſalis permittere vult; atque ſuppoſita illa permiſſione, propter defectus ab eis apponendos, vult Deus voluntate conſequente ut aliqui excludantur à gloria.

Hæc momenta, quæ hactenùs ex Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma* adduxi, ſi quis, abdicatis omnibus præjudiciis, expendere haud gravetur, facili negotio intelliget, *Janſenium*, ejuſque diſcipulos, negantes, Deum habere veram ac ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, eiſque præparandi auxilia verè ſufficientia (ſicut Schola Thomiſtica docet) quibus ſalutem æternam conſequi poſſint; longè latèque diſcrepare à genuina SS. illorum Patrum doctrina, ſubindèque illorum patrocinio perperam gloriari.

X. Dico quarto: *Thomiſtarum doctrinam de voluntate antecedenti, qua Chriſtus pro ſalute omnium omnino hominum mortuus eſt, eiſque præparavit auxilia ſufficientia, quibus æternam ſalutem conſequi poſſint, eſſe exactam ac veram SS. Auguſtini, & Thomæ mentem (quam mox expoſui) proindèque falſo Janſenii diſcipulos ſibi hac in re Thomiſtas adſciſcere patronos.*

Hujus Aſſertionis veritatem apertè probant omnes cùm veterum, tùm recentiorum Thomiſtarum libri, qui hactenùs in lucem prodierunt; in quibus illi Theologi, avitæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinæ retinendæ tenaces, docent cum illis Sanctis Doctoribus primò, Deum habere veram ac ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes omnino homines; non ſolùm eos, in ſe ipſis conſiderando, quatenùs creaturæ ſunt ad imaginem Dei conditæ, facta præciſione peccatis originalis, vel abſtrahendo à peccati, & ardentioris cupiditatis ſtatu, in quo nunc ſunt poſt peccatum Adami; ſed etiam docent, Deum habere veram ac ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes omninò homines, conſiderando illos poſt peccatum originale, & ut revera ſunt modò omnes, in ſtatu naturæ lapſæ, hoc eſt in ſtatu peccati, & ardentioris cupiditatis.

Hanc autem doctrinam, quam ex Sanctis *Auguſtino*, & *Thoma* hauſerunt, probant Thomiſtæ hoc potiſſimùm Apoſtoli *Pauli* teſtimonio, deprompto ex capite 2. ipſius Epiſt. I. ad *Timotheum*, ubi hæc habet: *Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate conſtituti ſunt....... Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Ex quibus Apoſtoli verbis ſic Thomiſtæ argumentantur primò: Apoſtolus *Paulus* præcipit, ut pro omnibus omninò hominibus ad Deum fundantur preces, quia *Deus vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, atqui illi, pro quibus Apoſtolus jubet, ut Deo fiant orationes & obſecrationes, erant in ſtatu naturæ lapſæ, immò erant Principes Reges, & Imperatores, qui in tenebris Idololatriæ immerſi Eccleſiam Chriſti atrocitèr perſequebantur, & ira ac furore percitì in eam, & in adorandum Jeſu Chriſti nomen exardeſcentes, mortui ſunt, ſicut conſtat de *Nerone* impio, & crudeli

deli, quo imperante, Martyrium paſſus eſt Apoſtolus *Paulus*: Ergò Chriſtus (ex Apoſtolo *Paulo*) vult voluntate antecedenti ſalvare omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, eos videlicet conſiderando in ſtatu peccati originalis, & ardentioris concupiſcentiæ, immò in ſtatu infidelitatis, ſeu Idololatriæ.

Prætereà, ſic argumentantur Thomiſtæ: Chriſtus (ut teſtatur Apoſtolus *Paulus*) eſt *Mediator Dei & hominum, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, atqui dogma Fidei eſt, Chriſtum eſſe Mediatorem omnium, qui ſunt in ſtatu naturæ lapſæ, ergò ex Apoſtolo *Paulo* Chriſtus redemptionem ſemetipſum dedit, hoc eſt, mortuus eſt, ſummque pretioſum Sanguinem fudit pro omnibus omninò hominibus, qui ſunt in ſtatu naturæ lapſæ, & peccatum originale contraxerunt.

XI. Ab hac Catholica omnium Thomiſtarum doctrina quàm longiſſimè diſcedunt, *Janſenius*, ejuſque diſcipuli. *Janſenius*, quippè (lib. 3. De Gratia Salvatoris cap. 20. verſus finem) totis lacertis & ingenii ſui viribus propugnat, Deum voluntate *Antecedenti* velle omnes homines ſalvos fieri, ſi nimirùm homines conſiderentur, prout erant in ſtatu innocentiæ, ſeu ante peccatum Adami; at negat ibidem & pernegat *Janſenius*, Deum vera ac ſincera voluntate antecedenti velle omnes homines ſalvos fieri, ſi conſiderentur homines ut nunc ſunt in ſtatu naturæ lapſæ, hoc eſt, poſt Adami lapſum, vel poſt prævisionem peccati originalis. Sic enim *Janſenius* loco mox à me laudato mentem ſuam diſertiſſimè prodit: *Suſtinet Damaſcenus* (ſunt ipſiſſima verba Janſenii) *voluntatem antecedentem, quam Deus ex ſe concepit, quandò humanum genus inſtituit, quæque omnia peccata hominum anteceſſit, fuiſſe bonitatis, ut homo gratiæ, felicitatiſque particeps fieret ..... Sed talis antecedens voluntas, quamdiù res ſine acceſſoriis circumſtantiis conſideratur, aliquid ad cauſandam gratiam ſufficientem, aliaque media neceſſaria procurandæ ſalutis facit; utpotè ex qua primorum hominum* (hoc eſt, in ſtatu *naturæ innocentis*) *gratia ſufficiens fluxit. Sed poſtquàm peccata jam ab hominibus inducta conſiderantur, voluntas antecedens in ſola præciſione mentis, adeoque nuda quadam velleitate nihil omninò gratiæ cauſante conſiſtere poteſt. Quod ex eo manifeſtiſſimè patet, quia talem antecedentem voluntatem etiam erga damnatas creaturas ſive Hominum, ſive Angelorum, Deus habet. Quâ non obſtante, ſicut poteſt conſequenti voluntate juſtitiæ Angelos omni gratia ſufficiente & ſalute ſpoliare, excæcare, obdurare, damnare; ita non obſtante eadem antecedenti voluntate, quibuſdam hominibus, originali labe damnatis, conſequente voluntate juſtitiæ, gratiam ſufficientem, Fidem, juſtitiam, ſalutem, felicitatemque negare poteſt, eoſque nolle ſalvos fieri.*

Ex his *Janſenii* verbis plura colligi poſſunt diſcrimina, queis ipſius doctrina damnata ab Eccleſia immenſo intervallo diſtat à Catholica Thomiſtarum doctrina de Voluntate Dei antecedente ſalvandi omnes homines. In primis, ait *Janſenius*, Voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines locum habuiſſe dumtaxat in ſtatu innocentiæ, & ante prævisionem peccati originalis. Thomiſtæ verò dicunt, Deum non tantùm habuiſſe voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines antè peccatum Adami, ſeu antè prævisionem peccati originalis, verùm etiam Deum habere veram & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, hoc eſt, poſt peccatum Adami, & poſt prævisionem peccati originalis.

Deindè, aſſerit *Janſenius*, ex hac voluntate antecedenti ſalvandi omnes homines, quam pertendit, Deum habuiſſe tantùm ante peccatum Adami, ſeu ante prævisionem peccati originalis, aſſerit, inquam, *Janſenius*, ex hac voluntate Dei antecedenti profluxiſſe gratias *ſufficientes*, datas protoparentibus noſtris in ſtatu naturæ innocentis conſtitutis, eaſque gratias docet fuiſſe in ſenſu Moliniano *ſufficientes*, ideſt, verſatiles, indifferentes, & ſubditas libero Adami innocentis arbitrio, ita ut penes Adamum innocentem eſſet,

Gra-

Digitized by Google

Gratiam ſufficientem, ſibi à Deodatam, per ſolum liberum ſuum conſenſum reddere efficacem, ſubindeque in ſe ipſo, & non in Deo, gloriari poſſet de bono uſu gratiæ ſufficientis, ſeu de bona ſua determinatione, per quam ſibi à Deo datam Gratiam ſufficientem reddebat efficacem. Thomiſtæ contrà docent, ex hac voluntate antecedenti (quam Deus habuit ſalvandi omnes homines ante lapſum Adami, ſeu ante prævisionem peccati originalis) promanaſſe in ſtatu naturæ innocentis gratias verè ſufficientes (non quidem in ſenſu Moliniano, verſatiles, indifferentes, & permiſſas, quantùm ad efficaciam, libero Adami innocentis arbitrio) ſed gratias verè ſufficientes in ſenſu Thomiſtico, quæ videlicèt Adamo innocenti conferrent potentiam veram, completam, proximam, & expeditam benè agendi, & perſeverandi in accepta juſtitia, ita ut tamen ad benèagendum, & perſeverandum in bono, opus haberet Adamus innocens gratia per ſe efficaci (non quidem *Salvatoris*, ſeu *medicinali*, qua certè eo in ſtatu innocentiæ non indigebat, utpotè omninò ſanus) ſed gratia *Creatoris* per ſe efficaci Prædeterminatrice, ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis memini me prolixè ſatis contra *Ludovicum Molinam*, & *Cornelium Ianſenium* probaſſe. Hinc Thomiſtæ rectè inferunt, errare *Ianſenium*, dum aſſerit, Adamum in ſtatu innocentiæ potuiſſe in ſe ipſo, & non in Deo, gloriari de bono uſu gratiæ ſufficientis, & de bona ſua determinatione, per quam ſibi à Deo datam gratiam ſufficientem, verſatilem, & indifferentem, reddidiſſet efficacem.

Tertiò affirmat *Ianſenius*, quòd ſi voluntas antecedens ſalvandi omnes homines conſideretur poſt lapſum Adami, ſeu poſt prævisionem peccati originalis, *in ſola præciſione mentis, adeoque in nuda quadam velleitate, nihil omninò gratiæ cauſante, conſiſtit*. Aſt, Thomiſtæ docent, voluntatem antecedentem, quam Deus habet ſalvandi omnes omninò homines, ſi ſpectetur poſt lapſum Adami, ſeu poſt prævisionem peccati originalis, eſſe veram ac ſinceram voluntatem, formaliter in Deo exiſtentem, ex qua prodeunt auxilia verè ſufficientia, quæ in ſenſu Thomiſtico conferunt omnibus hominibus veram, completam, proximam, & expeditam potentiam adimplendi præcepta Dei, vitandi peccata, ſuperandi oppoſitam effrænem concupiſcentiam, & conſequendi ſalutem æternam. Quibus auxiliis ſufficientibus, ex voluntate Dei antecedenti ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ profluentibus, dum impii propria malitia reſiſtunt, non impediunt tamen quin voluntas Dei impleatur, quia (ſicut S. Thomas 1. Parte Quæſtione 19. Art. 6. docet) *cum voluntas Dei ſit univerſalis cauſa omnium rerum, impoſſibile eſt, quòd divina voluntas ſuum effectum non conſequatur. Undè quod recedere videtur à divina voluntate ſecundùm unum ordinem, relabitur in ipſam ſecundùm alium; ſicut peccator, qui quantùm eſt in ſe, recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus juſtitiam punitur.*

Id egregiè confirmat Angelicus ille Doctor Quæſt 23. *De Veritate* Art. 2. ubi hæc habet: *Quia ergò Deus omnes homines propter beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium ſalutem velle; ſed quia quidam ſuæ ſaluti adverſantur, quos ordo ſuæ ſapientiæ ad ſalutem venire non patitur propter eorum defectum, implet in eis alio modo id, quod ad ſuam bonitatem pertinet, ſcilicet eos per ſuam juſtitiam damnans; ut ſic dum a primo ordine divinæ voluntatis deficiunt, in ſecundum relabantur; & dum Dei voluntatem non faciunt, impleatur in eis voluntas Dei.*

Hanc doctrinam certiſſimè *S. Thomas* hauſit ex *S. Auguſtino*, qui in lib. *De Spiritu & Littera* cap. 33 ait: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes juſtiſſimè judicentur: quòd cùm ſit, infideles quidèm contra Dei voluntatem faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; nec idcò tamen eam vincunt, verùm ſe ipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus impleant, experturi in ſuppliciis poteſtatem*

Digitized by Google

tem ejus , cujus in donis miſericordiam contempſerunt. Voluntati itaque Antecedenti , quam Deus habet de ſalute omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ, ſicut & auxiliis ſufficientibus, ex eadem Dei voluntate antecedente promananti bus , reſiſtunt quidèm reprobi (ſicut docent *S. Auguſtinus* , & *S. Thomas*) hoc tamen non fit , niſi quia Dei voluntas id permittit, hoc enim non fieret (inquit *S. Auguſtinus* cap. 100 *En. biridii*) ſi Dei voluntas non fineret; undè miro & ineffabili modo non fit præter voluntatem Dei , quod etiam fit contra ejus voluntatem , & in eo ſenſu intelligi debent Sacræ Litteræ & Sancti Patres, dùm dicunt Voluntatem Dei ſuum ſemper obtinere effectum , Deumque omnia , quæcumque vult , facere in Cælo & in Terra.

XII. Hactenùs quanta fieri potuit brevitate à nobis ea dicta ſunt , ſive ad feriendum & figendum hæreticum ſenſum, in hac quinta *Ianſenii*, Propoſitione ab Eccleſia damnatum , in quem diſcipuli *Ianſenii* , velint nolint , impingunt ; ſive ad præcludenda effugia , quibus *Ianſenii* diſcipuli Cenſuram Eccleſiæ eludere fruſtrà conantur ; ſive denique ad demonſtrandum , quantùm à genuina mente Sanctorum Patrum *Auguſtini* , & *Thomæ* aberrent *Ianſenii* diſcipuli , dùm ad fucum imperitis & incautis faciendum, dictitant , ſe unà cum Thomiſtis admittere voluntatem antecedentem, quam Deus habet ſalvandi omnes omninò homines. Ab his itaque expeditus , nunc illud agendum eſſe puto, ut argumentationes diſcipulorum *Ianſenii* , quam breviſſimè etiam potero , refellam .

In primis ſic argumentantur *Ianſenii* diſcipuli : Chriſtus reſtringit in Sacris Litteris beneficium Paſſionis ſuæ ad ſolos Electos ac Prædeſtinatos , diſertè que teſtatur , ſe mortuum eſſe pro ſolis Prædeſtinatis . Ait enim cap 10 Joannis : *Animam meam pono pro ovibus meis .... Oves meæ vocem meam audiunt , & ego cognoſco eas , & ſequuntur me : & ego vitam æternam do eis.* Per *oves* autem intelligit Chriſtus *Prædeſtinatos*, tùm quia Chriſtus ibidèm dicit , *quòd non peribunt in æternum*: Tum quia etiam , hìc alloquendo Judæos incredulos inquit : *Vos non eſtis ex ovibus meis* : Tum quia denique *Matthæi* cap 25. reprobos vocat *hædos*; igitur ſoli Prædeſtinati *ovium* Chriſti nomine cenſentur , ſubindèque pro ſolis Prædeſtinatis animam poſuit , ſeu mortuus eſt Chriſtus .

Præterea, Chriſtus conceptis verbis aſſerit , ſe oraſſe pro ſolis Prædeſtinatis & non pro aliis , qui ex eorum numero non ſunt . *Non pro Mundo rogo* (inquit cap. 17. v. 9. Joannis) *ſed pro his , quos dediſti mihi , quia tui ſunt* . Denique , Chriſtus cap 26. *Matthæi* dixit diſcipulis ſuis , *Hic eſt ſanguis meus , qui pro vobis , & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Chriſtus igitur non eſt mortuus pro omnibus & ſingulis in individuo hominibus , ſed tantummodò pro multis , ideſt , pro ſolis electis ac Prædeſtinatis .

Hanc eſſe genuinam iſtorum, quę mox laudavi , Scripturæ Sacræ locorum interpretationem , docet *S. Auguſtinus* , (inquiunt *Janſenius* , ejuſque diſcipuli) Aſſerit quippè pluribus in locis S. ille Doctor , quod *Chriſtus rogavit pro ſolis Prædeſtinatis* , quòd *Pater æternus tradidit filium ſuum pro nobis præſcitis , prædeſtinatis , juſtificatis , glorificatis* (Tractatu 45. in Joannem) quòd *non perit unus ex illis pro quibus mortuus eſt Chriſtus* , (Epiſtola 169. aliàs 102) quòd *omnis , qui Chriſti ſanguine redemptus eſt , homo eſt ; non tamen omnis , qui homo eſt , ſanguine Chriſti redemptus eſt*, (lib. 2. de adulterinis conjugiis cap 13) quod *Deus eos , quos ſanguine mediationis redemit , facit deinceps ex malis in æternum bonos* . Demùm , *S. Auguſtinus* (inquiunt *Janſenius* , ejuſque diſcipuli) explicando hunc locum Apoſtoli Pauli cap. 2 Epiſt. primæ ad *Timotheum : Deus vult omnes ſalvos fieri* , tres profert Expoſitiones , quæ ſingulæ probant , Chriſtum pro ſalute dumtaxàt Electorum ac Prædeſtinatorum mortem obiiſſe , ſanguinemque ſuum fudiſſe . Prima Expoſitio *S. Auguſtini* legitur cap. 103. libri *Enchiridii* , ubi ait : *Ita intelligere debemus quod ſcriptum eſt*: Qui vult omnes ſalvos fieri , *tanquam diceretur , nullum hominem fieri ſalvum , niſi quem ſalvum*

vum

Digitized by Google

vum fieri voluerit ipſemet, *non quòd nullus ſit hominum*, *niſi quem ſalvum fieri velit ſed quòd nullus fiat ſalvus*, *niſi velit Deus*. Eamdem Expoſitionem tradit *S. Auguſtinus* cap. 8. libri *De Prædeſtinatione Sanctorum*, lib. 4. contra *Julianum* cap. 8. & Epiſt. 217 olim 107 ad *Vitalem*, Semipelagianum: Alteram hujus loci Apoſtoli *Pauli* Expoſitionem dat *S. Auguſtinus* eodem jam laudato cap 103. libri *Enchiridii*, ubi hæc habet: *Aut certè dictum eſt*: Omnes homines vult ſalvos fieri, *non quòd nullus hominum eſſet*, *quem ſalvum fieri nollet*, *ſed ut per*, omnes, *omne hominum genus intelligamus per quaſcumque differentias diſtributum*, *Reges. privatos*, *ignobiles*, *doctos*, *indoctos*. Tertia tandem *S. Auguſtini* Expoſitio extat Cap. xv. lib. *De Correptione & Gratia*, his verbis concepta: *Poteſt etiam ſic intelligi*, *quòd* omnes homines Deus vult ſalvos fieri, *quoniam nos facit velle*, *ſicut miſit Spiritum filii ſui clamantem Abba Pater*, *ideſt*, *nos clamare facientem ..... Si ergo clamantem ſpiritum rectè dicit Scriptura Sacra*, *rectè etiam Deum volentem dicit*, *à quo efficitur ut velimus*.

Has tres *S. Auguſtini* Expoſitiones, quæ pertinent ad ſolam voluntatem, quam Deus habet, ſalvandi dumtaxàt Electos ac Prædeſtinatos, commendant laudant & approbant non tantùm plures Sancti Patres. & Eccleſiæ Doctores, quos inter cenſetur *S. Thomas*; verùm etiam. nono Eccleſiæ ſæculo tota Eccleſia Lugdunenſis, & Epiſcopi Concilii Valentini tertii, in Galliis celebrati, patrocinium ſuſceperunt *Goteſchalci*, Monachi, qui, juxta tres illas *S. Auguſtini* Expoſitiones, beneficium Paſſionis Chriſti reſtringebat ad ſolos Electos ac Prædeſtinatos, proindèque negabat Chriſtum mortuum eſſe pro æterna ſalute reproborum. Ut quid ergò, (concludunt *Janſenii* diſcipuli) tanquam hæretici damnantur nunc illi, qui cum *S. Auguſtino* beneficium mortis Chriſti limitant ad ſolos Electos & Prædeſtinatos, & inficiantur, Chriſtum eſſe mortuum pro æterna ſalute reproborum? En Achylleum, ſi ſuperis placet, *Janſenii* ejuſque diſcipulorum argumentum, quod lucet quidèm vanitate, ſed frangitur veritate

At enim, certùm eſt primò, Hæreticos de Calviniſtarum grege, poſt Magiſtrum ſuum Hæreſiarcham *Calvinum* lib. 3. *Inſtitutionum* cap. 24. & lib *De æterna Dei Prædeſtinatione* uti eodem *Janſenii*, ejuſque diſcipulorum argumento, ad probandum, Chriſtum mortuum eſſe dumtaxàt pro æterna ſalute Prædeſtinatorum, ita ut reprobi à redemptionis beneficio penitus excludantur. Qua de re conſule, ſi tibi per otium liceat, *Stephanum Decamps*, Soc. Jeſu Scriptorem, In libro, quem edidit, *De Janſeniana Hæreſi*, ubi latè probat, *Janſenium* eſſe *Calvini* & Calviniſtarum plagiarium, eorumque doctrinæ principia, argumenta, necnon falſas locorum Scripturæ Sacræ, & teſtimoniorum Sanctorum Patrum ſiniſtras interpretationes, quas adhibere ſolent, in ſuum immenſum Opus, cui Titulus eſt: *Auguſtinus Iprenſis*, convaſaſſe.

Præterà, hæc Scripturæ Sacræ, & *S. Auguſtini* teſtimonia, quæ congerunt *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, ne tantillùm quidem adverſantur Fidei dogmati de morte Chriſti pro ęterna omnium omnino hominum ſalute. Docet quidèm Scriptura Sacra, Chriſtum pro ſolis ovibus ſuis, ideſt, pro ſolis electis ac prędeſtinatis mortuum eſſe voluntate abſoluta, efficaci, & conſequente, quatenùs videlicet illis confert beneficia mortis ſuæ auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia ad conſequendam ſalutem æternam, & præcipuè *magnum* (ut loquitur Æcumenica Synodus Tridentina) *perſeverantiæ donum*; id, inquam, docet Scriptura Sacra; at certè hoc non impedit, quominùs eadem Scriptura Sacra pluribus in locis, quæ in mea ſuperiori Epiſtola laudavi, apertè itidem dicat, Chriſtum mortuum eſſe vera voluntate generali (quam Theologi *Antecedentem* vocant) pro æterna ſalute omnium in individuo hominum Id patet primò, quia non ſolùm multi reprobi ex morte Chriſti aliquem fructum percipiunt, ii nimirùm, qui in baptiſmo, aut in pœnitentiæ Sacramento gratiam ſanctificantem conſequuntur, tametſi in ea uſque

ad

ad mortem non perſeverent. Secundò, quia Chriſtus per mortem ſuam præparavit (ſicut anteà oſtendi) omnibus reprobis, etiam infidelibus, auxilia verè ſufficientia (in ſenſu Thomiſtico intellecta) quibus æternam ſalutem conſequi poſſint; & quibus nullus reprobus, niſi ſua propria culpa, privatur.

Denique, Chriſtus Dominus vult voluntate antecedenti quidquid, in ſe ſpectatum, bonum eſt. Objectum autem divinæ voluntatis antecedentis, ſicut (juxta *S. Thomam* uno ore docent omnes Orthodoxi Theologi) eſt bonum, in ſe ſpectatum, cùm nihil aliud ſit, quàm ſalus omnium prorsùs hominum in ſtatu naturæ lapſæ, in ſe præciſè conſiderata, & abſtracta à quibuſdam circumſtantiis, (non quidem à circumſtantia peccati originalis, & à ſtatu naturæ lapſæ, in quo nunc reperiuntur omnes homines, ſicut falsò aſſerunt *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, dictitantes, Deum habuiſſe quidem ſinceram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines antè præviſionem peccati originalis, ſed poſt lapſum Adami, & poſt præviſionem peccati originalis, Deum non habere veram & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ) ſed objectum voluntatis divinæ antecedentis eſt (juxta *S. Thomæ* ejuſque diſcipulorum doctrinam) ſalus omnium omninò hominum poſt præviſionem peccati originalis, ſecundùm ſe præciſè ſpectata, & abſtracta à quibuſdam circumſtantiis, puta à ſplendore univerſi, à ratione proviſoris univerſalis, à manifeſtatione juſtitiæ divinæ, à conſideratione bonorum operum, vel actualium culparum hominum; Sic ſalus omnium hominum in ſe ſpectata, & abſtracta ab his circumſtantiis, eſt objectum voluntatis Antecedentis Dei, ſicut objectum voluntatis conſequentis Dei eſt ſalus hominum ſpectata cum omnibus illis circumſtantiis, quæ eam comitantur Igitur vult reverà Deus voluntate antecedenti omnium omninò hominum in individuo ſalutem abſtractam ab his circumſtantiis, ſed voluntate conſequenti, attentis videlicet illis circumſtantiis, vult quoſdam damnari *ſecundum exigentiam ſuæ juſtitiæ*, inquit *S. Thomas*, I. Parte Queſt. 19. Art. 6. ad 1.

Hanc doctrinam de duplici voluntate Dei ſalvandi homines certiſſimè *S. Thomas* hauſit è *Sancto Auguſtino*, cujus doctrinæ indivulsè ſemper adhæſit. Agnovit quippè *S. Auguſtinus* pluribus in locis (quæ pauld antè citavi) voluntatem generalem, quam Deus habet, ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, quam Theologi appellant *Antecedentem*, & per quam Deus præparat omnibus hominibus auxilia verè ſufficientia (in ſenſu Thomiſtico intellecta) quibus etiam reprobi à peccatis abſtinere, & æternam ſalutem conſequi poſſunt; (quod *Janſenius*, ejuſque diſcipuli abſolutè negant.) Quandò autem *S. Auguſtinus* diſputat contra Semipelagianos, celebrem illum Apoſtoli *Pauli* locum: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, tribus jam allatis expoſitionibus, quæ non ad voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes omninò homines, ſed ad ſolam Dei voluntatem conſequentem ſalvandi electos ac Prædeſtinatos referuntur, ideò interpretatur, quia Semipelagiani (ſicut jam obſervavi in mea ſuperiori Epiſtola) pertendebant, Deum velle omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ ſalutem voluntate dumtaxàt generali, ita ut ſalus Prædeſtinatorum nullo pactò in peculiarem Dei voluntatem, ſed in naturæ humanæ initiales quoſdam conatus eſſet refundenda. Quocircà, ut hunc Semipelagianorum capitalem errorem radicitùs extirparet *S. Auguſtinus*, noluit hunc celebrem Apoſtoli *Pauli* locum (quem Semipelagiani in ſui erroris præſidium velis remiſque trahebant) explicare de generali, ſeu antecedente voluntate Dei, quæ æternam omnium prorsùs hominum in ſtatu naturæ lapſæ ſalutem ſpectat, ſed potiùs hunc Apoſtoli Pauli locum (quo abutebantur Semipelagiani) explicandum duxit *S. Auguſtinus* de voluntate Dei conſequenti, quæ ad ſalutem dumtaxat Prædeſtinatorum pertinet ſeu de Decreto abſolutò, & ab intrinſeco efficaci, quo Deus vult æternam Prædeſtinatorum ſalutem. Hoc enim abſolutum & efficax Dei Decretum cùm Semipelagiani totis vi-

viribus admittere reluctarentur, totus in id incumbebat *Auguſtinus* ut illud adſtrueret, non negando tamen voluntatem generalem, ſeu antecedentem, quam Deus habet, ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, catholico ſenſu, non Semipelagiano, expoſitam.

Vano itaque labore *Janſenius*, ejuſque diſcipuli ſeſe torquent, dùm, ut probent, Deum non habere veram voluntatem antecedentem ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, ſubindeque Chriſtum eſſe dumtaxàt mortuum pro æterna Prædeſtinatorum ſalute, ſed non reproborum; accumulant benè multa *S. Auguſtini* teſtimonia; vano, inquam, & inani prorsùs labore ſeſe *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli torquent, quia ex his omnibus *Sancti Auguſtini*, quæ adducunt, teſtimoniis nihil aliud planè evincitur, quàm Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis electis ac prædeſtinatis voluntate abſoluta & conſequenti, ſeu Decreto efficaci, in quo ſtabiliendo contra Hæreticos Semipelagianos, qui illud Dei Decretum (ut mox dixi) inficiabantur, potiſſimùm incumbebat *S. Auguſtinus*; de illo ſiquidem Dei Decreto abſoluto & efficaci de æterna Prædeſtinatorum ſalute litem præcipuè movebant Semipelagians, & in hoc capite totius diſceptationis *Sanctum Auguſtinum* inter & Semipelagianos vertebatur cardo.

Cæterùm, quamvis Aquilinus ille Doctor ad Semipelagianorum errorem efficaciùs oppugnandum, & faciliùs confodiendum, frequentiſſimè dicat, Chriſtum mortuum eſſe voluntate conſequenti; ſeu Decreto abſoluto & efficaci pro ſolis electis & prædeſtinatis, nullibi tamen negat, ſed potiùs pluribus in locis, (quæ jam in medium produxi) apertè docet Chriſtum mortuum eſſe pro æterna ſalute omnium omninò hominum in ſtatu naturæ lapſæ voluntate generali, ſeu antecedenti, Catholico tamen, non Semipelagiano ſenſu, explicata.

Hanc Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* doctrinam de generali, ſeu antecedenti voluntate Dei ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, & de ſpeciali, ſeu conſequenti voluntate Dei ſalvos faciendi dumtaxàt Electos ac Prædeſtinatos, conſtanter tenuerunt nono Eccleſiæ ſæculo non ſolùm celeberrima Eccleſia Lugdunenſis, ſed & omnes Epiſcopi totius Eccleſiæ Gallicanæ, in duobus Conciliis Cariſiacis, Valentino tertio Lingonienſi, & Tullenſi ad Saponarias congregati, ſicut in ſuperiori mea Epiſtola commonſtravi.

Fuerunt quidem, fateor, nono Eccleſiæ ſæculo multi Epiſcopi Gallicani, & Scriptores, qui fuerunt cauſæ patrocinati *Gotteſchalci*, Monachi Benedictini Cœnobii Orbacenſis, quem multi ea ætate aſſerebant, & nunc etiam aſſerunt, hæreſim Prædeſtinatianorum recoxiſſe, & beneficium mortis Chriſti ad ſolos Prædeſtinatos reſtrinxiſſe. Verùm, Epiſcopi, & Scriptores Gallicanæ Eccleſiæ cauſæ *Gotteſchalci* ita patrocinabantur, ut errores, ſi quos doceret, penitùs deteſtarentur, ut videre eſt in Actis Conciliorum, quæ mox citavi, in quibus circà mortem Chriſti pura ſtabilitur *S. Auguſtini* doctrina. Addo plures eſſe Scriptores apprimè Catholicos, qui *Gotteſchalcum* ab hæreſi vindicant, ut videre eſt apud *Gilbertum Mauguinum*, in libro, quem ea de re edidit, & cui titulus eſt: *Vindiciæ Prædeſtinationis & Gratiæ*. Sed de *Gotteſchalco* alibi fortaſſe opportuniùs redibit ſermo. Interim ſi de eo plura ſcire aveas, legeſis mox laudatum Scriptorem; & Hiſtoriam Eccleſiaſticam, quam Romæ edidi, Tomo 3. Colloquio 3. in Hiſtoriam noni Eccleſiæ ſæculi, ubi de *Gotteſchalco*, ejuſque doctrina, fortuna, & morte ſat copiosè diſſerui.

XIII. Sed preſſius urgent *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli, & ſic argumentantur: Chriſtus pro æterna ſalute eorum ſanguinem non fudit, quos Irrevocabili & immutabili Divino Decreto noverat eſſe damnandos, nec pro talibus ſalvandis ſeria & ſincera voluntate paſſus & mortuus eſt, nec oravit; Sed Chriſtus omni procul dubio noverat, reprobos irrevocabili & Immutabili Dei Decreto damnatum iri, igitur pro æterna eorum ſa-

eorum ſalute mori & orare noluit. Hinc *S. Thomas* 3. Part. Quæſt. 21. Art 4. ad 2. docet, Chriſtum non oraſſe pro omnibus ſuis Crucifixoribus, neque pro omnibus, qui erant credituri in eum, ſed pro iis ſolùm, qui erant prædeſtinati. Quin, *S. Auguſtinus* lib. 21. *De Civitate Dei* cap. 24. ait, quòd *ſi de aliquibus Eccleſia ita certa eſſet*, *ut qui ſunt illi etiam noſſet*, *qui adhùc in hac vita conſtituti ſunt*, *tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo*: *tam pro eis non oraret*, *quàm nec pro ipſo diabolo*: Atqui Chriſtus certiſſimè noverat eos, qui immutabili Dei Decreto eſſent cum diabolo damnandi; ergò juxta doctrinam *Sancti Auguſtini*, non magis oravit pro illis Chriſtus, quàm pro diabolo, pro quo certè nullo pacto oravit.

Hoc argumentum, quod magnificant *Janſenius*, ejuſque diſcipuli, nullo negotio dilues, ſi præ oculis habeas eam, quam mox expoſui, diſtinctionem voluntatis Dei de ſalute hominum in antecedentem & conſequentem. At enim, Chriſtus pro his, quos certiſſimè noverat eſſe immutabili Dei Decreto cum diabolo damnandos, nec mortuus eſt voluntate conſequente, nec pro illis oravit oratione procedente ex voluntate conſequente (quæ enim Chriſtus oratione, proveniente ex voluntate conſequente, petiit, obtinuit ſemper, juxta illud Scripturæ Sacræ: *ſciebam*, *quia ſemper me audis*, & Epiſt. ad Hebræos cap 5. *exauditus eſt pro ſua reverentia*) ſed Chriſtus pro illis, quos certiſſimè noverat eſſe damnandos, mortuus eſt dumtaxàt voluntate antecedenti, & oravit pro illis oratione ex eadem voluntate prodeunte, eodem planè modo, quo Chriſtus Patrem æternum oravit liberationem à morte corporali, ſeu, ut calix à ſe tranſiret. Ea quippè Chriſti oratio proficiſcebatur tantùm ex voluntate antecedenti. Undè ſubdit Chriſtus: *Verumtamen non ſicut ego volo*, *ſed ſicut tu*, indicans his verbis, ſe id poſtulare ſecundùm voluntatem antecedentem, ex quodam naturali affectu, quo mortem refugiebant, ſed non ſecundùm voluntatem conſequentem, per quam, attenta voluntate Patris ſui, mortem ultrò acceptabat, (ſicut fusè oſtendi in Paragrapho ſecundo Diſſertationis primæ Proluſoriæ ad Tractatum *De Myſteriis & annis Chriſti*, quem ſecundis curis Romæ anno 1724 adornavi) Similitèr, Chriſtus pro æterna ſalute reproborum mortuus eſt voluntate antecedenti, & pro illis oravit, oratione ex eadem voluntate profecta. Sed quia certò noverat Chriſtus, juxta divinæ ſapientiæ ordinem expedire, ut quidam deficere permitterentur, eoque poſito defectu, juſtitiam divinam poſtulare, ut à ſalute æterna excluderentur; his ſpectatis circumſtantiis voluntate conſequenti pro æterna eorum ſalute, non oravit, ſed voluntati Patris, ſuam accommodavit.

Hanc doctrinam pluribus in locis tradit *S. Thomas*, ſed præſertìm lect. 2 in cap. 17 *Joannis*; ubi exponens hunc locum: *Non pro Mundo rogo*, *ſed pro his*, *quos dediſti mihi*, hæc habet: *Chriſtus*, *quantùm eſt de ſe*, *pro omnibus oravit*, *quia oratio ſua*, *quantùm eſt de ſe*, *efficax eſt ut valeat toti Mundo*; *ſed tamen non in omnibus ſortitur effectum*, *niſi in Sanctis & Electis Dei*, *& hoc propter impedimentum mundanorum*.

XIV. Hæc Doctoris Angelici verba, ut obiter dicam, dùm ſeriò perpendo, non poſſum, quin excandeſcam in quamdam Cenſuram, quæ nuperrimè circumfertur, fabricatam à neſcio quibus Facultatis Duacenſis Doctoribus, in qua non ſolùm Clariſſimus *Franciſcus Sylvius*, fideliſſimus (ut omnes norunt) S. Thomæ interpres, damnatur tanquàm *Janſenii* prodromus, quòd, dixerit, Chriſtum non oraſſe pro omnibus ſuis Cruxifixoribus (quòd, juxta mentem *Sancti Thomæ*, intelligit *Sylvius* de oratione profecta ex voluntate conſequenti, non verò de oratione prodeunte, ex voluntate antecedenti, ſicut mox expoſui) ſed etiam (quod me certè maximo ſtupore perculit) in hac Duacenſi Cenſura *S. Thomas*, Scholæ Angelus, eodem atroci convitio oneratur: *Prævit* (inquiunt audaces illi Cenſores) *S. Thomas Franciſco Sylvio*, quem per ſummam injuriam, fuiſſe *Janſenii* prodromum

Claſſis II. M non

Digitized by Google

non minùs temerè, quàm inſcitè pronunciant.

Profectò, ſi hanc Cenſuram, tanquàm ſuum genuinum fœtum, agnoſcant nunc & adoptent Doctores Duacenſes, aſſerere non dubitaverim, eos penitùs deſciviſſe ab avita doctrina Majorum ſuorum, qui olim nihil tam curæ & cordi habebant, quam ut inconcuſſa, tutiſſimaque *S. Auguſtini*, & *S. Thomæ* dogmata de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem præviſionem meritorum pro aris ac focis tutarentur, & novas *Molinæ* de Gratia opiniones profligarent, ſicut conſtat ex gravi illa Cenſura, qua Facultas Duacenſis die 20. Januarii anni 1588. confirmavit alteram Cenſurã, quam Facultas Lovanienſis die 9 menſis Septembris anni 1587. ſuffragantibus Belgii Præſulibus, tulit in *Leſſium*, & *Hamelium*, Societatis Jeſu Theologiæ Profeſſores; qui novis *Ludovici Molinæ* opinionibus delectati, eas Lovanii in Collegio Jeſuitarum docere ac venditare aggreſſi ſunt. Hanc gravem Cenſuram, qua percelluntur *Leſſius*, & *Hamelius*, novæ doctrinæ Aſſertores, Academia Duacenſis, doctrinæ communione cum Facultate Lovanienſi conjuncta, ſæpiùs renovavit, videlicet Annis. 1613. 1648. 1649 1679. 1690.

Qui igitur factum ſit, ut Facultas Duacenſis, quæ olim retinendæ doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de gratia ſe ipſa efficaci tenaciſſima erat, nunc palinodiam decantaverit, & in nupera ſua Cenſura ad Moliniſtarum caſtra tranſierit, Myſterium eſt, quod in præſentia nec penetrare, nec referare volo. Legere poteris doctiſſimas Animadverſiones, quas ad diſpungendam nuperam iſtam Molinianam Facultatis Duacenſis Cenſuram, in publicam lucem ediderunt, doctiſſimi Scriptores, *P. Honoratus*, Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum, & *Pater Carolus Renatus Billuart*, Ordinis Prædicatorum, nunc Provinciæ Dominicanæ Familiæ in Belgio Præfectus.

Hoc tantùm curſim dicam, me nullo pacto adduci poſſe, ut credam, hanc Molinianam Cenſuram, quæ ſub nomine Facultatis Duacenſis fuit à paucis annis in vulgus ſparſa, toti huic Academiæ, olim clariſſimæ, eſſe adſcribendam; cùm in ea *Guillelmus Eſtius*, ejuſdem Academiæ Duacenſis Cancellarius, ſua Orbi Chriſtiano fama ſuper æthera notus, quique naſcentem *Molinæ* doctrinam innumeris Scripturarum, Conciliorum ac Patrum monumentis oppugnavit, & omnium Doctorum prædictæ Academiæ nomine & auctoritate antiquam Cenſuram contra *Leſſium*, & *Hamelium* adornavit, traducatur; & tanquàm alter Janſenianæ hæreſeos prodromus atris coloribus denigretur. Quò fit, ut antequàm hæc Academia Duacenſis publico Inſtrumento toti Orbi declaraverit, ſe hanc Molinianam Cenſuram adoptare, ſeſeque ſubindè noviſſimis hiſce temporibus à Majorum ſuorum veſtigiis quàm longiſſimè diſceſſiſſe, conſultiùs factum me exiſtimem, ſi eam flocci faciam, & natalitiis ſuis tenebris, ut concors eſt omnium Thomiſtarum ſententia, damnandam eſſe ſentiam. Plura de hac inofficioſa Cenſura Facultatis Duacenſis non dicam, quia, ſupremo adſpirante Numine, die 18. menſis Julii hujuſce labentis anni 1729. fuit à Sacra Congregatione INDICIS in Palatio Vaticano damnata, *donec corrigatur*.

Huic etiam nuperrimæ quorumdam Doctorum Duacenſium Cenſuræ, ſtatim ac prodiit in lucem, Doctores Sacræ Facultatis Lovanienſis die 23. menſis Junii anni 1723. ſequentem *Declarationem* oppoſuerunt: *Cùm in præſentibus temporum circumſtantiis, ſilentium Sacræ Facultatis Theologiæ Lovanienſis facilè capi poſſet pro receſſu à celebri Cenſura, ejuſque Juſtificatione, quam ſui Majores pro aſſerenda Prædeſtinatione gratuita & Gratia per ſe efficace anno 1588. ediderunt: hinc eadem Facultas ſub juramento congregata unanimiter reſolvit, typis publicis evulgandam eſſe Declarationem ſequentem*:

Sacra Facultas Theologica Lovanienſis tenore præſentium Urbi, & Orbi palàm teſtatur, & fidem facit, quòd ipſa ſemper inhæſerit, & Deo juvante, ſemper inhærebit ſententiæ de Prædeſtinatione, & de Gratia per ſe efficace, quam ſui Majores

Digitized by Google

ſores in prædicta Cenſura, & Juſtificatione tradiderunt, donec alitèr judicaverit Sancta Sedes, cujus ſupremo, & infallibili judicio ſenſa ſua ſubmittit. Acta ſunt hæc Lovanii in plena Congregatione Facultatis die 23. menſis Junii 1723. De Mandato eximiorum DD. ac Magiſtrorum meorum. Signatum erat *Franciſcus Vandevelde Sac Fac. Bedellus, & Notarius*.

XV Sed ab hoc diverticulo in viam redeamus, & exponamus quo in ſenſu *S. Auguſtinus* aſſerat, quòd *ſi de aliquibus Eccleſia ita certa eſſet, ut qui ſunt illi etiam noſſet, qui adhùc in hac vita conſtituti ſunt, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm pro diabolo.* Undè *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli inferunt; Chriſtum (qui certiſſimé noverat, reprobos irrevocabili, & immutabili Dei Decreto in ignem æternum ituros cum diabolo) non magis pro illis oraſſe, quàm pro diabolo, hoc eſt, nullo pacto pro reprobis oraſſe.

Ut autem mentem *S. Auguſtini* faciliùs percipias, præ oculis habere debes ſcopum, quem ſibi hac in diſputatione proponit S. ille Doctor. Agit quippè eò loci adversùs eos, qui contendebant, in generali Dei judicio omnibus reis propter Sanctorum preces eſſe parcendum, ſicque nullum impium fore finalitèr damnandum. Hunc errorem ex eo potiſſimùm refellit *S. Auguſtinus*, quòd ſi ita foret, Eccleſia poſſet etiamnùm orare Deum pro diabolo & Angelis ejus, ut ipſos à pænis æternis eximeret, quod tamen non facit Eccleſia, quia minimé faciendum eſt. Vult igitur *S. Auguſtinus*, quòd ſi Eccleſia certò ac diſtinctè ſciret, quinam ſint homines reprobi, qui adhùc vivunt, quique immutabili Dei decreto ſunt æternùm damnandi, pro illis Deum non oraret, oratione profecta ex voluntate conſequenti, ut ipſos à pænis liberaret.

Sed non negat *S. Auguſtinus*, Eccleſiam pro illis reprobis Deum oraturam, oratione procedente ex voluntate generali, ſeu antecedente, qua Eccleſia vellet talium reproborum converſionem, & ſalutem ſecundùm ſe ſpectatam, ex communi charitate, quæ ad omnes omninò homines, quamdiù vivunt, protenditur; id inquam non negat *S. Auguſtinus*, ſed potiùs apertè ibidem innuit, dicens primò, hanc præſentem vitam (quamdiù decurrit) *tempus eſſe fructuoſæ pænitentiæ*. Secundò, nos orare debere pro omnibus reprobis, qui adhùc vivunt, *quia neſcimus, qui ſint reprobi*. Denique *S. Auguſtinus* (ſicut oſtendi in ſuperiori mea Epiſtola) docet, Chriſtum, oraſſe pro omnibus ſuis Crucifixoribus, oratione proveniente non ex voluntate conſequente, ſed ex voluntate generali, & antecedente, quamvis Chriſtus certiſſimé noſſet, inter ſuos Crucifixores fore pleroſque reprobos, æternis pænis addicendos. Sicut igitur Chriſtus pro reprobis, quos certò ſciebat eſſe damnandos, oravit (juxta S. Auguſtinum) oratione promanante ex voluntate generali, & antecedente, ſed non ex voluntate conſequente; ſicut etiam Chriſtus, licèt certiſſimé ſciret, quòd Calix Paſſionis ab eo tranſiturus non eſſet, oravit tamen oratione, proveniente ex voluntate antecedente, ut Calix à ſe tranſiret, idque inſtantiſſimè à Patre ſuo trina prolixaque oratione poſtulavit; ſic etiam Eccleſia pro reprobis, qui adhùc vivunt, quoſque certò noſſet damnatum iri, orare poſſet oratione profecta ex voluntate generali, & antecedente, tametſi compertum ac exploratum haberet, ſuam orationem non eſſe à Deo exaudiendam.

Et ſanè, ut obitèr dicam, numquid *Abrahamus* pro impiis Sodomitis, licèt non exaudiendus, inſtanter Deum oravit? Numquid etiam *Samuel* Regem *Saulem*, à Deo rejectum, etiamſi illud non ignoraret, luxit? (quem viri Sancti luctum vehemens quoddam deprecationis genus fuiſſe docent Sacri Interpretes.) Numquid denique *Sanctus Paulus* de reprobis Judæis, quamvis illos à Deo rejectos probè ſciret, ait cap. 10. Epiſtol. ad Romanos: *Voluntas cordis mei & obſecratio ad Deum fit illis in ſalutem?* Certè his, & aliis innumeris exemplis conſtat, orationes ad Deum fundi poſſe, etiam pro rebus, & perſonis, pro quibus exaudiendæ non ſunt. Eccur ita? quia Oratio, (ſicut poſt *S. Thomam* docent omnes Theologi) ex charitate procedit; porrò charitas omnes omninò homines complectitur, quamdiù æternæ

M 2 bea-

beatitudinis ſunt capaces, illiſque hoc bonum generaliter vult, atque à Deo poſcit, abſtrahendo ab hoc, an illis concedendum ſit, necne?

Patet itaque, hunc inſignem *S. Auguſtini* locum, quem *Ianſenius*, ejuſque diſcipuli objiciunt, & in quo præcipuum collocant ſuæ doctrinæ præſidium, nihil prorſùs obſtare, quin Chriſtus (juxta Catholicæ Eccleſiæ doctrinam) oraverit pro omnibus omninò hominibus.

XVI. Sunt alia argumenta, quæ *Ianſenii* diſcipuli opponunt, à quibus (cùm ſint levioris momenti) breviter me expediam. Dicunt, hanc voluntatem, quam Deus habet, ſalvandi homines in ſtatu naturæ lapſæ, appellari à *Sancto Thoma* (I. Part. Quæſt. 19. Artic. 6. ad 1.) *Velleitatem*, ſeu merum deſiderium, quo Deus vellet ſalvare omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, indeque Doctorem illum Angelicum apertè innuere, hanc voluntatem antecedentem, quam Deus habet, ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, non eſſe veram, ſeriam, ſinceram, ac *Beneplaciti* voluntatem, idquè confirmant *Janſenii* diſcipuli ex teſtimoniis doctiſſimorum *Sancti Thomæ* Interpretum *Gullielmi Eſtii* in lib. 1. Sentent. Diſtinct. 46. Parag. 3. & *Franciſci Sylvii* in I P. *Sancti Thomę* Quæſt. 19. artic. 6. & aliorum, qui docent, voluntatem Dei antecedentem de ſalute omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ non eſſe veram, propriam, & beneplaciti voluntatem, quæ ſit formaliter in Deo, ſed eſſe voluntatem *ſigni*, ſeu aliquid exterius, quod ex uſu noſtro natum eſt ſignificare interiorem volitionem, quò fit, ut non propriè, ſed tantùm metaphoricè dicatur voluntas; ſicut enim Deus dicitur iraſci cùm punit, quia noſtro uſu punitio eſt effectus iræ, ità cùm à Deo aliquis exterior producitur effectus, qualis à nobis volentibus produci ſolet, putà cùm nobis aliquid præcipit aut conſuluit, illud Dei præceptum, & conſilium dicitur voluntas Dei, non propria, ſed metaphorica. Voluntas ergò antecedens, quam Deus habet, ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, non eſt (juxta *Sanctum Thomam*) vera, propria & beneplaciti voluntas, ſed eſt dumtaxàt *velleitas*, ſivè (ut docent periti ſſimi Interpretes *S. Thomæ*) eſt tantummodò *voluntas ſigni*, quæ non propriè, ſed tantùm metaphoricè dicitur voluntas.

Præterea (inquiunt *Janſenii* diſcipuli) hæc voluntas antecedens, quam Deum habere dicunt Theologi, ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ, non eſt voluntas abſoluta, ſed conditionata tantùm, pendens videlicèt è conditione, quę nunquàm ponetur: Atquì ejuſmodi voluntas conditionata, eſt imbellis velleitas, quæ Deo prorſùs eſt indigna: Igitur non eſt admittenda in Deo hęc voluntas antecedens ſalvos faciendi omnes homines in ſtatu naturę lapſę.

Tertiò (ajunt *Janſenii* diſcipuli;) hæc voluntas antecedens ſalvandi omnes omninò homines, in ſtatu naturæ lapſæ eſt planè ſuperflua, iners, otioſa, fruſtranea, abſurda, contradictionem, & Semipelagianorum errorem involvens igitur non eſt in Deo admittenda. Et primò quidèm in Deo eſt unica, & ſimpliciſſima voluntas, ſeu actualis volitio, per quam omnia, quæcunque vult, facit in Cœlo, & in Terra: Igitur hæc voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, eſt penitùs ſuperflua. Eſt etiam hęc voluntas antecedens iners, & otioſa, quia inefficax, & ſterilis eſt, nullumque producit effectum. Eſt iridèm hæc voluntas Dei antecedens fruſtranea, quia ei reverà reſiſtunt homines, & impediunt ne ſuum conſequatur effectum. Eſt quoque abſurda, quia Deus per illam voluntatem antecedentem decerneret ſe aliquid facturum ſub conditione, quam ipſe decrevit nuſquàm futuram; non ſecùs ac ſi quis diceret: *Volo dare Petro centum nummos, ſi eum Romam mittam: ſed nolo eum Romam mittere*; quod quidèm Decretum tam eſſet abſurdum, quàm quod maximè. Contradictionem pariter involvit hæc voluntas antecedens ſalvandi omnes omninò homines, quia hæc voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines contradictoriè opponitur voluntati conſequenti, quam Deus verè habet, non ſalvandi omnes omninò homines, ſed tantùm electos ac prædeſtinatos. Poſtremò, hæc voluntas

Dei

Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, eſt præcipuum fundamentum, fulcrum, ac principium Semipelagianorum, ſicut conſtat ex Epiſtolis Sanctorum *Proſperi*, & *Hilarii* ad *S. Auguſtinum*, ergò à Catholicis eſt explodenda.

Verùm, hæc *Janſenii* diſcipulorum objecta unico flatu exſufflantur. In primis, voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ non eſt ſuperflua, quia hæc diviſio divinæ voluntatis in antecedentem, & conſequentem (quæ omnibus Orthodoxis Theologis probatur) non eſt ex parte actus divini (quaſi ſint in Deo varii actus, quorum unus alio prior ſit. Eſt enim Dei volitio una, & ſimplex) ſed eſt ex parte objecti, quatenùs ſub una priori conſideratione volitum eſt, ſub alia poſteriori nolitum. Deus ſub priori conſideratione ſpectando ſalutem omnium omninò hominum abſtractam à circumſtantiis, nimirùm à ſplendore univerſi, à ratione Proviſoris univerſalis, à manifeſtatione ſuæ juſtitiæ, à peccatis actualibus hominum; vult ſub illa priori conſideratione ſalutem omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ, abſtractam ab illis circumſtantiis. Sed Deus ſpectando ſub poſteriori conſideratione ſalutem omnium hominum in ſtatu naturæ lapſæ attentis his circumſtantiis, non vult voluntate conſequenti ſalutem omnium in ſtatu naturæ lapſæ. Quo fit, ut hæc voluntas Dei antecedens, & voluntas conſequens non ſint in Deo varii actus, quorum unus alio prior ſit, ſed ſint tantummodò diverſæ conſiderationes ejuſdem objecti ſub varia ratione ſpectati. Non ergò voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ eſt ſuperflua, immò decet bonitatem Dei, qui (ſicut appoſitè ait Tertullianus) *de ſuo bonus eſt, de noſtro juſtus*.

Deindè, voluntas Dei Antecedens ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ non eſt iners, otioſa, & ſterilis (ſicut dictitant *Janſenii* diſcipuli) ſed eſt actuoſa, quia, ſicut superiùs expoſui, præparat omnibus hominibus in ſtatu naturæ lapſæ auxilia ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, quæ dant veram, completam, & expeditam potentiam benè operandi, abſtinendi à peccato, & conſequendi ſalutem æternam, ita ut peccatorum, & reproborum malitia in cauſa ſit, cur ipſi deſtituti auxiliis per ſe efficacibus, quæ Deus (præparando illis per voluntatem Antecedentem auxilia ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta) paratus eſt illis dare, non conſequantur ſalutem æternam.

Tertiò, licèt voluntati Dei antecedenti ſalvandi omnes homines in ſtatu naturæ lapſæ reſiſtant peccatores, & reprobi, non indè tamen ſequitur, voluntatem Dei eſſe fruſtraneam, tum quia (ſicut jam obſervavi) peccatores, & reprobi ideò reſiſtunt voluntati Dei antecedenti, & auxiliis ſufficientibus, quæ Deus eis per eamdem voluntatem præparat, quia (ſicut docent Sancti Patres *Auguſtinus*, & *Thomas*, quos anteà citavi) Deus permittit, ut peccatores reſiſtant, & obicem ponant auxiliis illis ſufficientibus, in ſenſu Thomiſtico intellectis, quæ eis præparat per voluntatem antecedentem, quam habet Deus, ſalvandi omnes homines; hoc enim non fieret (inquiunt illi Sancti Patres) *ſi Dei voluntas non ſineret:* Tum quia (ſicut docet *Sanctus Thomas*, loco jam à me laudato) etiamſi peccatores voluntati Dei Antecedenti ſalvandi omnes homines propria malitia reſiſtant, non impediunt tamen, quin voluntas Dei ſuum ſemper conſequatur effectum: *Quia ergò* (inquit Angelicus ille Doctor Quæſt. 23 De Veritate Artic. 2.) *omnes homines* (Deus) *proptèr beatitudinem fecit, dicitur voluntate antecedente omnium ſalutem velle, ſed quia quidam ſuę ſaluti adverſantur, quos ordo ſuę ſapientiæ ad ſalutem venire non patitur propter eorum defectum, implet in eis alio modo id, quod ad ſuam bonitatem pertinet, ſcilicèt eos per ſuam juſtitiam damnans; ut ſic dùm à primo ordine divinæ voluntatis deficiunt, in ſecundum relabantur, & dùm Dei voluntatem non faciunt, impleatur in eis voluntas Dei*. Hanc doctrinam hauſit *S. Thomas* (ſicut paulò antè oſtendi) ex *S. Auguſtino*, lib. *De Spiritu & Littera* c. 33. & ex libro *Enchiridii* c. 100.

Digitized by Google

Quartò, Voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines eſt abſoluta ex parte ſui, ſed conditionata tantùm ex parte objecti voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis, ſicut docet *Sanctus Thomas* Diſtinctione 41. in 1. lib. Sentent. Quæſt. 1. Artic. 1. ad 2. Ad cujus intelligentiam obſervare debes poſse duobus modis voluntatem ſe habere conditionatè. Primò ex parte ſui, cùm videlicèt ineſt ei ſolùm quædam imbellis velleitas, ſeu diſpoſitio imperfecta ad volendum niſi aliquid obſtaret. Talem voluntatem conditionatam ex parte ſui, quæ eſt imbellis, & imperfecta, habet plerumque peccator ad converſionem, cum ait: *Vellem meliorem vitam amplecti, niſi adeò eſſet laborioſa.* Talem profectò voluntatem conditionatam, quæ eſt imperfecta, & imbellis volitio, ſeu potiùs velleitas, Thomiſtæ in Deo non admittunt, ſed ab eo penitùs ablegant. Secundò, voluntas conditionata eſse poteſt non ex parte ſui, ſed ex parte objecti; cùm ſcilicèt eſt firma, abſoluta, & deliberata volitio connectens objectum cum conditione, atque ſub ea conditione illud volens, quanquàm, quia deeſt conditio, ipſum conſequenter nolit.

Hujuſmodi volitio abſoluta ex parte ſui, & conditionata ex parte objecti, maximè elucet in pactis, & promiſſionibus, ſicut ex. gr. cùm Rex militi promittit annuam penſionem, ſi per tres annos ſtrenuum militem ſe gerat, eam illi verè vult ſub conditione, qua poſtea deficiente, reipſa non vult, & in hoc ſenſu aliquid conditionatè velle, non repugnat Deo, ſicuti nec promittere. Hinc in ſingulis ferè Paginis Prophetarum legimus, Deum minari, vel promittere ſub aliqua conditione, ſubindèque Deo non repugnare Decreta, quæ ſunt abſoluta ex parte ſubjecti, & conditionata ex parte objecti voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantiis, ſicut mox expoſui, & coploſiùs, benè fortunante Deo, exponam in ſpeciali Epiſtola, in qua evincam, admittenda eſſe in Deo (juxta doctrinam *S. Thomæ*, & totius Scholæ Thomiſticæ) Decreta, quæ ſunt abſoluta ex parte Dei, & conditionata tantùm ex parte objecti, ſed à Deo penitùs arcenda, & eliminanda eſſe illa Decreta, quæ ſunt conditionata tam ex parte Dei, quàm ex parte objecti, qualia admittunt Scholę Molinianę Theologi, & quæ rejicit atque explodit univerſa Schola Thomiſtica.

Quintò, Voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines nullam contradictionem involvit, ſed optimè cohæret cum voluntate conſequenti, qua Deus vult electos dumtaxàt, & prædeſtinatos ſalvos facere. Ratio in promptu eſt, quia voluntas Dei habet (ut ſuperiùs expoſui) pro ſuo objecto ſalutem omnium hominum præcisè in ſe conſideratam, & avulſam à circumſtantiis: Voluntas verò Dei conſequens habet pro ſuo objecto ſalutem hominum ſuis omnibus indutam circumſtantiis; *aliquid autem* (inquit Doctor Angelicus I. P. Quæſt. 19. Art. 6. ad 1) *poteſt eſſe in prima ſui conſideratione, ſecundùm quod abſolutè conſideratur, bonum, vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto conſideratur, è contrario ſe habet. Sicut hominem vivere eſt bonum & hominem occidi eſt malum, ſecundùm abſolutam conſiderationem; ſed ſi addatur circà aliquem hominem, quòd ſit homicida, vel vivens in periculum multitudinis; ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum vivere: Undè poteſt dici, quòd Judex juſtus antecedenter vult omnem hominem vivere, ſed conſequenter vult homicidam ſuſpendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari, ſecundùm exigentiam juſtitiæ ſuæ.*

Ex quibus *S. Thomæ* verbis ſic primùm argumentor: vera eſt ac ſincera voluntas illa antecedens, quam habet judex ut omnes homines vivant, quia vita hominum abſtracta à circumſtantiis, & ſecundùm ſe præcisè, & abſolutè conſiderata eſt aliquod bonum, quamvis tamen Judex conſiderando vitam aliquorum hominum cum ſuis circumſtantiis, putà quod ſint homicidæ, & vivant in periculum multitudinis, velit voluntate conſequenti aliquos hoc ipſo agi in furcam & de medio tolli. Vera etiam atque ſincera eſt voluntas illa antecedens, quam mercator, ingruente graviſſima pro-

procella, habet ſervandi merces ſuas, quas tenet in navi, quia conſervatio mercium abſtracta à circumſtantiis, & ſecundùm ſe præciſè, & abſolutè conſiderata, eſt aliquod bonum; tametſi idem mercator, conſiderando conſervationem mercium ſuarum cum adjunctis circumſtantiis, videlicèt cum periculo, & diſcrimine vitæ ſuæ, non velit voluntate conſequenti merces ſuas conſervare, ſed potiùs, ad periclitanti vitæ ſuæ conſulendum, eas re ipſa projiciat in mare. Sic igitur vera atque ſincera eſt voluntas illa antecedens, quam Deus habet, ſalvandi omnes omninò homines, quia ſalus omnium omninò hominum abſtracta à circumſtantiis, nimirùm à defectibilitate humanæ voluntatis, à pulchritudine univerſi, ab ordine juſtitiæ divinæ, à peccatis actualibus hominum; ſic, inquam, ſalus omnium hominum, in ſe præciſè, & abſolutè conſiderata, & abſtracta ab illis circumſtantiis, eſt aliquod bonum, quamvis tamen Deus, conſiderando ſalutem hominum his circumſtantiis involutam, non velit voluntate conſequenti æternam ſalutem omnium hominum, ſed tantùm æternam ſalutem Electorum ac prædeſtinatorum.

XVII. Hinc duo infero, quæ ſemper præ oculis habere debes. Primum eſt, voluntatem Dei antecedentem, quæ habet pro ſuo objecto ſalutem omnium omninò hominum præciſè in ſe ſpectatam, & à circumſtantiis ſupra laudatis avulſam, eſſe veram & propriè dictam voluntatem, quæ formaliter eſt in Deo, ſicut ſuperiùs oſtendi ex *Sancto Thoma*, qui Quæſt. 23. de Veritate Artic. 3. disertè aſſerit, *Voluntatem Beneplaciti* (quæ, nullo refragante Theologo, eſt vera, & propriè dicta in Deo voluntas) *dividi per antecedentem, & conſequentem*. Idem docet *S. Thomas* pluribus in locis, quæ anteà citavi.

Non inficior quidem, Doctorem Angelicum I. Part. Quæſt. 19. Artic. 6. ad 1. conſiderando voluntatem Dei Antecedentem de ſalute omnium hominum comparatè ad voluntatem Dei conſequentem de ſalute Prædeſtinatorum, appellare voluntatem Dei antecedentem *Velleitatem*; non quòd velit S. ille Doctor, voluntatem Dei antecedentem eſſe *velleitatem*, vel complacentiam, vel dumtaxàt deſiderium ſalvandi omnes homines (id quippè repugnat apertè menti *S Thomæ*, qui pluribus in locis, ſicut ſuperiùs commonſtravi, docet voluntatem Dei antecedentem eſſe voluntatem *Beneplaciti* & ex ea promanare auxilia ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico intellecta, promoventia ad ſalutem) ſed vult tantummodò S. ille Doctor, voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines, poſſe appellari *Velleitatem*, ſi hæc vo- voluntas Dei antecedens conſideretur comparatè ad voluntatem Dei conſequentem; tum quia Voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines, non impletur, quia Deus ſinit, ut peccatores ei propria ſua malitia reſiſtant; voluntas verò Dei conſequens & efficax ſalvandi Electos ac Prædeſtinatos ſemper impletur & ſuum infallibiliter conſequitur effectum: Tum quia etiam Voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes homines non eligit media, quæ infallibiliter ad hunc finem conducant, voluntas autem Dei conſequens & efficax ſalvandi prædeſtinatos eligit media, ſeu auxilia per ſe & ab intrinſeco efficacia, quę illos certiſſimè & infallibiliter perducent ad ſalutem æternam.

Eodem in ſenſu doctiſſimi *S. Thomæ* Interpretes *Eſtius*, & *Sylvius*, conſiderando voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines comparatè ad voluntatem Dei conſequentem, & efficacem ſalvandi Electos ac Prædeſtinatos, vocant eam *Voluntatem ſigni*, quamvis nullibi negent, Deum velle voluntate ſincera ſalutem omnium hominum, eiſque præparare auxilia verè ſufficientia, in ſenſu Thomiſtico accepta, quorum ope adjuti æternam ſalutem conſequi poſſunt, tametſi propter ipſorum malitiam, & reſiſtentiam non ſint eam conſecuturi. Lege noſtrum *Bernardum Guyartium*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem, in libro, cui titulus eſt; *Diſcrimina, quæ interſunt doctrinam Janſenii inter, & doctrinam Scholæ Thomiſticæ*. In eo quippè libro Quæſt. 5 Artic. 3. appoſitè obſervat doctiſſimus ille Thomiſta, paucos eſſe inter Thomiſtas, qui dicant, Voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines non eſſe in Deo actu,

Digitized by Google

& formaliter, ſed tantùm eminenter, eoſque paucos Thomiſtas, quamvis à cæteris Thomiſtis diverſo loquendi modo diſcrepare videantur, re ipſa tamen, ad oppugnandum doctrinæ Janſenianæ caput circà voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines, cum omnibus Thomiſtis ultrò conſentire: *licèt pauci illi ex noſtris* (ait Guyartius) *dicant, voluntatem Dei antecedentem non ponere actum in Deo, niſi eminenter; à communi tamen Thomiſtarum conſenſu in hoc quod præcipuum eſt, non recedunt, videlicèt omnibus viatoribus dari, aut offerri auxilium ſufficiens; locumque Apoſtoli: Deus vult omnes ſalvos fieri, non de voluntate tantùm, quam Deus habuit ante peccatum originale ſalvandi omnes homines (ut adverſarius Janſenius contendit) verùm etiam de voluntate Dei antecedente ſalvandi omnes homines, quam Deur habuit poſt Adami peccatum, & adhùc in præſenti habet, intelligendum eſſe.*

Pauci igitur illi Thomiſtæ, qui aſſerunt, voluntatem antecedentem ſalvandi omnes homines non eſſe in Deo actu, & formaliter, ſed tantùm eminenter, à communi Scholæ Thomiſticæ ſententia minimè recedunt, circa id, quod in præſenti, quam verſamus, quæſtione præcipuum ac capitale eſt, nempè Deum, etiam poſt peccatum Adami, eoque ſuppoſito, velle omnes omninò homines ſalvos fieri, omnibuſque ſuppeditare, aut ſaltem offerre auxilia ſufficientia ad ſalutem, in ſenſu Thomiſtico intellecta.

Voluntas enim illa generalis, & antecedens, quam Deus habet, ſalvandi omnes & ſingulos homines in ſtatu naturæ lapſæ bifariàm conſiderari poteſt, vel per ordinem ad finem, nimirùm ſalutem æternam, vel per ordinem ad media. Hi itaque pauci Thomiſtæ voluntatem Dei antecedentem, conſideratam per ordinem ad finem, nempè ad ſalutem æternam, appellabant *voluntatem ſigni*, figuratam, metaphoricam, non veram, formalem ac beneplaciti, quia cenſebant, eam duntaxàt in Deo agnoſcendam, & admittendam eſſe *voluntatem beneplaciti*, quæ ſemper impletur, cùmque voluntas Dei de ſalute omnium hominum ſpectata in ordine ad finem, ſeu ad ſalutem æternam, non impleatur; quia ſcilicèt non omnes ſalvantur; conſequentèr aſſerebant pauci illi Thomiſtæ, hanc Dei voluntatem antecedentem de ſalute omnium hominum, conſideratam in ordine ad finem, ſeu ſalutem æternam, non eſſe veram & beneplaciti voluntatem, ſed eſſe tantùm voluntatem ſigni, figuratam, & metaphoricam. Attamen iidem pauci numero Thomiſtæ eamdem voluntatem Dei de ſalute omnium hominum conſideratam in ordine ad media, ſeu ad auxilia ſufficientia pro aſſequenda ſalute æterna, agnoſcunt & appellant veram, realem & activam Dei voluntatem beneplaciti, quia ut ait noſter *Mariales* (qui hanc apparentem Thomiſtarum diſſenſionem conciliat in Bibliotheca *Interpretum S. Thomæ*, tom. 3. qu. De Voluntate Dei art. 6. Controverſia 15. cap. 3) *voluntas Dei antecedens*, inquit, *in ordine ad finem, ſeu ad ſalutem æternam ſpectata, poteſt vocari voluntas metaphorica, ſeu ſigni, & non voluntas propriè, & formaliter, quia hæc voluntas Dei antecedens conſiderata in ordine ad finem, ideſt, ad ſalutem æternam, non impletur, cùm certum ſit, non omnes homines ſalvari. At eadem Dei voluntas antecedens, conſiderata in ordine ad media collata, ſeu ad auxilia ſufficientia pro aſſequenda ſalute æterna, eſt realis in Deo voluntas, & non metaphorica, quia reverà Deus vult, actualiterque confert media, ſeu auxilia ſufficientia, quibus poſſimus ad gloriam pervenire.*

Hi igitur Thomiſtæ (numero licèt pauci) voluntatem Dei antecedentem de ſalute omnium hominum, conſideratam in ordine ad finem, nempe ad ſalutem æternam, appellarunt voluntatem ſigni, metaphoricam, & non voluntatem beneplaciti, quia voluntas Dei ſic conſiderata non impletur, non enim omnes ſalvantur. At iidem Thomiſtæ ultrò faſſi ſunt, & conſtanter docuerunt, voluntatem Dei antecedentem de ſalute omnium hominum conſideratam in ordine ad media, ſeu ad auxilia ſufficientia, quibus poſſumus pervenire ad ſalutem æternam, eſſe veram, ſinceram, activam voluntatem beneplaciti, & actu in Deo exiſtentem, quia ſic conſiderata volun-

Digitized by Google

luntas Dei antecedens de ſalute omnium hominum reverà impletur, cùm Deus per hanc voluntatem antecedentem (ſicut fatentur omnes ad unum Thomiſtæ (præpararet omnibus hominibus, eiſque conſerat, vel offerat auxilia ſufficientia ad ſalutem. Undè facili negotio colligitur, Deum verè ac ſincerè velle eos ſalvos fieri Media enim, ſeu auxilia ſufficientia in ordine ad finem, ſeu ad ſalutem, non aſſumuntur, niſi ex intentione finis, ſaltèm generali & antecedente.

Quò fit, ut pauci illi Thomiſtæ, qui diſputant utrùm voluntas Dei antecedens de ſalute omnium hominum ſpectata in ordine ad finem, ſit voluntas beneplaciti actu & formalitèr in Deo exiſtens, vel voluntas tantùm ſigni, & eminenter in Deo reperiatur? reverà tamen cum omnibus aliis Thomiſtis conſentiant, cùm ipſimet fateantur, ex ea Dei voluntate antecedenti derivari media ad finem, ſeu auxilia ſufficientia ad ſalutem æternam, quo ſemel conceſſo ſequitur, voluntatem Dei antecedentem veram eſſe voluntatem beneplaciti, quia mediorum electio non niſi à voluntate, ſeu ab intentione finis oritur. Sed de hac levi Thomiſtarum controverſia, quæ verè quæſtio eſt de nomine, plura legeſis apud noſtros jam citatos Theologos *Gujartium*, & *Marialem*.

Infero ſecundò, Voluntatem Dei antecedentem ſalvandi omnes homines contradictoriè non opponi voluntati Dei conſequenti ſalvandi tantummodò Electos ac Prædeſtinatos, ſed potiùs cum ea perfectiſſimè conciliari. Contradictio quippe (ſicut fatentur omnes) eſt de eodem ſubjecto, vel objecto, ſecundùm eamdem conſiderationem ſpectato, Porrò voluntas Dei antecedens, & voluntas Dei conſequens, licèt habeant pro ſuo objecto æternam ſalutem hominum attamen juxtà diverſas conſiderationes ſpectant ſalutem hominum; voluntas enim antecedens reſpicit ſalutem hominum abſtractam à circumſtantiis, & in ſe abſolutè & præcisè conſideratam, ſicut anteà oſtendi, & ſecundùm illam conſiderationem Deus vult voluntate antecedenti ſalutem omnium hominum. Voluntas autem Dei conſequens ſpectat ſalutem hominum indutam omnibus circumſtantiis, & ſecundùm illam conſiderationem Deus non vult ſalutem omnium hominum, ſed tantùm Electorum ac Prædeſtinatorum. Quò fit, ut voluntatem antecedentem ſalvandi omnes in individuo homines inter & voluntatem Dei conſequentem ſalvandi tantùm electos ac prædeſtinatos nulla ſit vel minima cotradictionis umbra.

Poſtremò, voluntas Dei antecedens ſalvandi omnes omninò homines in ſenſu Thomiſtico jam à me ſat ſuperque explanata, nihil prorſùs redolet Semipelagianiſmi. At enim (ſicut oſtendi in mea ſuperiori Epiſtola) hæretici Semipelagiani non in hoc errabant quòd cenſerent, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus generaliter mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe (hoc enim catholicum eſt) ſed quòd dicerent, ac pertenderent, Chriſtum indiſcriminatìm, promiſcuè, æqualiter & citrà ullum delectum, mortuum eſse pro Prędeſtinatis & pro reprobis, ita ut eorum, qui ſalvantur, à reprobis diſtinctio non eſſet ex ſpeciali voluntate, & ex ſingulari Gratia Chriſti, ſed ex eorum libero arbitrio (quod certè Catholicum non eſt, quin potiùs ab Eccleſia damnatum, ideòque nullo pacto admittendum).

Sed hactenus abundè dilui objectiones Janſeniſtarum, eorum effugia, ſub quibus latet Janſeniſmus, velut ignis ſuppoſitus cineri doloſo, præcluſi, & diſpunxi falſas interpretationes, quas omnibus Scripturæ Sacræ locis, in quibus expreſsè dicitur, Chriſtum mortuum eſſe & ſanguinem fudiſſe pro omnibus omninò hominibus; adhibet *Janſenius*, qui (relicta regia via Scholaſticorum, quos palàm ac ſuperciliosè contemptui ſe habere profitetur) divinæ Gratiæ Myſteria intelligere ac proprio Marte aperire præſumens, à tritis Sanctorum Patrum, prę ſertim *Auguſtini* & *Thomæ Aquinatis*, incautè, ac longè lateque receſſit, & librum mole immenſum, quem ſub *Auguſtini* nomine lucubravit, gravibus erroribus reſperſit, quos in quinque Propoſitiones compactos Sedes Apoſtolica, tanquàm germanum auctoris fœtum, proſcripſit ac profligavit.

Heu

Digitized by Google

Heu nimiùm infelices ejus diſcipuli ! qui doctrinam Magiſtri ſui , ab univerſa Eccleſia confixam , quamque ipſe *Ianſenius* in dicto libro velùt radiis Solis depinxit , nec percipiunt , nec exemplum obedientiæ , quod fato proximus ipſis reliquit , ſequuntur ; ſicùt enim mellitis ſuis ſermonibus , aut vanis excogitatis diſtinctionibus , aut falſis adhibitis interpretationibus virus quinque prædictarum Propoſitionum non expungunt , ſic nec Eccleſiæ damnationem effugiunt . Verùm , meliorem mentem illis precemur , promptamque & exoculatam obedientiam , quam tenentur exhibere Eccleſiæ Romanæ , quæ omnium Eccleſiarum mater agnoſcitur , & à qua cæteræ Eccleſiæ veritatem Fidei mutuantur . Hanc gratiam concordibus votis ac precibus à Deo , optimo Maximo , ſupplices efflagitemus , ut tandem aliquandò hæc tempeſtas , quæ occaſione damnatæ doctrinæ *Janſenii* oborta eſt , in optatam Eccleſiæ Catholicæ pacem vertatur . *Fiat* , *fiat* .

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA NONA

APOLOGETICOPOLEMICA,

In qua oſtenditur primò, illos eſſe inſignes calumniatores, quos non pudet aſſerere, CLEMENTEM XI. *Pontificem Maximum, damnaſſe in ſua Conſtitutione, quæ incipit,* Unigenitus, *antiquam Eccleſiæ doctrinam de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci. Secundò evincitur, Scholam verè Thomiſticam diris devovere* Paſchaſii Queſnelli *de Gratia doctrinam, quam, multis Propoſitionibus contentam, jure optimo* CLEMENS XI. *anathemate perculit in eadem Conſtitutione, quæ incipit,* Unigenitus. *Poſtremò commonſtratur, Scholam verò Thomiſticam averſari & damnare, tanquàm rebelles & Schiſmaticos, illos, qui prædictæ Conſtitutioni* CLEMENTIS XI. *refragantur, eamque obſtinatis animis acceptare detrectant.*

I. SEdente CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, turbæ toto Orbe Chriſtiano jam excitatæ occaſione *Ianſenii* doctrinæ, damnatæ à Summis Pontificibus INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII. & quæ ſub CLEMENTE IX. CLEMENTE X INNOCENTIO XI. & ALEXANDRO VIII. quadantenùs ſopitæ & ſedatæ, non tamen erant extinctæ; turbæ, inquam, excitatæ occaſione fulguritæ doctrinæ *Ianſenii* recrudeſcere cæperunt ſedente CLEMENTE XI. iiſque tragædiis anſam, ſeu occaſionem dedit libellus, cui gallicè titulus erat: *Cas de conſcience &c.* in quo quidam Sacerdos confeſſarius hanc quæſtionem moralem, ſeu, ut vulgò ajunt, *conſcientiæ caſum* ſub verborum iſtorum tenore proponebat: *utrùm homini Catholico & Clerico, qui ſubſcripſit Formulæ præſcriptæ ab* ALEXANDRO VII. *non ſufficiat obſequioſum ſilentium?* Huic quæſtioni morali, ſeu caſui conſcientiæ reſponderunt quadraginta Magiſtri Sacrę Facultatis Pariſienſis, obſequioſum ſilentium ſat ſuperque ſufficere.

Aſt, Sacra Facultas Pariſienſis die Lunæ, quæ incidit in Kalendas menſis Septembris anni MDCCIV. congregata in Sorbonæ Collegio, prædicti caſus conſcientiæ deciſionem jure ac merito damnavit, atque è ſinu ſuo foras ejecit Magiſtros, qui ſuam hujus conſcientiæ caſus perjuram ſubſcriptionem obſtinatis animis revocare detrectarunt. Epiſcopi etiam Eccleſiæ Gallicanæ, ſed præſertim omni laude ſuperior Eminentiſſimus Cardinalis *De Noailles*, Archiepiſcopus Pariſienſis, eamdem iſtius caſus conſcientiæ, ſeu quæſtionis moralis deciſionem actutùm natalitiis tenebris damnarunt. Tandèm, CLEMENS XI. Pontifex Maximus, *Conſtitutione* ſua, quæ incipit: *Vineam Domini Sabbaoth*, data die XV. menſis Julii anni MDCCV. obſequioſum iſtud ſilentium, quo Janſeniani, tanquàm firmiſſimo damnatæ ſæpiùs doctrinæ ſuę munimine & involucro, jam à ſexaginta & ampliùs annis utebantur, ſubvertit, & radicitùs extirpavit, præcipiendo non tantùm obſequioſum ſilentium, ſeu obedientiam externam, verùm etiam obedientiam internam præſtandam eſſe ab iis, qui, juxtà Decreta Romanorum Pontificum INNOCENTII X & ALEXANDRI VII. ſubſcribunt Formulario Janſenii.

Et ſanè quid aliud eſſet externa illa obedientia, quam præſtarent hi, qui ſubſcribunt Formulario, ſi aliundè carerent interna obedientia, ideſt, ſi non haberent ſimplicem & abſolutam mentis & cordis adhæſionem, quid, inquam, eſſet apparens & externa illa obedientiæ ſpecies abſque ulla interna obedientia & mentis adhæſione, quàm mera ſimulatio, illuſio, hypocriſis, mendacium adverſùs Spiritum Sanctum, ſacrilego etiam perjurio confirmatum ab iis, qui credere ſe, vel ſentire jurant ſuper Sancta Evangelia, quod reapsè non credunt, nec ſentiunt, ſeque parere Conſtitutionibus Summorum Pontificum, qui doctrinam *Janſenii* damnarunt, exteriùs profitentur, quibus tamen Apoſtolicis Conſtitutionibus animo contradicunt?

Huic Summi Pontificis CLEMENTIS XI. Bullæ, ſeu Conſtitutioni, quæ incipit, *Vineam Domini Sabbaoth*, omnes totius Orbis Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi ſubſcripſerunt, & ut executioni mandaretur, auctoritatem ſuam Paſtoralem, curam ac diligentiam adhibuerunt. Clerus præſertim Gallicanus in Comitiis generalibus anni MDCCV. Pariſiis congregatus, hanc CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, ſolemnitèr recepit, ac probavit, datis tùm ad Summum Pontificem gratulatoriis, tùm ad omnes Galliarum Epiſcopos Encyclicis Litteris die XIV. menſis Septembris ejuſdem anni, quibus eos de dicta CLEMENTIS XI. Conſtitutione, à ſe communi omnium calculo & applauſu recepta, certiores faciunt, & invitant ut eam itidèm recipiant, & in ſuis Diœceſibus promulgare ſatagant.

II. Publicavit etiam idem Summus Pontifex CLEMENS XI. die VIII. menſis Septembris anni MDCCXIII. aliam *Conſtitutionem*, quæ auſpicatur his verbis: *Unigenitus Dei Filius*, in qua Sanctiſſimus ille Pontifex centum & uni Propoſitionibus *Paſchaſii Queſnelli* varias cenſuras inuſſit; quas inter *Queſnelli* Propoſitiones multæ ſunt, ad Gratiam attinentes, quas CLEMENS XI. damnat *in ſenſu Janſenii*, qui Gratiam efficacem, quam Theologi vocant *neceſſitantem*, invexit; ſed tamen antiquam doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ante omnem meritorum præviſionem, quam celeberrima Schola Thomiſtica, Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam* Duces ſecuta, ſempèr docuit, & conſtantèr, propitio numine, æternùm propugnabit, intactam prorſus & illæſam reliquit idem Sanctiſſimus Pontifex.

Verùm, in hanc (æquiſſimam licèt & omnindò neceſſariam) Propoſitionum *Queſnelli* Cenſuram Pontificiam confeſtim quietis impatientes aperto marte inſurrexerunt, & deblaterare cœperunt Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, eadem in cauſa fœderati. Dictitarunt primò, CLEMENTEM XI. in hac *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c. Sanctum Auguſtinum* per latus *Janſenii*, & *Queſnelli* petere voluiſſe, ſubindèque Sanctiſſimum illum Pontificem (quod horret calamus ſcribere) doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem meritorum previſionem, tot Conciliorum Decretis, tot Romanorum Pontificum Sanctionibus, tot Sanctorum Patrum elogiis conſecratam, damnaſſe, proſcripſiſſe, exploſiſſe, atque in locum ejuſdem antiquæ de Gratia per ſe efficaci doctrinæ ſuffeciſſe purum putumque Moliniſmum. Dixerunt etiam Janſeniani & Queſnelliani, magnoque animorum æſtu pertenderunt, ex his centum & una Propoſitionibus *Queſnelli*, à Summo Pontifice CLEMENTE XI. in ſua Conſtitutione (*Unigenitus*) damnatis, nullam eſſe, quæ erroris nota meritò compungi poſſit. Poſtremò, palàm proteſtati ſunt, hanc CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius &c.* è capite ad calcem erroribus eſſe refertam, adeòque ſeſe nullo pacto adduci poſſe, ut huic CLEMENTIS XI. Conſtitutioni ſubſcriberent unquàm, eamque ſuo calculo probarent.

III. Has tres inſignes & teterrimas calumnias, quas ex impotenti obtrectandi ſtudio ad invidiam conflandam Sanctiſſimo Pontifici CLEMENTI XI. confingere non puduit Janſeniſtas & Queſnelliſtas, ipſe hac in Epiſtola brevitèr, quoad ejus fieri poterit, invictis momentis diſpungam, falſique convincam. Et primò quidèm oſtendam, Summum Pontificem

Digitized by Google

CLEMENTE XI. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, damnare dumtaxàt voluiſſe doctrinam de Gratia *neceſſitante* tam *Janſenii*, & Janſeniſtarum, quàm *Queſnelli*, & Queſnelliſtarum; nec per ſomnium unquam in mentem Sanctiſſimi illius Pontificis veniſſe vel leviſſimam cogitationem damnandi doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia ſe ipſa & ab intrinſeco efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita antè omnem prævisionem meritorum, quam tota Schola Thomiſtica pro aris ac focis etiamnùm defendit ac tuetur, quamque idem Summus Pontifex probè ſciebat à ſuis Sanctiſſimis Deceſſoribus, tàm antiquis, quàm recentioribus, fuiſſe ſæpiùs laudatam, commendatam, & approbatam.

Prætereà, hac in Epiſtola evincam (juxtà inconcuſſa doctrinæ Scholæ Thomiſticæ principia) ex his Propoſitionibus *Queſnelli* (quæ divinam Gratiam ſpectant, quæque à Summo Pontifice fuerunt proſcriptæ) nullam eſſe, quæ juſtam non mereatur Cenſuram.

Denique, palàm faciam, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, qui *Conſtitutionem* CLEMENTIS XI. quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, pervicaciter recipere nolunt, eique parere, ſubſcribere, & acquieſcere renuunt, eſſe rebelles, Schiſmaticos, & Hæreticos, qui novam, & inviſibilem ſibi fabricant Eccleſiam & à vera atque Catholica Chriſti Eccleſia apertè diſcedunt.

Et primò quidem, Sanctiſſimum Pontificem CLEMENTEM XI. non voluiſſe in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, damnare doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuitæ ad gloriam antè omnem prævisionem meritorum, quam, juxtà germanam Sanctorum Patrum *Auguſtini*, & *Thomæ* mentem, clariſſima Schola Thomiſtica defendit, ac propugnat, multis, quæ hic ſubnectam, momentis compertum ac exploratum eſſe debet.

IV. Etenim omnibus jam notiſſimum eſt ſolemne illud CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi Decretum, datum die XXVIII. menſis Januarii ann. MDCCIV. quo infauſtus, malèque conſarcinatus Libellus *Joannes Launoji*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctoris, fuit ab hoc Sanctiſſimo Pontifice, univerſo plaudente Orbe Chriſtiano, diris devotus, graviſſimiſque infamiæ notis inuſtus. Hujus autem poſthumi ac probroſi prædicti Auctoris libelli hæc ſumma eſt: Primò, *Auguſtinum*, de Gratia ſe ipſa efficaci, & de gratuita Prædeſtinatione ad gloriam antè omnem prævisionem meritorum diſputantem, à doctrina priſcorum Eccleſiæ Patrum deſciviſſe: pacem, injecto diſcordiæ pomo, perturbaſſe, tota paſſim Africa, Gallia, Italia, tumultus ac tragædias concitaſſe; *Vvikleffo*, *Zuinglio*, *Luthero*, *Calvino*, & *Janſenio*, præluſiſſe horridis dogmatibus, quæ in quinto Eccleſiæ ſæculo ſectati ſunt hæretici, vulgò dicti, *Prædeſtinatiani* quæque nono Eccleſiæ ſæculo renovavit *Gottheſchalcus*, Monachus Benedictinus. Secundò, Sanctos *Proſperum*, *Hilarium*, *Cæſarium*, *Prudentium*, *Remigium*, cæteroſque *Sancti Auguſtini* diſcipulos, Gratiæ per ſe efficacis, & gratuitæ Prædeſtinationis ad gloriam antè omnem prævisionem meritorum, aſſertores, peſſimè apud æquos rerum æſtimatores audiviſſe, Romanis Pontificibus illuſiſſe, æmulos ſuos falſis criminibus oneraſſe, juſtam demùm damnationis ſententiam ſubiiſſe. Tertiò, Semipelagianos ex adverſo hæſiſſe firmiter Traditioni Majorum, & *S. Auguſtino*; atque ejus diſcipulis conſtanter ac ſolidis rationibus obſtitiſſe.

Hæc eſt ſumma propudioſi iſtius libelli *Joannis Launoji*, quem proſcripſit CLEMENS XI. Unde ſic argumentor primò: *Launojus* in hoc ſuo infami libello pertendit, *Sanctum Auguſtinum* admiſiſſe, & docuiſſe Gratiam per ſe efficacem *neceſſitante*, & ideò ait, S[illegible] rem præluſiſſe [illegible], per illam damnari *Vvikleffi*, Z[illegible] doctrinas, quas inſignes Ca[illegible] & *Janſenii* Scholæ abſque ulla Cenſu[illegible] hunc *Joa*[illegible]us tenuerunt & tradiderunt, confixir[illegible]m doctrinam *Sancti Auguſtini* de aperte[illegible]a per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem [illegible] prævisionem meritorum; huic injuſtæ [illegible] criminationi, & ſiniſtræ ſuſpicioni, quæ [illegible]lurium invaſerat animos, obviam ire vo-

ſimùl declarat idem Summus Pontifex, *Joannem Launojum* eſſe inſignem impoſtorem, & calumniatorem *S. Auguſtini*, dum perfrictæ frontis audacia eum non pudet aſſerere, S. illum Doctorem admiſiſſe gratiam efficacem *neceſſitantem*, cumque ſubindè præiviſſe horrend's dogmatibus *Vviklefſi*, *Zuinglii*, *Lutheri*, *Calvini*, & *Janſenii*.

Verùm enim verò, ut obitèr dicam, ſi *Launojus* in ſuo libello dixiſſet dumtaxàt, *S. Auguſtinum* expoſuiſſe Gratiam verſatilem, indifferentem, & ſubditam libero hominis arbitrio; profectò CLEMENS XI non damnaſſet ejus libellum, tanquàm *impium*, & *blaſphemum*, quia apprimè ſciebat Summus ille Pontifex, univerſam Scholam Thomiſticam ſemper propugnaſſe, & etiamnùm docere, Gratiam verſatilem, indifferentem, & permiſſam (quantùm ad efficaciam) libero hominis arbitrio, *Sancto Auguſtino* nunquàm fuiſſe probatam. Damnavit igitur Sanctiſſimus ille Pontifex libellum *Joannis Launoji*, tanquàm *impium*, & *blaſphemum*, non quòd diceret maledicus ille Scriptor, *Sanctum Auguſtinum* rejeciſſe ac penitùs repudiaſſe Gratiam verſatilem, indifferentem, & ſubditam hominis arbitrio (in hoc enim *Joannes Launojus* nullam mereretur Cenſuram) ſed quòd aſſereret ſuperciliofus ille & tetricus Cenſor, *Sanctum Auguſtinum* ab avita Patrum traditione deſciviſſe, Gratiam efficacem *neceſſitantem* docuiſſe, & execranda præformaſſe dogmata *Vviklefſi*, *Lutheri*, *Zuinglii*, & *Janſenii*.

Hanc fuiſſe genuinam mentem CLEMENTIS XI: dùm Cenſura Apoſtolica perſtrinxit libellum *Joannis Launoji*, iſto argumento breviter demonſtro: Sum-
cùm antiqui, tùm recen-
& maximis enco-
olicam com-
Auguſtini de
ædeſtina-
ſpecia-
emini
San-
. in
au-
ri-

nam *Sancti Auguſtini* de gratia & Prædeſtinatione, firmitèr inhærere laudabilibus veſtigiis Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum, qui ejuſdem Sancti Doctoris (quem appellat *fulgidiſſimum Eccleſiæ lumen*) doctrinam toto mentis affectu amplexi ſunt: *Hinc eſt* (ſunt ipſiſſima verba Sanctiſſimi illius Pontificis) *quòd nos pro commiſſa nobis divinitùs gregis Dominici cura, animarum periculis atque detrimentis, quæ ex præfati libelli* (Joannis Launoj) *lectione, & uſu provenire poſſent; paſtorali ſollicitudine, quantùm cum Domino poſſumus, occurrere cupientes, necnon Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, qui ejuſdem Sancti Doctoris præcelſam doctrinam magno ſemper in pretio, totoque mentis affectu amplexi fuerunt, laudabilibus veſtigiis firmitèr inhærere volentes, libellum prædictum auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium damnamus, & reprobamus &c.* Cùm igitùr Summi Pontifices, tàm antiqui, quàm recentiores, doctrinam *Sancti Auguſtini* de gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem meritorum præviſionem probarint, & toto mentis affectu amplexi ſint, neceſſe omninò eſt, ut CLEMENS XI. (qui in ſua Cenſura contra *Joannis Launoji* libellum disertè profitetur, ſe, in probanda *Sancti Auguſtini* doctrina, veſtigiis Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum firmitèr inhærere) neceſſe, inquam, omninò eſt, ut CLEMENS XI. Pontifex Maximus, doctrinam *Sancti Auguſtini*, de gratia per ſe efficaci (cum qua perfectè cohæret liberum hominis arbitrium) ſuo itidèm calculo approbarit.

V. Sed dicunt Janſeniani, & Queſnelliani, CLEMENTEM XI. dùm Anno MDCCIV. libellum *Joannis Launoji* damnavit, doctrinam *S. Auguſtini* de gratia ſe ipſa efficaci, veſtigiis Prædeceſſorum ſuorum Pontificum Romanorum inhærendo, approbaſſe quidèm; At volunt, eumdem Summum Pontificem Anno MDCCXIII. quo ſuam contra centum & unam *Queſnelli* Propoſitiones publicavit *Conſtitutionem*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* per latus *Queſnelli* impetiiſſe & damnaſſe *Sancti Auguſtini* doctrinam de gratia ſe ipſa efficaci, quam *Queſnellus*

Digitized by Google

nellus (ut ajunt Janſeniani, & Queſnelliani) pro aris ac focis propugnabat contrà Theologos Moliniſtas, qui hac potiſſimùm de cauſa ira, odio, & livore in eum perciti, extorſerunt tandèm à Summo Pontifice CLEMENTE XI. (apud quem, ut dictitant, maxima auctoritate pollebant) prædictam *Conſtitutionem*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.*

Verùm, hoc Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum putidum & luculentiſſimum mendacium iſto argumento, quod multa complectetur momenta, invictè refello. Et primò quidèm, nemo, niſi in Eccleſia omninò peregrinus, aut improbè malevolus, inficiari poteſt, CLEMENTEM XI. ita ex indole ſua ad pacem, & clementiam fuiſſe propenſum, ut nullis immoderatis animi æſtibus abriperetur, non ira, non odio, non impetu, aut præcipiti agendi modo ad Cenſuras, & ad ſupplicia proſiliret, ſed ratione, æquitate, maturo judicio, deliberato conſilio, & neceſſitate compulſus, duceretur ac traheretur quodam modo invitus. Ut quid ergò audactèr & per ſummam calumniam præſumunt Janſeniani & Queſnelliani effutire, CLEMENTEM XI. ira, & odio exaſperatum in *Queſnellum*, atque à Moliniſtis inſtigatum, *Conſtitutionem*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* promulgaſſe?

Prætereà, quì credibile eſt CLEMENTEM XI. qui Anno MDCCIV. damnando libellum *Joannis Launoji* palàm conteſtatus fuerat, ſe inhærere veſtigiis Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum, qui, ut anteà dixi, approbarunt, & adoptarunt doctrinam *Sancti Auguſtini* de Gratia ſe ipſa efficaci, voluiſſe eamdem S. illius Patris doctrinam proſcribere in ſua *Conſtitutione*, quam contra centum & unam Propoſitiones *Queſnelli* publicavit Anno MDCCXIII. id certè ab omni veri ſpecie abhorret, nec, citrà ſummam & à ſæculis inauditam calumniam, dici, aut cogitari poteſt.

Tertiò, idem Summus Pontifex CLEMENS XI. conceptis verbis aſſerit, ſe damnare Propoſitiones *Queſnelli*, ſpectantes Gratiam Chriſti, *in ſenſu Janſenii*. Porrò, *Janſenii* ſenſum, quem in quinque ipſius famoſis Propoſitionibus tanquàm hæreticum anathemate perculerunt multi Romani Pontifices, exprimunt quàmplures *Queſnelli* Propoſitiones, ſicut luculentèr patet ex tot lucubrationibus, quas ſuper hac re in lucem ediderunt Scriptores undecumque eruditi, & doctrinæ *S. Auguſtini* addictiſſimi, idemque mox ipſe brevitèr commonſtrabo

Qua fronte ergò *Queſnelliani* aſſerere & ubique clamitare præſumunt, CLEMENTEM XI. (quem odio pluſquam vatiniano proſequuntur) receſſiſſe à veſtigiis Prędeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum, eumque in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia per ſe efficaci damnaſſe, cùm tamen Sanctiſſimus ille Pontifex mentem ſuam ſole clariùs in prædicta *Conſtitutione* exprimat, affirmetque, ſe iſtas *Queſnelli* Propoſitiones, ad Gratiam Chriſti attinentes, diris devovere *in ſenſu Ianſenii*, qui Gratiam, quam, vocant, *neceſſitantem* invexit? Apage ergò tam malè conſutam calumniam, quam CLEMENTI XI. Pontifici Maximo perperàm affingunt *Ianſenii*, & *Queſnelli* diſcipuli, qui ſpem & defenſionem ſuam reponunt in mendacio, juxta illud Scripturæ Sacræ: *Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus*, Prophetæ *Iſaiæ* cap. 28. v. 15.

Sed quartum accedit momentum, quod illud ſplendidiſſimum Queſnelliſtarum, mendacium in aperto ſole ponet. Poſtquàm enim Summus Pontifex CLEMENS XI. ſuam *Conſtitutionem*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* die VIII. menſis Septembris Anni MDCCXIII. adversùs Queſnellianas Propoſitiones publicaſſet, multique in Galliis & in Belgio cauſarentur, ſe à ſuſcipienda prædicta *Conſtitutione* Pontificia retardari, quòd ſuſpicarentur, per illam damnari ſententias & doctrinas, quas inſignes Catholicorum Scholæ abſque ulla Cenſura hactenùs tenuerunt & tradiderunt, præſertìm doctrinam *Sancti Auguſtini* de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem prævisionem meritorum; huic injuſtæ querimoniæ, & ſiniſtræ ſuſpicioni, quæ plurium invaſerat animos, obviam ire

vo-

Digitized by Google

volens Sanctiſſimus ille Pontifex, diſertè in ſuis *Litteris*, quas die 1. menſis Septembris Anni MDCCXVIII. *ad univerſos Chriſti fideles* direxit, & quæ incipiunt: *Paſtoralis officii*, declaravit, ſe in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus &c.* nulli Doctrinæ, aut Sententiæ, quæ in Catholicis Scholis docetur, aliquam erroris notam affingere voluiſſe: *Cæterùm* (ſunt ipſiſſima verba Sanctiſſimi Pontificis CLEMENTIS XI.) *in hoc ipſo præpoſtero judicio conſuetum calumniandi morem non derelinquunt; niſi enim excæcaret eos malitia eorum, ac niſi magis diligerent tenebras, quàm lucem, ignorare non deberent ſententias illas ac doctrinas, quas ipſi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palàm & liberè in Catholicis Scholis, etiam poſt editam à nobis memoratam Conſtitutionem, ſub oculis noſtris doceri, atque defendi, illaſque propterea minimè per eam fuiſſe proſcriptas.*

Ex quibus verbis ſic argumentum conficio: Multi in Galliis, & in Belgio prætexebant, ſe retardari à ſuſcipienda Summi Pontificis CLEMENTIS XI. Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* quia ſuſpicabantur, doctrinam *Sancti Auguſtini* de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem præviſionem meritorum, quæ in Catholicis Scholis hactenùs citrà ullam cenſuram fuit propugnata, damnatam eſſe ab eodem Summo Pontifice in ſua prædicta *Conſtitutione:* Atqui CLEMENS XI. in ſuis *Litteris ad Univerſos Chriſti Fideles*, quæ incipiunt: *Paſtoralis Officii*, palàm univerſos Chriſti Fideles certiores facere volens de vera & genuina mente, quam, in damnandis centum & una Queſnellianis Propoſitionibus, habuit, profitetur, ſe nullis doctrinis, & ſententiis, quæ in Catholicis Scholis docentur, cenſuram appingere voluiſſe, eaſque doctrinas atque ſententias (etiam poſt editam à ſe *Conſtitutionem*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*) *ſub ipſius oculis doceri, atque defendi, illaſque propterea minimè per eam fuiſſe proſcriptas.* Undè Sole clarius patet, Summum Pontificem CLEMENTEM XI non damnaſſe in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus*, doctrinam *Sancti Auguſtini* de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ante omnem præviſionem meritorum, ſicut in Schola Thomiſtica docetur ac defenditur. Si enim hanc *Sancti Auguſtini* doctrinam proſcripſiſſet Summus ille Pontifex (ſicut Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ calumniari ſolent) profectò non permiſiſſet unquàm ut doctrina de Gratia per ſe efficaci & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem præviſionem meritorum publicè in Schola Thomiſtica Romæ doceretur, & ſub ipſius oculis defenderetur. Porrò, doctrinam Sanctorum *Auguſtini* & *Thomæ* de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem meritorum præviſionem fuiſſe Romæ (vivente CLEMENTE XI.) publicè in Schola Thomiſtica traditam, aſſertam, ac vindicatam, eamque ſub Sanctiſſimi illius Pontificis oculis creberrimè defenſatam, non tantùm ipſe, teſtis hac in re auritus, & oculatus, certò & indubitantèr affirmare poſſum, verùm etiam tota Roma vidit & teſtari poteſt.

Sed miſſis his & aliis locupletiſſimis teſtimoniis, quæ mihi, à viginti quatuor annis Romæ exiſtenti, de vera CLEMENTIS XI. mente dederunt viri probatiſſimæ fidei, & omni exceptione majores, qui, tanquàm Conſultores in Congregationibus, ab eodem Summo Pontifice ſelecti ad examinandas *Queſnelli* Propoſitiones, cenſoria ſuffragia tulerunt, quique omnes ad unum in hoc conſentiunt, Doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam antè omnem præviſionem meritorum, ſemper à CLEMENTE XI. in maximo pretio habitam fuiſſe, & ab illo dumtaxàt, poſt diuturnum, maturum, ac deliberatum Cardinalium, & Conſultorum præmiſſum examen, damnatam eſſe doctrinam *Janſenii* de Graria *neceſſitante*, quam *Queſnellus* in multis Propoſitionibus, ad Gratiam pertinentibus, expreſſit. Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea, quòd ſæpiùs etiam audiverim à duobus Eminentiſſimis Cardinalibus, qui

à CLE-

à CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, præfecti erant his Congregationibus, in quibus diſcuſſæ & examinatæ fuerunt omnes *Queſnelli* Propoſitiones; teſtis, inquam, eſt mihi Deus, quòd ſæpiùs ab his duobus Cardinalibus, videlicet *Thoma Maria Ferrari*, Ordinis Prædicatorum, & *Auguſtino Falconi*, audiverim, Summum Pontificem CLEMENTEM XI. nuſquàm damnaſſe, nec damnare voluiſſe in ſua Conſtitutione, quæ incipit; *Unigenitus &c.* doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia ſe ipſa efficaci, ſed tantummodò damnaſſe Gratiam *neceſſitantem* Janſenii & Queſnelli.

At, miſſis illis teſtimoniis, quæ à nemine in dubium vocari poſſunt, quæque dilucidè confirmantur multis MSS. monumentis, quæ necdum publicam lucem adſpexerunt; ipſe in uno tantummodò, quod mihi inſtar omnium eſt, hærebo teſtimonio Sanctiſſimi Pontificis, qui nunc tam ſapientèr Clavum univerſæ Eccleſiæ, tamque feliciter gubernat, nimirùm BENEDICTI XIII Ordinis Prædicatorum, qui in ſuis Litteris, in forma *Brevis*, *ad univerſos Ordinis Prædicatorum Profeſſores*, datis die 6. menſis Novembris anni MDCCXXIV. damnat. tanquàm calumniatores doctrinæ Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, illos, qui aſſerunt, doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ante omnem Prævìſionem meritorum (ſicut in Schola Thomiſtica traditur ac defenditur) fuiſſe damnatam à ſuo Prædeceſſore CLEMENTE XI in *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* Idem confirmat Sanctiſſimus ille Pontifex BENEDICTUS XIII. *in Conſtitutione*, quam promulgavit 7. Kal. Junii anni MDCCXXVII. in qua disertè declarat, ſe (firmitèr adhærendo Litteris, quas CLEMENS XI. *direxit ad univerſos Chriſti Fideles*, quæque incipiunt: *Paſtoralis Officii*) auctoritate Apoſtolica anathemate percellere illos calumniatores, quos non pudet affirmare, doctrinam Sanctorum *Auguſtini* & *Thomę* de Gratia per ſe efficaci proſcriptam fuiſſe à Summo Pontifice Clemente XI.

Omnia iſthæc momenta hoc unico concludo argumento: certiſſimè ſciebat Clemens XI. doctrinam de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ante omnem prævìſionem meritorum, publicè Romæ (etiam poſt editam à ſe Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*) doceri & propugnari in Schola Thomiſtica per totum, qua latè patet, orbem propagata, atquì id non permiſiſſet Summus ille Pontifex, ſi reverà (ut Janſeniani, & Queſnelliani atrociter calumniantur) doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci proſcripſiſſet; non poteſt ergò niſi per ſummam calumniam dici, Clementem XI. damnaſſe doctrinam de Gratia ſe ipſa efficaci eo in ſenſu, quo poſt Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam*, probantibus Summis Pontificibus, & ſuffragantibus totius Orbis celebrioribus Scholis, & Academiis, eam hactenus tenuit Schola Thomiſtica, quamque, divino propitio numine, ad ſeram uſque poſteritatem tranſmittet.

Vide ergò, quæſo te, cariſſime diſcipule, quàm injuſtè Janſeniani, & Queſnelliani ubique clamitent, Clementem XI. Pontificem Maximum, in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, voluiſſe per latus *Queſnelli* petere & profligare totius Scholæ Thomiſticæ doctrinam de Gratia per ſe efficaci quàm perperam & importunè jactent, eamdem eſſe ſuam, & Thomiſtarum in materia de Gratia cauſam! Hanc tamen calumniam etiamnùm circulis apud imperitos, & mulierculas, quarum ſuffragia venantur, deblaterare ſolent; hoc putidum mendacium in ſuis familiaribus colloquiis urgent acerrimè quin, in libellis, quos tàm frequenter in lucem edunt, magno verborum apparatu, ac pompa illud exaggerant ut Clementi XI. Pontifici Maximo odium & invidiam populi conflare valeant, quamvis tamen, non ſine ſtomacho, rideantur ab illis, qui certò ſciunt, doctrinam Scholæ Thomiſticæ de Gratia per ſe efficaci (quæ ſartam tectam conſervat hominis libertatem) eſſe doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* quæ in Eccleſia Catholica ubique propugnatur, ſubindèque eam à Clemente XI. Sum. Pontifice, nulla unquàm cenſura fuiſ-

ſe perſtrictam ; ſed , verſa vice , doctrinam *Queſnelli* , & Queſnelliſtarum de *Gratia neceſſitante* eſſe planè Janſenianam & hæreticam, eamque ut talem , à CLEMENTE XI. Pontifice Maximo , in ſua Conſtitutione , quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius* , jure optimo fuiſſe Vaticano fulmine fulguritam atque protritam. Sed hæc prima Queſnelliſtarum calumnia ſat ſuperq; confutata manet

VI. Aliam non minùs atrocem calumniam eidem Summo Pontifici CLEMENTI XI. auſu temerario intentant Janſeniani, & Queſnelliani , ajuntque , ex centum & una Queſnellianis Propoſitionibus , quas CLEMENS XI. in ſua Conſtitutione , quæ incipit : *Unigenitus Dei Filius* , damnavit. nullam eſſe, quæ aliqua erroris nota compungi poſſit. Certè, in immenſum diffunderer , & non Epiſtolam , ſed librum magnæ molis ſcribere deberem , ſi hìc provinciam ſuſcipere vellem demonſtrandi ; nullam eſſe ex his centum & una Queſnellianis Propoſitionibus, à CLEMENTE XI confixis, quæ juſtam aliquam non mereatur cenſuram ; quò fit , ut me continendo intra cancellos brevitatis, quam mihi in rem tuam præſcripſi , in id unum hac in Epiſtola totus incumbam , ut planè convincam , ex omnibus Queſnellianis Propoſitionibus à Sanctiſſimo Pontifice Clemente XI. proſcriptis, quæ ſpectant materiam de Gratia (de qua dumtaxàt in meis Epiſtolis tractandi officium ſuſcepi) nullam, inquam, eſſe ex hiſce Queſnellianis Propoſitionibus, ad Gratiam attinentibus, quæ non ſit Janſeniano pulvere , ſeu Ianſenianæ hæreſeos fuligine conſperſa, ſubindèque digna, quæ juſta cenſura percellatur. Idem planè judicium ſe rendum eſſe cenſeo de aliis *Queſnelli* Propoſitionibus , in eadem CLEMENTIS XI. Conſtitutione damnatis.

Ut autem id faciliùs, & juxtà modum captui tuo magis accommodatum , præſtare valeam, primò hìc ſubnectam ſingulas *Queſnelli* Propoſitiones divinam Gratiam ſpectantes , quas CLEMENS XI. cenſura affecit, & ad totidem Propoſitiones adjiciam cenſoriam virgulam, cujus beneficio facilè percipies , ſingulas illas *Queſnelli* Propoſitiones , quæ ad Dei Gratiam , vel ad liberum hominis arbitrium referuntur, fuiſſe juſtiſſima de cauſa in ſenſu hæretico, ſeu Janſeniano , ab eodem Summo Pontifice confixas.

Prima Queſnelli Propoſitio De Gratia.

Quid aliud remanet animæ , quæ Deum atque ipſius gratiam amiſit , niſi peccatum, & peccati conſecutiones , ſuperba paupertas , & ſegnis indigentia , hoc eſt, generalis impotentia ad laborem , ad Orationem , & ad omne opus bonum?

Virgula Cenſoria in hanc primam *Queſnelli* Propoſitionem .

Hæc prima *Queſnelli* Propoſitio multis nominibus Cenſuram meretur. Primò , quia etiamſi homo per peccatum mortale amittat Gratiam ſanctificantem , ſeu Gratiam gratum facientem , in illo tamen remanent dona Dei naturalia , ut lumen rationis , liberum arbitrium , virtutes acquiſitæ , necnon dona Dei ſupernaturalia , cujuſmodi ſunt Fides & Spes

Secundò , hæc *Queſnelli* Propoſitio ſignificat in ſenſu obvio, animam peccatoris nullum opus bonum elicere poſſe abſque gratia ſanctificante ; quem errorem univerſalis Eccleſia , in generali Concilio Conſtantienſi congregata , reprobavit in articulis Hæreſiarchæ *Ioannis Hus* , eumdemque errorem Summi Pontifices GREGORIUS XIII. & S. Pius V. in Propoſitionibus 25. 35. & 40. *Michaelis Baji* , proſcripſerunt.

Tertiò , hæc *Queſnelli* Propoſitiò apertè innuit , inductam eſſe ex peccato Adami neceſſitatem peccandi , & impotentiam benè operandi , quem errorem in Vvikleffo, *Luthero*, *Calvino* , *Bajo* , & *Ianſenio* profligavit Eccleſia .

Quartò , ex hac *Queſnelli* Propoſitione palàm ſequitur , peccatorem , qui Gratiam ſanctificantem amiſit , eſſe in generali impotentia ad omne opus bonum , ſubindèque ei eſſe impoſſibilia præcepta Dei ; quem errorem Patres Con-

Concilii Tridentini in *Luthero*, *Calvino*, aliiſque Novatoribus in anteceſſum præfocarunt cap. 11. Seſſionis ſextæ *de juſtificatione*, ubi ſic ſtatuunt : *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*. Quæ ſententia deprompta eſt ex *S. Auguſtino* lib. de *Natura & Gratia* cap 43 lib. 2. *De Peccatorum meritis* cap. 6. & ex lib. *De Fide contra Manichæos*.

Denique, hæc *Queſnelli* Propoſitio recta fronte opponitur doctrinæ SS. Patrum, & S. Thomæ, omnium Theologorùm Scholaſticorum facilè Principis, qui ſecundæ ſecundæ Quæſt. 10 Art. 4. hæc habet. *Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ. Undè peccatores bona opera, ad quæ ſufficit bonum naturæ, operari poſſunt*. Non igitur in peccatore (ſicut exprimit damnata hæc *Queſnelli* Propoſitio) qui Gratiæ ſanctificantis jacturam fecit, remanet *generalis impotentia ad omne opus bonum*.

Altera Queſnelli Propoſitio De Gratia.

Jeſu Chriſti Gratia, principium efficax boni cujuſcumque generis, neceſſaria eſt ad omne opus bonum; abſque illa non ſolùm nihil fit, ſed nec fieri poteſt.

Virgula Cenſoria in hanc ſecundam *Queſnelli* Propoſitionem.

Hæc *Queſnelli* Propoſitio fuit jure merito proſcripta. Primò, quia erroneum eſt (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis adversùs *Janſenium*, ejuſque diſcipulos latè oſtendi) aſſerere, hominem non poſſe bonum operari abſque Gratia per ſe efficaci Homo quippè adjutus ſola Gratia ſufficienti (in ſenſu Thomiſtico intellecta) habet veram, proximam, completam, & expeditam potentiam benè agendi, ita ut nihil ei deſit ex parte potentiæ; tametſi verum ſit hominem, deſtitutum Gratia per ſe efficaci, nunquam benè operaturum & mandata Dei ſervaturum,

Secundò, hæc *Queſnelli* Propoſitio coincidit cum prima *Janſenii* Propoſitione, quæ his verbis concepta eſt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*. Quam *Janſenii* Propoſitionem, tanquàm *Hæreticam*, ideò damnavit Eccleſia, quia manifeſtò ex ea ſequitur, aliqua præcepta hominibus juſtis eſſe impoſſibilia, fieri verò illis dumtaxat poſſibilia per gratiam ſe ipſa efficacem.

Poſtremò, hæc *Queſnelli* Propoſitio inſtaurat hanc *Antonii Arnaldi*, Doctoris Sorbonici, damnatam notiſſimam Propoſitionem, qua pertendebat famoſus ille *Arnaldus*, *S. Petrum*, Gratia per ſe efficaci deſtitutum, *non potuiſſe confiteri Chriſtum*. Quam *Arnaldi* Propoſitionem damnarunt ALEXANDER VII. Pont. Max. Clerus Gallicanus, & Sacra Facultas Pariſienſis. Docet etiam Catholica Fides, *S. Petrum*, deſtitutum licèt Gratia per ſe efficaci, potuiſſe per Gratiam ſufficientem (quæ ei non defuit) confiteri Chriſtum, & trinam ejus abnegationem evitare, non ſecùs ac quilibet peccator, etiamſi gratia per ſe efficaci ſit orbatus, poteſt tamen per gratiam ſufficientem abſtinere à peccato, tametſi ut actu & reverà abſtineat à peccato requiratur Gratia per ſe efficax.

Tertia Queſnelli Propoſitio de Gratia.

In vanum, Domine, præcipis, ſi tu ipſe non das quod præcipis.

Virgula Cenſoria in hanc tertiam *Queſnelli* Propoſitionem.

Hæc tertia *Queſnelli* Propoſitio hunc redidit ſenſum. *In vanum, Domine, præcipis, ſi per Gratiam ſe ipſa efficacem non facis ut impleamus quod præcipis, quia ſine Gratia ſe ipſa efficaci impoſſibilia ſunt præcepta tua*; hic autem ſenſus eſt hæreticus, quia Eccleſia Catholica docet primò, hominem juſtum, qui caret Gratia per ſe efficaci, ſed Gratia ſufficienti eſt inſtructus, habere veram potentiam obſervandi mandata Dei, ſubindeque præcepta Dei eſſe

ei poſſibilia. Hinc S. *Thomas* Quæſt. 24. de veritate Art. 14. ad 1 ait: *Illud, quod præcipit Deus, non eſt impoſſibile homini ad ſervandum.* Non igitur *in vanum* præcipit Deus ei, qui habet tantùm Gratiam ſufficientem, cujus beneficio vera pollet poteſtate proxima, & expedita obſervandi mandata Dei, quamvis, reſiſtendo Gratiæ ſufficienti, & propria ſua culpa deſtitutus gratia per ſe efficaci, præcepta Dei ſervaturus, ſeu adimpleturus non ſit.

Secundò, damnat Catholica Eccleſia illos, qui negant dari in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam verè ſufficientem, à Gratia efficaci diſtinctam, quæ conferat voluntati potentiam expeditam obſervandi præcepta Dei, & abſtinendi à peccato; Porrò, *Queſnellus*, veſtigiis *Janſenii* inſiſtens, negat dari in ſtatu naturæ lapſæ gratiam verè ſufficientem, à Gratia per ſe efficaci diſtinctam, quæ impertiatur voluntati humanæ veram, completam, expeditam, & relativam potentiam vincendi oppoſitos gradus terrenæ concupiſcentiæ, quæ ſuperior eſt, & relativè victrix.

Admittit quidem *Queſnellus* Gratiam, quam *Janſenius* appellat *Parvam*, quæque diſtinguitur à Gratia relativè victrice, ſed hæc *Parva* Gratia *Janſenii* dici haud poteſt *verè ſufficiens*, quia cùm ſit in gradibus cæleſtis delectationis minor, inferior, ac debilior gradibus terrenæ concupiſcentiæ relativè victricis delectationis, non impertitur voluntati humanæ hæc *Janſenii*, & *Queſnelli parva* Gratia veram, expeditam, & relativam potentiam vincendi oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem, quæ eſt ſuperior & relativè victrix. Quò fit, ut (juxtà *Janſenium*, & *Queſnellum*) homo, hac gratia *Parva*, Janſeniſticè *ſufficiente*, præditus, remaneat in vera impoſſibilitate adimplendi præcepta Dei, ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis, explanando præſertim genuinam notionem Gratiæ ſufficientis, latè oſtendi. Æquiſſimo itaque ſolemni Eccleſiæ judicio damnata eſt in ſenſu *Janſenii* hæc tertia *Queſnelli* Propoſitio

Quarta Queſnelli Propoſitio de Gratia.

Ita, Domine, omnia poſſibilia ſunt ei, cui omnia poſſibilia facis, eadem operando in illo.

Virgula Cenſoria in hanc quartam *Queſnelli* Propoſitionem.

Non eſt ovum ovo ſimilius, quàm hæc quarta *Queſnelli* Propoſitio ſimilis eſt primæ *Janſenii* Propoſitioni Si enim (ut docet *Queſnellus*) omnia ſunt poſſibilia ei, cui omnia poſſibilia facit Deus eadem operando in illo per Gratiam ſe ipſa efficacem, ſequitur primò, aliquibus juſtis, qui Gratia per ſe efficaci deſtituti, peccant, præcepta Dei eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, qua eis poſſibilia fiant.

Sequitur ſecundò, omnem Gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe per ſe & ex natura ſua efficacem, ſubindeque in ſtatu naturæ lapſæ non dari Gratiam verè ſufficientem, quæ det voluntati humanæ veram, proximam, & expeditam potentiam vincendi terrenam concupiſcentiæ delectationem, relativè victricem, & cæleſti gratiæ delectatione ſuperiorem. Cùm igitur *Queſnellus* (ſtando principiis doctrinæ *Janſenii*) explodat è ſtatu naturæ lapſæ Gratiam verè ſufficientem, cui (ut Fides Catholica docet) reſiſtitur, velitque omnem Gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe ex natura ſua efficacem, ex his, inquam, *Queſnelli* principiis neceſſaria conſecutione effluit hæc proſcripta *Janſenii* ſecunda Propoſitio: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Addo etiam, quòd ſi in ſtatu naturæ lapſæ omnis gratia ſit per ſe efficax (ſicut falsò pertendunt *Janſenius* & *Queſnellus*) planè conſequitur, hominem, qui ſemel juſtus eſt, juſtitiam, ſeu Gratiam Sanctificantem nullo pacto amittere poſſe; quia ut homo juſtus poſſit juſtitiam, ſeu Gratiam Sanctificantem, perdere, oportet ut poſſit Gratiæ reſiſtere & obluctari: Atqui, juxta doctrinam *Janſenii*, & *Queſnelli*, omnis gratia in ſtatu naturæ lapſæ eſt per ſe & ab in-

Digitized by Google

intrinſeco efficax, Gratiæ autem per ſe efficaci nemo) ut ajunt damnati illi Scriptores) reſiſtere & refragari poteſt; ergò (ſtando principiis doctrinæ *Janſenii*, & *Queſnelli*) homo ſemel juſtus non poterit unquam juſtitiam, ſeu Gratiam Sanctificantem amittere; Quod eſt impium *de inamiſſibilitate juſtitiæ* dogma Calviniſtarum, à Sacro Concilio damnatum, quodque ipſe multis momentis confutavi Tomo 2. *Tractatus* (quem ſecundis curis Romæ Anno MDCCXXIV. adornavi) *De Myſteriis & annis Jeſu Chriſti, Servatoris noſtri*, Diſſertatione XVII. quæ eſt *de Fide in Chriſtum Mediatorem &c.*

Quinta Queſnelli Propoſitio, de Gratia.

Quandò Deus non emollit cor per interiorem unctionem Gratiæ ſuæ, exhortationes, & Gratiæ exteriores non inſerviunt, niſi ad illud magis obdurandum.

Virgula Cenſoria in hanc quintam *Queſnelli* Propoſitionem.

Hæc quinta *Queſnelli* Propoſitio fuit juſtiſſima de cauſa ab Eccleſia Catholica, tanquàm erronea, profligata. Primò, quia licèt exteriores Gratiæ, ſejunctæ à Gratiæ interioris efficacis unctione, converſionem peccatoris non operentur, impediunt attamen, ne in ſceleribus ſuis obdureſcat peccator, ejus cæcitatem minuunt, illum invitant ad aliquas actiones moraliter bonas, non tamen vitæ æternæ meritorias, eliciendas; nimirùm ad ſublevandas pauperum miſerias, ad honorandos parentes, ad jus unicuique reddendum &c.

Præterea, inter Gratias exteriores cenſetur Verbum Dei, quod legitur, quod prædicatur. Quis autem dicere audeat, Verbum Dei (quod eſt verbum vitæ æternæ, ſpiritus & vitæ, atque ſermo eſt vivus, efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti ad pungendum & emolliendum cor peccatoris; quod denique eſt ipſamet Scriptura Sacra inſpirata, utilis ad inſtruendum, arguendum, corrigendum) quis, inquam, dicere audeat, Verbum Dei nihil inſervire niſi ad cor hominis magis obdurandum?

Denique, Gratia ſufficiens, abſque unctione interiori Gratiæ per ſe efficacis, inchoat noſtram ſalutem, intus monet, minuit cupiditatem, intellectum piis cogitationibus illuſtrat, ut conſideret ea, quæ annunciantur vel proponuntur; voluntatem ciet & excitat ad pia deſideria, & in ea bonas ad ſalutem inſerit diſpoſitiones. Falſum igitur & erroneum eſt, ſine Gratia per ſe efficaci (non enim juxta *Janſenium*, & *Queſnellum*, datur in ſtatu naturæ lapſæ alia Gratia; niſi per ſe efficax) falſum, inquam, eſt ſine Gratia per ſe efficaci exhortationes, & Gratias exteriores nihil juvare & prodeſſe, (quodque longè gravius eſt) per illas cor magis obdurari, ut aſſerit *Queſnellus*.

Sexta Queſnelli Propoſitio, de Gratia.

Diſcrimen inter fœdus Judaicum & Chriſtianum, eſt, quòd in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in ſua impotentia: in iſto verò Deus peccatori dat quod jubet, illum gratia ſua purificando.

Virgula Cenſoria in hanc Sextam *Queſnelli* Propoſitionem.

Hæc Propoſitio, quatenùs aſſerit, Deum reliquiſſe Judæos (qui erant ſub Lege Moſaica) in impotentia obſervandi Legem, eſt hæretica; quia Deum facit injuſtum, qui imponendo Judæis obligationem adimplendi Legem Moſaicam, eos tamen reliquit in impotentia obſervandi Legem, nullam eis conferendo, vel ſaltem offerendo Gratiam ſufficientem, per quam Legis Moſaicæ præcepta redderentur eis poſſibilia: *Quamvis Lex vetus* (inquit) *S. Thomas* 1. 2. Quæſt. 98. Art. 2 ad 4) *non ſufficeret ad ſalvandum homines, tamen aderat aliud*

allud auxilium à Deo hominibus ſimul cum lege per quod ſalvari poterant, ſcilicet Fides Mediatoris, per quam juſtificati ſunt antiqui Patres ...... Et ſic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis ſalutis auxilia.

Præterea, hæc *Queſnelli* Propoſitio affinis eſt, immò ſimillima tribus *Deſiderii Eraſmi* Propoſitionibus, in quas, & in alias ejuſdem Auctoris Sacra Facultas Pariſienſis die XVII. menſis Decembris Anni MDXXVII. tulit Cenſuram, quæ extat Tomo IX. Operum ejuſdem *Eraſmi* poſtremæ Editionis Lugduni Batavorum Anni MDCCVI. à pag 815. uſque ad pag. 954 Prima *Eraſmi* Propoſitio (quæ, inter alias in hac Cenſura Facultatis Pariſienſis proſcriptas, eſt ordine vigeſima quarta, his verbis concepta eſt: *Cum Lex* (ſcilicet vetus) *terrorem incuteret potiùs quàm amorem, quid ſupererat, niſi poſtea quàm per legem didicerant homines ſe peccatis obnoxios, nec potuiſſe ab his temperare, ſimulque ſcirent, Dei, ſeveri Vindicis, judicium neminem poſſe effugere, niſi ut trepidarent, horrerent, ac deſperarent? Quis autem amare poteſt, quem horret?* Hanc primam *Eraſmi* Propoſitionem Sacra Facultas Pariſienſis illa Cenſura perſtrinxit: *Hæc Propoſitio innuens, homines veteris legis non potuiſſe vitare peccata, & magis induci per legis cognitionem ad deſperationem, quàm ad amorem, eſt injuria legi & legislatori Deo. Tradidit enim Dominus legem, non per quam perirent homines .... Neque Deus ad impoſſibile obligavit per Legem Moſaicam, cùm non poſſit eſſe injuſtus.* Altera *Eraſmi* Propoſitio (que in eadem Sacræ Facultatis Pariſienſis Cenſura eſt ordine vigeſima quinta) ſic habet: *Lex Moyſis umbris, victimis ac terroribus fecit Hypocritas.* Quæ altera *Eraſmi* Propoſitio confixa eſt à Sacra Facultate Pariſienſi his verbis: *Hæc Propoſitio rursùs Legi Moſaicæ contumelioſa eſt, & ipſi Deo, qui hujuſmodi umbras, victimas, & cæremonias Legis inſtituit; quæ ſua inſtitutione ad bonum inducebant, & veritatem figurabant novæ Legis.* Tertia demùm *Eraſmi* Propoſitio, quæ in Cenſura Sacræ Facultatis Pariſienſis eſt ordine vigeſima ſexta, hæc eſt: *Lex cupiditates irritabat, potiuſquam coercebat.* Quæ tertia *Eraſmi* Propoſitio ipſo ab eadem Sacra Facultate Pariſienſi Cenſorio ſtigmate fuit inuſta: *Lex de ſe potiùs coercebat cupiditates, quàm irritabat. Non enim data eſt Lex à Deo ad incitandum homines in peccata, ſed ad cohibendum; alioqui non eſſet ſancta, neque juſta.* Cùm igitur hæc ſexta *Queſnelli* Propoſitio eumdem planè exhibeat ſenſum, quem referunt tres iſtæ *Eraſmi* Propoſitiones, à Sacra Facultate Pariſienſi Anno MDXXVII damnatæ ſequitur, eam jure optimo à CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, fuiſſe Anno MDCCXIII. proſcriptam.

Septima Queſnelli Propoſitio, de Gratia.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit propriæ infirmitati, imponendo ipſi ſuam Legem? Quæ verò felicitas non eſt, admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

Virgula Cenſoria in hanc ſeptimam *Queſnelli* Propoſitionem.

Hæc ſeptima *Queſnelli* Propoſitio fluit neceſſaria conſecutione ex præcedenti ipſius Propoſitione. Enim verò, admiſſa ſemel ſuperiori *Queſnelli* Propoſitione, quòd videlicet Deus Judæos reliquerit in propria infirmitate & ſua impotentia obſervandi Legem Moſaicam, ſequitur, nullam fuiſſe utilitatem veteris legis Quem errorem damnat Apoſtolus *Paulus*, dicens cap. 3 Epiſtolæ ad Romanos: *Quid ergò Judæo amplius eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? multum per omnem modum.* Lex quippè vetus (præ cæteris aliis prærogativis, quibus excellebat, quaſque ipſe in ſecundo Tomo *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Veteris Teſtamenti* fuſo calamo explanavi) dabat Judæis cognitionem peccati: *Per Legem cognitio peccati*, inquit Apoſt. cap. 3. Epiſt. ad Romanos. Quò fiebat, ut Judæi, per Legem cognoſcentes,

ſe

Google

ſe eſſe peccatores, intelligerent ſibi neceſſariò opus eſſe Fide Mediatoris & Gratia medicinali Salvatoris, quem *Moyſes*, & Prophetæ venturum prædixerunt, eumque propterea ſummis votis deſiderarent, & (ut inquit *S. Thomas*) *recurrerent ad auxilium ejus gratiæ*, ſive (ut ait idem Angelicus Doctor Lectione 8. in cap. 3. Epiſt. ad Galatas) *Lex concluſit Judæos ſub peccato, quia veniente Lege, ſumpſerunt occaſionem peccandi, ut ait Apoſtolus ad Romanos cap.* XI *Concluſit Deus omnia in incredulitate &c. Et hoc ideò, ut homo quæreret gratiam. Et ideo dicit Apoſtolus*: UT PROMISSIO *ideſt, gratia repromiſſa, daretur non ſolum Judæis, ſed omnibus credentibus quia illa gratia poterat liberare à peccatis, & hæc gratia eſt ex Fide Jeſu Chriſti*. Poterant igitur Judæi per Gratiam, ac Fidem in Chriſtum Mediatorem, legem adimplere, & conſequi ſalutem æternam, ſicut multi ex illis reverà conſecuti ſunt; ſubindèque falsò aſſerit *Queſnellus*, Deum reliquiſſe homines in veteri Lege propriæ infirmitati imponendo ipſis ſuam Legem, & nullam ipſis impartiendo gratiam, qua illam implere poſſent.

Nec minùs falſum eſt, quod in eadem Propoſitione ſeptima ſubdit *Queſnellus*, dicens: *Quæ felicitas non eſt admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat quod petiit à nobis?* id, inquam falſum eſt. Quamvis enim Deus his omnibus, qui ſunt in nova lege, det, vel ſaltèm offerat Gratiam ſufficientem (in ſenſu Thomiſtico intellectam) non tamen omnibus hominibus, qui ſunt in nova Lege, dat Deus Gratiam per ſe efficacem per quam actu operentur id quod, Deus poſtulat ab eis. Ideò autem Deus non omnibus hominibus, qui ſunt in nova Lege donat Gratiam per ſe efficacem, quia (ſicut in ſuperioribus meis Epiſtolis, agendo de Gratia ſufficienti, latè commonſtravi) multi homines in ſtatu naturæ lapſæ prava ac perverſa voluntate reſiſtunt Gratiæ ſufficienti, quæ, illa, quæ Deus ab jis petit, reddit ſimpliciter poſſibilia; ſicque propria ſua culpa ac malitia reſiſtentes Gratiæ ſufficienti, obicem & impedimentum ponunt receptioni Gratiæ per ſe efficacis, quam Deus ex ſe paratus eſt illis conferre, ſeſeque ſubindè indignos reddunt, qui recipiant Gratiam ſe ipſa efficacem, per quam reverà adimplerent id, quod Deus petit ab illis; de quibus profectò (cùm nihil prorsùs cauſari poſſint ad excuſandas excuſationes in peccatis) meritò dicitur: *Perditio tua ex te*.

Octava Queſnelli Propoſitio De Gratia.

Nos non pertinemus ad novum fœdus; niſi in quantum participes ſumus novæ ipſius Gratiæ, quæ operatur in nobis, quod Deus nobis præcipit.

Virgula Cenſoria in hanc octavam *Queſnelli* Propoſitionem.

Hæc octava *Queſnelli* Propoſitio juſtè fuit damnata, quia plures ex ea effluunt hæreticæ conſecutiones. Si enim (ut ait *Queſnellus*) non pertinemus ad novum fœdus, hoc eſt, ad Eccleſiam Jeſu Chriſti, niſi quantùm participes ſumus novæ ipſius Gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit, hoc eſt, Gratiæ per ſe efficacis (qualem hìc intelligit Queſnellus) ſequitur primò, eos fideles, qui deſtituti Gratia per ſe efficaci, & ſua culpa Gratiæ ſufficienti reſiſtunt, eamque concupiſcentiis & peccatis ſuffocant, non pertinere ad novum fœdus, ſeu ad Eccleſiam Jeſu Chriſti.

Sequitur ſecundò, eos, qui firma fide credunt omnibus Myſteriis, quæ credenda proponit Chriſtiana Religio, & tamen ſunt peccatores, carentque Gratia per ſe efficaci; non pertinere ad novum fœdus, ſeu ad Eccleſiam Jeſu Chriſti, illoſque proindè non eſſe *Chriſtianos* apppellandos.

Sequitur tertiò, novum fœdus, ſeu Eccleſiam Jeſu Chriſti non includere in ſuo ſinu *peccatores*, ſed *ſolos juſtos*. Quæ tria horrenda dogmata, ex hac octava *Queſnelli* Propoſitione profluentia, damnavit Eccleſia Catholica profligando errores *Lutheri*, & *Calvini* in Concilio Tridentino.

Sequitur quartò ex hac *Queſnelli* Propoſitione, nos non pertinere ad novum fœdus, quia Deus illud nobiſcum inire dignatus eſt per Filium ſuum in carne noſtra apparentem; nec quia etiam incarnatus Dei Filius pro nobis natus, pro nobis paſſus, crucifixus, mortuus, delevit quod adverſùm noserat chirographum Decreti, affigens illud Cruci, nec quia denique ſanguine Chriſti redempti ſumus, & caractere Chriſtiano ſignati, per Baptiſmum nempe regenerati, & tot aliis Sacramentis Eccleſiæ locupletati & muniti; per hæc, inquam, & alia id genus (quæ Scriptura Sacra, & Sancti Patres paſsìm & ubique prædicant, tanquàm inſignia & perſpicua ſigna eorum, qui pertinent ad novum fœdus Evangelii, ſeu ad Eccleſiam Jeſu Chriſti) negat *Queſnellus*, nos pertinere ad novum fædus Evangelii, ſeu ad Eccleſiam Chriſti, vultque, nos ad novum fædus, ſeu ad Eccleſiam Jeſu Chriſti, eo ſolo nomine pertinere, quod per ſolam Gratiam Chriſti ſe ipſa efficacem (quam in ſenſu Janſeniano, & à Scholæ Thomiſticæ ſenſu longè diverſo, docet) neceſſariò impellamur ad implenda & exequenda mandata Dei, cum tamen de Fide certum ſit, eos omnes, qui Sacro Baptiſmatis fonte ſunt in Chriſto regenerati, & Fide indubitanter tenent omnia quæ Eccleſia Catholica credenda proponit, verè pertinere ad novum fædus, ſeu ad Eccleſiam Chriſti, tametſi ſua culpa privati aliquandò Gratia per ſe efficaci (in ſenſu Thomiſtico intellecta) peccent, & Dei, atque Eccleſiæ tranſgrediantur præcepta.

Nona Queſnelli Propoſitio De Gratia.

Gratia Chriſti eſt Gratia ſuprema, ſine qua confiteri Chriſtum nunquàm poſſumus, & cum qua nunquàm illum abnegamus.

Decima Queſnelli Propoſitio De Gratia.

Gratia eſt operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire poteſt, aut retardare.

Virgula Cenſoria in nonam, & decimam *Queſnelli* Propoſitiones.

Hæ duæ *Queſnelli* Propoſitiones, nona & decima, continent Janſenianæ hæreſeos virus *de Gratia neceſſitante*. Si enim abſque Gratia per ſe efficaci (de hac quippe hìc loquitur *Queſnellus*, cum nullam aliam in ſtatu naturæ lapſæ, unà cum *Janſenio*, admittat, ſicut ſæpius diximus) ſi, inquam, abſque Gratia per ſe efficaci non poſſumus, ut inquit *Queſnellus*, confiteri Chriſtum, ergo in ſtatu naturæ lapſæ datur dumtaxàt Gratia per ſe efficax, quem errorem in ſecunda *Janſenii* Propoſitione damnavit Eccleſia: Ergò, abſente Gratia per ſe efficaci, non habemus per Gratiam verè ſufficientem, diſtinctam à Gratia per ſe efficaci, veram & expeditam potentiam confitendi Chriſtum; quem itidem errorem in prima *Janſenii* Propoſitione confixit Eccleſia ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis pleniſſimè oſtendi.

Similiter, ſi Gratiam per ſe efficacem, ut ait *Queſnellus*, nihil impedire poſſit aut retardare, ſequitur, Gratiam per ſe efficacem eſſe Gratiam *neceſſitantem*, quia ſic ſuum habet effectum, ut adimat voluntati humanæ veram potentiam ad oppoſitum. Porrò, licèt, juxta doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, verum ſit, Gratiam per ſe efficacem eſſe talis naturæ, ut cùm ea nunquàm abnegemus Chriſtum; oppidò tamen falſum eſt, & à ſenſu Eccleſiæ Catholicæ prorsùs alienum, aſſerere, Gratiam per ſe efficacem eſſe talis naturæ, ut voluntas humana non poſſit ei diſſentire.

Nunquàm, fateor, voluntas humana divinæ Gratiæ per ſe efficaci reſiſtet ac diſſentiet, nec ejus intrinſecam virtutem impediet aut retardabit (ſicut poſt ſanctos Patres *Auguſtinum*, & *Thomam*, univerſa Schola Thomiſtica pro aris ac focis propugnat) at dogma Fidei eſt in Concilio Tridentino contra Lutheranos, & Calviniſtas, alioſque Novatores definitum, liberum hominis arbitrium poſſe diſſentire Gratiæ per ſe efficaci, hoc eſt, hominem ſub imperio Gra-

tiæ

tiæ per ſe efficacis conſervare ſuam indifferentiam activam agendi vel non agendi, veramque Gratiæ per ſe efficaci diſſentiendi potentiam, non quidem conjunctam cum actu oppoſito, ſeu cum actuali diſſenſu & reſiſtentia (id enim, ut ſæpiùs diximus, prorſus impoſſibile eſt) ſed hominem ſub imperio Gratię per ſe efficacis retinere veram Gratiæ per ſe efficaci diſſentiendi potentiam ſejunctam ab actu oppoſito, ideſt ab actuali diſſenſu & reſiſtentia ſicut in Epiſtola, quam ad te jam ſcripſi, in qua genuinam Conc. Tridentini mentem circà Gratiam ſe ipſa efficacem latè expoſui, memini me liquidò oſtendiſſe.

Undecima Queſnelli Propoſitio
De Gratia.

Gratia non eſt aliud, quàm Voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet.

Duodecima Queſnelli Propoſitio
De Gratia.

Quandò Deus, vult ſalvam facere animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis ſequitur voluntatem Dei.

Decima tertia Queſnelli Propoſitio
De Gratia.

Quandò Deus vult animam ſalvare, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.

Virgula Cenſoria in has *Queſnelli* Propoſitiones, undecimam, duodecimam, & decimam tertiam.

Hæ tres *Queſnelli* Propoſitiones fuligine Janſenianæ hæreſeos ſunt conſperſæ. *Ianſenius* quippè admittit dumtaxàt in ſtatu naturæ lapſæ voluntatem Dei efficacem & conſequentem, ex qua proveniunt Gratiæ per ſe efficaces, per quas Deus facit quod jubet, quas indubitabilis ſequitur effectus, & quibus nulla voluntas humana reſiſtit; negat verò *Ianſenius*, Deum habere in ſtatu naturæ lapſæ voluntatem veram ac ſinceram ſalvandi omnes omninò homines eiſque præparandi Gratias verè ſufficientes, à Gratiis per ſe efficacibus diſtinctas, quæ dent peccatoribus veram & expeditam potentiam benè agendi, è peccato emergendi, & quibus peccatores propria culpa ſua ac malitia reſiſtūt.

Porrò, idem cum *Ianſenio* occinit *Queſnellus* in his tribus Propoſitionibus. In primis, ſolam in ſtatu naturæ lapſæ admittit voluntatem Dei efficacem, & conſequentem ſalvandi dumtaxàt electos ac prædeſtinatos & cui nemo reſiſtit. Deinde negat *Queſnellus*, dari in Deo voluntatem veram ac ſinceram, quam Theologi vocant *Antecedentem*, ſalvandi omnes omninò homines in ſtatu naturæ lapſæ, & cui propria malitia & obſtinatione ſua reſiſtunt. Tertiò, *Queſnellus* ſolam in ſtatu naturæ lapſæ agnoſcit Gratiam per ſe efficacem, per quam Deus jubet, & facit quod jubet; & cui nulla voluntas humana reſiſtit. Poſtremò, *Queſnellus* eliminat è ſtatu naturæ lapſæ Gratiam verè ſufficientem, à Gratia per ſe efficaci diſtinctam, quæ dat humanæ voluntati veram ac expeditam potentiam benè agendi, obſervandi præcepta Dei, & cui voluntas humana propria ſua malitia verè reſiſtit. Jure itaque anathemate tres iſtæ *Queſnelli* Propoſitiones à Clemente XI. Pontifice Maximo, in ſenſu *Ianſenii* fuerunt perculſæ.

Ejuſdem furfuris ſunt cæteræ aliæ damnatæ Propoſitiones, videlicèt à Propoſitione decima quarta uſque ad Propoſitionem quinquageſimam nonam, in quibus ſingulis *Queſnellus* doctrinam ſuam de Gratia in ſenſu *Baji*, & *Ianſenii* luculentèr exprimit, quas hìc inſerere aut ſpeciatim confutare ſupervacaneum eſſe judico, cùm ex his momentis, quæ jam in ſuperioribus meis Epiſtolis ad oppugnandam *Baji*, ac *Ianſenii* doctrinam ab Eccleſia proſcriptam, adduxit, ſat ſuperque confutatæ maneant iſtæ quinquaginta novem *Queſnelli* Propoſitiones de Gratia, quæ in eumdem ſenſum hæreticum *Baji*, & *Ianſenii* relabuntur. Quocircà, ne tibi prolixiori, quàm par ſit,

Digitized by Google

ſit, Epiſtola faſtidium afferam, generatim dumtaxàt tibi rationes indicabo, propter quas quinquaginta illæ novem *Queſnelli* Propoſitiones de Gratia jure optimo fuerunt proſcriptæ.

Inprimis; (quod accuratè advertere debes) omnes fermè iſtæ quinquaginta novem *Queſnelli* Propoſitiones, quæ ad Gratiam attinent, ſunt *indefinitæ*, ſubindèque æquivalent Propoſitionibus univerſalibus, ſicut in confeſſo eſt apud omnes Theologos ac Philoſophos. Hinc, dum in ſuis Propoſitionibus *Queſnellus* ait, *Gratiam Jeſu Chriſti eſſe ſupremam, invincibilem . . . . . Nihil eſſe quod Gratiam impedire aut retardare poſſit, nullam voluntatem humanam ei reſiſtere &c.* perindè eſt ac ſi *Queſnellus* diceret, *OMNEM Gratiam Jeſu Chriſti eſſe ſupremam & invincibilem: OMNEM Gratiam impedire non poſſe, aut retardari: OMNI Gratiæ nullam voluntatem humanam reſiſtere: OMNEM Gratiam nunquàm ſuo carere effectu &c.* Quod quidèm apertè falſum & hæreticum eſt. Si enim *OMNI Gratiæ nulla voluntas humana reſiſtit*: ergò in ſtatu naturæ lapſæ dantur tantùm Gratiæ per ſe efficaces; ergò admitti non debet Gratia *verè ſufficiens*, cui voluntas humana reſiſtit: Ergò (abſente Gratia per ſe efficaci) juſtis præcepta ſunt impoſſibilia, deeſt quoque Gratia, qua eis poſſibilia fiant. Quæ omnia, tanquàm hæretica dogmata damnavit Catholica Eccleſia in Propoſitionibus *Michaelis Baii*, & in prima ac ſecunda Propoſitionibus *Janſenii* ſicut lato calamo oſtendi, in meis præcedentibus Epiſtolis. Cùm igitur *Queſnellus* in ſuis quinquaginta novem *de Gratia* indefinitis, ſeu univerſalibus Propoſitionibus, eò unicè collimet, ut ſolam in ſtatu naturæ lapſæ adſtruat Gratiam per ſe efficacem, cui nemo unquàm reſiſtit, & explodat Gratiam *verè ſufficientem*, cui voluntas humana reſiſtit; ſicque inducat Gratiam *neceſſitantem*, quæ liberum hominis arbitrium penitùs exterminat, indè neceſſaria conſecutione inferre debes, omnes iſtas quinquaginta novem *Queſnelli* Propoſitiones de Gratia fuiſſe æquiſſimo judicio à Clemente XI. Vaticano fulmine protritas.

Prætereà, inter illas quinquaginta novem *Queſnelli* Propoſitiones, quæ ſpectant Gratiam, plures ſunt, quæ jam à Summis Pontificibus S. Pio V. & GREGORIO XIII. fuerunt in 79. *Michaelis Baii* Propoſitionibus damnatæ, quarum aliæ pertinent ad Gratiam Adami, quam ejus naturæ ſanæ, & integræ debitam fuiſſe, eamque in Adamo merita dumtaxàt humana produxiſſe, aſſerunt *Michael Bajus*, & *Queſnellus*: Aliæ Propoſitiones attinent ad Fidem, quæ eſt virtus Theologica, quamque *Bajus*, & *Queſnellus* pertendunt, eſſe primam Gratiam, & fontem omnium aliarum Gratiarum, ita ut extrà veram Eccleſiam nulla ſit Gratia: Aliæ Propoſitiones verſantur circa Infidelium, quæ peccata eſſe, nullaſque apud illos eſſe veras virtutes, pronunciant *Michael Bajus*, & *Queſnellus*: Aliæ Propoſitiones agunt de morte Chriſti, quam *Bajus*, *Janſenius*, & *Queſnellus* reſtringunt ad ſolos electos ac prædeſtinatos: Poſtremò, aliæ Propoſitiones referuntur ad charitatem, quæ eſt virtus Theologica, ſine qua nullam virtutem, nullas ad juſtificationem diſpoſitiones, nec ullum opus bonum agnoſcunt *Bajus*, *Janſenius*, & *Queſnellus*.

Sapientiſſimè itaque CLEMENS XI. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c* iſtas *Queſnelli* Propoſitiones, à ſuis Deceſſoribus prædamnatas, variis Cenſuris perſtrinxit, nihilque (ſicut teſtatur Summus ille Pontifex in exordio ejuſdem Conſtitutionis) opportunius, aut ſalubrius præſtari à ſe poſſe arbitratus eſt, quàm ſi fallacem libri (*Queſnelli*) doctrinam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitionibus, diſtinctiùs & apertiùs explicaret, atque univerſis Chriſti fidelibus noxia Zizaniorum ſemina è medio tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeret; eam in ſpem erectus, fore ut, benedicente Domino, denudatis, & quaſi in propatulo poſitis; non uno quidem, aut altero, ſed plurimis, graviſſimiſque, tum pridem damnatis, tùm etiam novè adinventis erroribus, omnes fideles tandem apertæ jam, manifeſtæque veritati cedere compellantur.

Plu-

Google

Plura de damnatis *Queſnelli* Propoſitionibus non dicam. Abundè quippè ſufficit mihi, breviter hìc demonſtraſſe, ex omnibus *Queſnelli* Propoſitionibus, quæ attinent ad doctrinam de Gratia, & quas CLEMENS XI. in *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus &c.* tam juſtè damnavit, nullam eſſe, quæ aliquam ex enuntiatis non mereatur Cenſuram, ſubindeque *Janſenii*, & *Queſnelli* diſcipulos eſſe inſignes Calumniatores, qui, excuſſo omni pudore, aſſerere non verentur, ex centum & una *Queſnelli* Propoſitionibus, quas CLEMENS XI. Pontifex Maximus, in *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus &c.* proſcripſit, nullam eſſe, quæ aliqua erroris nota compungi valeat Quod ſanè putidum eſſe ac luculentiſſimum mendacium, patet ex his *Queſnelli* Propoſitionibus, quæ ſpectant doctrinam de Gratia, quaſque jure optimo fuiſſe Janſenianæ hæreſeos nota a CLEMENTE XI. inuſtas, ſat ſuperque oſtendi.

Quod verò ſpectat cæteras *Queſnelli* erroneas Propoſitiones, in *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, damnatas, & quæ non pertinent ad doctrinam *de Gratia*, ſed ad varias referuntur materias, videlicet *de Eccleſia*; *de lege veteri*, *& nova*; *de timore & amore*; *de afflictione innocentis*; *de diſpenſatione à lege*; *de adminiſtratione pœnitentiæ*; *de Excommunicatione*, *& perſecutione*; *de lectione Scripturæ Sacræ*; *de juramento &c* has, inquam, erroneas *Queſnelli* Propoſitiones, quas CLEMENS XI. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus &c.* variis, juſtiſque Cenſuris confixit, impræſentiarum non attingam, tum quia longiùs me abducerent, ſi earum confutationem aggredi vellem; tum quia non pertinent ad materiam de Gratia, de qua dumtaxat in meis Epiſtolis tractandi provinciam ſuſcepi; tùm quia denique actum agerem, & falcem mitterem in meſſem alienam, cùm non pauci Scriptores hac noſtra tempeſtate lucubrarint non minùs mole, quàm eruditione immenſa volumina ad refellendas omnes *Queſnelli* Propoſitiones à CLEMENTE XI. variis Cenſuris jure ac merito proſcriptas, & ad referandum genuinum earum ſenſum, in quo ab eodem Summo Pontifice fuerunt damnatæ.

Legeſis *Paſtorale Documentum*, quod Epiſcopi Eccleſiæ Gallicanæ anno 1714. publicarunt, & ubi ſenſum, in quo centum & una Propoſitiones *Queſnelli*, quas Summus Pontifex Clemens XI. in ſua *Conſtitutione*, quæ incipit: *Unigenitus*, damnavit, accuratè præfixerunt, quos ſecutus eſt Cardinalis *De Biſſy*, qui, duobus editis voluminibus, fusè demonſtravit, ſingulas Propoſitiones in *Queſnello* damnatas, priùs rejectas ac proſcriptas fuiſſe in Thomiſtarum Scriptis. Eo de argumento etiam perdoctè tractarunt alii, ſed præſertìm *R. P. Honoratus à S. Maria*, Carmelita Excalceatus, qui in variis libris, quos adversùs Janſeniſtas, & Queſnelliſtas gallico idiomate vulgavit, clarè detexit venenum latens & callidè ſparſum in Janſeniſtarum libris, & in Propoſitionibus ac Scriptis *Queſnelli*.

VII. Venio nunc ad ultimam & execrabilem calumniam, quam Janſeniſtæ, & Queſnelliſtę, effractis omnibus obedientię, & venerationis, Sedi Apoſtolicę debitæ, clauſtris, audent intentare Clementi XI. Pontifici Maximo, aſſerentes. Conſtitutionem, à Sanctiſſimo illo Pontifice contra centum & unam *Queſnelli* Propoſitiones publicatam, refertam eſſe erroribus contra Scripturam Sacram, contra Traditionem Sanctorum Patrum, contra doctrinam morum, & diſciplinam Eccleſiæ, ſubindèque predictam *Conſtitutionem* nullo pacto recipi debere.

Ut autem tam atrocem calumniam, quæ eſt Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum deſperatæ ac deploratæ cauſæ manifeſtum argumentum, ſolidis momentis refellam, quatuor hic breviter præmittam principia, quæ apud omnes Orthodoxos ſunt indubitata; immò, quę ipſimet Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ non inficiantur; ex quibus ſemel poſitis principiis evidentèr oſtendam primò, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, dùm effutire audent, Clementis XI. *Conſtitutionem*, quæ incipit: *Unigenitus Dei filius &c.* continere multos errores contrà Scripturam Sacram, contra Traditionem

SS.

SS. Patrum, contra doctrinam morum & diſciplinam Eccleſiæ, fateri debere (ſi ſuis principiis ſtare, ſibique conſtare velint) Eccleſiam Romanam non eſſe amplius Catholicam ſeu toto Orbe diffuſam; eam non eſſe ampliùs columnam & firmamentum veritatis; adversùs eam portas Inferi prævaluiſſe, ac proindè falſas eſſe promiſſiones de perpetuitate & infallibilitate Eccleſiæ à Chriſto Domino factas. Quæ omnia quàm horrenda, impia & ſacrilega ſint, nemò non videt.

Dein, breviter oſtendam, ex eo Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum principio (tametſi falſiſſimo) quo videlicèt acritèr pertendunt, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c* multos contra Fidem Catholicam continere errores; oſtendam, inquam, Janſeniſtas & Queſnelliſtas qui huic falſiſſimo principio tenacitèr adhærent neceſſario compelli ut (inviti licèt) fateantur, ſe eſſe Schiſmaticos, Hæreticos à vera Chriſti Eccleſia penitùs extorres, planèque chymericam & impoſſibilem eſſe prætenſam ſuam à conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, appelationem ad futurum Concilium generale.

Hæc omnia, quæ Janſeniſtas, & Queſnelliſtas in extremas redigunt anguſtias ut in aperto Sole ponam, quatuor ſtatuo principia, quæ ſunt totidèm Fidei Catholicæ Dogmata, quæ omnes fideles firmitèr credere tenentur, quæque etiam Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ negare non audent. Primum eſt, quod vera Chriſti Eccleſia ſit infallibilis, & errare haud poſſit in credendo & docendo, juxta certiſſimam promiſſionem Chriſti. *Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*. Alterum principium, quod itidèm Dogma fidei eſt, in hoc ſiſtit, quòd vera Chriſti Eccleſia *Catholica* ſit, ſeu toto orbe diffuſa. Univerſalitas quippè ſicut poſt omnes Sanctos Patres, docent & tenent omnes Catholici eſt teſſera, ſeu nota veræ Eccleſiæ Chriſti. Tertium principium iſtud eſt, quod vera Chriſti Eccleſia ſit duratura uſque ad conſummationem ſæculi, ſicut *Matthæi* cap. 28. verſ. 40 promiſit Chriſtus his verbis: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi*. Quartum denique, quod præmitto, principium in hoc ſitum eſt, quòd nullus, qui Fidem Catholicam profitetur, debet in his, quæ ſpectant divinum cultum, & externam Religionis profeſſionem, habere communionem & ſocietatem cum illis, quos ſcit eſſe notorios, ſeu apertos hæreticos. *Quæ* enim (ut ait Apoſtolus *Paulus* Epiſt. 2 ad Corinthios cap 6.) *participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti cum Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli*.

His ſemel præjactis principiis, in quibus omnes ad unum conſentiunt Catholici, & quæ etiam Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ (ſaltem palàm) inficias ire non præſumunt, plura peremptoria & (ſicut in Scholis vulgò dici ſolet) argumenta *ad hominem* inſtaurabo, quæ apertè evincent, Janſeniſtas & Queſnelliſtas, dum infrunito ore CLEMENTEM XI. calumniatur, ipſiuſque Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c* multos contra Fidem Catholicam continere errores deblaterant, ſe ſe proprio mucrone confodere, in execrabiles errores præcipites ferri, & tandèm fateri debere ſuam à Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* appellationem ad futurum Concilium generale eſſe chymericam & planè impoſſibilem.

Primò itaque contrà Janſeniſtas, & Queſnelliſtas ſic argumentor: Vera Chriſti Eccleſia eſt infallibilis, & errare non poteſt *in docendo, & credendo*; Atqui Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ, aſſerentes, CLEMENTIS XI Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius*, plures contra Catholicam Fidem continere errores, neceſſariò affirmare debent, Eccleſiam Romanam, per totum Orbem diffuſam ac propagatam, erraſſe *in credendo & docendo*; igitur Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ aſſerentes, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* plures contra Fidem Catholicam comprehendere errores, neceſſariò, velint nolint,

liſt, tenentur itidèm aſſerere, Eccleſiam Romanam non eſſe amplius veram Chriſti Eccleſiam. Majorem Propoſitionem hujus Syllogiſmi ultrò contendunt Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ.

Totius itaque difficultatis cardo vertitur in Minori hujus Syllogiſmi Propoſitione, quam priuſquam probem, hoc unum certiſſimum ſuppono, quod Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ negare, aut in dubium revocare non poſſunt, videlicet, CLEMENTIS XI Pontificis Maximi, Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* fuiſſe receptam & probatam conſenſu expreſſo, vel tacito, in univerſa, qua latè patet, Eccleſia Romana. Hæc quippè *Conſtitutio* fuit publicata & recepta à tribus Summis Pontificibus CLEMENTE XI. INNOCENTIO XIII. & BENEDICTO XIII. Prætereà an. MDCCXXV. in Concilio Romano (cui præerat Summus Pontifex BENEDICTUS XIII. multi Cardinales, & Epiſcopi Italiæ aderant, ipſe etiam præſens, tanquam Theologus interfui) prædicta *Conſtitutio* recepta & probata fuit. Poſtremo, hæc CLEMENTIS XI. *Conſtitutio* fuit vel expreſſo, vel tacito conſenſu recepta ab omnibus Epiſcopis Catholicis per univerſum Orbem ſparſis, videlicèt in Italia, Germania, Hiſpania, Polonia, Luſitania & in Gallia, exceptis paucis Epiſcopis Eccleſiæ Gallicanæ, qui huic CLEMENTIS XI. Conſtitutioni principio quidèm acquieſcere detrectarunt, ſed poſteà aliquot ex illis hancce *Conſtitutionem* ſumma, qua par eſt, animi demiſſione jam receperunt, & in ſuis Diæceſibus promulgari juſſerunt. Hinc certa ſpes affulget, fore ut hi numero pauciſſimi Epiſcopi, qui adhùc in Gallia Conſtitutioni, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* refragantur, abdicatis tandèm aliquandò falſis, quæ animis conceperant, præjudiciis, propedièm reſipiſcant, & ad unitatem redeant.

Hac ſemel præmiſſa ſuppoſitione de acceptatione Conſtitutionis, quæ incipit: *Unigenitus &c.* facta ab omnibus totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopis, & per univerſum Orbem diſperſis, nunc Minorem mei Syllogiſmi Propoſitionem ſic brevitè probo: Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* probarunt & receperunt tres Summ. Pontifices CLEMENS XI. INNOCENTIUS XIII. & BENEDICTUS XIII. eam quoque receperunt, & approbarunt Concilium Romanum, omnes Cardinales & totius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopi per totum Orbem diſperſi: Atqui, juxta Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, Conſtitutio quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* plures continet errores contrà Fidem Catholicam; igitur juxta Janſeniſtas, & Queſnelliſtas tres Summi Pontifices Concilium Romanum, omnes Cardinales, omnes Catholici Epiſcopi totius Orbis receperunt & ſuo calculo probarunt quàm plures errores Fidei Catholicæ contrarios, ſubindèque Catholica, ſeu Romana Eccleſia erravit (juxta Janſeniſtas, & Queſnelliſtas) *in credendo & docendo*. Viden, chariſſime Diſcipule, quò ruant, ſeque præcipites ferant Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ dùm eos non pudet aſſerere CLEMENTIS XI. Pontificis Maximi, Conſtitutionem, quæ incipit. *Unigenitus Dei Filius &c.* plures continere errores, contra Verbum Dei, contra Traditionem Sanctorum Patrum, contra doctrinam morum, & Diſciplinam Eccleſiæ.

VIII. Sed ulterius, ſi placet progrediamur. Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ, aſſerentes, CLEMENTIS XI Conſtitutionem quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* quàm plures continere errores, Fidei Catholicæ contrarios; non ſolùm indè inferre coguntur univerſam Eccleſiam Romanam, quæ (ut mox oſtendi) prædictam Conſtitutionem recepit, erraſſe *in credendo & docendo* eamque non eſſe ampliùs columnam & firmamentum veritatis ſed etiam Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ indè neceſſariò colligere debent, univerſam Eccleſiam Romanam à tempore quo recepit & probavit Conſtitutionem quæ incipit: *Unigenitus* (quam Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ multis contra Fidem & mores ſcatere erroribus pertendunt) deſiiſſe planè eſſe *Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam, & viſibilem* Eccleſiam, ſubindèque Eccleſiam

Ro-

Romanam non eſſe ampliùs veram Chriſti Eccleſiam, cùm careat his dotibus & notis, quibus vera Chriſti Eccleſia, ſecernitur à falſa & Synagoga Satanæ; hæc inquam, errorum portenta neceſſariò Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ profiteri debent, hoc ipſo, quòd aſſerunt CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* benè multis infartam eſſe graviſſimis erroribus contra Fidem & bonos mores.

Verùm enim verò, ſi CLEMENTIS XI. Conſtitutio, quæ incipit: *Unigenitus &c.* quamplures complectatur errores contra Fidem & bonos mores (ſicut obſtrepunt Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, ſequitur, Eccleſiam Romanam non eſſe ampliùs Unam unitate capitis. Caput quippè viſibile Eccleſiæ eſt Romanus Pontifex, qui Fidem Catholicam profitetur, ſi autem à Catholica Fide publicè deſciſcat. & in Hæreſim labatur, deſinit tunc eſſe Eccleſiæ caput. Porrò, neceſſe omninò eſt ut Janſeniſtæ. & Queſnelliſtæ dùm pertendunt, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c* plures contra Fidem Catholicam & bonos mores continere errores, neceſſe inquam, omninò eſt, ut Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, hoc ſemel poſito principio (quamvis falſiſſimo) dicant itidèm, CLEMENTEM XI. INNOCENTIUM XIII. & BENEDICTUM XIII qui hanc Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* receperunt, approbarunt, & univerſa Eccleſia Romana publicari voluerunt, à Fide Catholica palàm receſſiſſe & in apertam hæreſim impegiſſe, ſubindèque Eccleſiam Romanam à tempore CLEMENTIS XI. ad noſtram uſque ætatem non eſſe Unam unitate capitis. Secundò neceſſe eſt ut Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, qui ajunt, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* profligare penitùs puritatem doctrinæ Moralis Chriſtianæ & ſanctiores Regulas quæ ſervari debent in administratione Sacramenti Pœnitentiæ neceſſe, inquam, eſt, ut conſequentèr dicant, univerſam Eccleſiam Romanam, quæ vel expreſſo, vel tacito conſenſu recepit, probavit, & adoptavit eamdem CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, non eſſe ampliùs *Sanctam*. Tertiò, neceſſe eſt, ut Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, qui Conſtitutionem CLEMENTIS XI. à doctrina Apoſtolorum prorsùs alienam eſſe contendunt, ſtatim concedant, univerſam Eccleſiam Romanam, quæ eidem Conſtitutioni, conſtanter adhæret deſiiſſe eſſe *Apoſtolicam*.

Verbo dicam: Quocumque ſe vertant Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ, quamdiù aſſerent, CLEMENTIS XI Conſtitutionem quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c* plures contra Catholicam Fidem & mores continere errores, tandiù neceſſariis conſecutionibus dicere adſtringentur primò univerſam Eccleſiam Romanam quæ prædictam CLEMENTIS XI Conſtitutionem recepit ac probavit, eraſſe *in credendo & docendo*. Secundò, univerſæ Eccleſiæ Romanæ à tempore, quo hanc CLEMENTIS XI. Conſtitutionem recepit non competere dotes ac notas quibus vera Chriſti Eccleſia diſcernitur à falſa; hoc eſt, univerſam Eccleſiam Romanam non eſſe ampliùs Unam unitate capitis nec Sanctam nec indefectibilem, nec Apoſtolicam nec Catholicam ſeu toto Orbe diffuſam nec externa Fidei Catholicæ profeſſione viſibilem proindèque veram Chriſti Eccleſiam evaſiſſe planè inviſibilem, & eam non amplius reperiri in Italia, in Gallia, in Hiſpania, in Germania, in Regno Neapolitano, in Sicilia, in Luſitania, in Hungaria &c cùm certò certiùs ſit omnium illorum Regnorum Epiſcopos recepiſſe & approbaſſe, expreſſo vel tacito conſenſu, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c* quamque Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ benè multos errores contra Catholicam Fidem & mores continere ubique clamitant.

Hi ſunt, chariſſime Diſcipule, graviſſimi & deteſtabiles errores quibus ſeſe neceſſariò implicant Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ, dùm aſſerere audent, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus*, plures continere errores contra Fidem Catholicam, contra Scripturam Sacram, contra avitam Patrum Traditionem, contra doctrinam morum, & Diſciplinam Eccleſiæ.

Eoſ-

Eoſdem impios errores olim in multis Conciliis damnavit Eccleſia in Hæreticis *Donatiſtis*, qui univerſam Eccleſiam periiſſe penitùs ubique terrarum, eamque dumtaxàt penès ſe ipſos in Africa remanſiſſe ogganiebant. Concilium etiam Æcumenicum Tridentinum Hæreſiarchas *Lutherum*, *& Calvinum*, alioſque Novatores, qui eoſdem Donatiſtarum errores recoquebant, & aſſerebant, Eccleſiam Romanam deſiiſſe eſſe veram Chriſti Eccleſiam, diris devovit, & anathemate percuſſit.

IX. Reſpondent Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, quod licet Eccleſia Romana, dum recepit & adoptavit CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* (quam ipſi multis erroribus contra Fidem Catholicam, & doctrinam morum ſcatere pertendunt) deſiiſſe eſſe vera Chriſti Eccleſia, inde tamen non ſequitur, periiſſe omninò veram Chriſti Eccleſiam, quia, inquiunt, vera Chriſti Eccleſia remanſit penès illos Epiſcopos, & alios quam plures, qui prædictam Conſtitutionem recipere noluerunt, & ad futurum Concilium Generale appellarunt.

Verùm, hac Reſponſione Janſeniani, & Queſnelliani ſe jugulant, & ſuam cauſam prorſùs deſperatam reddunt. At enim, quamvis Hæretici Donatiſtæ dicerent, univerſam Eccleſiam, quæ Romano Pontifici adhærebat, deſiiſſe eſſe veram Chriſti Eccleſiam, non tamen aſſerebant, interiiſſe omninò veram Chriſti Eccleſiam, ſed potiùs volebant & acriter contendebant, veram Chriſti Eccleſiam penès ſe ſolos in Africa reſidere: Atqui tamen Donatiſtas, hæc effutientes, Eccleſia damnavit tanquàm virulentos Hæreticos; & *S. Auguſtinus* multis in libris, quos adverſus Hæreticos Donatiſtas eddidit, invictè demonſtrat, eorum Eccleſiam, quæ Africæ finibus erat circumſcripta, non poſſe eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quia illorum Eccleſiæ non competebant hæ dotes, ac Notæ, quæ ſoli veræ Chriſti Eccleſiæ convenire debent, videlicet Unitas capitis, Sanctitas, Catholicitas indefectibilitas, Viſibilitas, & Doctrina Apoſtolica.

Oſtendant igitur Janſeniſtæ, Queſnelliſtæ, & alii, qui à Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus &c.* appellarunt ad Concilium Generale, oſtendant, inquam, ſi poſſint, ſuam prætenſam Eccleſiam eas ſibi vindicare dotes ac Notas, quæ propriæ & eximiæ ſunt ſoli veræ Chriſti Eccleſiæ. Indicent etiam nobis, ſi poſſint, aliquam in toto Orbe Chriſtiano Eccleſiam, cui hæ Notæ, hi veræ Eccleſiæ caracteres potiori jure adjudicari queant, quàm Eccleſiæ Romanæ, quam Chriſtus promiſit ſe nunquàm deſerturu n, quæ ſemper fuit & erit uſque ad conſummationem Mundi Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica, Indefectibilis & Viſibilis, adversùs quam denique (juxta ſolemnem promiſſionem Chriſti) *portæ Inferi nunquàm prævalebunt*. Profectò, certus ſum, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas (quantumvis ſudent, æſtuent, ac ſe vehementer torqueant) id nunquam oſtenſuros.

Præterquamquòd non vident Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, ſe, dum ſuppònunt, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* variis contra Catholicam Fidem eſſe reſperſam erroribus, ſubindèque omnes totius Orbis Epiſcopos, qui expreſſo vel tacito conſenſu eamdem Conſtitutionem receperunt, in apertam prorupiſſe hæreſim, non vident, inquam, Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, ſe, hac facta ſemel hypoteſi, cauſam ſuam omninò deſperatam reddere, & chymericam, prorſuſque impoſſibilem ſuam, quàm plenis buccis jactant, Appellationem ad futurum Concilium Generale.

Enim verò, quis, amabò te, convocaret iſtud Concilium Generale, ad quod nunc appellant Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ? eſſetne Romanus Pontifex, ad quem ſolum de jure pertinet convocare Concilia Generalia, eiſque preeſſe vel per ſe vel per ſuos Legatos? Reſpondebunt Janſeniſtę, & Queſnelliſtę, juxta ſuam hypoteſim. Romanum Pontificem, qui recepit & probavit CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.*, quamque variis contra Fidem Catholicam ajunt eſſe refertam erroribus, in apertam impegiſſe he-

hæreſim, proindèque Romanum Pontificem deſiiſſe eſſe caput Eccleſiæ; eumque ſic manifeſta hæreſi conſpurcatum non poſſe convocare Concilium Generale, nec per ſe, nec per Legatos ſuos ei præeſſe, nec denique eſſe legitimum judicem in dirimendis Controverſiis, quæ ſpectant Catholicam Fidem. Si verò peram à Janſeniſtis & Queſnelliſtis, numquid vultis, ut omnes Orbis Epiſcopi interſint huic Concilio Generali, ad quod appellatis? incunctantèr reſpondebunt mihi Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ, juxta ſuam hypoteſim, omnes Orbis Epiſcopos, qui tacito, vel expreſſo conſenſu receperunt Conſtitutionem CLEMENTIS XI. eſſe publicos & notorios Hæreticos, qui omni jure exciderunt judicium ferendi in Concilio generali de rebus ad Catholicam Fidem pertinentibus. Igitur (reponam ipſe Janſeniſtis & Queſnelliſtis) poſtulatis Concilium Generale, quod, juxta principium, quod admittitis, probè ſcitis eſſe chymericum & planè impoſſibile. Dicitis enim, Romanum Pontificem, & totius Orbis Epiſcopos, qui CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* expreſſo, vel tacito conſenſu receperunt, in manifeſtam prolapſos eſſe hæreſim, adeoque illos eſſe non poſſe legitimos ac competentes Controverſiarum, quæ Fidem Catholicam ſpectant, Judices. Ex quo principio (cui adhæreſcunt Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ) manifeſtò ſequitur, illos appellare ad Concilium Generale Chymericum, & penitùs impoſſibile. Ecquandonàm, quæſo, fuit in Eccleſia Catholica celebratum aliquod Concilium generale, quod non fuerit à Romano Pontifice convocatum? cui per ſe, aut per Legatos ſuos non præfuerit Romanus Pontifex? & ad quod tandèm per Epiſtolam Encyclicam, miſſam à Romano Pontifice, non fuerint acciti & invitati omnes Chriſtiani Orbis Epiſcopi, qui ejuſdem Fidei profeſſione Cathedræ Sancti Petri adhærent? Appellatio itaque Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum ad futurum Concilium Generale eſt (juxta illorum principia) illuſoria, chymerica, & impoſſibilis. Sperantne, fore ut Eccleſia, in Concilio generali congregata, rejiciat ac damnet CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* quam tres Summi Pontifices, omnes Cardinales, Concilium Romanum, & omnes (paucis tantùm exceptis) totius Orbis Chriſtiani Epiſcopi receperunt, & Fidei Catholicæ maximè conſentaneam eſſe judicarunt? Sed ſi id Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ ſperant, omni procul dubio falſa ſpe aluntur & vento paſcuntur. Quì enim credibile eſt, Epiſcopos, qui per totum Orbem Chriſtianum diſperſi CLEMENTIS XI. Conſtitutionem receperunt & approbarunt, poſtea in Concilio Generali congregatos eamdem CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, tanquam pluribus contra Fidem Catholicam erroribus ſcatentem, rejecturos ac damnaturos?

X. Dicentne denique Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ, Eccleſiam, in Concilio Generali congregatam, infallibili auctoritate in decidendo aliquo Fidei capite pollere, non verò Eccleſiam per totum Orbem diſperſam? Sed hoc tam falſum eſſe, quam quod maximè, pluribus momentis evinco. Primò, quia Chriſtus Dominus tam de Eccleſia in Concilio Generali congregata, quàm de Eccleſia per totum Orbem ſparſa dicit: *Si quis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus: Ego Vobiſcùm ſum uſque ad conſummationem ſæculi: Portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam.* Præthereà, ſi Eccleſia per totum Orbem diſperſa non eſſet infallibilis in dijudicandis Fidei & Religionis Cauſis, deberent neceſſariò omnes Cauſæ, quæ Fidem ac Religionem ſpectant, judicari in ſolis Conciliis Generalibus, & in his dumtaxat proſcribi & damnari poſſent Hæreſes, quæ identidèm in Eccleſia emergere ſolent; Atquì ex perpetua Eccleſiæ praxi, ad noſtram uſque memoriam propagata, id apertè falſi convincitur.

Certum quippè eſt, ſolos Romanos Pontifices ſæpiùs abſque Conciliorum Generalium indictione ac celebratione cauſas Fidei ac Religionis judicaſſe, ac definiſſe, obortaſque in Eccleſia Hære-

ſes

Digitized by Google

ſes auctoritate Apoſtolica damnaſſe ac profligaſſe. Sic in Cauſa celebrationis Paſchatis, ſolus emicuit *Victor* Papa; in Cauſa Baptiſmi Hæreticorum, ſolus *Stephanus*; in Cauſa Mæchorum, ſolus *Zephyrinus*, in cauſa *Dionyſii Alexandrini*, ſolus *Dionyſius*, Romanus Pontifex; in Cauſa Donatiſtarum, ſolus præ cæteris Papa *Melchiades*; in Cauſa *Sancti Athanaſii*, ſolus *Julius* I. Hæreticum *Jovinianum* unus *Siricius*, Pontifex Maximus, confodit. Infinitus profectò eſſem, ſi alia id genus innumera penè exempla in medium adducere vellem.

Legeſis lib 3. *Euſebii Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 26. 27 28. & 39 nec non lib. 4. cap 7. 11. & 29. & confeſtim intelliges, *Menandrum*, Hæreſiarchæ *Simonis* ſucceſſorem, *Ebionem*, *Cerinthum*, *Nicolaum*, ex quo prodiit infamis Secta Nicolaitarum; *Saturninum* Antiochenum, *Baſilidem* Alexandrinum, *Carpocratem*, Sectæ Gnoſticorum conditorem, *Valentinum*, *Cerdonem*, *Marcionem*, *Tatianum*, alioſque plures trium priorum Eccleſiæ ſæculorum hæreticos, fuiſſe vel à ſolis Romanis Pontificibus, vel ab Epiſcopis Eccleſiæ per Orbem Chriſtianum diſperſi damnatos ſine Conciliis. Sufficiet ſi dixerim, errores *Baji*, *Janſenii*, *Molinoſi*, *D. De Fenelon*, Archiepiſcopi Cameracenſis, fuiſſe hac noſtra tempeſtate ſine Conciliis à ſolis Romanis Pontificibus S. PIO V. GREGORIO XIII. INNOCENTIO X. ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XII. approbante & conſentiente univerſa Eccleſia Romana, ubique terrarum diffuſa, damnatos atque confixos.

Ut igitur aliquod dogma tanquàm hæreticum habeatur, non eſt abſolutè neceſſarium ut cogatur Concilium Generale; (quod enim, quæſo, Concilium Generale Pelagianos damnavit?) ſed ſufficit Romani Pontificis damnatio, quam poſteà Eccleſia, per totum Orbem diffuſa, recipit expreſſo vel tacito conſenſu. Hinc *Sanctus Auguſtinus* lib. 4. ad *Bonifacium* capite ultimo urgens Hæreticos Pelagianos, qui Concilii Generalis congregationem requirebant, ait: *Quaſi nulla hæreſis aliquandò niſi Synodi congregatione damnata ſit: cùm potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multòque ſint atque incomparabiliter plures, quæ, ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque indè per cæteras terras devitandæ innoteſcere potuerunt.*

Sed de his plura legeſis apud *Honoratum Tournelly*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctorem, *Tom. I Prælectionum Theologicarum*, ubi fuſo calamo probat primò, Eccleſiam, per totum Orbem Chriſtianum diſperſam, per ſolos Romanos Pontifices ſtatim judicaſſe Cauſas, quæ Fidem, & Religionem ſpectabant, pleraſque obortas Hæreſes damnaſſe ſine Conciliis, ibidemque facit ſatis omnibus objectionibus Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum, qui CLEMENTIS XI. Conſtitutioni, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* pervicaciter acquieſcere detrectantes, & ad Concilium Generale provocantes, contrarium ſentiunt. Secundò, evincit idem perdoctus Scriptor, fieri haud poſſe, vi promiſſionum Chriſti, ut in cauſa fidei major Epiſcoporum Summo Pontifici adhærentium numerus, paucis admodùm reclamantibus, in fide aberrare aliquandò poſſit, & de facto aberraverit, ſolvitque omnes objectiones Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum, qui falsò ſibi perſuadent contrarium probari poſſe ex Facto Conciliorum Ariminenſis, Seleucienſis ex Facto *Honorii I* Summi Pontificis, ex *S. Gregorio Nazianzeno*, ex *S. Hilario*, ex *Sancto Auguſtino*, ex *Vincentio Lirinenſi*, ex *Theodoreto*, *&c.*

XI Ipſe verò, intra præſcriptæ mihi in his Epiſtolis brevitatis limites ſiſtere volens, ea dumtaxàt ſub finem iſtius Epiſtolæ ſummatim perſtringam, de quibus hactenùs ad amoliendam à CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, calumniam, quam non pudet Janſeniſtas & Queſnelliſtas ei impingere, ſat prolixè diſſerui. In primis oſtendi, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas eſſe inſignes calumniatores, dum aſſerunt, CLEMENTEM XI. damnaſſe in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* doctrinam SS. *Auguſtini*, & *Thomæ*

de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci.

Secundò oſtendi, ex omnibus *Queſnelli* Propoſitionibus, quæ doctrinam Gratiæ ſpectant, ſicut ex aliis Propoſitionibus, nullam eſſe, quæ aliquam Cenſuram non mereatur.

Tertiò commonſtravi, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* fuiſſe ab Epiſcopis totius Orbis Chriſtiani (paucis dumtaxàt exceptis) receptam & probatam tanquam Fidei Catholicæ maximè conſentaneam.

Quartò, oſtendi, Eccleſiam, per totum Orbem diſperſam, pari infallibilitate in judicandis cauſis, quæ ad Fidem & Religionem pertinent, gaudere, qua pollet Eccleſia in Concilio Oecumenico congregata; ſubindèque Janſeniſtas, & Queſnelliſtas perperàm appellare ad Concilium Generale, cùm certum ſit, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* fuiſſe expreſſo, vel tacito conſenſu receptam ab univerſa Chriſti Eccleſia per totum Orbem ſparſa, quæ perindè infallibilis eſt ac Eccleſia in Concilio Generali congregata.

Quinto, monſtravi, juxta veterem, & novam Eccleſiæ Diſciplinam, ſæpiùs Eccleſiam per ſolos Romanos Pontifices cauſas, ad Fidem & Religionem attinentes, judicaſſe, & naſcentes hæreſes damnaſſe ſine Conciliis Generalibus.

Sextò, probavi, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, dum aſſerunt, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* plures contra Fidem Catholicam continere errores, teneri (ſtando huic principio) itidèm affirmare, Romanos Pontifices, & omnes totius Orbis Chriſtiani Epiſcopos, qui hanc CLEMENTIS XI. Conſtitutionem receperunt, in apertam hæreſim eſſe prolapſos, proindeque univerſam Eccleſiam Romanam deſiiſse eſse veram Eccleſiam, eamque non ampliùs habere notas & caractères veræ Eccleſiæ, videlicet Unitatem, Sanctitatem, Catholicitatem, Perpetuitatem, infallibilitatem, & Viſibilitatem. Quod ſanè ipſiſſimum eſt Hæreticorum Lutheranorum, & Calviniſtarum impium dogma.

Septimò, oſtendi, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, dùm pertendunt, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* quamque CLEMENTIS XI. ſucceſsores, INNOCENTIUS XIII. & BENEDICTUS XIII. omneſque totius Orbis Chriſtiani Epiſcopi receperunt, continere multos contra Fidem Catholicam errores, neceſſariò profiteri debere (ſuis inhærendo principiis) illuſoriam eſse. chymericam, & planè impoſſibilem, ſuam ad futurum Concilium Generale appellationem, quia futurum illud Concilium non poteſt (juxta Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum principia) convocari à Romano Pontifice, quem dicunt à Fide Catholicà deſciviſſe, dùm CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* recepit; nec etiam futuro Concilio Generali intereſſe poſſunt (juxta Janſeniſtarum & Queſnelliſtarum principia) totius Orbis Epiſcopi, quos pertendunt eſſe notorios hæreticos, eò quòd CLEMENTIS XI Conſtitutionem, variis contrà Fidem Catholicam erroribus refertam, receperint & approbarint. Quò fit, ut (juxta Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum principia) chymerica & impoſſibilis ſit celebratio alicujus Concilii Generalis, cùm, in eorum hypoteſi, nec Concilium Generale poſſit nunc à Romano Pontifice convocari, nec ei intereſſe Epiſcopi per totam Eccleſiam diſperſi.

Denique, oſtendi, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, dum ſibi perſuadent, Romanos Pontifices, & totius Orbis Epiſcopos, qui CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* receperunt, eſſe notorios hæreticos, debere pariter (huic ſuo adhærentes principio) fateri, ſe eſse hæreticos, & à Fide Catholica extorres, quia, ſaltem exteriùs, dicunt, ſe permanere velle in Eccleſia Romana, & externa Fidei profeſſione, & Sacramentorum participatione ſimulant ſe habere communionem & ſocietatem cum Romano Pontifice, & cum totius Orbis Epiſcopis, quos tamen volunt eſse manifeſtos hæreticos, eo quòd CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* expreſso, vel tacito conſenſu receperunt. Porrò certiſſimum eſt, illos eſſe hæreticos, qui data opera, ſcientes ac volen-

Digitized by Google

lentes, externa Fidei profeſſione, & Sacramentorum participatione ſociantur, & communionem habent cum illis, quos non dubitant eſſe hæreticos, & extra veram Eccleſiam Chriſti,

Quò fit, ut miſerabilis & deploranda omninò ſit ſors Janſeniſtarum,& Queſnelliſtarum, quia, quamdiù ſibi perſuadebunt, & dicent, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* plures continere errrores contra Fidem Catholicam, omneſque totius Orbis Epiſcopos, qui eamdem CLEMENTIS XI. Conſtitutionem expreſſo, vel tacito conſenſu receperunt, eſſe hæreticos, & Fidei deſertores; quamdiù, inquam, huic falſiſſimo principio adhærebunt Janſeniſtæ,& Queſnelliſtæ, tamdiù illis nulla ſpes ſalutis, poterit affulgere,ſive ab Eccleſia Romana ſe ſeparent, ſive in ea permanere velle ſe ſimulent externa Fidei profeſſione, & Sacramentorum participatione. Si enim Janſeniſtæ,& Queſnelliſtæ, ſe ſe ab Eccleſia Romana, quæ ſola eſt vera Eccleſia Chriſti, & à communione Romani Pontificis, qui eſt Caput viſibile totius Eccleſiæ, ſeparent; omni procul dubio actum ac conclamatum eſt de æterna Queſnelliſtarum, & Janſeniſtarum ſalute, quia *quiſquis* (ut docet *S. Cyprianus* cap. 5. libri *de Unitate Eccleſiæ*) *ab Eccleſia ſeparatur, adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur; nec pervenit ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Sancto Cypriano* ſuccinit *S. Auguſtinus*, lib 4. *De Baptiſmo* cap. 17. dicens *Salus extra Eccleſiam non eſt. Quis negat?* Eos etiam, qui à communione Romani Pontificis abſcedunt, nullam poſſe ſperare ſalutem, disertè teſtatur *S. Hieronymus*, ſic in Epiſtola ſua 57. ad *Damaſum*, Romanum Pontificem, ſcribens: *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt, Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.*

Certum igitur eſt, Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, ſi ab Eccleſia Romana, quæ ſola eſt vera Sponſa Chriſti, & à Romani Pontificis communione ſe ſeparent, nullam poſſe ſperare ſalutem. Sed nullam etiam ſalutis æternæ ſpem Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ(quamdiù doctrinæ ſuæ principiis ſtabunt) habere poſſunt, tametſi externa Fidei profeſſione, & Sacramentorum participatione ſimulent, ſe in Eccleſia Romana permanere velle, & à communione Romani Pontificis nolle diſcedere. Ratio in promptu eſt, Janſeniſtæ ſiquidem, & Queſnelliſtæ acritèr pertendunt, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* plures contra Fidem Catholicam continere errores; omneſque Romanos Pontifices, & Epiſcopos, per totum Orbem Chriſtianum diſperſos, qui eamdem CLEMENTIS XI. Conſtitutionem expreſſo vel tacito conſenſu receperunt, in Fide erraſſe, proindèque hæreticos eſſe; ex quo doctrinæ Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum principio facillimè infertur, illos nullam æternæ ſalutis ſpem habere poſſe, etiamſi externa Fidei profeſſione, & Sacramentorum participatione ſimulent, ſe in Eccleſia Romana permanere, & communionem cum Romano Pontifice habere velle. Quicumque enim (fatentibus ipſiſmet Janſeniſtis, & Queſnelliſtis) externa Fidei profeſſione & communione ſociantur cum illis, quos ſciunt eſſe hæreticos, ſunt manifeſti hæretici, quibus, utpotè extrà veram Chriſti Eccleſiam exiſtentibus,nulla ſupereſt ſpes æternæ ſalutis conſequendæ; ſed Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ, dùm profitentur, ſe velle in Eccleſia Romana permanere, & à Romani Pontificis communione diſcedere nolle, ſociantur externa Fidei profeſſione & Sacramentorum participatione cum Romano Pontifice, & cum omnibus totius Orbis Epiſcopis, quos dicunt eſſe hæreticos, quia CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus &c.* expreſſo vel tacito conſenſu receperunt; ergò Janſeniſtæ & Queſnelliſtæ (juxtà ſuæ doctrinæ principia) fateri obſtringuntur, ſe eſſe hæreticos, ſubindèque nullam ſibi adipiſcendæ ſalutis æternæ affulgere ſpem, etiamſi externa Fidei profeſſione ſimulent ac fingant, ſe nec ab Eccleſia Romana, nec à communione Romani Pontificis, qui eſt illius caput viſibile, diſcedere velle.

O 2 Hæc,

Hæc, quæ hactenus dixi, cariſſime diſcipule, tibi abundè ſufficere debent, ut diſpungas hanc immanem calumniam, quam CLEMENTI XI. & toti Eccleſiæ Romanæ audent per ſacrilegam temeritatem affingere Janſeniani, & Queſnelliani, paſsim in ſuis famoſis libellis aſſerentes, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* plures contra Fidem Catholicam complecti errores, omneſque Epiſcopos, qui per totum Orbem diſperſi hanc Conſtitutionem expreſſo vel tacito conſenſu receperunt, in apertam hæreſim fuiſſe prolapſos. Ad depellendam tam atrocem calumniam, debes in his turbulentis Eccleſiæ temporibus ſemper paratus eſſe internam Fidem tuam, erga Unam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam Eccleſiam, & ejus viſibile caput, Romanum Pontificem, ore, ſcripto, ſanguine, ſi opus ſit, profiteri, & ſæpiùs nomine meo inculcare amicis tuis iſtud, quod Apoſtolus *Paulus* cap. 3. v. 14. Epiſtolæ ſecundæ ad Theſſalonicenſes dat, ſaluberrimum conſilium: *Si quis non obedierit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo ut confundatur*, ideſt, ut, pudore tactus, ad meliorem frugem & ad ſaniorem mentem redeat. Vale, & Sanctiſſimi Pontificis Clementis XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c* quam ejus ſucceſſores INNOCENTIUS XIII. BENEDICTUS XIII & omnes (paucis exceptis) totius Eccleſiæ Romanæ per Catholicum Orbem diſperſi Epiſcopi expreſso vel tacito conſenſu receperunt, firmiter adhære, & ab ea ne latum quidem unguem diſcede.

EPI-

EPISTOLA DECIMA
HISTORICA,

In qua omnia, quæ in Cauſis Baji, Janſenii, & Queſnelli atque in eorum profligandis erroribus hactenus geſſit ac definivit Eccleſia, hiſtoricè referuntur, & ab obtrectatorum calumniis Vindicantur.

DE *Michaele Bajo*, *Cornelio Janſenio*, & *Paſchaſio Queſnello* paſſim in meis ſuperioribus Epiſtolis multa dixi, quæ tibi, rerum Theologicarum candidato, arma, ad debellandos horumce Novatorum errores, facilè ſuppeditare poſſunt. Nunc, ut penitùs dignoſcas ſæpiùs decantatas *Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* Cauſas, quæ tot ac tantas in Eccleſia excitarunt tragædias, necdùm extinctas, neceſſarium in rem tuam eſſe duxi, referre in hacce Epiſtola quæcumque Eccleſia, poſt maturum, diuturnum ac diligentiſſimum examen, in iſtis definiendis cauſis hactenùs geſſit, ut indè nullo negotio intelligas, contumaces, rebelles, & planè inobedientes eſſe illos, qui tot contrà *Bajum*, *Janſenium*, & *Queſnellum* latis ab Eccleſia Catholica definitionibus etiamnùm obſtinatis animis parere, & acquieſcere detrectant. Mihi tamen animus non eſt integram ac cohærentem hic fuſiori calamo adornare Hiſtoriam Bajaniſmi, Janſeniſmi, & Queſnelliſmi. Id enim nec mei inſtituti ratio, nec Epiſtolæ hujus anguſtiæ patiuntur, ſed dumtaxàt præcipua, & majoris momenti capita, quæ ad Cauſarum *Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* initium, progreſſum, & exitum pertinent, ſumma fide ex publicis monumentis excerpta (quorum auctoritas nutare ac periclitari haud poteſt) compendioſa narratione perſtringam, eaque (ubi opus erit) a quorumdam obtrectatorum calumniis vindicabo. Et primo quidem loco dabo Synopſin hiſtoricam Bajaniſmi. Dein, attexam Synopſin hiſtoricam Janſeniſmi. Poſtremò, ſubnectam Synopſin hiſtoricam Queſnelliſmi. Rem actutùm aggredior.

Synopſis Hiſtorica Bajaniſmi.

I *Michael Baius* (à cujus cauſa, quæ vulgò ab ipſius nomine *Baiana*, vel *Baianiſmus*, dicitur, exordium in præſentia ſumo) an. MDXIII. natus eſt Melini in territorio Athenſi apud Belgas. Laurea doctorali in Sacra Fac. Lovanienſi anno MDL. donatus eſt &, anno ſequenti à *Carolo V.* Hiſpaniarum Rege, Sacrarum litterarum Profeſſor fuit inſtitutus, ac poſtea anno MDLXIII. à *Philippo II.* Rege Hiſpaniarum: miſſus ad Conc. Generale Trident. quod exeunte eodem anno fuit abſolutum.

Tridento in Belgium, patrium ſuum Solum, reverſus *Michael Bajus*, aliquot errorum fuit inſimulatus, quos Academiæ Salmanticenſis, & Complutenſis, ſuis Cenſuris confixerunt, ac tandem S. PIUS V. Ordinis Prædicatorum, qui, per plures annos *Sancti Thomæ Aquinatis* doctrina innutritus, ſumma cum laude in Familia Dominicana Theologiam docuerat, data ſolemni Conſtitutione, quæ incipit: *Ex omnibus afflictionibus &c* damnavit ſeptuaginta novem *Michaelis Baji* Propoſitiones, tacito tamen *Michaelis Baji* nomine, ut ea prudenti æconomia leniretur *Baji* dolor, ejus honori ac famæ conſuleretur, & confeſtim ſopirentur omnes illi tumultus, qui jam in Belgio, occaſione novæ doctrinæ *Baji*, perſtrepere incipiebant. Propoſitiones verò iſtas ſeptuaginta novem San-

ctus ille Pontifex damnavit tantùm in genere, ſeu, ut ajunt, *in globo* & reſpectivè, *tanquàm hæreticas*, *erroneas*, *ſuſpectas*, *temerarias*, *ſcandoloſas*, *& in pias aures offenſionem immittentes*: Quem quidèm ferendæ cenſuræ modum, quem in his ſeptuaginta novem *Baji* damnandis Propoſitionibus ad hibuit S. Pius V. non eſse inſolentem, ſeu novum in Eccleſia, ſed potiùs uſitatum, ſæpiuſque fuiſse ab Eccleſia in configendis hæreticorum libris & erroribus uſurpatum, mox evincam adversùs Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, qui perperàm plurimùm invehuntur in hunc ferendæ cenſuræ modum.

Hæc Bulla; ſeu Conſtitutio Piana, licèt vivente S. Pio V. fuerit à *Maximiliano Morillonio*, Vicario Generali Cardinalis *Granvellani*, Archiepiſcopi Mechlinenſis, lecta coràm Stricta Facultate Theologica Lovanienſi ad id ſpecialiter convocata die 29. menſis Decembris MDLXVII. vivente tamen S. Pio V. non fuit publicata, & hinc eſt, quòd duo Sanctiſsimi illius Pontificis vitæ Scriptores, videlicèt *Catena*, & *Gabutius*, hanc S. Pii V. Conſtitutionem altoſilentio prætermiſerint. Aſt, mortuo S. Pio V. ejus ſucceſsor GREGORIUS XIII. cùm intèllexiſset, non deeſse Theologos, qui Propoſitiones Conſtitutione S. Pii V. damnatas aſserere ac pertinacitèr defendere pergerent, præfatam Conſtitutionem Pianam auctoritate ſua & nova Conſtitutione die 24 menſis Januarii anni MDLXXIX. data, quæ incipit: *Proviſionis noſtræ &c.* confirmavit, & Lovanium miſit *Franciſcum Toletum*, è Societate Jeſu (quem à ſacris habebat Concionibus, quique poſteà fuit S. R. E. Cardinalis) ut prædictam Conſtitutionem Pianam deſerret, promulgaret, & ab omnibus, ea, qua par eſt, reverentia recipi curaret. Juſſa ac vota Summi Pontificis GREGORII. XIII. felicitèr confecit *Franciſcus Toletus*, quippè qui Lovanium appulſus, Conſtitutionem Pianam die 21 menſis Martii anni MDLXXX. in frequentiſſimo totius Academiæ Lovanienſis conſeſſu juſſit recitari. Qua lecta, *Michael Bajus*, ejuſdem Univerſitatis Cancellarius, omneſque Doctores Theologiæ, Licentiati, ac Baccalaurei conſona voce conclamarunt: *Articulos damnamus*, *Bullam reverenter ſuſcipimus*, *atque obedientiam pollicemur*. Hæc conſtant ex Faſtis Academiæ Lovanienſis excuſis anno MDCL. pag. 369.

Nec tantùm *Bajus* Conſtitutionem Pianam in hoc publico Academiæ Lovanienſis conſeſſu ſumma humilitate & obedientia recepit, verùm etiam, poſtquàm privata colloquia cum *Franciſco Toleto* habuiſſet, Scriptum propria manu ſubſcriptum die XXIV. menſis Martii anni MDLXXX publicavit, quo agnovit ac declaravit, ſe perſuaſum habere, earum omnium Propoſitionum damnationem atque prohibitionem jure meritoque, ac nonniſi maturo judicio, ac diligentiſſima diſcuſſione præmiſſis, factam ac decretam eſſe; ſe fateri inſupèr, plurimas ex iiſdem Propoſitionibus in nonnullis libellis à ſe olim, & antè emanatam Sedis Apoſtolicæ ſuper eis cenſuram, conſcriptis & in lucem editis, contineri, & defendi etiam in eo ſenſu in quo reprobantur; denique, ſe impræſentiarum ab iis omninò recedere, & damnationi, à Sancta Sede factæ, acquieſcere, neque poſthàc ullam earum Propoſitionum docere, aut defendere velle. Hæc eſt ſumma Retractationis, ſeu decantatæ à *Michaele Bajo* palinodiæ in eo, quod propria manu ſubſcripſit, publico Inſtrumento, ſicut videre eſt in Actis Facultatis Lovanienſis, quæ referuntur in nova Operum *Michaelis Baji* editione) quam adornavit *Gerberonius*) part. 2. pag. 188. & 189.

Porrò, hanc Retractationem ſuorum errorum, quam publico inſtrumento fecit *Michael Bajus*, fuiſſe ſinceram, & non ſimulatam, facile evinci poteſt. Primò, quia *Bajus* (poſt editam illam ſuorum errorum retractationem) ſcripſit ad Summum Pontificem GREGORIUM XIII. ut illum de ſua retractatione, & de præſtita, quæ ei debebatur, omnimoda obedientia certiorem faceret, quibus *Baji* literis idem Summus Pontifex die V. menſis Junii ejuſdem an. MDLXXX reſcripſit Breve Apoſtolicum, teſtimoniis benevolentiæ & paterni affectus plenum. Præterea, Cardinalis *Palavicinus*, So-

Societatis Jeſu, lib. xv. *Hiſtoriæ Concilii Tridentini* cap. 7. numer. 17. loquendo de obedientia *Michaelis Baii*, ait: *Ut Sedis Apoſtolicæ judicio acquieſceret, perpaucis Colloquiis obtinuit Toletus.* Ibidèm etiam idem Hiſtoricus Cardinalis, poſtquàm laudavit promptam obedientiam, quam *Michael Bajus* Sedi Apoſtolicæ exhibuit, hæc ſubdit. *Atque hoc pacto Bajus nonſolum illæſus perſtitit, ſed ipſius etiam nomini verba Diplomatis Pontificii pepercerunt. Quin, per illud ejus errores manum tàm mitem experti ſunt, ut vix viderentur errores, cùm aliquæ ex proſcriptis Popoſitionibus, nullis certis in hac exceptione adnotatis, dicerentur poſſe ſuſtineri in aliqua minus propria ſignificatione.*

Quin, modeſtiam, & obedientiam *Michaelis Baji* alter Societatis Jeſu Scriptor, videlicèt *Theophylus Raynaudus* (vir tamen, ſi quis unquàm fuit, rugoſæ frontis, & obducti ſupercilii Cenſor) impensè laudat in Clauſula Operis, quod edidit, *de libris configendis*, numer. 57. ubi de humilitate, poſt juſtam librorum confixionem, ab Auctoribus tenenda, ſermonem habens, inquit: *Quo in genere Michael Bajus æternum quibuſvis Scriptoribus exemplum ſapientiæ ac virtutis ſtatuit. Cùm confixis à Franciſco Toleto, per Pontificem ad id delegato, nonnullis ejus libris, oblataque Cenſura, an acquieſceret rogatus; malle ſe dixit, porcos paſcere, quàm cujuſcumque per Eccleſiam delecti judicio de Scriptionibus ſuis pervicaciter obluctari.* Modeſtiam itidèm ac promptam *Michaelis Baji* obedientiam laudat *Poſſevinus*, Societatis Jeſu, in libro, quem lucubravit, *De Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Denique, agmen Scriptorum, qui modeſtiam, & obedientiam *Michaelis Baji* maximè commendant, claudet *Aubertus Miræus* in ſua *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ubi teſtatur, *in Michaele Bajo duas res enituiſſe, quæ in unum eumdemque hominem rarò admodùm convenire ſolent, præſtans videlicet ingenium, & ſummam animi modeſtiam, & ita enituiſſe, ut de illo ornando certaſſe inter ſeſe videantur: Eum quotidiè ſacris tam piè fuiſſe operatum, ut, inter ſacrificandum, & lacrymas effunderet frequenter, & eaſdem aliis excuteret; morientem ſuas facultates pauperibus teſtamento legaviſſe, Collegio Lovanii ſub patrocinio Beati Auguſtini, quem religiosè ſemper coluit, excitato.* Hæc Scriptorum teſtimonia mirificè conſentiunt cum judicio, quod de *Michaele Bajo* tulit *Franciſcus Toletus*, teſtis oculatus, & omni exceptione major, qui eximiam ſuſpiciens *Michaelis Baji* modeſtiam, & exoculatam obedientiam, in hæc verba prorupit: *Michaele Bajo nullus doctior, nullus humilior.*

II. Mortuus eſt *Michael Bajus* die XVI. menſis Septembris anni MDLXXXIX. annos natus 77. Poſt ejus mortem, prodierunt multi, qui *Michaelis Baii* errores in Conſtitutione S. PII. V. confirmata à GREGORIO XIII. damnatos, pro viribus inſtaurare moliti ſunt. Sed illorum petulantem audaciam refrænavit ac compeſcuit URBANUS VIII. Pontifex Maximus, per Bullam, quam promulgavit die 6. menſis Martii anni MDCXLI. quæque incipit: *In Eminenti &c.* Non quieverunt tamen fulguritæ *Baii* doctrinæ pertinaces defenſores. Contenderunt, hanc URBANI VIII. Bullam eſſe *ſubreptitiam*, dolo, & aſtu extortàm, adeòque non eſſe recipiendam; quorum putidum mendacium damnavit ALEXANDER VIII. Summus Pontifex, die VII. menſis Decembris anni MDCXC.

Poſt tot reptitas à Summis Pontificibus errorum *Michaelis Baii* damnationes, ſpes aliqua affulgebat fore ut, exterminata penitùs graſſante illa lue, nullus deinceps proſcriptæ doctrinæ *Baii* patrocinari vellet, ſed omnium ſpem fefellit eventus. Excerptæ quippè ſunt ex *libro Reflexionum Queſnelli in novum Teſtamentum* centum, & una Propoſitiones, quarum multæ jam confixas *Michaelis Baii* Propoſitiones renovabant. Has centum, & unam *Queſnelli* Propoſitiones variis cenſuris damnavit CLEMENS XI. Pontifex Maximus, promulgando die VIII. menſis Sept. anni MDCCXIII. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* quamque omnes totius Orbis Epiſcopi, pauciſſimis exceptis (ſicut in ſuperiori mea Epiſtola oſtendi)

expreſſo, vel tacito conſenſu receperunt. Tot Vaticanis fulminibus attriti doctrinæ *Baji* Aſſertores, necdum ſilent, ſed palàm, vel per cuniculos totis viribus conantur omnem vim & auctoritatem derogare Conſtitutioni, qua S. PIUS V. ſeptuaginta novem *Michaelis Baji* Propoſitiones proſcripſit, & quam ejus ſucceſſores Pontifices Maximi, Gregorius XIII. Urbanus VIII. Alexander VIII. & Clemens XI. confirmarunt; nullis in univerſa Eccleſia Epiſcopis, Paſtoribus, Academiis, & Doctorum Scholis contra hanc *Michaelis Baii* doctrinæ proſcriptionem, ſæpiùs à Sede Apoſtolica factam, reclamantibus, niſi *Baii*, *Janſenii*, & *Queſnelli* diſcipulis. Juvat ergò, ut hìc breviter hanc Pianam Conſtitutionem (cui adhùc obſtrepunt iſti Novatores) ab illorum conatibus, & cavillis vindicem.

In primis dicunt, hunc ferendæ cenſuræ modum, generalem, vagum, indeterminatum, & ut vulgò ajunt, *in globo*, quem in proſcribendis ſeptuaginta novem *Michaelis Baii* Propoſitionibus adhibuit S. PIUS V. in ſua Conſtitutione, eſſe novum, obſcurum, confuſum, fidelibus non modò inutilem, ſed maximè noxium, quia per ejuſmodi Cenſuras generales, quibus multæ ſimul proſcribuntur Propoſitiones, nulla ipſis diſtributa ſpecialis cenſuræ nota, diſcernere nullo pacto poſſunt fideles, quænam Propoſitio, inter tot alias Propoſitiones generali cenſura, &, ut vocant, in globo damnatas, ſit *hæretica*, quænam *falſa*, vel *temeraria*, vel *ſcandaloſa &c.* Indèque inferunt iſti Novatores, Conſtitutionem Pianam, in qua ſeptuaginta novem *Michaelis Baii*, Propoſitiones generali dumtaxàt & indeterminata Cenſura proſcribuntur, nulla omninò ipſis in particulari affixa ſpecialis Cenſuræ nota, non eſſe recipiendam, tametſi à Summis Pontificibus GREGORIO XIII. URBANO VIII. ALEXANDRO VIII. & CLEMENTE XI. fuerit, quantùm ad proſcriptam *Baii* doctrinam, confirmata. In hoc potiſſimùm momento magnum ſuæ Cauſæ præſidium collocant *Baii*, *Janſenii*, & *Queſnelli* diſcipuli.

Verùm craſſiſſimè falluntur iſti Novatores, & hac expoſtulatione non juvant ſuam cauſam, ſed potiùs ultimam ei cladem inferunt. Enim verò, ſi Pianam Conſtitutionem ideò rejiciendam eſſe putant, quòd in ea ſeptuaginta novem *Michaelis Baii* Propoſitiones generali tantùm, vaga & indeterminata Cenſura proſcribuntur; quorsùm ergò ipſi recipiunt Cenſuram Concilii Conſtantienſis contra errores *Vvikleſi* & *Joannis Hus*? Conſtat enim Concilium Conſtantienſe Seſſione 8. quadraginta quinque *Vvikleſi* articulos, & Seſſione xv. alios triginta *Joannis Hus* generali tantummodò cenſura, &, ut ajunt, in globo, nulla ipſis ſingillatim inuſta cenſuræ nota, damnaſſe. Ut quid etiam iidem Novatores recipiunt LEONIS X. Bullam, in qua cenſura dumtaxàt vaga, & in globo, configuntur *Lutheri* errores, nulla ipſis ſingulatim diſtributa ſpecialis cenſuræ nota? Eccùr tandèm ambabus manibus, tantoque plauſu exceperunt cenſuram vagam generalem & in globo, quam INNOCENTIUS XI. Pontifex Maximus, die 2. Martii anni DDCLXXVII tulit contra ſexaginta quinque laxioris Moralis Propoſitiones. Certè *pondus & pondus*, (ut perhibet Scriptura Sacra) *utrumque abominabile, eſt coram Domino*.

Præterquamquòd, invaluit jampridèm in Eccleſia uſus & conſuetudo proſcribendi libros, & Propoſitiones ex his excerptas, variis cenſuris coacervatis & ſimùl congeſtis, &, ut dicitur, *in globo*, nulla facta earum unicuique Propoſitioni applicatione, ſeu diſtributione. Sic libri *Origenis* proſcripti fuere, eorum lectione interdicta, in quinta Synodo Generali. Sic *Gelaſius*, Papa, in Concilio Romano celebrato anno 494. & *Martinus I.* in Concilio Lateranenſi, habito anno DCXLIX. multos hæreticos, & impios illorum libros cenſura generali, nulla articulatìm deſignata Propoſitione, diris devoverunt.

Denique, hunc ferendæ generalis cenſuræ modum adverſus libros, & Propoſitiones ex iis extractas, ſequuti ſunt, Romani Pontifices JOANNES XXII. anno 1329. contra quinque articulos

Dun-

Joannis de Poliaco, & contra Propoſitiones *Ekardi* Ordinis Præd. SIXTUS IV contra *Petrum de Oſma* anno 1478. LEO X adverſus *Lutherum* anno 1520. S. Pius V. anno 1567 GREGORIUS XIII anno 1579. URBANUS VIII. anno 1641. ALEXANDER VII anno 1665. & 1666. INNOCENTIUS XI anno 1679. & 1688 ALEXANDER VIII. anno 1690. INNOCENTIUS XII. anno 1699. ac tandem CLEMENS XI. in ſua Conſtitutione data anno 1713. quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.*

Undè, contra Conſtitutionis Pianæ oſores ſic argumentor: Modum hunc ferendæ Cenſuræ generatim & *in globo*, nulla ſingillatim Propoſitionibus ſpecialis cenſuræ appoſita nota, ſecuta eſt, & etiamnum tenet univerſa Eccleſia. Concilium ſi quidem generale Conſtantienſe (ſicut mox obſervavi) damnavit generali dumtaxàt & indiſtincta cenſura Propoſitiones *Vviklefi*, & *Joannis Hus* juſſitque MARTINUS V. Summus Pontifex, ut illi, qui ſuſpecti forent, interrogarentur, num crederent, illas *Vviklefi*, & *Ioannis Hus* Propoſitiones rectè fuiſſe proſcriptas? Eccleſia etiam univerſa expreſſo vel tacito conſenſu (ſicut in ſuperiori mea Epiſtola common ſtravi) recipit CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* in qua tamen centum & una *Queſnelli* Propoſitiones generali tantum & indiſtincta cenſura proſcribuntur, nulla ſingulis Propoſitionibus adhibita particularis cenſuræ nota; ergò hic ferendæ cenſuræ modus generatim & in globo, nulla ſingillatim Propoſitionibus ſpeciali affixa cenſura, non eſt novus & inſolens in Eccleſia, nec ullum vitium habet; ſi enim vitium haberet, illud in univerſam Eccleſiam redundaret.

Addo etiam, nec addidiſſe pigebit, *Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* contra Conſtitutionem Pianam, & contra CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* patronos ac defenſores, hanc expoſtulationem, quam inſtituunt adverſùs cenſuras generales & in globo, ab ipſiſmet hæreticis fuiſſe mutuatos. *Lutherus* etenim in Diſputatione cum *Eckio* habita anno MDXIX. *inquam appellat viam plures dictiones* (ſeu Propoſitiones) *acervatim reprehendendi, non aſſignata cuiuſcumque effati nota, ſeu ratione cenſuræ*. Eadem de cauſa *Marcus-Antonius de Dominis*, Archiepiſcopus Spalatenſis, inſignis Apoſtata (Lib. I. *De Republica Chriſtiana* cap. 12.) carpit ac ſuggillat cenſuram aliquorum articulorum *Ioannis Hus*, à Concilio Generali Conſtantienſi facta, *quia eorum ſingulorum examen non apparet, ſed in confuſo ſimul cum multis aliis ſunt in Sententia contra Ioannem Hus ſub ejuſmodi cenſura notati*. His hæreticis patrocinatur *Petrus Suavis Polanus*, quem perdoctè refellit Cardinalis *Palavicinus* cap. 21. Lib. I. *Hiſtoriæ Concilii Tridentini* Videant ergò Doctrinæ *Michaelis Baji* defenſores, qui ideò Pianæ Conſtitutioni refragantur, quòd in ea ſeptuaginta novem *Baji* Propoſitiones generali & indiſtincta cenſura damnentur, nulla ipſis ſingulis ſpecialis cenſuræ diſtributa nota, videant, inquam, quos in hac ſua expoſtulatione Duces, Patronos, & Anteceſſores habeant.

III. Alterum contra Pianam Conſtitutionem diſcipuli *Baji Janſenii*, & *Queſnelli* opponunt momentum, petitum ab iſta Clauſula, quam S. Pius V. poſt enumeratas & damnatas *Michaelis Baji* Propoſitiones, adjecit, dicens: *Quas quidem ſententias, ſtricto coràm nobis examine ponderatas, quamquàm nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectivè damnamus*.

Hanc Pianæ Conſtitutionis Clauſulam tranſpoſitione commatis, ſeu virgulæ, de induſtria fuiſſe interpolatam, clamitant *Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* defenſores. Ajunt, eos, quorum intererat verum immutare ſenſum iſtius Clauſulæ à S. Pio V. adjectæ, confuſè virgulam collocaſſe immediatè poſt verbum iſtud. *poſſent*, ut ſenſus ſit: *Quamquàm nonnullæ Propoſitiones aliquo pacto (ſeu in aliquo ſenſu) ſuſtineri poſſent, eas tamen in rigore & proprio ſenſu verborum*

borum ab auctoribus intento, damnamus. At (inquiunt Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ (comma, ſeu virgula, collocari non debet immediatè poſt iſtud verbum, *poſſent*, ſed virgula inſeri debet poſt iſta verba, *ſenſu ab aſſertoribus intento*, ut ſenſus ſit: *Quamquàm earum Propoſitionum nonnullæ ſuſtineri poſſent in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, eas nihilominùs hæreticas, erroneas &c. damnamus*. Hoc pacto (inquiunt Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ) virgula tranſpoſita poſt verba iſta, *ſenſu ab auctoribus intento*, apertè indicat, S. PIUM V. innuiſſe, eas Propoſitiones in rigore ac proprio verborum ſenſu à *Bajo*, & aliis intento, ſuſtineri poſſe. Ità acriter contendit *Queſnellus* in libello Gallicè ſcripto ſub hoc titulo: *Apologia Hiſtorica Cenſuræ Lovanienſis & Duacenſis*. Item in altero libello, cui titulus eſt: *Documenta ad Hiſtoriam Academiæ Duacenſis*.

Sed in hac commatis, ſeu virgulæ tranſpoſitione turpiter hallucinantur Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ. Nam primò certum eſt, S. PIUM V. damnare voluiſſe ſeptuaginta illas novem *Baji* Propoſitiones in rigore ac proprio verborum ſenſu intento ab ipſomet *Bajo*, cùm perpetua fuerit hæc Eccleſiæ praxis, ut, dùm aliquas vel libri, vel auctoris Propoſitiones damnat, eas in ſe ipſis non abſolutè conſideret, ſed relativè ad mentem auctoris, & ſenſum Libri; quia aliquandò contingit ut Propoſitiones, in ſe abſolutè conſideratæ, nullam videantur mereri cenſuram, ſed tantùm relativè ad mentem, & ſenſum auctoris, ſicut multis exemplis hic nullo negotio commonſtrare poſſem.

Porrò, ſi comma, ſeu virgula (ſicut pertendunt Janſeniſtæ, & Queſnelliſtæ) collocari deberet poſt iſthæc verba, *quamquàm nonnullæ Propoſitiones, aliquo pacto ſuſtineri poſſent in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*, ſi, inquam, virgula dumtaxàt poſt iſthæc verba inſeri deberet, ſequeretur primò, S. PIUM V. damnaſſe Propoſitiones, quas ipſemet fatetur poſſe ſuſtineri in rigore ac proprio verborum ſenſu à *Michaele Bajo*, & ab aliis aſſertoribus intento. Quo ſanè nihil abſurdius, nihil huic Sanctiſſimo Pontifici injurium magis dici, excogitarive poteſt.

Secundò ſequeretur, S. PIUM V. non damnaſſe illas ſeptuaginta novem Propoſitiones in ſenſu intento à *Michaele Bajo*, ſed in ſenſu alieno, peregrino, & extraneo, qui nihil ad *Bajum* pertinebat. Quod certè duplici momento falſi apertè convincitur, tum quia S. PIUS. V. cùm eſſet praxis, & diſciplinæ Eccleſiæ retinendæ tenaciſſimus, omni procul dubio in damnandis ſeptuaginta novem *Baji* Propoſitionibus, ſecutus eſt conſtantem uſum Eccleſiæ, quæ, ut mox dixi, dùm aliquas vel libri, vel auctoris Propoſitiones damnat, eas non in ſe ipſis abſolutè conſiderat, ſed relativè ad mentem auctoris, & ſenſum libri, eaſque proſcribit in rigore ac proprio verborum ſenſu ab auctoribus intento. Tum quia etiam, ipſemet *Michael Bajus* in ſua Retractatione, cujus ſuperiùs mentionem feci, candidè faſſus eſt, ſe reverà docuiſſe illas Propoſitiones, à S. PIO V. poſt diligentiſſimum examen damnatas, ſeque ab illis omninò recedere, & damnationi earum, à Sancta Sede factæ, ultrò acquieſcere. Ex qua ingenua ipſius *Michaelis Baji* confeſſione manifeſtè patet, Santiſſimum Pontificem PIUM V. damnaſſe has Propoſitiones in rigore ac proprio verborum ſenſu intento à *Michaele Bajo*, ſubindèque comma, ſeu virgulam collocari non debere poſt iſthæc verba: *in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento*; ſed potiùs virgulam inſeri oportere immediatè poſt hæc verba, quæ præcedunt, *quamquàm nonnullæ propoſitiones aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, ita ut hujus Clauſulæ Conſtitutionis Pianæ hæc vera ſit lectio: *Quas quidem ſententias* (ſeu ſeptuaginta novem *Michaelis Baji* Propoſitiones) *ſtricto coram nobis* (S. PIO V. Pontifice Maximo) *examine ponderatas, quamquàm nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes reſpectivè damnamus*.

Ex

Ex hac vera iſtius Clauſulæ Conſtitutionis Pianæ lectione, in qua poſt iſthæc verba, *quamquàm nonnulla* (Propoſitiones) *aliquo pacto ſuſtineri poſſent*, inſeritur virgula; quilibet facilè percipere poteſt, S. PIUM V. in hac ſuæ Conſtitutionis Clauſula fateri quidèm, nonnullas Propoſitiones ex his ſeptuaginta novem, ſi in ſeipſis abſolutè conſiderentur, & citrà ullum reſpectum ad mentem *Michaelis Baij*, qui illas aſſerebat, *poſſe aliquo pacto ſuſtineri* (ſicut fusè oſtendit *Vaſquesius*, inſignis Societatis Jeſu Theologus in primam ſecundæ *Sancti Thomæ* diſputat. 100. artic. 2. cap. 3) quamvis tamen idem Sanctiſſimus Pontifex ſeptuaginta illas novem Propoſitiones relativè conſideratas ad mentem, & ſenſum *Michaelis Baji*, in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas &c. reſpectivè damnaverit. Hic (ne longior ſim) hæreo, & libens ſuperſedeo ab ulteriori examine momentorum, queis *Baji* diſcipuli famoſæ iſtius virgulæ tranſpoſitionem poſt verba iſta, *ſenſu ab aſſertoribus intento*, probare conantur, & jam vitra fracta, atque rejectas quiſquilias colligunt, novamque in ſcenam inducunt.

Synopſis Hiſtorica Janſeniſmi.

Brevitèr, quoad ejus fieri poterit, deſcripturus Janſeniſmi Hiſtoriam, quam Theologi in Scholis; eruditi in Academiis; quin (quod ſatis feſtivum ac lepidum eſt) mulierculæ etiam in circulis, & opifices in officinis, opportunè, importunè, apud Gallos, & Belgas præſertim, crebris ſermonibus etiamnùm uſurpare ſolent: tria hæc potiſſimùm capita attingam, ex quorum compendioſi expoſitione perſpicuam ortus, progreſſus & caſus Janſeniſmi notitiam facilè poteris colligere. In primis, agam de patria, ſtudiis & morte *Janſenii*. Dein, exponam ea, quæ ſpectant examen Libri *Janſenii*, qui poſt ejus mortem fuit typis mandatus ſub hoc titulo: *Auguſtinus Cornelii Janſenii, Iprenſis Epiſcopi*. Poſtremò, referam damnationem, à Summis Pontificibus INNOCENTIO X. & ALEXANDRO VII factam, quinque Propoſitionum, quæ ex libro *Janſenii* excerptæ ſunt, ſummatimque perſtringam ſeriem rerum, quas, poſt ſolemne judicium, quod Summi Pontifices tulerunt contra Librum *Janſenii*, geſſerunt ejuſdem *Janſenii* diſcipuli, ut cenſuras Eccleſiæ declinare, & à ſe amoliri poſſent.

I. *Cornelius Janſenius* ex Catholicis, honeſtiſque parentibus in territorio Leerdamenſi, apud Batavos die, Sanctis Apoſtolis *Simoni*, & *Judæ* Sacra, ann. MDLXXXV. natus eſt. Ultrajecti litteris humanioribus tàm feliciter operam dedit, ut cæteros ſuos ſodales longo poſt ſe reliquerit intervallo. Indè miſſus Lovanium Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudio adeò gnavitèr incubuit, ut omnibus, quos in Celebri Lovanienſi Academia habebat, commilitonibus ingenii, & eruditionis palmam facilè præripuerit. Poſt emenſum ſtudiorum ſuorum curriculum in Gallias venit, ubi per aliquot annos, cum Abbate *San Cyrano* ſumma neceſſitudine devinctus, manſit. Hinc Lovanium reverſus, anno MDCXVII. laurea doctorali in Facultate Lovanienſi donatus eſt, ſubindèque bis in Hiſpaniam ab eadem Academia delegatus, felicitèr demandata ſibi negotia tùm apud Regem Catholicum, tùm in Academiis Salmanticenſis, & Valliſoletana, perfecit, & ad optatum exitum perduxit.

Anno 1630. ad Sacrarum Litterarum profeſſionem regiis auſpiciis promotus eſt. De ingenio, moribus ac eruditione *Janſenii* hæc habet Bibliotheca Belgica: *Certabat in fæcundiſſimo illo ſcientiæ omnifariæ pectore ingenium cum judicio, labor cum induſtria, conſtantiaque, ut qui nullum ſibi labi, aut perire tempus pateretur, quo non aut legeret, aut notaret, aut diſceret aliquid, ad ſummum quinas, aut quaternas, ſepè etiam pauciores horas, ſomno indulgere ſolitus.* Auctor etiam Synopſeos *Janſenii* vitæ, quæ initio ipſius libri cui titulus eſt: *Auguſtinus Cornelii Janſenii*, præfixa eſt, hæc de illius ingenio, moribus, & eruditione nobis ſuppeditat: *In rebus ſemel prudenter deſtinatis magnanimus, acer, & inſtans, per omnia impedimenta, & obſtantia ad exi-*

Digitized by Google

exitum facilè penetrabat . . . . . *Ingenium ipſi fuit acerrimum , judicium graviſſimum , memoria capaciſſima . . . . Ad iſtas naturæ dotes acceſſerat ſtudium noctu diuque infatigabile &c.*

Sed , quorsùm , fortaſsè dices , ingenium , mores , & eruditionem *Janſenii* tot laudibus effers , cùm tamen illius librum , cui titulus eſt : *Auguſtinus Cornelii Janſenii* , proſcripſerit , diriſque devoverit Catholica Eccleſia ?

Fateor , Amice , hoc *Janſenii* Opus fuiſſe jure optimo ab Eccleſia confixum , & natalitiis tenebris damnatum . Sed accuratè perſonam *Janſenii* ſecernere debes ab ipſius Opere , quod dùm juſtiſſima de cauſa damnavit Eccleſia , nihil tamen de laudibus perſonæ *Janſenii* debitis detractum vult Eccleſia , quia licèt *Janſenius* erraverit , non fuit tamen hæreticus , cùm prædictum illud Opus , à ſe quidem lucubratum , ſed adhùc ineditum , tanquàm filius obediens , propediè moriturus ſubmiſerit judicio , & correctioni Sedis Apoſtolicæ . Hæc quippè ſunt ipſius *Janſenii* verba , quæ leguntur in ſuo Teſtamento , ſeu in Tabulis ſupremæ ejus voluntatis : *Si Romana Sedes aliquid mutari velit* (videlicèt hoc in Opere , cui titulus eſt : *Auguſtinus Cornelii Janſenii*) *ſum obediens filius , & illius Eccleſiæ , in qua ſemper vixi , uſque ad lectum mortis obediens ſum* . Idem diſertiſſimis verbis conteſtatus eſt *Janſenius* in calce ejuſdem ſui Operis , & cap. 29 libri Prœmialis ubi ſuam ergà Romanum Pontificem promptiſſimam obedientiam prodit , dicens : *Quidquid ab iſta Petri Cathedra , in cujus communione à teneris vixi , & porrò vivere , & mori fixum eſt , ab iſto Principis Apoſtolorum Succeſſore , ab ipſo Chriſti Domini noſtri Vicario , ab iſto Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ Capite , Moderatore , Pontifice , præſcriptum fuerit , hoc teneo : quidquid improbatum improbo , damnatum damno , anathematizatum anathematizo* . Quibus verbis manifeſtò patet , *Janſenium* ea , qua par eſt , ſumma , & filiali obedientia, ſubmiſiſſe judicio , examini , & correctioni Sedis Apoſtolicæ , Opus ſuum , quod inſcribitur : *Auguſtinus &c.* cuique paulò antequàm è vita migraret , ultimam manum admoverat , proindéque *Janſenium* erraſſe quidèm in eo , quem edidit , libro , ſed non fuiſſe hæreticum , juxtà illud ſolemne *S. Auguſtini* Effatum : *Errare potero hæreticus non ero* .

Addo etiam , *Janſenium* in gremio Eccleſiæ Catholicæ mortuum eſſe . Conſecratus quippè Epiſcopus Iprenſis anno MDCXXXV. hanc Eccleſiam ſapienter rexit uſque ad annùm MDCXXXIII. quo propriis ſuis manibus inſerviens ægrotis infectis peſte , quæ in ejus diæceſi latè graſſabatur , ipſe eadem lue correptus , morte ſublatus eſt die 6. menſis Maii anni MDCXXXVIII. Hactenùs delibavi ea , quæ attinent patriam, ſtudia mores, ingenium , & mortem *Cornelii Janſenii* , Iprenſis Epiſcopi . Nunc paululùm immorabor in his referendis quæ in Belgio , & in Galliis circa examen libri *Janſenii* , cui titulus eſt : *Auguſtinus &c.* contigerunt .

II. Per viginti , & duos annos huicce vaſto ſuo , & immenſo penè Operi perficiendo atque limando totus incubuit , ac inſudavit *Janſenius* , quod ad umbilicum licèt perductum , è vivis tamen ſublatus , poſthumum reliquit , curis *Liberti Fromondi* , & *Henrici Caleni* , Doctorum Lovanienſium , publicam in lucem edendum . Totum iſtud *Janſenii* Opus uno grandiori conſtat volumine in tres Tomos diſtincto . Primus Tomus complectitur libros octo *de Hæreſi Pelagiana* . Secundus Tomus dividitur in quatuor Partes , quarum prima unicum continet librum *de ratione , & auctoritate in rebus Theologicis* . Altera pars unicum itidèm continet librum *de Gratia primi hominis , & Angelorum* . Tertia pars comprehendit quatuor libros *de ſtatu naturæ lapſæ* . Quarta pars tres habet libros *de ſtatu naturæ puræ* . Tertius denique Tomus duas in partes dividitur . In prima extant decem libri *de Gratia Chriſti Salvatoris* . In ſecunda parte unicus continetur liber , in quo *Janſenius* inſtituit Parallelum inter errores Maſſilienſium , ſeu Semipelagianorum & opiniones quorumdam recentiorum .

Vix abſolutum *Janſenii* Opus publicam

cam lucem adſpexit ; cùm jam Romæ parato examine, ab URBANO VIII. Pontifice Maximo, pridiè Nonas menſis Martii anni MDCX. data Conſtitutione, quæ incipit : *In eminenti*, damnatum eſt eo potiſſimùm nomine, quòd *Janſenius* in iſto Opere ſuo multas obtruderet Propoſitiones *Michaelis Baji* prædamnatas à Summis Pontificibus S. PIO V. & GREGORIO XIII. propoſitiones autem *Baji*, quas *Janſenius* ſuo in Opere paſſim recoquit ac inſtaurat, hę præcipuæ ſunt, quas, ad varias Theologiæ materias attinentes, tuis oculis hìc ſubjiciam, ut indè intelligas, *Bajum* poſuiſſe ova, quæ poſteà excluſit *Janſenius*.

Circà Libertatem, ſequentes *Baji* propoſitiones renovat *Janſenius*, videlicèt trigeſimam nonam : *Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit*. Quadrageſimam primam : *Libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolùm nomen libertatis à peccato*. Sexageſimam ſextam : *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*. Sexageſimam ſeptimam : *Homo peccat etiam damnabiliter, in eo, quòd neceſſariò facit*.

Circà Poſſibilitatem Mandatorum Dei, hanc damnatam quinquageſimam quartam *Baji* Propoſitionem. *Definitiva hæc ſententia, Deum homini nihil impoſſibile præcepiſſe, falsò tribuitur Auguſtino, cum Pelagii ſit*, hanc, inquam, *Baji* Propoſitionem *Janſenius* ſuo in Opere, cui titulus eſt : *Auguſtinus &c.* renovavit.

Circà Operam Infidelium, *Ianſenius* ſequentes *Baji* damnatas Propoſitiones revocavit, & in ſuo Opere defendit, nimirùm vigeſimam quintam : *Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia*. Trigeſimam octavam : *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur : aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur*. Et ſexageſimam octavam : *Infidelitas purè negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt*.

Poſtremò, circà ſtatum naturæ lapſæ *Ianſenius* ſequentes *Baji* Propoſitiones confixas recudit, ac ſuo in Opere renovat, videlicèt primam *Baji* Propoſitionem : *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia*. Vigeſimam ſextam : *Integritas primæ creationis, non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio*. Quinquageſimam quintam : *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur*. Et Propoſitionem ſeptuageſimam octavam : *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio*.

Hæc Cenſura, quam contra *Janſenii* librum tulit URBANUS VIII. gravitèr Janſenianos pupugit, qui ideò toto illo tempore, quod inter proſcriptionem libri *Janſenii* ab URBANO VIII. factam, & ſolemnem quinque famoſarum ejuſdem *Ianſenii* propoſitionum damnationem ab INNOCENTIO X. publicatam, interceſſit, hoc eſt, ab anno MDCXLI. uſque ad annum MDCLIII non deſtiterunt tam in Belgio, quàm in Galliis hanc URBANI VIII. Pontificis Maximi, Conſtitutionem falſi, & ſubreptiònis expoſtulare, & contra *Albizium*, S. Officii Aſſeſſorem, à quo prædictam Conſtitutionem aut confectam eſſe, aut interpolatam cauſabantur, multa obganire, quæ vel apertè falſa ſunt, vel leviſſima nulliuſque ponderis haberi debent.

III. Intereà temporis, hoc eſt, ab anno MDCXLI quo prodiit contra *Ianſenii* librum Conſtitutio Summi Pontificis URBANI VIII. uſque ad annum MDCLIII. quo damnatæ ſunt ab INNOCENTIO X. quinque *Ianſenii* Propoſitiones, doctiſſimi Familiæ Dominicanæ alumni tam in Belgio, quàm in Galliis, doctrinam, libro *Ianſenii* contentam, apertò marte, totiſque viribus oppugnarunt. Noſter *Alexander Sebille*, Conventus Antuerpienſis filius, & in doctrina *S. Thomæ* verſatiſſimus, librum *de libero arbitrio*, juxta perpetuam, ſibique ſemper conſtantem Scholæ Thomiſticæ doctrinam, edidit ad confutandos errores *Ianſenii*, ejuſque diſcipulorum, præſertim *Vincentii Lenis*, ſeu *Liberti Fromondi*. Hunc librum, à ſe editum, Romam ſecum detulit, *Alexander Sebille*, illum

Summi

Summi Pontificis, INNOCENTII. X. & ſupremæ ac univerſalis Inquiſitionis judicio, & Cenſuræ obtulit, atque approbationem facilè impetravit, quam Reverendiſſimus *P. Joannes Baptiſta de Marinis*, totius Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, ſua auctoritate confirmavit.

Prodierunt etiam eadem tempeſtate in Galliis, præcipuè Pariſiis, ex eadem Familia Dominicana acerrimi doctrinæ *Janſenii* debellatores, *Bernardus Guyartius*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Doctor, *Vincentius Baronius*, ſed præcipuè *Joannes Nicolai*, Sacræ Fac. Pariſienſis Doctor eximius, qui jure ac meritò appellari poteſt malleus, ac flagellum Janſeniſtarum, non ſolùm quia, ringentibus Janſeniſtis, *Cenſorium Suffragium*, quod contra *Janſenii* doctrinam in Sorbona tulerat, publica luce donavit, ſed etiam quia Clariſſimus ille Dominicanus unus fuit ex octo Facultatis Pariſienſis Doctoribus Commiſſariis, qui prima die menſis Julii anni MDCXLIX. quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones nomine Sacræ Facultatis Pariſienſis prædamnarunt, & *Antonii Arnaldi*, Janſeniſtarum in Galliis facilè d temporis principis, nomen è Catalogo Doctorum Pariſienſium expunxerunt. Quò factum eſt, ut noſter *Joannes Nicolai*, vir undecumque doctiſſimus, malè audiat apud Janſeniſtas, & paſſim ab illis, tanquàm *ſpurius Thomiſta*, & *Doctrinæ Ordinis ſui deſertor*, perperàm traducatur; quod certè tibi mirum videri non debet, quia naturale eſt odiſſe quem quis timet, & quem metuit, infeſtare ſi poſſit. Agnoſcunt lupi canes, & eos odio proſequuntur, quia illos timent.

IV. Verùm, quia de libri *Janſenii* examine à Sacra Facultate Pariſienſi octo Doctoribus deputatis commiſſo, jam verba facere cæpi, non abs re erit, paulò uberiùs hìc explicare gravem illam Controverſiam, quæ de quinque Propoſitionibus, quas *D. Cornet*, Sacræ Facultatis Pariſienſis Syndicus, ex libro *Janſenii* excerpſit, eaſque die 1. Julii anni MDCXLIX. eidem Sacræ Facultati ad examen, & Cenſuram obtulit, excitata eſt in Galliis, & de qua benè multi Præſules Gallicani Summum Pontificem INNOCENTIUM X. conſuluerunt. Huic controverſiæ originem dederunt quinque iſtæ famoſæ Propoſitiones, quas ex libro *Janſenii* excerpſit *D. Cornet*, Fac. Pariſienſis Syndicus, quaſque eidem Sacræ Fac. ad examen, & Cenſuram obtulit. Prima Propoſitio hæc eſt: *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque iis gratia, qua poſſibilia fiant*. Secunda Propoſitio iſta eſt: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*. Tertia Propoſitio his verbis concepta eſt: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ, non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*. Quarta Propoſitio hæc eſt: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare*. Quinta denique Propoſitio iſta eſt: *Semipelagianorum error eſt, dicere Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*.

Has quinque Propoſitiones, ex libro *Janſenii* excerptas, Sacræ Facultati Pariſienſi obtulit *Dom. Cornet*, Syndicus, rogavitque Sacrum Doctorum Ordinem, ut juxta morem ſolitum, deſignarentur aliqui deputati Doctores; qui prædictas quinque Propoſitiones inter ſeſe expenderent, ſuum poſteà ad plena ejuſdem Facultatis Pariſienſis Comitia relaturi judicium. Poſtulationi Syndici ultrò annuit Facultas Pariſienſis, & actutùm deputatos nominavit, qui multis inter ſe habitis Congregationibus, ſuam de his quinque *Janſenii* Propoſitionibus ſententiam in Comitiis ejuſdem Facultatis, die 1. menſis Auguſti ejuſdem anni MDCXLIX. referre jam cogitabant, cùm ecce ſubitò ſeptuaginta Pariſienſis Facultatis Doctores, Janſenianorum partibus addicti, intercеſſerunt huic Concluſioni, quam, ad petitionem *Dom. Cornet*, Syndici, die prima menſis Julii tulerat Sacra Facul-

cultas Pariſienſis,& provocarunt ad ſupremum Senatum Pariſienſem,qui die v.menſis Octobris ejuſdem anni MDCXLIX. Senatus Conſulto cavit, ne Facultas Pariſienſis prædictas illas Propoſitiones ad examen vocaret, ſuumque de illis proferret doctrinale judicium. Hoc pacto Sacra Facultas Pariſienſis ab incepto examine quinque illarum Propoſitionum, quas, ex libro *Janſenii* excerptas, *D. Cornet*, Syndicus, ejus Cenſuræ obtulerat, recedere compulſa eſt. At, Epiſcopi Gallicani, veriti ne pernicioſa *Janſenii* doctrina latiùs in Galliis ſerperet & vires acquireret eundo, conſultiùs facturos ſe exiſtimarunt, ſi totam hanc Cauſam ad INNOCENTIUM X Pontificem Maximum, deferrent, ab ipſo definiendam.

Anno itaque MDCL. Epiſcopi Gallicani, numero octoginta quinque, Epiſtolam ad INNOCENTIUM X. miſerunt, qua Sanctiſſimum illum Pontificem etiam atque etiam rogarunt, ut quinque Propoſitiones, ex libro *Janſenii* excerptas, maturo examine expenderet, & perſpicuam, certamque de unaquaque ſententiam proferret. Hanc octoginta quinque Epiſcoporum Epiſtolam INNOCENTIO X. reddidit *D. de Valencay*, Orator Regis Chriſtianiſmi, die XII. menſis Aprilis Anni MDLI. qua etiam die INNOCENTIUS X. acceptis 85. Epiſcoporum Galliæ Litteris, ſpecialem Cardinalium, & Conſultorum Congregationem inſtituit ad examen delatarum quinque *Janſenii* Propoſitionum.

Infinitus profectò eſſem, ſi hìc ſingillatim recenſere vellem quæcumque per ſpatium duorum annorum in triginta ſex Congregationibus Romæ ad diſcutiendas quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones hinc indè geſta aut ſcripta ſunt à Theologis pro utraque parte Romam deputatis, quorum alii promovebant & urgebant quinque *Janſenii* Propoſitionum Cenſuram, & erant *DD. Hallier*, *Legaut*, & *Joyſel*; alii verò tuebantur delatas quinque *Janſenii* Propoſitiones, & erant *DD. Brouſſe*, *De Sainct Amour*, ſeu *Laudovicus Sanct Amoreus*, *Delalane*, Doctores; *Angran*, Licentiatus in Facultate Theologica Pariſienſi, *D. Maneſſier*, & *Pater Deſmares*, Congregationis Oratorii inſignis Concionator. Ne igitur longior ſim in deſcribendis his omnibus, quæ circà examen libri *Janſenii* in Congregationibus Romæ habitis hinc indè à deputatis ab utraque parte Theologis dicta, geſta, ſcriptave ſunt; duas tantùm res memorabiles hic, brevitatis ergò, referam, ex quibus facilè percipies, quàm diligens facta fuerit in his Romanis Congregationibus diſcuſſio circa examen quinque Propoſitionum *Janſenii*, antequàm ſolemni judicio Romani Pontificis INNOCENTII X. damnarentur.

In primis, *Vvadingbus*, Ordinis FF. Minorum, qui erat unus è Conſultoribus Congregationis ab INNOCENTIO X ad examen quinque *Janſenii* Propoſitionum, inſtitutæ, *Vvadingbus*, inquam, in libro, quem edidit adversùs *Leydeckerum*, & cui titulus eſt: *Defenſio Eccleſiæ Romanæ*, narrat, omnes Theologos ab utraque parte ad examen libri *Janſenii* Romam deputatos, ideſt, tam illos, qui promovebant, & urgebant quinque *Janſenii* Propoſitionum damnationem, quàm illos, qui illarum doctrinam propugnabant, ſumma benignitate fuiſſe ab INNOCENTIO X. exceptos, & ab illo Summo Pontifice obtinuiſſe liberam facultatem & copiam ſcribendi, vel dicendi in Congregationibus quantùm ad defenſionem ſuæ Cauſæ vellent ac poſſent, ita ut, teſte *Vvadingbo*, in his triginta ſex Congregationibus, per ſpatium duorum annorum Romæ celebratis, longa & matura præmiſſa fuerit quinque illarum Propoſitionum diſcuſſio, ſæpiùſque, & ad multas horas, auditi fuerint Theologi deputati, tam illi, qui quinque *Janſenii* Propoſitionum damnationem poſtulabant, quàm hi, qui earum doctrinam tuebantur.

Cauſam etiam *Janſenii*, ſedente INNOCENTIO X. fuiſſe examinatam ac diſcuſſam ea diligentia, qua major deſiderari haud poſſit, teſtatur ALEXANDER VII. Pontifex Maximus, in ſua Conſtitutione data die 16. menſis Octobris Anni MDCLVI ubi hæc habentur: *Nos, qui omnia, quæ hac in re* (ſeu in examine quinque Propoſitionum Janſenii) *geſta*

geſta ſunt ſufficientèr & attentè perſpeximus; *utpote qui ejuſdem* INNOCENTII, *Prædeceſſoris noſtri juſſu, dùm adhùc in minoribus conſtituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus illis Congreſſibus* (ſeu Congregationibus) *interfuimus, in quibus Apoſtolica auctoritate eadem Cauſa* (ſeu quinque Propoſitionum Janſenii) *diſcuſſa eſt ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſet*. Non poſſunt ergò Janſeniani juſtè conqueri de Cardinalibus, & Conſultoribus, qui diſcutiendis *Janſenii* Propoſitionibus fuerunt à Summo Pontifice INNOCENTIO X. præpoſiti, quique in earum examine eam diligentiam adhibuerunt, qua major deſiderari non poſſet.

Altera res memorabilis, quæ in præmiſſo quinque *Janſenii* Propoſitionum examine contigit, ſpectat naturalem & obvium earum ſenſum, in quo damnari debebant. Theologi, qui ab undecim Epiſcopis Galliæ erant Romam deputati ad tutandam quinque Propoſitionum doctrinam, pertendebant, non poſſe damnari quinque illas Propoſitiones, niſi eadem opera damnaretur doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci, juxta mentem *SS. Auguſtini*, & *Thomæ*, totiuſque Scholæ Thomiſticæ. Ex adversò *D. Haller*, aliique Theologi ab 85. Epiſcopis Gallicanis Romam, ad urgendam quinque Propoſitionum doctrinæ damnationem, deputati, aſſerebant, & Scriptis conteſtabantur, ſe urgere ac poſtulare quinque Propoſitionum damnationem in naturali & obvio ſenſu, quem habent in libro *Janſenii*, intacta, ac prorsùs illæſa manente doctrina de Gratia ſe ipſa efficaci juxta mentem *SS. Auguſtini*, & *Thomæ*, totiuſque Scholæ Thomiſticæ. Extat in *Diario D. de Sainct Amour* parte 5. cap. 8. pag. 289. & ſeq. integrum Scriptum, quod Romæ edidit *D. Hallerius* ad determinandum ſenſum obvium & naturalem, quem quinque Propoſitiones habent in libro *Janſenii*.

Referam hìc dùmtaxàt, brevitatis causâ, ſenſum naturalem & obvium, quem (ſicut in ſuo Scripto docet *Hallerius*) habet in libro *Janſenii* hæc ſecunda Propoſitio: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur*. Senſus naturalis & obvius, quem ſecunda iſta Propoſitio habet in libro *Janſenii* (inquit Hallerius) *iſte eſt: In ſtatu naturæ lapſæ nullam eſſe gratiam Chriſti actualem internam in voluntate reſidentem, cui voluntas humana de facto diſſentiat*. Et immediatè hanc Annotationem idem *Hallerius* annectit: *Nota, hìc non attingi doctrinam Sancti Auguſtini de Gratia efficaci à ſe. Aliud eſt enim aſſerere, Sanctum Auguſtinum admiſiſſe aliquod genus gratiæ, quæ infallibilitèr effectum ſuum conſequitur, & à nullo duro corde reſpuitur; aliud aſſerere, Sanctum Auguſtinum nullam aliam gratiam præter efficacem admiſiſſe, quæ ſufficiens ſit. Primum, Catholicum eſt, ſecundum, non niſi à Calvino, ejuſque ſequacibus fuit aſſertum*.

Ex quibus *Hallerii* verbis manifeſtò patet, cenſuram quinque Propoſitionum in naturali & obvio ſenſu, quem habent in libro *Janſenii*, nihil commune habere cum dogmate Gratiæ per ſe efficacis in ſenſu Thomiſtico, pro quo ſenſu Theologi illi, qui Romam ab undecim Galliæ Epiſcopis ad defendendam quinque Propoſitionum doctrinam fuerant deputati, ſimulabant, ſe dumtaxàt ſollicitos eſſe, quamvis reapsè Gratiam per ſe efficacem in ſenſu Thomiſtico, unà cum Magiſtro *Janſenio*, ſuggillarent, exploderent, exſibilarent.

Præterquamquòd, Cenſuram quinque Propoſitionum in ſenſu naturali & obvio, quem habent in libro *Janſenii*, nihil commune habere cum doctrina Gratiæ per ſe efficacis in ſenſu Thomiſtico intellectæ, docet nos Anonymus ille Scholæ Thomiſticæ Theologus, cujus Obſervationes in Vota ſeu Suffragia Conſultorum edidit *D. de S. Amour* inter Collectanea ſui *Diarii* pag. 173. Obſervat quippè Anonymus, ille Theologus in Præfatione, *omnes penè Conſultores doctrinam gratiæ per ſe efficacis, quæ maximè* (inquit) *noſtræ Scholæ propria eſt, omnibus locis Catholicam, Orthodoxam, veram eſſe profiteri*. Atqui tamen Conſultores illi (paucis exceptis) cenſuerunt, quinque Propoſitiones in naturali & obvio ſenſu, quem habent in libro *Janſenii*, juſtam

juſtam

juſtam mereri cenſuram; ergò perſuaſum illis erat, Gratiam per ſe efficacem, in ſenſu Janſeniano acceptam, longè latèque diſcrepare à Gratia per ſe efficaci, quæ propria eſt Scholæ Thomiſticæ.

Gratia ſiquidèm per ſe efficax, in ſenſu Janſeniano accepta, ſiſtit in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, & omnibus terrenæ concupiſcentiæ delectationis gradibus ſuperiore, quæ neceſſariò determinat voluntatem ad benè agendum (ſicut latè oſtendi in meis ſuperioribus Epiſtolis) gratia verò per ſe efficax, in ſenſu Thomiſtico intellecta, non conſiſtit in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrici, ſed eſt prævia motio efficacitèr quidem impellens voluntatem, ſed eam tamen ſic ad benè agendum determinans, ut voluntas ſub imperio Gratiæ per ſe efficacis conſervet potentiam ad oppoſitum, ſeu indifferentiam activam, & immunitatem non tantùm à coactione & violentia, ſed etiam à neceſſitate, uti jam multis argumentis evici in meis præcedentibus Epiſtolis.

Propter immane illud diſcrimen, quo Gratia per ſe efficax *Thomiſtica* differt à Gratia per ſe efficaci *Janſeniſtica*, appoſitè INNOCENTIUS X. (ſicut refert D. *de S. Amour* part. 6 ſui *Diarii* cap. 25. pag. 517. & 528.) dixit Cardinali *Primentel*, omnia in examine quinque delatarum Propoſitionum maturè diſcuſſa fuiſſe, ac compertum, quinque Propoſitiones nihil habere commune cum doctrina Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, atque prorsùs expedire, ut damnaretur doctrina libri *Janſenii*.

VI. Sed hæc, quæ de maturo ac diuturno quinque *Janſenii* Propoſitionum examine hactenùs adduxi, momenta abundè tibi ſufficere debent ad refellendum putidum figmentum, ac ſplendidum mendacium Janſeniſtarum, qui confidentèr aſſeverant, quinque illas Propoſitiones non fuiſſe Romæ examinatas in libro & in ſenſu *Janſenii*, ſed eas fuiſſe dumtaxàt diſcuſſas in ſe abſolutè ſpectatas, ſeu, ut ajunt, in abſtracto, ſicut jacent, abſque ullo reſpectu ad Auctorem. Quæ in re apertè falſi convincuntur Janſenii diſcipuli, primò, quia 85. Epiſcopi Gallicani, in ſua ad INNOCENTIUM X. Pontificem Maximum Epiſtola, quinque Propoſitiones ei denunciant, non in abſtracto, nec ſine ullo ad earum auctorem reſpectu, ſed Propoſitiones ipſiuſmet *Janſenii*, contra quem jam URBANUS VIII. pronunciaverat. Secundò, quia Scripta, quæ D. *Hallier*, aliique Theologi, ab Epiſcopis 85. Gallicanis Romam deputati, Summo Pontifici INNOCENTIO X. obtulerunt, apertam continebant mentionem *Janſenii*, cujus doctrinam, in quinque Propoſitionibus expreſſam, damnari conſtantèr à Summo Pontifice INNOCENTIO X. poſtulabant. Demùm, INNOCENTIUS X. & ALEXANDER VII. de quinque Propoſitionibus non in abſtracto, ſed in ſenſu libri pronunciarunt, ut videre eſt in eorum Conſtitutionibus, quas illorum in Sede *S. Petri* Succeſſores Apoſtolica auctoritate approbarunt & confirmarunt. Negari igitur haud poteſt, examinatas Romæ ac longo diligentique examine diſcuſſas fuiſſe quinque delatas Propoſitiones in naturali & obvio ſenſu, quem habent in libro *Janſenii*, illaſque in eodem ſenſu, quem habent in libro *Janſenii*, fuiſſe jure optimo anathemate percuſſas, ſicut fusè ſatis in meis ſuperioribus Epiſtolis ac luce meridiana clarius me palàm feciſſe arbitror.

VII. Venio nunc ad poſtremum Hiſtoriæ Janſenianæ caput, quod complectitur ſeriem rerum, quas, poſt ſolemne judicium, quod pridie Kalendas menſis Junii anni MDCLIII. contra quinque famoſas *Janſenii* Propoſitiones tulit INNOCENTIUS X. Pontifex Maximus, geſſerunt *Janſenii* diſcipuli, ut per varias, quas adhibuerunt, fraudes, artes, molitiones, ac machinas, poſſent aut Innocentianæ Conſtitutionis auctoritatem elevare & eludere, aut ſeſe è Cenſuris Eccleſiæ ſubducere.

Celebratis, ut ſuprà obſervavi, per duorum annorum ſpatium triginta ſex Romanis Congregationibus, & præmiſſa in examine quinque Propoſitionum *Janſenii* longa & matura diſcuſſione, tandem Innocentius X. Pontifex Maximus,

mus, die ultima menſis Maii anni MDC. LIII. Conſtitutionem edidit, in qua condemnat quinque *Janſenii* propoſitiones, & unamquamque ſpecialis cenſuræ nota perſtringit. *Primam Propoſitionem declarat eſſe temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam, & uti talem damnat.* Secundam *Janſenii* Propoſitionem damnat, ut *hæreticam*. Tertiam *Janſenii* Propoſitionem pariter damnat, tanquàm *hæreticam*. Terriam ſimiliter, *ut hæreticam*. Quartam *Janſenii* Propoſitionem configit, *ut falſam, & hæreticam*. Quintam denique proſcribit, *ut falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxàt prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declarat, & uti talem damnat.*

Hanc ſuam Conſtitutionem confeſtim INNOCENTIUS X. miſit ad LUDOVICUM XIV. Galliarum Regem, & ad Epiſcopos Gallicanos. Rex Chriſtianiſſimus juſſit dictam conſtitutionem in Regno ſuo promulgari. Epiſcopi verò Eccleſiæ Gallicanæ eamdem INNOCENTII X. Conſtitutionem ſumma, qua par eſt, veneratione exceperunt, datis ad hunc Summum Pontificem Litteris die xv. menſis Julii anni MDCLIII. quibus ei gratias agunt, & ſummoperè gratulantur, quòd graſſantem peſtem compeſcuiſſet. Eamdem Conſtitutionem pari obedientia ac demiſſione excepit Sacra Facultas Pariſienſis, pœnamque decrevit expulſionis à ſuo Ordine adversùs rebelles, & contumaces, ſi qui forent. Soli defenſores *Janſenii* in Galliis ad hanc INNOCENTII X. Pontificis Maximi, Conſtitutionem, quaſi repentini fulminis ictu percuſſi hæſere primùm attoniti, tùm collectis animis in illam facto agmine certatim conjurarunt, eamque aut malignè carpere, aut eludere pro viribus tentarunt, novaſque turbas, & contentiones in Eccleſia excitarunt.

Et primò quidem exclamarunt Janſeniani, hac INNOCENTII X. Conſtitutione doctrinam *Sancti Auguſtini*, & *Sancti Thomæ* de Gratia per ſe efficaci, tot Conciliorum Decretis, tot Romanorum Pontificum Sanctionibus, tot Sanctorum Patrum, & antiquorum Theologorum elogiis in Eccleſia hactenùs conſecratam, explodi, ſugillari ac proſcribi. In hoc tamen defenſionis genere non diu perſtiterunt *Janſenii* diſcipuli, ſed ſibi non conſtantes, variarunt ſtatim linguis, & ſententiis, ac tandem faſſi ſunt, quinque illas Propoſitiones fuiſſe juſta Cenſura ab INNOCENTIO X. damnatas (quod, ut ajebant, pertinet ad *Quæſtionem Iuris*) ſed pervicacitèr negarunt, has quinque Propoſitiones in libro *Janſenii* reperiri eo in ſenſu, in quo fuerant ab INNOCENTIO X. confixæ; (quod ad *Quæſtionem Facti* attinere dictitabant). Hinc peti debet prima origo famoſæ iſtius diſtinctionis *Iuris*, & *Facti*, ad quam Janſeniani (aſſerentes, chymericam planè eſſe, & imaginariam Hæreſim *Janſenii*, poſſeque univerſam Eccleſiam errare in *Quæſtione Facti*) ſeſe plenis velis, tanquàm ad tutiſſimum portum receperunt.

Novis illis Janſenianorum machinis ac molitionibus occurrerunt Gallicani Præſules, datis die 28. menſis Martii anni MDCLIV. Litteris ad INNOCENTIUM X. quibus eum, & de rebus à ſe geſtis & de novis Janſeniſtarum artibus certiorem faciunt. Epiſcopis Gallicanis Summus Pontifex INNOCENTIUS X die 29 menſis Septembris ejuſdem anni reſcripſit, *damnatam reverà fuiſſe in quinque Propoſitionibus Cornelii Janſenii doctrinam, eius libro contentam, cui titulus: Auguſtinus*.

VII Idem confirmavit ALEXANDER VII qui die 7 menſis Aprilis anni MDCLV. ſucceſſit INNOCENTIO X. erepto è vivis die 7. menſis Januarii ejuſdem anni. Hic quippè Summus Pontifex ALEXANDER VII. ab Epiſcopis Gallicanis per Epiſtolam datam die 2. menſis Septembris anni MDCLVI. planè edoctus novas Janſenianorum artes, & cavillationes in eludenda INNOCENTII X. Pontificis Maximi, contra quinque *Ianſenii* Propoſitiones Conſtitutione, ſtatim novum iſtud Janſenianorum effugium interclusit, publicata die XVI. menſis Octobris anni MDCLVI Conſtitutione, in qua illos, qui *prædictas quinque propoſitiones*, ve

vel in libro prædicto Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictas, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non formidant, appellat *filios iniquitatis*. Declarat etiam ibidem ac definit Summus ille Pontifex, *quinque illas Propoſitiones ex Libro Cornelii Ianſenii, Epiſcopi Iprenſis, cui titulus: Auguſtinus; excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe;* eaſdemquè quinque *Janſenii* Propoſitiones iterùm damnat, *uti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum ſigillatim inuritur*. Quin, idem Summus Pontifex ALEXANDER VII. Votis Regis Chriſtianiſſimi, & Epiſcoporum Galliæ annuens, edidit die xv. menſis Februarii anni MDCLXV. Conſtitutionem, in qua continetur Formula Fidei, cui (ad quælibet effugia præcludenda, omneſque removendos prætextus) deberent omnes Clerici, ſive majores, ſive minores, ſubſcribere & ſimul ſuper Sancta Dei Evangelia jurare, ſe ſincero animo rejicere ac damnare quinque Propoſitiones ex *Cornelii Janſenii* libro, cui titulus eſt: *Auguſtinus*, excerptas, & in ſenſu ab eodem Auctore intento, ſicut illas Summi Pontifices INNOCENTIUS X. & ALEXANDER VII. per ſuas Conſtitutiones damnarunt.

Huic juſſioni Pontificiæ acceſſit LUDOVICI XIV. Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, Edictum, quo cautum erat, ut illa ſubſcribendæ dictæ formulæ diſciplina accuratè in toto Galliarum Regno executioni mandaretur, & pœnis, quas Summi Pontificis Alexandri VIII. Conſtitutio, & ejuſdem Regis Edictum ſtatuerant, animadverteretur in eos, qui prædictæ Formulæ Fidei ſubſcribere detrectarent. Sacra etiam Facultas Pariſienſis, omnium totius Orbis Academiarum facilè princeps, ſingulis ſuis alumnis, qui in ea ad aliquem dignitatis gradum admittuntur, ſubſcribendi huic Formulæ Fidei Legem ſanctè obſervandam impoſuit, quæ etiamnùm ad ſummos juris apices obſervatur.

VIII. His anguſtiis concluſi & coarctati doctrinæ *Ianſenii* in Galliis defenſores, in duas potiſſimùm partes ſciſſi ſunt. Alii audaciores, qui vel patrium Solum vertere non curabant, vel jam in aliis regionibus errabundi vagabantur, rebellionis vexillum erigentes, adversùs Conſtitutiones Apoſtolicas debacchari cœperunt, & Formulæ Fidei, ſeu, ut vulgò ajunt, Formulario contra doctrinam *Ianſenii* palàm & perfricta fronte ſubſcribere detrectarunt. Alii verò inter remiſſiores Janſenianos, quos commodioris vitæ ſtudium domi retinebat, in ſubſcribenda Fidei Formula, ab ALEXANDRO VII. Pontifice Maximo, præſcripta, duas quæſtiones contineri aſſerebant, unam videlicèt *Iuris*, qua quinque Propoſitiones, tanquàm hæreticæ meritò proſcriptæ fuerant ab INNOCENTIO X. Alteram quæſtionem *Facti*, qua quinque iſtæ Propoſitiones dicebantur excerptæ ex libro *Cornelii Janſenii*, Epiſcopi Iprenſis. Primæ quæſtioni, ſeu juris & dogmatis definitioni, aſſenſum fidei; Quæſtioni autem facti, religioſum dumtaxàt & obſequioſum ſilentium deberi affirmabant, non verò internam mentis & cordis adhæſionem præſtari oportere docebant. Quocirca, Formulæ ab ALEXANDRO VII. præſcriptæ nolebant Janſeniani purè, ſimplicitèr, & abſolutè ſubſcribere, ſed ei dumtaxàt ſubſcribebant facta aliqua reſtrictione & limitatione, ſeu cum diſtinctione *quæſtionis Iuris* à *quæſtione Facti*, ita ut, inter ſubſcribendum Formulario, conteſtarentur, ſe quæſtioni juris firma Fide, & interna cordis adhæſione aſſentiri, ſed circa quæſtionem Facti contenturos ſe intra limites externæ dumtaxàt obedientiæ, & religioſi obſequii, abſque ulla interna cordis & mentis adhæſione, immò, licèt ei animo contradicerent, & penès ſe pro comperto ac explorato haberent, quinque illas damnatas Propoſitiones nec reperiri in Libro *Janſenii*, nec eas in ſenſu *Janſenii* fuiſſe damnatas.

Fuerunt in Galliis quatuor Epiſcopi, videlicèt Andegavenſis, Bellovacenſis, Apamienſis, & Alectenſis, qui in his, quæ pro dictæ Formulæ ſubſcriptione in ſuis Diœceſibus publicarunt,

Mandatis, aſſeruerunt, Fideles huic Formulæ ab ALEXANDRO VII. præſcriptæ debere cum aliqua reſtrictione, & limitatione, ſeu cum diſtinctione quæſtionis juris à quæſtione Facti ſubſcribere, ita ut quæſtioni juris, qua quinque Propoſitiones tanquàm hæreticæ meritò fuerunt ab INNOCENTIO X. proſcriptæ, aſſenſum Fidei præſtarent, quæſtioni verò Facti, qua dictæ quinque iſtæ propoſitiones excerptæ dicuntur ex libro *Cornelii Janſenii*, Epiſcopi Iprenſis, obſequioſi ſilentii reverentiam exhiberent.

Verùm, quatuor illos Epiſcopos, quibuſcum novemdecim alii Epiſcopi itidèm Gallicani conſentiebant, ad ſaniora conſilia flexit, & ad obſequium Sedis Apoſtolicæ feliciter traduxit CLEMENS IX. Pontifex Maximus. Convocarunt quippè prædicti Epiſcopi Diœceſanas Synodos, In quibus novam ſubſcriptionem imperarunt formulæ ab ALEXANDRO VII. præſcriptæ, & confeſtim ad CLEMENTEM IX Pontificem Maximum, per Litteras, propria manu ſubſcriptas, teſtati ſunt, ſe ſincerè & abſque ulla reſtrictione, limitatione, & exceptione ſubſcripſiſſe dictæ formulæ. Quò facto, factum eſt ut CLEMENS IX. prædictos Epiſcopos (quos ſciebat ſubſcripſiſſe ſincerè, & abſque ulla limitatione huic Formulæ, ab ALEXANDRO VII. præſcriptæ) ad pacem, & communionem ſuam receperit.

IX. Oppidò itaque mentiuntur *Janſenii* diſcipuli, dùm aſſerunt, CLEMENTEM IX. etiamſi probè ſciret, quatuor illos Gallicanos Epiſcopos ſubſcripſiſſe Formulæ cum reſtrictione & limitatione, illos tamen ad pacem, & ſuam communionem recepiſſe, indeque inferunt, ab eodem Pontifice CLEMENTE IX. approbatam fuiſſe ſuam de religioſo ſilentio ſententiam. Hoc putidum eſſe Janſeniſtarum mendacium quatuor potiſſimùm invictis momentis breviter hìc demonſtro. Primò, quia certiſſimè conſtat, CLEMENTEM IX. benevolentiam ſuam ac paternum affectum his quatuor Gallicanis Epiſcopis dumtaxàt reſtituiſſe, poſtquàm tres Epiſcopi Gallicani, videlicet *Cæſar Eſtræus*, Epiſcopus Laudunenſis (qui poſtea fuit S. R. E. Cardinalis) *D. Gondrin*, Archiepiſcopus Senonenſis, & *D. Vialart*, Epiſcopus Catalaunenſis (qui inter Pontificem CLEMENTEM IX. & quatuor illos Epiſcopos Gallicanos erant pacifici conſilii auctores, ac mediatores) certiorem feciſſent eumdem Summum Pontificem CLEMENTEM IX & in Epiſtolis, quas ad illum ſcripſerunt, teſtati fuiſſent, *quatuor illos Epiſcopos Gallicanos optima fide egiſse eoſque damnaſſe, & à ſuis damnari juſſiſſe quinque Propoſitiones, ſincerè, abſque ulla exceptione, ſeu reſtrictione, in eo omni ſenſu, quo ſunt ab Eccleſia damnatæ*. De eadem etiam ſincera Formulæ ſubſcriptione à ſe facta citrà ullam limitationem, reſtrictionem, & exceptionem quatuor illi Epiſcopi Gallicani jam eumdem Summum Pontificem CLEMENTEM IX. per litteras ad ipſum datas (ut mox dixi) certiorem reddiderant.

Secundò, teſtem locupletiſſimum totius rei geſtæ profero ipſummet CLEMENTEM IX qui in ſuo *Brevi* Pontificio ad Galliarum Regem LUDOVICUM XIV dato die 28. menſis Septembris anni 1668. In *Brevi* etiam directo ad Epiſcopos, pacis conciliatores, dato die 19. menſis Januarii anni 1669. & denique in *Brevi*, ad illos quatuor Epiſcopos Gallicanos dato eodem die & anno, conceptis verbis teſtatur, *ſe cum lætitia cognoviſſe in ſimplici ac pura ſubſcriptione Formularii quatuor illorum Epiſcoporum obedientiam, Sedi Apoſtolicæ præſtitam, ac dictos Epiſcopos Formulæ, ab* ALEXANDRO VII. *præſcriptæ, ſincerè ſubſcripſiſse juxta tenorem Litterarum Apoſtolicarum*. Hanc fuiſſe mentem CLEMENTIS IX. dùm quatuor illos Epiſcopos ad pacem & communionem ſuam recepit, teſtatur ipſius nepos Cardinalis *Roſpiglioſus* in ſua de rebus circà Janſeniſmum hiſtorica narratione; ubi loquendo de CLEMENTE IX. hæc habet: *Neque in re tanti momenti, quidquam connivere, quin immò acerrimè obviam ire decreverat*.

Tertiò, CLEMENS XI. Conſtitutione ſua, quæ incipit: *Vineam Domini Sabbaoth*, quæque publicata eſt die xv. menſis Junii anni MDCCV. eos ſevere.

rē perſtringit, qui Summi Pontificis CLEMENTIS IX. *Litteras in erroris ſui patrocinium advocare temerario auſu non erubeſcunt, perindè ac ſi memoratus* CLEMENS IX. *qui eiſdem Litteris ſe* INNOCENTII X. & ALEXANDRI VII. *Prædeceſſorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærere, ac à dictis quatuor Epiſcopis veram & totalem obedientiam, adeòque Formulæ à præfato Alexandro editæ, ſincerè per eos ſubſcribi voluiſſe declaravit aliquam in tam gravi negotio exceptionem ſeu reſtrictionem, quam nullam prorsùs ſe unquàm admiſſurum fuiſſe proteſtatus fuit re ipſa admiſiſſet.*

Poſtremò, nulla ratione dici poteſt, CLEMENTEM IX. voluiſſe approbare hunc ſubſcribendi Formulæ modum, quo exterius cum juramento affirmatur, quinque damnatas Propoſitiones eſſe verè excerptas ex libro *Janſenii*, dùm tamen interiùs creditur, eaſdem quinque proſcriptas Propoſitiones non reperiri in libro *Janſenii* (quem ſubſcribendi Formulario modum uſurpant *Janſenii* diſcipuli) nulla, inquam, ratione dici poteſt, CLEMENTEM IX. approbaſſe hunc ſubſcribendi Formulæ modum, ex quo graviſſima oriuntur vitia, quæ legi Dei, & auctoritati Eccleſiæ penitùs adverſantur. Ex eo quippè Formulæ ſubſcribendi Janſeniſtarum modo naſcitur primò contemptus auctoritatis Eccleſiæ, cui error interiùs imputatur, eique externum dumtaxàt linguæ, non mentis, exhibetur obſequium. Secundò ſequitur temeritas ac ſuperbia, quòd Summorum Pontificum, Epiſcoporum, ac Eccleſiæ totius judicio, privata ſua præponantur ſententia. Tertiò, ex illo Janſeniſtarum ſubſcribendi Formulæ modo prodit defectus ſinceritatis; immò mendacium ac perjurium, cùm exteriùs ſub juramento, tanquàm verum, affirmetur, quod tamen intùs falſum eſſe creditur. Intùs enim Janſeniani credunt, univerſam Eccleſiam errare poſſe in decidenda quæſtione alicujus Facti, etiam cum dogmate connexi, eamque errаſſe pronunciando hæreticam eſſe libri *Janſenii* doctrinam, & tamen non obſtante firma ac fixa interna illa animi perſuaſione, dum Formulario ſubſcribunt, hujuſmodi factum ſub juramento verum eſſe exteriùs affirmant. Qui ſanè ſubſcribendi modus inducit reſtrictionum mentalium, æquivocationum, & amphiboliarum perverſum uſum, quem in laxioribus Caſuiſtis damnavit Eccleſia.

Tandèm Janſeniſtæ, aſſerentes, univerſam Eccleſiam errare poſſe in Factis doctrinalibus (quale eſt Factum *Janſenii*) adimunt Eccleſiæ auctoritatem finiendi lites, quæ excitari poſſunt inter fideles de ſenſu Propoſitionum vel librorum. Qui enim poterit unquàm Eccleſia in ordinem redigere obſtinatos illos homines, qui pertendunt, quòd etsi Oecumenica Synodus declaraſſet, hæreticam eſſe libri *Janſenii* doctrinam nunquàm tamen ad conſentiendum, ſua propria reclamante conſcientia, adduci poſſent? Profectò nulla ſuppeteret Eccleſiæ via coercendi pervicaces illos homines, ſicque vana prorsùs, atque irrita redderentur Summorum Pontificum, & totius Orbis Epiſcoporum Decreta ac Tribunalia, quæ in dirimendis emergentibus in Eccleſia Controverſiis, & fovendæ tranquillitati Reipublicæ Chriſtianæ inſtituit Chriſtus Dominus; æternùm in Eccleſia regnarent lites, contentiones, & jurgia, procùlque exularet illa pax, quam ſuis diſcipulis Chriſtus Dominus relinquit pretioſam hæreditatem: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.*

X. Eant ergò nunc Janſeniani, & vana exultatione bacchantes, jactantius apud imperitum vulgus venditent fuiſſe approbatam à CLEMENTE IX Pontifice Maximo, ſuam in ſubſcriptione Formulæ ab ALEXANDRO VII. proſcriptæ, de religioſo ſilentio ſententiam. Ipſe verò individuè adhæreo Conſtitutioni CLEMENTIS XI datæ die XV menſis Junii anni MDCCV in qua Summus ille Pontifex hiſce conceptis verbis definit, *obedientiæ, quæ* INNOCENTII X. ALEXANDRI VII CLEMENTIS IX. & INNOC XII *Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri; Sed damnatum in quinq; præfatis Propoſitionibus Janſenii libri ſenſum, quem illarum verba præ ſe ferunt, ut præfertur, ab omnibus Chri-*

ſti fidelibus ut hæreticum, non ore ſolùm ſed & corde rejici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate ſupradictæ Formulæ ſubſcribi licitè poſſe: ita ut ſi qui ſecus, aut contra, quoad hæc omnia, & ſingula, ſenſerint, tenuerint, prædicaverint, Verbo, vel Scripto docuerint, aut aſſeruerint, tanquàm præfatarum Conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus & ſingulis illarum Cenſuris & pœnis omninò ſubjaceant, eadem auctoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, ordinamus.

Synopſis Hiſtorica Queſnelliſmi.

I. *Paſchaſius Queſnellus* natus eſt Pariſiis die XIV. menſis Julii anni MDCXXXIV. Poſt emenſum in Scholis Collegii Sorbonæ ſolitum Theologiæ curriculum, Congregationi Sacerdotum Oratorii Berulliani nomen dedit die 17. menſis Novembris anni MDCLVII & Sacerdotio fuit inauguratus anno MDCLIX. Lectioni libri *Janſenii*, ejuſque doctrinæ ſemper ſe addictiſſimum prodidit, ut videre eſt tam in ſuis *Reflexionibus Moralibus in Novum Teſtamentum*, quàm in Opere ſuo, cui titulus eſt: *Traditions de l'Egliſe*, ſeu *Traditio Eccleſiæ*, ubi pag. 333. ait, primam *Janſenii* Propoſitionem, ab INNOCENTIO X damnatam, eſſe veram, quia, inquit, *tam eſt impoſſibile, juſtum, cui deeſt gratia efficax, obſervare mandata Dei, quàm homini impoſſibile eſt ſine equo equitare.*

Legitur in libro, cui titulus eſt: *Cauſa Queſnelliana*, pag 163. quòd, cùm Oratorii Berulliani in Galliis Superiores laudabili Statuto, lato in Comitiis ſuis generalibus anno MDCLXXVIII. è Scholis ſuis Dogmata *Michaelis Baji* proſcripſiſſent, *Queſnellus* huic Statuto ea potiſſimùm de cauſa obtemperare noluit, quòd prædictum Statutum inviolabilem legem imponeret omnibus ejuſdem Congregationis alumnis damnandi doctrinam *Michaelis Baji*, & *Cornelii Janſenii*, atque ſine reſtrictione, exceptione, aut limitatione, ſubſcribendi Formulario, ab ALEXANDRO VII. præſcripto. Hanc legem ſubire manibus pedibuſque detrectans *Queſnellus*, clam è Galliis abjit, exceſſit, evaſit, erupit, & in Belgium ſeceſſit, ubi famoſi Doctoris *Antonii Arnaldi* fuit individuus comes, & uſque ad ipſius mortem fideliſſimus Achates.

Poſt damnatum à CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, *Conſcientiæ Caſum*, die XV. menſis Junii anni MDCCV. *Queſnellus* in carcerem fuit conjectus ab Illuſtriſſimo *Humberto, Guillelmo, A Præcipiano*, Archiepiſcopo Mechlinenſi, ſed paulò poſt, effracto à neſcio quibus carcere, liberatus, fugam arripuit. In eum tamen profugum Sententiam tulit laudatus Archiepiſcopus, quæ inſerta eſt libro mox à me memorato, cui titulus eſt: *Cauſa Queſnelliana*, multaque complectitur accuſationum contra *Queſnellum* capita, quorum præcipua hic dumtaxat, brevitatis ergò, referam.

In primis, convictus eſt *Queſnellus*, quòd in Belgio Catholico ſub veſte laica & ſub larvatis, perſonatiſque nominibus, quæ pro arbitrio ſuo mutabat, delituerit. Secundò, quòd in Univerſitatibus Lovanienſi, & Duacenſi plures turbas, graviſſimaque diſſidia ſuis ſeditioſis & exitioſis libellis atque Epiſtolis excitaverit, & in vicinis Belgio Provinciis, præſertim in Batavia, Clerum Hollandicum Catholicum contra Summum Pontificem CLEMENTEM XI. concitaverit, eique ad nullam Pontificiis Decretis præſtandam obedientiam auctor ac ſuaſor fuerit. Tertiò, quòd damnatam à Summis Pontificibus *Michaelis Baii* doctrinam magno molimine erigere, ac redintegrare tentaverit, & in hanc rem impensè laudaverit novam Operum ejuſdem *Baii* editionem, adornatam à *Gabriele Gerberonio*, viro novarum ac peregrinarum opinionum cupidiſſimo, & errorum *Baii*, & *Ianſenii* defenſore acerrimo. Quartò, quòd ſæpius à Sede Apoſtolica, & ab univerſa Eccleſia fulguritam *Ianſenii* doctrinam perfricta fronte propugnaverit, eamque ſuis Scriptis, hac illac diſſeminatis, inſeruerit, & aliis inſtillare voluerit. Quintò, quòd Summorum Pontificum Decretis, Conſtitutionibus, & Litteris, quæ ad profligandam *Ianſenii* cau-

ſam

ſam prodiderunt, palàm & infrunito ore detraxerit, nec unquàm adduci potuerit, ut eis debitam obedientiam præſtaret. Demùm, quòd multa petulanti calamo ſcripſerit contra ſubſcriptionem & juramentum *Facti Janſeniani*, quòd Formulario ALEXANDRI VII. continetur, nihilque intentatum reliquerit, ut Fideles ab hac ſubſcriptione, & juramento averteret ac penitùs avocaret. Videſis (ſi tibi per otium liceat) *in Cauſa Queſnelliana* alia non minus gravia accuſationum contra *Queſnellum* capita, quæ laudatus Archiepiſcopus Meclinenſis in Sententia contra eumdem *Queſnellum* lata, ſingillatim expreſſit, & multis momentis, ac Factis hiſtoricis, omnibus apprimè notis, Sole clariùs comprobavit.

II. Anno MDCCXIII. die VIII. menſis Septembris CLEMENTIS XI. Poſt præmiſſum maturum ac diuturnum examen, damnavit ſub variis Cenſuris centum & unam Propoſitiones, excerptas ex libro, quem gallico idiomate publicavit & in plures Tomos diſtribuit *Queſnellus*, ſub hoc titulo: *Reflexions Morales ſur le Nouveau teſtament*, ideſt, *Reflexiones Morales in Novum Teſtamentum.* Hic *Queſnelli* liber ea arte erat concinnatus, tàmque blanda pietatis ſpecie conditus, ut illum diurna nocturnaque manu verſarent non ſolum homines, verùm etiam mulieres, quæ, maximè in Galliis, mollitis ſermonibus, & emendatiori lingua Gallica plurimùm delectantur. Aſt, ſub ſplendida illa pietatis ſpecie infeſta dogmata, iam olim in *Bajo*, & *Janſenio* damnata, in hoc *Queſnelli* libro latentèr inſinuabantur, quæ lectorum animos confeſtim pervadebant, & inficiebant. Ad hanc præcludendam perditionis viam, qua nulla omninò ad fallendum expeditior excogitari poterat, CLEMENS XI. tam ſuæ Paſtoralis curæ ſtimulis, quàm frequentibus Galliæ Epiſcoporum litteris, votis ac precibus excitatus, omnes ſuas cogitationes contulit, ſecurim ad radicem arboris admovit, jamque latè gliſcenti morbo obviam ivit præſentiſſimo, & validiſſimo, quod adhibuit, remedio, damnando videlicet, in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* centum & unam Propoſitiones, ex hoc *Queſnelli* libro fidelitèr extractas.

Oſtendi in mea ſuperiori Epiſtola, hanc Dogmaticam CLEMENTIS XI. Conſtitutionem fuiſſe expreſſo vel tacito conſenſu ab omnibus univerſæ Eccleſiæ Epiſcopis (paucis admodùm exceptis) receptam & approbatam, tanquàm Fidei Catholicæ contentaneam, ſubindèque Janſeniſtas, & Queſnelliſtas, qui etiamnùm obſtinatis animis huic dogmaticæ CLEMENTIS XI Conſtitutioni refragantur, neceſſariò juxta intima ſuæ doctrinæ principia fateri debere, ſe eſſe rebelles inobedientes, obſtinatos, hæreticos, ſuamque appellationem ad futurum Concilium, eſſe nullam, impoſſibilem, & chymericam, ſi ſemel ſuæ doctrinæ principiis ſtare velint.

III. Non immorabor hìc in refellendis teterrimis calumniis & impoſturis, quas contra CLEMENTEM XI. Pontificem Maximum, & adverſus illius Dogmaticam Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* hactenùs Janſeniſtas, & Queſnelliſtas evomere nonpuduit; has quippè calumnias & impoſturas ſat prolixè in mea ſuperiori Epiſtola diſflavi, & exploſi. Sed non abs re factum me eſſe exiſtimavi, ſi ſub finem iſtius Epiſtolæ, ad obſtruenda ora Queſnelliſtarum, breviter reſpondeam quibuſdam objectionibus, pluma & aranea tela levioribus, quas *Queſnellus* proponit in libris Apologeticis, quos in ſui defenſionem edidit.

Et primò queritur *Queſnellus*, ſe non fuiſſe auditum in Congregationibus habitis Romæ ad examinandas centum & unam Propoſitiones è libro *Reflexionum in Novum Teſtamentum* excerptas, quæ à CLEMENTE XI. fuerunt damnatæ.

Sed intempeſtiva & injuſta omninò eſt hæc *Queſnelli* querimonia, Primò, quia *Queſnellus* in ſuo libro *Reflexionum in Novum Teſtamentum* non ſubobſcurè, ſed apertè (ſicut in mea ſuperiori Epiſtola oſtendi) renovat ipſiſſimas *Michaelis Baji*, & *Cornelii Janſenii* Propoſitiones, quæ jam à Summis

Digitized by Google

Pontificibus erant proſcriptæ. Hinc eſt, quòd *Queſnellus* doctrinam *Baji*, & *Ianſenii* damnare ſemper detrectavit. Ut quid ergò opus erat audire *Queſnellum*, cum ipſius liber benè multas contineret Propoſitiones, quæ puram putamque *Ianſenii* doctrinam ſapiebant?

Præterea, Eccleſia jus & auctoritatem habet à Deo examinandi ſenſum Propoſitionum aut librorum, & declarandi quinam ſit in illis ſenſus hæreticus ſubindèque damnandus; quinam verò ſit in illis ſenſus Catholicus, proindèque approbandus; tametſi harumce Propoſitionum, aut librorum auctores ſint vel jam mortui, vel adhùc vivi, ſed abſentes. Sicut conſtat multis exemplis, quæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica referuntur. Neceſſe ergò non erat, ut audiretur *Queſnellus*, ſed planè ſufficiebat, ut ejus liber examinaretur, & ut deinceps Summus Pontifex declararet, quinam eſſet hujuſce libri ſenſus, an Catholicus, an Hæreticus. Porrò, CLEMENS XI. antiquam ac perpetuam ſecutus Eccleſiæ conſuetudinèm, poſt maturum ac diuturnum examen, pronunciavit in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* obvium, naturalem, & genuinum ſenſum centum & unius Propoſitionum, quæ ſunt excerptæ ex *Queſnelli* libro *Reflexionum in Novum Teſtamentum*, eſſe hæreticum, vel erroneum, vel aliqua cenſura dignum, atque hoc ſolemne CLEMENTIS XI. judicium univerſa Eccleſia expreſſo vel tacito conſenſu excepit.

Quorſum ergò Queſnelliſtæ huic tam ſolemni univerſæ Eccleſiæ judicio tam pertinaci obſtinatione refragantur? dicentne, ſe, in dignoſcendo vero centum & unius illarum Propoſitionum ſenſu, vincere ac ingenii acumine & oculorum perſpicacia ſuperare Summos Pontifices CLEMENTEM XI. INNOCENTIUM XIII. & BENEDICTUM XIII omnes totius Orbis Epiſcopos, Academias Doctores ac Theologos? ſed hoc eſſet inſolentiſſimæ ſuperbiæ, quæ omninò vana, nulla & irrita redderet omnia quæ Chriſtus Dominus, ad dirimendas obortas in Eccleſia Controverſias, inſtituit Summorum Pontificum, & Epiſcoporum Tribunalia. Dicentne Queſnelliſtæ, ſe non fuiſſe auditos? ſed hoc eſt, imitari Lutheranos, & Calviniſtas, qui etiamnùm perperàm queruntur, ſe non fuiſſe auditos in Concilio Tridentino.

IV. Queritur ſecundò *Queſnellus*, quòd Conſultores, qui examini ejus libri *Reflexionum in Novum Teſtamentum* à CLEMENTE XI. Pontifice Maximo, prapoſiti ſunt præjudiciis fuerint affecti, utpote *Molinæ* doctrina imbuti, viri Politici, tempori ſervientes rei Theologicæ diſcutiendæ minus idonei, & in ferendis ſuis Cenſoriis ſuffragiis præcipites. Verùm, *Queſnellus* in hac ſua injuſta querimonia ſequitur morem omnium Novatorum, qui Judices, à quibus eorum errores fuerunt damnati, plauſtris injuriarum onerarunt. Sic hæretici *Ariani* inſultarunt Patribus Concilii Nicæni; ſic *Neſtoriani* inſurrexerunt in Epiſcopos Concilii Epheſini, ſic *Eutychiani* famam proſciderunt Epiſcoporum Concilii Calchedonenſis, ſic *Monotheliti* Epiſcopos Concilii ſexti generalis calumniis & contumeliis traduxerunt; ſic *Iconoclaſtæ* peſſimè exceperunt Epiſcopos ſeptimæ Synodi generalis; ſic *Lutherani*, & *Calviniſtæ* probris & impoſturis Patres Concilii Tridentini acritèr inſectati ſunt. Verbo dicam: ſolemne eſt his omnibus, qui cauſa ſua ceciderunt, Judices ſuos injuſtitiæ ſimulare maledictis impetere ac vellicare.

Hujus ſolitæ querimoniæ eorum, qui ſua cauſa ceciderunt, luculentiſſimum nobis ſuppeditat exemplum *Theodorus Eleutherius*, qui in *Hiſtoria Congregationum De Auxiliis*, *Divinæ Gratiæ*, quam nuperrimè adornavit, cùm, rei veritate convictus, negare non poſſet, Conſultores, his Congregationibus à Summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. præpoſitos, ſuffragium tuliſſe (uno dumtaxàt excepto) contra doctrinam *Molinæ*; hunc nodum gordium ſolvere eùm non poſſet *Theodorus Eleutherius*, illum actutùm diſſecuit, infamando videlicet iſtos Conſultores, eoſque appellando *viros partiales & præjudi-*

cio

ctis occupatos, *ſtupidos*, *ſtipendiarios*, *ignorantes*, *& in examine hujuſce Controverſiæ omninò impares*. Profectò, ſi Conſultores, ad examinandam *Ludovici Molinæ* doctrinam in celeberrimis Congregationibus *De Auxiliis*, à Summis Pontificibus CLEMENTE VIII. & PAULO V. delecti, reverà faviſſent *Molinæ*, ejuſque doctrinam à cenſura immunem eſſe declaraſſent, nullus dubito, quin *Theodorus Eleutherius* immenſas in eos laudes plena manu congeſſiſſet, & illicò iidem Conſultores *de partialibus*, & *præjudiciis occupatis*, Judices & Cenſores integerrimi; *de ſtupidis & ignorantibus*, viri doctiſſimi, & Theologi profundiſſimi evaſiſſent.

Idem planè judicium ferendum eſſe exiſtimo de *Queſnello*, qui ideò in Conſultores & Cenſores Romanos aſperè invehitur, quia centum & unam ejus Propoſitiones juſtam mereri Cenſuram judicarunt. At ſi, verſa vice, iidem Conſultores cenſuiſſent, illas centum & unam Propoſitiones ſanam continere doctrinam; nullaque dignas Cenſura; quantis laudibus, amabò te, illos *Queſnellus* extuliſſet. Non ampliùs ipſius judicio, Conſultores illi Romani fuiſſent *Moliniſtæ*, *viri Politici*, *imperiti*, & *præcipites*, ſed eos ſtatim *Queſnellus* ubique celebraſſet tanquàm viros undecumque doctiſſimos, & ſtrenuos doctrinæ *S. Auguſtini* defenſores. Hæc igitur *Queſnelli* contra Cenſores Romanos querimonia, quæ familiaris eſt his omnibus, qui in aliquo Tribunali ſua cauſa ceciderunt, injuſta omninò eſt, & ab omnibus flocci fieri debet.

V. Tertiò, *Queſnellus* in ſuis libris, vel Epiſtolis Apologeticis, ſæpiùs inculcat, doctrinam de Gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, quam plurimi Summi Pontifices, Concilia, Sancti Patres, præſertim *Auguſtinus*, *Proſper*, *Fulgentius*, *Hilarius*, *Remigius*, *Bernardus &c.* & omnes veteres Theologi approbarunt, fuiſſe damnatam in CLEMENTIS XI. Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* Inſuper aſſerit *Queſnellus*, ſe in his, quæ edidit, Operibus eò dumtaxat collimaſſe, ut hanc de Gratia per ſe efficaci doctrinam contrà omnes ejus adverſarios aſſereret ac vindicaret.

Sed hoc *Queſnelli* effugium in anteceſſum occupavi ac præcluſi in mea ſuperiori Epiſtola, ubi primò multis momentis evici, Summum Pontificem CLEMENTEM XI. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* damnaſſe quidem doctrinam *Janſenii*, & *Queſnelli* de Gratia efficaci *neceſſitante*, quæ videlicet funditùs exterminat liberum hominis arbitrium, ſed nunquàm Summum illum Pontificem damnaſſe doctrinam Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ* de Gratia per ſe efficaci, quæ, ſicut docetur in Schola Thomiſtica, perfectè conciliatur cum libero hominis arbitrio. Immò Summus ille Pontifex ſuo Decreto, dato die XXVIII. menſis Januarii anni MDCCVI quo poſthumum *Joannis Launoji* contra doctrinam *S. Auguſtini* de Gratia libellum confixit, disertè ſignificat, ſe, inhærendo veſtigiis Prædeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum, impensè laudare & approbare doctrinam *Sancti Auguſtini* de Gratia, & BENEDICTUS XIII. in ſuo *Brevi* Pontificio dato die VI. menſis Novembris anni MDCCXXIV. in ſua Conſtitutione quæ publicata eſt VII. Kalendas Junii anni MDCCXXVII. damnat tanquàm inſignes calumniatores illos, quos non pudebat aſſerere, CLEMENTEM XI. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* cenſura notaſſe doctrinam *SS. Auguſtini* & *Thomæ* de Gratia per ſe efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam ante omnem meritorum præviſionem.

Addo etiam, CLEMENTEM XI in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* conceptis verbis aſſerere, illas *Queſnelli* Propoſitiones, quæ ſpectant doctrinam de Gratia per ſe efficaci, fuiſſe à ſe damnatas *in ſenſu Janſenii*, ſed non in eo ſenſu, quo Thomiſtæ in ſuis Scholis doctrinam de Gratia per ſe efficaci, juxta mentem Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, omni ævo propugnarunt; ac etiamnùm Romæ, & ubique terrarum conſtanter propugnant.

Ludit autem lectores tuos *Queſnellus*, dum in ſuis libris & literis Apo-

loge-

Digitized by Google

logeticis fidentèr aſſerit, ſe doctrinam de Gratia per ſe efficaci pro aris ac focis propugnare; in hoc, inquam, *Queſnellus* ludit lectores ſuos, quia reverà non defendit doctrinam de Gratia per ſe efficaci in ſenſu Catholico, hoc eſt, in ſenſu Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*, totiuſque Clariſſimæ Scholæ Thomiſticæ, quæ doctrinæ illorum Sanctorum Patrum, tanquàm ſacræ anchoræ, jugiter, firmitèrque adhæret, ſed *Queſnellus* reverà in ſuis Operibus defendit doctrinam de Gratia per ſe efficaci in ſenſu hæretico *Janſenii*, ſicut disertè declaravit Summus Pontifex in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* Idque etiam liquidò patet ex ipſiuſmet *Queſnelli* damnatis Propoſitionibus, quæ (uti in ſuperiori mea Epiſtola commonſtravi) continent ac lectoribus exhibent hæreſeos Janſenianæ virus. Sed apertè ſuis Lectoribus imponit *Queſnellus* dum eò audaciæ prorumpit, ut paſſim in ſuis libris & Litteris Apologeticis dicat, CLEMENTIS XI. Conſtitutionem, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* ademiſſe Scholis Catholicis libertatem defendendi doctrinam de Gratia per ſe & ab intrinſeco efficaci; in hoc ſanè ſuis Lectoribus *Queſnellus* imponit, & Sanctiſſimo Pontifici CLEMENTI XI. teterrimam calumniam impingit, quam (ut mox obſervavi) BENEDICTUS XIII. duobus Pontificiis Diplomatibus damnavit, omneſque illius atrocis calumniæ authores graviſſimis & canonicis pœnis puniendos edixit. Cœlum igitur tonat, raceant ranæ.

II. Poſtremò, *Queſnellus* in ſuis libris & Litteris Apologeticis jurat, ſe, præter Gratiam ſe ipſa efficacem, quæ facit ut actu operemur, ultrò admittere Gratiam ſufficientem, *in ſenſu Thomiſtico* intellectam, quæ dat voluntati potentiam operandi, ſed non actualem operationem, indèque maximè lamentatur, quòd injuſtè fuerit damnatus.

Verùm, *Queſnellus* hac ſua Proteſtatione fucum facit Lectoribus ſuis. Primò, quia ex ipſius Propoſitionibus ab Eccleſia jure optimo damnatis certiſſimè conſtat, *Queſnellum* unà cum *Janſenio* docere, Gratiæ efficaciam ſitam eſſe in cœleſti indeliberata delectatione relativè victrice, quæ cum ſit major ac ſuperior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, neceſſariò determinat humanam voluntatem ad benè agendum, eique dumtaxat relinquit libertatem à coactione. Hunc autem Janſeniſticum Gratiæ efficaciam explicandi modum non ſolùm tota Schola Thomiſtica, ſed omnes omninò Catholici, tanquàm hæreticum, & ut talem ab Eccleſia meritò damnatum, averſantur, rejiciunt, ac deteſtantur.

Secundò, *Queſnellus* unà cum *Janſenio* pertendit, Gratiam illam *Janſeniſticè* efficacem, quæ ſita eſt in cœleſti indeliberata delectatione relativè victrice, tenere ſe non tantùm ex parte actus ſecundi, ſed etiam ex parte actus primi, ſubindèque hanc Gratiam *Janſeniſticè* efficacem conſerre voluntati humanæ veram & relativam potentiam vincendi & ſuperandi oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem, ita ut (juxta *Janſenium*, & *Queſnellum*) voluntas humana, quæ eſt deſtituta Gratia illa *Janſeniſticè* efficaci, careat vera; proxima, expedita, & relativa potentia vincendi oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem. Ab hoc *Janſenii*, & *Queſnelli* errore, qui penitùs extinguit liberum hominis arbitrium, abhorret Schola Thomiſtica, quippè quæ (ſicut in meis ſuperioribus Epiſtolis palàm feci) conſtanter docet, Gratiam per ſe efficacem, in ſenſu Thomiſtico intellectam, non tenere ſe ex parte actus primi, ſeu ex parte potentiæ, ſed tenere ſe ex parte actus ſecundi, quatenùs videlicèt Gratia per ſe efficax (in ſenſu Thomiſtico intellecta) potentiam illam veram, proximam, expeditam, ac relativam benè operandi, quam voluntas humana jam habet per gratiam ſufficientem (in ſenſu itidem Thomiſtico intellectam) applicat & reducit ad actum ſecundum, efficitque ut voluntas humana benè actu operetur.

Tertiò, *Queſnellus* nullam admittit in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam verè ſufficientem, quæ ſit à Gratia efficaci diſtincta, & quæ voluntati humanæ impertiatur

tiatur

tiatur veram, proximam, expeditam, & relativam potentiam benè agendi, & ſuperandi oppoſitos terrenæ concupiſcentiæ delectationis gradus. Sed *Queſnellus* agnoſcit dumtaxat in ſtatu naturæ lapſæ Gratiam illam, à Gratia efficaci diſtinctam, quam *Janſenius* appellat *parvam*, quamque *Queſnellus* perperam, & ut ſuis Lectoribus fucum faceret vocat *ſufficientem*, quam tamen non eſſe reverà *ſufficientem*, hoc invito argumento breviter demonſtro: Gratia verè *ſufficiens*, juxta perpetuam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam, ea eſt, quæ dat voluntati humanæ veram, proximam, & expeditam benè agendi potentiam, ita ut ex parte potentiæ nihil ei deſiit; Atqui illa Gratia, quam *Janſenius* appellat *parvam*, quamque *Queſnellus*, ut incautos decipiat, nuncupat *ſufficientem* non dat, juxtà principia doctrinæ *Janſenii*, & *Queſnelli*, veram, proximam, expeditam & relativam potentiam benè agendi, ergò hæc *Janſenii*, & *Queſnelli* Gratia *parva* non eſt Gratia verè ſufficiens. Probatur Minor Propoſitio illa Gratia *parva* (ſicut docent *Janſenius*, & *Queſnellus*) ſita eſt in cæleſti indeliberata delectatione, quæ minor, eſt inferior, & debilior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, quæ relativè victrix eſt. Atqui, docent *Janſenius*, & *Queſnellus*, cæleſtem indeliberatam delectationem, quæ minor eſt, inferior, ac debilior oppoſita concupiſcentiæ terrena delectatione, quæ relativè victrix eſt, non dare voluntati humanæ veram, proximam, expeditam, & relativam potentiam benè agendi, & vincendi oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem, quæ relativè victrix eſt; quia (inquiunt *Janſenius* & *Queſnellus*) minor & inferior delectatio debet neceſſariò cedere majori & ſuperiori delectationi, & impoſſibile omnino eſt, minorem & inferiorem delectationem vincere majorem & ſuperiorem delectationem, quæ relativè victrix eſt. Igitur illa *Janſenii*, & *Queſnelli* Gratia *parva*, quæ tota ſiſtit in cæleſti indeliberata delectatione, quæ minor, inferior, ac debilior eſt terrena concupiſcentiæ delectatione, quæ relativè victrix eſt, non dat voluntati humanæ veram, proximam expeditam, & relativam potentiam benè agendi, & ſuperandi oppoſitam concupiſcentiæ terrenam delectationem, quæ relativè victrix eſt, proindeque hæc Gratia *parva*, quam in ſtatu naturæ lapſæ admittunt *Janſenius* & *Queſnellus*, non eſt, juxtà Eccleſiæ Catholicæ ſenſum, *Gratia verè ſufficiens*.

Si plura de hac Gratia, quam *Janſenius* appellat *parvam*, quamque *Queſnellus*, ut Lectorum ſuorum ſimplicitati illudat, appellat *ſufficientem*, ſcire deſideres: habes penès te Epiſtolas, quas ad te ſcripſi de vera notione, & natura Gratiæ ſufficientis, in quibus facilè intelliges, *Queſnellum* ingenio, moribus, factis, & doctrina, tàm circà Gratiam efficacem, quàm circa Gratiam ſufficientem, ità convenire cum *Janſenio*, ut jures, illos eſſe *ex eodem prægnante ovo*. Mitto ad te, ad utramque Cauſam, tàm Janſenianam, quam Queſnellianam penitùs profligandam, recentiſſima quædam Monumenta, quibus Summi Pontificis CLEMENTIS XI. Conſtitutioni, quæ incipit: *Unigenitus Dei Filius &c.* & qua omnes *Baji*, *Janſenii*, & *Queſnelli* doctrinæ defenſores diris devoventur, maximum accedit pondus, & doctrinæ *S. Thomæ* haud mediocris conciliatur veneratio.

In illis, quas ad te deinceps ſcribam, Epiſtolis, in alios Scholæ Thomiſticæ adverſarios, ſeu in Theologos Molinianos, arma vertam, earumque doctrinam de Scientia Media, de Prædeſtinatione ad gloriam poſt præviſionem meritorum, & de Gratia congrua, attemperata genio, temperamento, indoli perſonarum, locis, temporibus, & circumſtantiis, examinabo, ventilabo, & omni argumentorum genere confutabo, citrà tamen ullam Cenſuram, vel minimam verborum acerbitatem (cùm adhùc tolerata ſit in Eccleſia hæc *Molinæ* doctrina.) Certè à ferendis in Catholicorum Scriptorum ſententias inofficioſis Cenſuris, ſemper abhorrui, maloque in rebus Theologicis tractandis modeſtior haberi, quàm in mordendo acerbior. Canum iſta ac Luporum ſit gloria, ri-

du

Digitized by Google

ctu & dentibus rem agere. Nos verò Chriſtiani, Sacerdotes, & Deo religioſa profeſſione ſacri, nihil ſecundùm Deum prius & antiquius habere debemus, quàm ut pacem cum omnibus, ſi fieri poteſt, ſartam tectam conſervemus, & charitate, quæ eſt vinculum perfectionis, & ſine qua perperàm Chriſtiani nomine gloriamur, cæteros omnes vincamus. Tempus erit, cùm omnia Librorum conflagrabunt Monumenta; ſed charitas, teſte Apoſtolo *Paulo* nunquàm excidet, & omni opere humano jugiter celebrabitur. Perplacet itaque mihi prudens ac ſalutare conſilium, quod *Gabriel Vaſquez* in ſuis Commentariis in Primam Secundæ *S. Thomæ* Diſputatione 190. Art. 2. capite 13. appoſitè dat omnibus Theologis, dicens: *Audacia, nimiaque arrogantia in aliorum ſententiis malignè vellicandis ac lacerandis, non parùm ſcandali afferre ſolet, à quo docti & prudentes Theologi in ſuis Scriptis abſtinere deberent.*

Vale, Amice dilectiſſime, & in tuis orationibus Deum obnixè deprecare, ut me, miſerrimum peccatorem, omnipotenti ſua Gratia (qua dura peccatorum corda ad ſe convertit) illuminet, adjuvet & roboret, & ut me, divinæ ipſius Gratiæ beneficam indolem, & innumera, quæ per eam in nos derivantur, commoda ſedulò meditantem, meque ejuſdem divinæ Gratiæ, quæ eſt cœleſtis auræ particula, & fons aquæ ſalientis in vitam æternam, ſuavitatem, qua mortalium corda demulcet, mente & corde deguſtantem, placida mors inveniat.

Huic ſecundæ Claſſi Epiſtolarum, quas ad te ſcripſi, ſive ad confutandam doctrinam *Michaelis Baii*, *Cornelii Janſenii* & *Queſnellii*, ab Eccleſia Catholica damnatam, ſive ad referanda, & in aperta luce ponenda benè multa diſcrimina, quæ interſunt Doctrinam Thomiſticam de Gratia inter & fulguritam *Baii*, *Janſenii*, & *Queſnellii* doctrinam, coronidem tandem imponam ipſiſſimis verbis, quibus Concilium Senonenſe, in Galliis anno 1528. celebratum, perſtringit Lutheranos & Calviniſtas, quæque in diſcipulos *Baji*, *Janſenii* & *Queſnellii* optime quadrare mihi videntur: *Nec parùm demiramur* (inquiunt hujus Concilii Præſules) *quonam pacto, tum impudentes ſint hodiè, aut tam arrogantes, ut damnatam doctrinam audeant diſſeminare, eamque probare, prædicare, ſcribere, aut divulgare non erubeſcant, quam ſemper* Eccleſia, *Spiritu Sancto illuſtrata, rejecit, reſpuerunt Orthodoxi, probati Doctores execrati ſunt: quaſi verò magis ſit paucis, iiſque temerariis, eorum ſatoribus credendum, quàm omnibus Doctoribus, Academiis, Epiſcopis, Summis Pontificibus, Conciliis, quo ſtultius nihil poteſt, aut furioſius? Nam quæ major ſtultitia, ſi non inſania dicenda eſt, potiùs quòd prædamnatas tot ſæculis Hæreſes revocare conantur, & extinctos execrandarum blaſphemiarum cineres ſtudent ex inferis denuò excitare? At certè in vanum laborant, cùm adversùs Chriſtum & Eccleſiam nihil unquàm felicitèr attemetur. Quapropter, quantumlibet tumultuentur, innumeras licèt inſipientium hujuſmodi catervis in animarum & corporum perniciem ad nefariam impietatem tuendam technis & fraudibus alliciant; quot libros ad firmandam execrabilem hanc ſectam conſcribant, quantumvis nugas & calumnias ſuas compoſito fucatoque ſermone ſatagant adumbrare; quantumvis denique in Eccleſiæ Catholicæ conſpirent exitium, impii tamen eorum conatus in ventos tandem effluent & evaneſcent. Zelatur enim Chriſtus zelo magno Eccleſiæ ſuæ integritatem.*

Do-

Digitized by Google

Documenta, quibus doctrinæ, S Thomæ commendatur authoritas.

E P I S T O L A
BENEDICTI PP. XIII.

Ad Dilectos Filios Decanum, & Theologos collegiatos Univerſitatis Theologiæ Placentinæ.

Dilecti Filii ſalutem &c. Conſilia veſtra ad ſanam doctrinam propagandam laudabiliter intenta luculento nuper teſtimonio comprobaſtis, cùm Angelicum Doctorem Sanctum Thomam Aquinatem, inſignis iſtius Univerſitatis Sacrarum Doctrinarum Ducem, & Magiſtrum adſciviſtis, concordibus ſuffragiis decernentes plana illa tutaque via exigendum eſſe Theologiæ Curriculum, & ſaluberrima Dogmatum illius pabulo alenda eſſe ſtudioſorum ingenia. Piam igitur veſtræ virtutis alacritatem Paternis laudibus, commendantes, vota, quæ ſuſcepiſtis, rata fore confidimus, ut nimirùm incitamento vobis eſſe ad virtutis imitationem ſentiatis quem in Theologiæ Palæſtra ad Doctrinæ cognitionem, & uberiores ſacrorum ſtudiorum fructus Patronum optaſtis. Ac vobis Dilecti Filii Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ die 28 Februarii 1728.

D E C R E T U M.
CLAUDII AQUAVIVÆ,

Societatis Jeſu Præpoſiti Generalis.

Quod de Conſilio ejus Aſſiſtentium editum eſt *die* 14. *menſis Decembris anni* MDCXIII. & in univerſas Societatis Jeſu Provincias tranſmiſſum, *die* 24. *menſis Decembris anni* MDCXIII. tanquàm certus docendæ ac tenendæ doctrinæ Canon.

Cum vel ad eam, quæ in Conſtitutionibus tantoperè commendatur, animorum conjunctionem, & uniformitatem, ſoliditatemque doctrinæ, vel ad bonam Societatis apud exteros exiſtimationem plurimùm referat, in rebus præſertìm gravioribus noſtris, quantùm fieri poterit, occaſionem præſcindere, novas ſubindè opiniones excogitandi; re diù multùmque cum Patribus Aſſiſtentibus conſiderata, ac Domino diligentiſſimè commendata, viſum eſt nobis, ſeriò ſtatuendum, graviterque mandandum, quod præſentibus pro officii noſtri auctoritate, & obligatione ſtatuimus, & mandamus, ut in tradenda Divinæ Gratiæ efficacitate, noſtri eam opinionem ſequantur, ſive in Libris, ſive in Lectionibus, ſive in publicis diſputationibus, quæ à pleriſque Societatis noſtræ Scriptoribus tradita, atque in controverſia de Auxiliis Divinæ Gratiæ, coram Summis Pontificibus piæ memoriæ CLEMENTE VIII. & *S. D. N.* PAULO V. *tanquàm magis conſentanea SS. Auguſtino, & Thomæ, graviſſimorum Patrum judicio explicata ac defenſa eſt. Noſtri in poſterum doceant, inter eam gratiam, quæ effectum re ipſa habet, atque efficax dicitur, & eam, quam ſufficientem nominant, non tantùm diſcrimen eſſe in actu ſecuado, quia ex uſu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, effectum ſortiatur, altera non item, ſed in ipſo actu primo; quòd poſita ſcientia conditionalium, ex efficaci Dei propoſito atque intentione efficiendi certiſſimè in nobis boni, de induſtria ipſe ea media ſeligit, atque eo modo, & tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura; aliis uſurus, ſi hæc inefficacia prævidiſſet. Quarè, ſemper moraliter, & in ratione beneficii, plus aliquid in efficaci, quàm in ſufficienti gratia, & in actu primo contineri, atque hac ratione efficere Deum, ut re ipſa faciamus; non tantùm, qui dat gratiam, qua facere poſſimus. Quod idem dicendum eſt de perſeverantia, quæ procul dubio donum Dei eſt.* Hoc Decretum *Claudii Aquavivæ*, extat apud *Julium Clementem*, *Tanerum*, *Gabrielem Henao.*, *Paulum Leonardum*, *& Hyacinthum Serry* Lib IV. *Hiſtoriæ congregationum De Auxiliis* Cap. xxxi Editionis anni MDCCIX.

Mortuo *Aquaviva*, Societatis Jeſu generali Præfecto, (die xxxi. menſis Ja-

Digitized by Google

Januarii anni MDXV.) ejus Decretum *Mutius Vitelleſchus*, de conſilio ſeptimæ Congregationis, in qua præpoſitus Generalis ejuſdem Societatis Jeſu electus eſt, confirmavit & ea de re Tranſmiſſoriis dedit epiſt. die 7 menſis Junii an. MDCXVI.

Idem *Aquavivæ* Decretum probavit, novumque ei addidit robur Societatis Jeſu generalis præpoſitus *Picolominius*, de conſilio nonæ Congregationis anno MDCLI. celebratæ, in qua ſancitum eſt *ut in materia de efficacia gratiæ; ſervetur Decretum P. Claudii Aquavivæ conditum 14 Decembris 1613.*

Sed hic non abs re erit inſerere Epiſtolam, quam *Claudius Aquaviva* adjunxit ſuo Decreto, eamque die 24. menſis Decembris anni 1613. miſit ad omnes Societatis Jeſu Provinciales, in qua tenendam S. Thomæ doctrinam eis imperat, certoſque de ratione ſtudiorum Canones præfigit; ne ab illa pro arbitrio diſcederent. Hanc *Claudii Aquavivæ* Epiſtolam latino primùm idiomate ſcriptam fuiſſe veroſimile quidem eſt, ſed nunc nullibi extat, niſi Gallico, vel Italico, exarata idiomate; quapropter eam ex Italico latinè redditam hic exhibebo, ſicut extat c. 31. l. 4. *Hiſtoriæ Congregationum de Auxiliis*, quam in lucem emiſit doctiſſimus noſter *Hyacinthus Serry*, Editionis Antuerpienſis anni MDCCIX.

EPISTOLA

CLAUDII AQUAVIVÆ,

Societatis Jeſu Generalis Præfecti,

Ad univerſos ejuſdem Societatis Provinciales, quibus tenendam S. Thomæ doctrinam imperat, certoſque de ratione ſtudiorum præfigit Canones, ne ab illa pro arbitrio diſcedant.

ADmodùm Reverende Pater, ob rationes vobis olim die 18. Junii 1611. ſignificatas, neceſſarium exſtimavimus modos omnes ac vias inveſtigare, quibus doctrinæ firmitas atque concordia in Scholis noſtris ſtatui poſſent. Quæ duo à B. Patre noſtro quarta Conſtitutionum parte præcipiuntur, tanquàm Societati admodùm opportuna; ut digna Eccleſiæ Dei præſtet obſequia. Idcircò univerſis Europæ Provincialibus injunctum fuerat, ut habito præcipuorum Theologorum conſilio, mutuò ſecùm conferrent, quid facto eſſet opus, ſuaque ad nos judicia tranſmitterent. Nunc demùm acceptis Provinciarum omnium opinionibus, magna animi voluptate comprobavimus omnes in idem prorsùs conſpirare, idemque ſentire. Ac licèt in nonnullis rationibus proponendis, non una omnium ſententia ſit, in multis tamen multæ Provinciæ congruunt, in aliquibus planè omnes. Verùm, è propoſitis remediis ſunt alia lenta nimis, & alia plus juſto difficilia, nonnulla ſtrepitu magno minùs proficerent, quædam ſubaſpera, & Societati inſolita judicantur, ut ſi Profeſſores Cenſoreſque ſtricto obedientiæ præcepto, aut etiam juramento, ad hoc vel illud tenendum fugiendumve aſtringerentur.

Demum, poſt Divinam opem Sacrificiis & orationibus efflagitatam, habitoque Patrum Aſſiſtentium maturo conſilio in hanc ſententiam deſcendimus, præſens malis omnibus remedium allatum iri, ſi quæ olim in ſtudiorum libro ſancita ſunt, religioſiſſimè teneantur. Quapropter, Provincialibus diſtrictè præcipimus, ut ſuas de ſtudiis Regulas, per ſe ſatis apertas & copioſas, accuratiſſimè ſervent, uti; & eas, quæ de ipſorum officiis cap 6 notatæ ſunt. Suas quoque Rectores diligentiſſimè teneant. Illud idem ſtudiorum Præfectis, omnibuſque ſuperiorum ſcientiarum ac maximè Theologiæ Scholaſticæ Profeſſoribus injungitur. Si enim hæc religioſè præſtiterint, omnia pro votis ſuccedent.

Quod enim doctrinæ firmitatem attinet; ſtabimus in tuto ſi Divi Thomæ doctrinam tenuerimus, ut Generalis Congregationis Decreto ſancitum eſt. Summa quoque doctrinæ conſenſio penès nos erit, dùm eum ſequemur Auctorem. Quæ ſanè duo Generalis Congregatio ſibi præſtituerat, dùm de edendo Decreto deliberavit. Nec movet, ſi qui fortè dixerint, neſciri interdùm quæ mens Divi Thomæ fuerit; id quippè Decretum ipſum occupavit. Si enim perſpi-

ſpicuum ſit op'nionem aliquam D Thomæ repugnare, nihil ultrà morari ju at, certane ſit, cum illam amplecti nobis non liceat. Si autem mentem ejus graviores & antiqui Thomiſtæ variè exponant, probabiliorem partem cum jisdem amplecti fas erit, citrà violatæ Angelicæ doctrinæ periculum. Cavendum tamen eſt, & quidèm ſeriò ne qui ſpontè in aliquam ſententiam propendent, ſparſas hinc indè S. Thomæ voculas aliquas emendicent, ſuumque in ſenſum obliquè detorqueant, ut illum à ſuis partibus ſtare jactitent; ſed ejus potiùs ſententiam ac mentem jis ex locis venari ſtudeant, ubi illud argumentum tractavit ex inſtituto; non ubi curſim, aut occaſione tantùm obitèr attigit.

Hoc igitur conſtituto, nihil intereſt cathalogum texere opinionum probabilium aut non probabilium, tenendarum aut non tenendarum; quia, uno doctrinæ duce ſemel poſito, brevi compendio confecta res eſt. Nec ob id tamen auſertur ingeniorum libertas, ſed intra debitos modos continetur; ut D Thomæ doctrinam firmare, illuſtrare ac promovere valeant ſatiſque conceditur excurrendi campus, tametſi Doctori Angelico mancipentur: eo ſanè modo (quamquam per omnia non ſtet comparatio) quo tot Eccleſiæ Doctores tam varios, tamque amplos in Scripturam Sacram Commentarios adornarunt; licèt nec latum unguem àb illius ſenſu aberrarint.

Dubitarunt nihilominus aliqui num doctrinæ concordiæ repugnet opinionum varietas quæ in auctoribus noſtris deprehenditur; arbitrati ſanè licitum ſibi fore quemlibet pro arbitrio ſequi, eo ſaltem nomine, quòd cum ſuperiorum licentia atque approbatione prodierint. Verùm, jam abundè à nobis ſignificatum eſt, nullam ob id Profeſſoribus Scriptoribuſque libertatem accedere, qui à Divo Thoma diſcedere vellent. Quia, ſi quæ opiniones jam hactenus in lucem prodierunt, quæ à viris doctis uti maximè probabiles judicentur, ab erroris quidem novitatis ac temeritatis ſuſpicione liberantur: non ob id tamen à nobis defendi poſſunt, ſi D Thomæ contrariæ reputentur. De dubiis verò jam ſatis dictum.

Congruum igitur erit, ut quotannis in publica Scholarum inſtauratione, noſtra hæc Epiſtola de doctrinæ firmitate atque concordia congregatis Magiſtris legatur, Superioreſque Seminariorum, ubi Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia vigent, hortatoriam ſimul orationem habeant in qua ſtatutum de tenenda D. Thomæ doctrina ſeriò moneant, aliorumque mandatorum noſtrorum, quæ Libro de Ratione ſtudiorum continentur, obſervantiam injungant, ut religiosè ſerventur.

Provinciales omni cura & ſollicitudine ſancitam legem obſervent, qua cautum eſt, ne ad docendæ Philoſophiæ aut Theologiæ munus promoveantur, niſi qui D Thomæ doctrinæ ſunt affecti, & à novitatis ſtudio alieni. Si quos verò non ita affectos deprehenderint, qui probabilitatis obtentu ab iis legibus deflecterent; illos liberè amoveant & ad alia Societatis officia deputent. Qui autem contrarias Angelico Doctori opiniones traderent, aut in rebus Philoſophicis ad novitates declinarent, ſeu ex proprii ingenii levitate, ſeu Scriptoris cujuſdam inferioris notæ auctoritate illecti, ad hujuſmodi opinionum retractationem quanto citiùs adigantur, nec ad Scholaſtici ſtadii vel anni finem protrahatur retractatio, cùm nedùm res dilatione inveteraſcere & augeri ſoleant, ſed & eas novitates diſcipuli tenaciùs ebibant dum nullam toto anni decurſu emendationem experiuntur. Nec audienda Præfectorum excuſatio, ſi fortè ignorantiam obtenderint: cum eo ipſo maximè officio ſuo deſint: ea quippè noſſe tenentur, & rationes illis ſuppetunt quibus in illorum notitiam venire poſſint. Primo, ſi Scholas, ut officium poſtulat, ſæpiùs adeant ad Profeſſorum lectiones audiendas. Secundo ſi Lectionum repetitionibus, circulis, diſputationibus tùm publicis, tum domeſticis interſint. ſi diſcipulos in Schola Tractatibus interrogent: ſi demùm profeſſorum Scripta lectitent. Hæc ubi Præſtiterint, aberrationes omnes procùl dubio compertas habebunt. Ac tunc quidèm impoſita pœna, indictaque interpretatione, variis tum publicis tum privatis admonitionibus, ita errantes ad officium reducant, ut noverint, non ſpecie tenùs ac perfunctoriè iſta fieri, ſed ſeriò

pla-

planè, univerſamque Societatem ac ſuperiores in id præſertim intendere, tanquàm quod ad Religionis noſtræ inſtitutum, ad Eccleſiæ profectum, ad obſequium Dei conducat, longè magis quàm credi poſſit aut æſtimari. Quare, ſeveriores potiùs, quàm mitiores eſſe debent ſtudiorum præfecti. Si autem de nonnullis opinionibus ſuborire tur dubitatio, aut eas fortè nimia pertinacia nonnulli tueri vellent; tum præfectus aut Rector (ut res majori auctoritate ac prudentia componantur) plurium conſultationem, aliorumque Doctorum noſtrorum ſtudium adhibeat, ac mox pertinaces illos quieſcere, cæterorumque judicio ſtare jubeat: cùm eo dumtaxàt fine doceamus, ut dignum Deo præſtemus obſequium, qui nihil ſibi contra leges obedientiæ, acceptum habet.

Cavendum ne profeſſorum alter alterum mordeat & impugnet: ſed ſi eumdem auctorem ſecuti, in quibuſdam levioribus diverſa ſentirent (quod non niſi rarò accidere debet) mutua ſecum modeſtia ac debita veneratione ſe gerant.

Provinciales, viſitationem obeuntes, in id diligenter inquirant, præſentiaque remedia ferant, eos à publicis lectionibus amovendo, qui ſtare nollent decretis congregationis Generalis, immò & B. Patris noſtri, qui iſtud de firmitate doctrinæ ac conſenſione Statutum adeò diligenter injunxit. Curet ut Philoſophiæ opiniones Theologiæ ſerviant, Ariſtotelemque ſequi jubeat, ubi à doctrina divinitùs tradita non aberrat.

In iis, quę D. Th. ex inſtituto non attigit, nec certò ſciri poteſt, quid re ipſa ſenſerit, caveat inprimis, quid ex ejus principiis ſponte fluat, alliſque ipſius doctrinę capitibus optimè cohæreat. Si enim vel ejus principiis repugnet, aut cum aliis ejuſdem dogmatibus minùs congruat, docendum non eſt. Secundò, ſi nec id quidem detegi poteſt, nova ex arbitrio inducere non licet, nullis præeuntibus Scriptoribus gravibus ac probatis: non enim expedit in ſemita minùs trita propriis duci ſenſibus; unde & aberrare, & in præceps ruere ſolitum eſt.

Studiorum Præfecti ſeligantur, qui in D. Thomæ doctrinam bene affecti ſunt, quique ſimul, ut multis de cauſis expedit, Profeſſoris munus non obeant.

Si quis poſt librorum emendationem à cenſoribus indictam, quidpiam ſine licentia addiderit abſque nova eorumdem cenſorum recognitione, pœnas luat, eaſque graviſſimas. Illi enim in re graviſſima Societatem decipiunt.

Attendant etiam diligenter doctrinę firmitatem multùm imminui, ingeniaque confundi pluſquàm credi poſſit ex ea libertate, quam ſibi Magiſtri faciunt quamlibet opinionem uti probabilem problematicè tuendi. Quò fit, ut diſcipuli neſciant, ubi pedem figant, ideòque ſtudeant profeſſores opiniones ſolidiores legere ac defenſare.

Quia autem in materia præſertim de divina Gratia, doctrinæ conſenſionem ſervari volumus, ideò decretum edidimus, quod huic Epiſtolæ adjunctum ſuſcipiet Paternitas veſtra, jubemuſque omnibus Magiſtris ac Theologis noſtris ſignificari; ut executioni mandetur. Concludam Epiſtolam, petita Sacrificiorum memoria Datum Romæ die 14. Decemb. 1613 Servus in Chriſto CLAUDIUS AQUAVIVA.

FINIS

Epiſtolarum, quæ in hac Secunda Claſſe continentur.

INDEX
MATERIARUM,
Quæ in hac Secunda Epiſtolarum Claſſe continentur.

Numerus Paginam indicat.

A

ACtio voluntatis humanæ tota à Deo eſt, & tota ab homine, ſed ſub diverſa ratione. 13.

Adverſarii Scholæ Thomiſticæ ſunt duplicis generis. 3.

P. *Ægidii*, Societat. Jeſu in Belgio Provincialis teſtimonium de differentia *ſenſus compoſiti & diviſi* Thomiſtarum, & *ſenſus compoſiti*, & *diviſi* Calvini. 23.

Alexander VII. damnat aſſerentes præcepta Dei eſſe impoſſibilia. 66. Damnat *Antonium Arnaldum*. 67

Alexander. Vide *Sebille*.

Alphonſus. Vide *Moynius*.

Alvarez docet, hominem, reſiſtentem gratiæ ſufficienti, ſua culpa non recipere oblatam gratiam efficacem. 103. 105

P. *Annatus* duodeviginti attulit diſcrimina doctrinam *Thomiſtarum*, inter, & doctrinam *Janſenii* 9. Scholam Thomiſticam à Calviniſmi calumnia vindicat. 10 Pro temporum varietate in *Thomiſtas varius*. 30. & ſeq.

Antonius. Vide *Reginaldus*.

P. *Aquaviva* Generalis Societatis Jeſu, prohibuit ſuis Subditis, nè ſufficientem *Molinæ* gratiam docerent. 59 Ejus decretum pro uniformitate doctrinæ tenenda in tota Societate. 237. Et Epiſtola de tenenda *Divi Thomæ* doctrina. 238.

Archiepiſcopus Mechlinenſis Queſnellum è carcere fugitivum condemnavit. 230

Arminiani quinam ſint? 29.

Arnaldus à Facultate Pariſienſi damnatus. 67. Ejus de gratia ſufficiente doctrina. 68. Malè explicat gratiam ſufficientem Thomiſtarum. 96. Fatetur, Thomiſtas ſequi *Alvarem*, 102.

P. Aſſermet, Ordin. FF. Minorum, ſequitur notionem gratiæ ſufficientis *Molinæ*. 65

Sancti Auguſtini mens, de neceſſitate peccandi in ſtatu naturæ lapſæ. 70. & 73. & ſeq. Item de libero primi hominis arbitrio. 24. & ſeq. Ejus doctrina de gratia ſe ipſa efficaci, & Prædeſtinatione gratuita, ab Eccleſia ſemper laudata fuit. 120. 121. Ejus dictum, *quod ampliùs nos delectat, ſecundùm illud operemur neceſſe eſt*, explicatur. 129 Ejus mens de morte Chriſti pro omnibus omninò hominibus. 150 & ſeq. Ejus mens, & ſcopus in explicatione verborum *Apoſtoli: Deus vult omnes homines ſalvos fieri*. 175. Item, dùm loquitur de oratione Eccleſiæ pro reprobis. 179.

Sanctus Auguſtinus ſemper docuit, Deum, & hominem eſſe cauſas totales actionis voluntatis humanæ, licèt diſpari ratione. 19. Admiſit poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. 35. Docet, ignorantiam invincibilem excuſare à peccato. 39. & ſeq. Aſſerit contra Pelagianos, omnes hujus vitæ miſerias, eſſe pænas peccati originalis. 36. & 37. docuit, hominem per peccatum perdidiſſe liberum arbitrium. 41. Docet, Deum non præcipere impoſſibilia. 45. ſolùm moralem peccandi neceſſitatem admiſit. 70. & ſeq. Docuit neceſſitatem gratiæ per ſe, & ab intrinſeco effi-

efficacis ad omnes, & ſingulos pietatis actus. 119. & 120. Antiquioribus Patribus, in materia de gratia per ſe efficaci, & de prædeſtinatione gratuita, adhæſit. 120. & 121. Non collocavit efficaciam gratiæ in cæleſti indeliberata delectatione, relativè victrice. 127 quaſi per totam Epiſtolam. Quid intelligat per delectationem? 127. 129 & ſeq. Docuit, Deum in ſtatu naturæ lapſæ dare gratias ſufficientes in ſenſu Thomiſtico intellectas. 135. 167 Eiſque homines ſæpè reſiſtere 136. Admiſit in Deo veram, & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes omninò homines. 167.

Authoris ſcribendi motivum 4. Quare non refutaverit Calviniſmi calumniam à *Patre Meyer* Scholæ Thomiſticæ illatam? 9. & ſeq. Cur utatur hac voce, *Thomiſticè*, dùm loquitur de gratia ſufficiente? 118. & ſeq. Et iſta, *potentia relativa*. 115

B

Bajaniſmi Hiſtoria. 213. & ſeq. uſque ad 219

Bajus à pluribus Patribus damnatus. 58. & ſeq. Admiſit neceſſitatem peccandi. 42. Ejus erga Sedem Apoſtolicam modeſtia, & obedientia. 95. 214. & ſeq. Quis, & qualis fuerit? 213

Bannezio antiquior eſt hæc vox *Prædeterminatio*. 108

Bannezium cum Calvino in materia, de gratia per ſe efficaci convenire, malè aſſerit P. *Meyer*. 12

P. *Becanus*, Societatis Jeſu, benè probat, Calvinum docuiſſe, Deum eſſe authorem criminum. 28

BENEDICTI XIII. Epiſtola *ad Placentinam Univerſitatem*. 237

BENEDICTUS XIII. Sententia Thomiſtarum, de gratia per ſe efficace, gemino decreto firmavit. 18. 22. Eorum zelum in ea defendenda commendavit. 22. Declarat, doctrinam de gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci, & de Prædeſtinatione gratuita ad gloriam, à Clemente XI non eſſe damnatam. 198

P. *Billuart*, Ord. Præd in nuperam cenſuram Duacenſem iuſtè invehitur. 178

De Biſſy (Cardinalis) oſtendit, ſingulas Propoſitiones in Queſnello damnatas, priùs a Thomiſtis proſcriptas fuiſſe. 203.

Boſſuetii de Janſenii libro judicium. 131

Brancatus. Vide *Lauræa*.

C

CAlvini hæreſis, in materia de gratia. à Tridentino damnata, in quo conſiſtat? 15

Calviniſtæ doctiores Scriptores ad Eccleſiam Catholicam in materia de gratia, Prædeſtinatione, & libertate, propriùs quàm Calvinus, accedunt. 28

Calvinus docuit, in hoc ſtatu ſolùm remanere libertatem ſpontaneitatis. 16. Et ideò à Tridentino damnatus eſt. ibid. Ejus mens circà efficaciam gratiæ. 21. Quis ſit ejus ſenſus *compoſitus*, & *diviſus*? 22 Admiſit neceſſitatem conſequentis, 26. & non conſequentiæ tantùm ibid. Quadruplici titulo fecit Deum authorem peccati. 30. Negat poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. 36. Non admiſit gratiam ſufficientem. 57. Solùm agnoſcit in ſtatu naturæ lapſæ gratiam efficacem. 82. Hanc doctrinam, etiam ejus diſcipuli amplectuntur. 83

Candidus (Janſeniſta) rejicit gratiam ſufficientem. 84

Cauſa ſubordinata, quænam ſit? 13

Cauſæ non ſubordinatæ non poſſunt eumdem effectum producere. 13

Cauſarum ſubordinatarum eumdem effectum producentium doctrina, ab omnibus Thomiſtis propugnata. 14. & 17

Cenſura antiqua Duacenſis *Leſſium*, & *Hamelium* condemnavit 178. Sæpius renovata fuit. ibid.

Cenſura nupera Duacenſis ſenſum *compoſitum*, & *diviſum* Thomiſtarum probat. 23 In *S. Thomam*, & *Sylvium* inſcitè animadvertit. 178. Romæ damnata fuit. ibid.

Chriſti mors pro omnibus omninò hominibus. 135. quaſi per totam Epiſtolam. Specialiori modo pro electis, quàm pro re-

reprobis. 144. Docetur ab *Auguſtino*. 150. A Conciliis. 172
Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus omninò hominibus, dogma fidei eſt. 153
Chriſtus præparavit omnibus media ſufficientia ad ſalutem. 154 uſq. 157
Claudius. Vide *Aquaviva*.
Clemens XI. in ſua Conſtitutione *Unigenitus &c.* non damnavit doctrinam de gratia per ſe efficace, & de prædeſtinatione gratuita ad gloriam. 189. uſque ad 198. A Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum calumniis vindicatur. 194 & ſeq. Item 203. & ſeq.
Clementis XI. Conſtitutio: *Vineam Domini Sabbaoth*. 187. Item altera, *Unigenitus*. 188.
Concilii Cariſiacenſis doctrina de morte Chriſti pro omnibus. 142.
Concilii Valentini III. doctrina de morte Chriſti pro omnibus. 143. & ſeq. Ejus motivum in condemnandis *quatuor capitulis* Concilii Cariſiacenſis. 147. Ejuſdem condemnationis retractatio. 148.
Concilium Lingonienſe emendavit cenſuram, *quatuor capitulis* Concilii Cariſiacenſis illatam. 148.
Concilium Tridentinum quid damnaverit in *Luthero*, & *Calvino*? 19. Docet, Deum non præcipere impoſſibilia. 45. condemnat contrarium aſſerentes. 66. Docet, hominem reſiſtentem gratiæ ſufficienti, ſua culpa non recipere ob latam gratiam efficacem. 104. Admiſit gratiam ſufficientem, ab efficace diſtinctam. 112. Docet, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe. 152 Vide *Patres*.
Concilium Tullenſe Canones Concilii Valentini III. & Cariſiacenſis II. ut concordes admiſit. 148.
Concilium Valentinum III. non reprobavit doctrinam de Chriſti morte pro omnibus, à *Concilio Cariſiacenſi* aſſertam. 145.
Concupiſcentia duplex eſt. 37.
Congruiſtæ admittunt diſtinctionem *conſequentis*, & *conſequentiæ* 26.
Conſtitutio, *Unigenitus* non damnavit Thomiſtarum de gratia per ſe efficaci doctrinam. 4.
D. Cornet, Syndicus Facultatis Pariſienſis ei quinque *Janſenii* Propoſitiones examinandas, & condemnandas obtulit. 222.

D

P. *Daniel* calumnioſè aſſerit, principia doctrinæ *Janſenii* eſſe ſimillima principiis doctrinæ *Thomiſtarum* de Gratia per ſe efficaci 2. *Thomiſtarum* doctrinam perperam *Calviniſmi* infimulat 12 & *Janſeniſmi*. 32.
Delectatio, de qua loquitur S. *Auguſtinus*, quænam ſit? 16 In quo ſenſu dicatur *victrix*. ibid. & 131.
P. *Deſchamps* varia diſcrimina attulit inter doctrinam *Scholæ Thomiſticæ*, & doctrinam *Janſenii* 3. A *Calviniſmi* calumnia vindicat *Thomiſtas* 10. Dicit, quinque *Janſenii* propoſitiones in *Luthero*, & *Calvino* reperiri. 32 Oſtendit, *Calvinum* efficaciam gratiæ repoſuiſſe in indeliberata cœleſti delectatione relativè victrice. 82 Affirmat, *Thomiſtas* ſemper *Janſeniſtis* infenſiſſimos fuiſſe. 95. Ejus de *Janſenii* doctrina judicium. 157.
Deus eſt cauſa totalis & adæquata converſionis creaturæ. 13
Differentiæ inter gratiam efficacem *Calvini*, & *Thomiſtarum*. 13. Item, inter gratiam *ſufficientem Thomiſtarum* & *parvam* Janſenii. 89 91. 92.
Diſcrimina varia inter *Thomiſtarum* & *Janſenii* doctrinam in materia de gratia 33. per totam Epiſtolam.
Doctrina de gratia per ſe efficaci à Summis Pontificibus approbata, etiamnùm viget in Schola Thomiſtarum. 126.
Doctrina, quam P. *de Mejer*, in *Luthero*, & *Calvino* à Tridentino damnatam dicit, à S. *Auguſtino*, & *Thoma* aſſerta eſt 17.
Doctrina Thomiſtica à *Janſenii*, & *Queſnelli* commento aliena. 4. Eam toto cœlo à damnatis *Janſenii* Propoſitionibus diſtare, demonſtrant celebres Thomiſtæ 5. & celebriores Soc. Jeſu Scriptores. ibid. In materia de gratia per ſe efficaci, ſola tempore Concilii Tridentini in-

Digitized by Google

- Eccleſia obtinebat. 17.

Duacenſis Cenſura ſenſum *compoſitum* & *diviſum* Thomiſtarum probat; & à Calviniano ſenſu remotiſſimum profitetur 23. In S. *Thomam* inſcitè animadvertit. 178 Romæ condemnata eſt. ibid.

E

Eccleſia agnoſcit gratiam efficacem & ſufficientem. 100 Continet in ſuo ſinu non ſolùm juſtos, ſed etiam peccatores fideles. 200. Etiam toto orbe diſperſa infallibilis eſt. 208

Eccleſiæ Lugdunenſis de morte *Chriſti* pro omnibus doctrina. 145. & ſeq.

Eccleſiæ preces probant dari gratiam per ſe efficacem. 120. Ejus dogmata, & Notæ. 204. Ejus antiquus mos condemnandi *in globo* Novatorum propoſitiones. 219

Eccleſiæ ſemper perduelles fuerunt Janſeniſtæ. 95. & ſeq.

Efficacia gratiæ non eſt ſita in cœleſti indeliberata delectatione *relativè victrice*. 128 & ſeq.

Epiſcopi Gallicani quinque *Janſenii* propoſitiones *Innocentio* X. examinandas offerunt 223

Eraſmi tres propoſitiones à Facultate Pariſienſi damnatæ, propoſitionibus *Queſnelli* ſimillimæ. 198

Eſtius rectè obſervat, neminem meliùs *Divo Thoma*, *Sancti Auguſtini* mentem, in materia de gratia, fuiſſe aſſecutum. 128. Malè à Cenſura Duacenſi damnatus. 178. In quo ſenſu voluntatem antecedentem, quam Deus habet de ſalute omnium hominum, vocat *velleitatem*? 183

F

Facultas. Vide *Duacenſis*, *Lovanienſis Pariſienſis*.

Fidei formula ab *Alexandro* VII. edita. 221.

Fides in Jeſum Chriſtum omni tempore poſt peccatum *Adæ*, neceſſaria fuit. 43

G

Gabriel. Vide *Daniel*.

Gommariſtæ quinam ſint? 29.

Gonet negat, potentiam agendi eſſe à gratia per ſe efficace. 67. Docet, antiquiores Thomiſtas diſtinxiſſe inter gratiam ſufficientem, & efficacem. 106.

Gotteſchalchi doctrina. 142. Condemnatio. ibid.

Gotteſchalcus à quibuſdam authoribus ab hæreſi *Prædeſtinatianorum* vindicatur. 176

Gratia Secundùm *Janſenium* eſt efficax, ſi ſit ſuperior gradibus concupiſcentiæ. 59. Eadem, ſecundùm illum, aliquando victrix, aliquando non. ibid. Secundùm Thomiſtas efficax eſt, ex propria ſua virtute. ibid.

Gratia efficax Thomiſtarum ſe tenet ſolùm ex parte actus ſecundi. 67. 109 In quo ſenſu intelligatur dare vires ad agendum? 107 ib. 111.

Gratiæ interiori. ſecundùm *Janſenium* nunquàm reſiſtitur. 93. Nec Gratiæ *Janſeniſticæ* ſufficienti. 94.

Gratia parva, quam admiſit *Janſenius*, quænam ſit? 58. Relinquit hominem in impotentia ſervandi mandata Dei. 78. Rejicitur. 80. 89. 154 156. & ſeq. Secundùm Janſenium efficax eſt, ſed non relativè victrix. 80. *Sufficientem* vocant Janſeniſtæ 85. Catholico dogmati adverſatur. 160. Quam potentiam det? 124. Non eſt *vere ſufficiens*. 138

Gratia ſufficiens ab efficaci diſtincta, adſtruitur à Sacra Scriptura. 112. à Concilio Tridentino. 112. & à S. *Auguſtino*. ibid.

Gra-

Gratia ſufficiens, quam admittunt Janſeniſtæ, quænam ſit? 85. quam potentiam det? 86. 93. Ejus inſufficientia. 108. 115

Gratia Sufficiens Thomiſtarum dat plenam proximam, & expeditam bene agendi potentiam 63. Se ſola non exit in actum ib In quo ſenſu efficax dicatur? 93 Verè ſufficiens eſt. 102. Quarè non producat ulteriorem effectum, ad quem datur? 103. 111. Ejus utilitas. 105. ſe tenet ex parte actus primi. 109

Gratiæ ſufficientis variæ notiones 57. & ſeq.

Gratiæ ſufficientis notio in ſenſu *Molinæ*. 59. Et quæ ex illa ſequuntur abſurda, & incommoda 113

Gratiæ Sufficientis notio in ſenſu *Suarezii* 60

Gratiæ Sufficientis notio in ſenſu Thomiſtico. 58. 61. 62. & ſeq. Item 113. Ejus à gratia *parva* Janſenii differentia 58. 69. & Epiſtol. 4. per totam. Ejus duplex aſſignatur effectus. 63. In quo ſenſu dicatur dare potentiam relativam? 113

Gratiam orandi, aliqui diſtinguunt à gratia agendi. 60

Guillelmus. Vide *Eſtius*,

P. Guyartius Ord. FF. Prædic. aliquot Thomiſtas, inter ſe apparenter contrarios, conciliat. 183

H

HÆretici dicunt, ex peccato Adæ invectam eſſe neceſſitatem peccandi 68 Negant, Deum in ſtatu naturæ lapſæ conferre gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam 68 & ſeq. Sæpè damnati ſunt ſine Conciliis 209. Primò conqueſti ſunt contra modum, quo Eccleſia in *globo* condemnat erroneas propoſitiones. 217

Hallerius, ab 85. Epiſcopis Galliæ Romam miſſus, Janſenianæ doctrinæ condemnationem urget 223.

Hincmarus, Archiepiſcopus Remenſis, *Gotteſchalcum* damnat. 142. Convocat ſecundum Concilium Cariſiacenſe 143

Hiſtoria generalis *Janſeniſmi*, quid de congreſſu *Janſeniſtarum* cum *Thomiſtis* referat? 95.

Hiſtoria Bajaniſmi. 213. Janſeniſmi. 219 Queſnelliſmi 230.

Homo carens gratia per ſe efficace, à peccatis non excuſatur. 210

P. Honoratus, ord. Carmelitarum Diſcalceatorum, in nuperam Cenſuram Duacenſem juſtè invehitur. 178 Latens Janſeniſtarum, & Queſnellianorum venenum detexit. 203

Honoratus. Vide *Tournely*.

I

JAnſenii Liber continet doctrinam, in quinque famoſis propoſitionibus damnatam. 97. & ſeq. Ejus vita, ingenium & mors 219. Doctrina Romæ examinatur. 223 & ſeq.

Janſenii diſcipuli rectè *Janſeniſtæ* vocantur. 99

Janſenii Syſtema conſtituentis efficaciam gratiæ in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrice, ſupponit in Deo *Scientiam mediam*. 50. Eſt ab Eccleſia proſcriptum. 122. & ſeq Ex eo profluunt quinque famoſæ proſcriptę propoſitiones 123. uſque ad 126. Deſtruit intrinſecam gratiæ efficaciam. 134 Gratiæ myſterium evacuat. 135. Cum principiis D. *Auguſtini* ſtare non poteſt. 136.

Janſenii mens de potentia benè, & malè agendi, ſub delectatione relativè victrice. 87. Ejus obvius & naturalis ſenſus, in quinta ſua Propoſitione, hæreticus eſt 160.

Janſeniſmi hiſtoria. 404. uſq; 230

Janſeniſtæ perperam dicunt, ſe eamdem cum Schola Thomiſtica, de gratia per ſe efficaci tueri doctrinam. 4 Effutiunt, Thomiſtarum de gratia per ſe efficaci, doctrinam à *Clemente* XI. in ſua conſtitutione *Unigenitus*, fuiſſe confixam. 4 Concordant cum Moliniſtis in notione gratiæ ſufficientis. 52 Non admittunt in ſtatu innocentiæ gratias per ſe efficaces. 53. conveniunt cum Moliniſtis, in neganda præmotione phyſica. ibid. Se Thomiſtas fingunt. 84 Falsò dicunt, ſe

ſe in gratiæ ſufficientis notione, cum Thomiſtis convenire. 87. 94. 95. & ſeq. Duplicem gratiam efficacem admittunt. 93. Solùm admittunt in ſtatu naturæ lapſæ gratiam efficacem. ibid. Eccleſiæ ſemper perduelles fuerunt. 96. Subdolè gratiam *parvam*, vocant *Thomiſticè ſufficientem*. 163. Fruſtrà ſe Thomiſtarum pallio tegere conantur. 166. Toto cœlo diſtant à ſententia *Sancti Auguſtini*, & *Thomæ* in doctrina, de morte Chriſti pro omnibus. 167. Docent, voluntatem antecedentem, quam habet Deus de ſalute omnium hominum, eſſe ſolùm *velleitatem*. 169. Temerè, & calumnioſè aſſerunt, nullam ex centum, & una Propoſitionibus *Queſnelli*, erroris nota configi poſſe. 193 & ſeq. item. 202. & 203. Fruſtrà contra modum, quo *Sanctus Pius* V. damnavit *Bajum* obſtrepunt & cavillantur. 216

Janſeniſtarum injuſtæ querimoniæ, & calumniæ. 98. 188. 190. 203. & ſeq. tali nomine aliqui injuſtè traducuntur. 100. Eorum objectionibus ſatisfit. 101 & ſeq quaſi per totam Epiſtolam Item 159. & ſeq. quaſi per totam Epiſtolam. Eorum, in modo loquendi cum Thomiſtis apparenter conformi, fraus. 110. 163. Eorum gratia ſufficiens, inſufficiens demonſtratur. 162 vana effugia. 162. 166 & 218 Ex eorum doctrina peſſimæ conſecutiones, & chymerica ad futurum Concilium appellatio. 204. & ſeq.

Janſeniſtis obiicientibus inſufficientiam *gratiæ ſufficientis Thomiſticæ*, ſatisfit. 101 105. 109. 111. Nulla eis ſalutis ſpes affulget, ſi ſuæ doctrinæ principiis ſtare velint, 211.

Janſenium, celebriores Societatis Jeſu Theologi, furem, & plagiarium *Calvini* vocant. 32

Janſenius invehitur in Theologiam Scholaſticam. 34 Negat poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. ibid Docet, ignorantiam invincibilem non excuſare à peccato. 34. Admittit in hoc ſtatu neceſſitatem peccandi. 40. uſque ad 43. & 72. 86 Negat, Deum dediſſe Judæis gratiam, qua poſſent obſervare Legem Moſaicam 43. 44. Docet, aliqua Dei præcepta impoſſibilia eſſe, etiam hominibus iuſtis, 45. Dicit, omnem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem. 72. ibidem 79. 93. Negat, dari in Deo, in ſtatu naturæ lapſæ, veram, & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines 46. 171. Aſſerit, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute ſolùm Electorum. 47. 171. & ſeq Ex uno ſolo capite efficacitatem gratiæ repetit. 47. Eamque ponit in cæleſti indeliberata delectatione relativè victrice, & ſuperiore concupiſcentiæ gradibus. 48. 80. 46. Non admiſit in ſtatu innocentiæ gratiam per ſe efficacem. 47. Docet gratiam per ſe efficacem ſe tenere ex parte actus primi. 48. Malè explicat ſenſum *compoſitum*, & *diviſum*. 40. Eius de gratia Syſtema derogat omnipotentiæ Dei 54. Convenit cum Moliniſtis in hoc quod gratia per ſe efficax deſtruat libertatem, & inducat neceſſitatem 55. In ſtatu naturæ lapſæ explofit gratiam ſufficientem. 58. 82. Aliquam tamen admiſit, quam *parvam* vocat. 58. 80. Gratiam Sufficientem Thomiſtarum irridet. 61. 80. Abutitur authoritate *Sancti Auguſtini*, & *Proſperi*. 69. 73. Definitionem peccati, à *S. Auguſtino* traditam, malè intelligit. 70. 76. In neganda gratia ſufficienti, concordat cum *Calvino*. 84. Falsò dicit, ſe hanc ſententiam ex *Sancti Auguſtini* Operibus deprompſiſſe. ibidem Sed *Calvini* in hoc plagiarius fuit. ibidem Ejus mens de potentia benè, & malè agendi ſub delectatione relativè victrice. 87. Duplicem gratiam efficacem admiſit. 93. 124. Se Eccleſiæ judicio ſubmiſit. 95. 220. à germana S. *Auguſtini* doctrina alienus fuit. 99. 123. & ſeq Fatetur, ſuum, de delectatione relativè victrice, Syſtema, à doctrina Thomiſtarum remotiſſimum eſſe. 116. In quo ſenſu docet, Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus? 85. & ſeq. In aliquo convenit, & in aliquo differt à *Calvino* in doctrina de morte Chriſti pro omnibus

omnibus

omninò hominibus. 100. Errorem ſuum circa Chriſti mortem pro omnibus mutuatus eſt à *Luthero*, & *Calvino*. 157 174. In hac materia toto cælo diſtat à ſententia SS. *Auguſtini*, & *Thomæ*. 167 Voluntatem Dei antecedentem de ſalute omnium hominum reiicit. 180. & ſeq. Aliquas *Baji* propoſitiones recoxit. 221.

Innocentius X. anathemate percellit afferentes, præcepta Dei eſſe impoſſibilia. 66 Declarat, doctrinam Janſenii nihil commune habere cum doctrina SS. *Auguſtini* & *Thomæ*, 225

Innocentius XII. quomodò prohibet, aliquem *Janſeniſtam* vocari? 99

Judæis pluribus, quia reſiſtebant gratiæ ſufficienti, denegata eſt gratia efficax, ad implenda præcepta, neceſſaria. 43

Julianus negavit, concupiſcentiam, qualis modò eſt in nobis, eſſe pœnam peccati originalis. 36

L

Launojus à *Clemente* XI. damnatus. 119.203

De *Laurea* (Cardinalis) præponendam afferit notionem gratiæ ſufficientis Thomiſtarum, cæteris notionibus, 64. Refellit afferentes, omnem gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe efficacem. ibid.

P. *Lemos* docet, hominem reſiſtentem gratiæ ſufficienti, ſua culpa non recipere oblatam gratiam efficacem 104.105.

Libertas à Calvino aſſerta, quæ ſit? 25

Libertatis eſſentia conſiſtit in indifferentia activa. 19.24

Liberum hominis arbitrium fuit per peccatum Adæ debilitatum, ſed non extinctum. 68. A gratia efficace motum, diſſentire poteſt. 201

De *Lig*-*y* pſeudo-Arnaldi ludibrium. 61 *Thomiſtarum*, & *Moliniſtarum* gratiam ſufficientem ſpernit. ib.

Litterarum Provincialium author irridet gratiam ſufficientem Thomiſtarum. 61

Livinus. Vide *Meyer*.

Lovanienſis Facultas Theologica antiquam ſuam Cenſuram novo decreto confirmavit. 178

Lugdunenſis Eccleſiæ de morte Chriſti pro omnibus doctrina. 143.& ſeq.

Lutherani doctiores Scriptores ad Eccleſiam Catholicam in materia de gratia, prædeſtinatione, & libertate propiùs accedunt, quàm *Lutherus*. 28

Lutheri hæreſis in materia de gratia, à Tridentino damnata, in quo conſiſtat? 16

Lutherus docuit, in hoc ſtatu remanere ſolùm libertatem ſpontaneitatis. 16. Ideò à Tridentino damnatus fuit. 16.19. Sic docent omnes orthodoxi, & etiam celebriores PP. Societatis. ib & 17 Negavit poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. 36. Negat, Deum dediſſe gratiam Judæis, qua poſſent obſervare legem Moſaicam. 43.44. Non admiſit gratiam ſufficientem. 57

M

P. *Martiales* aliquos Thomiſtas inter ſe apparenter contrarios conciliat 184

P. *Martinonus* Societatis Jeſu varia diſcrimina attulit inter doctrinam Thomiſtarum, & doctrinam *Janſenii*, & *Queſnelli* 3 à Calviniſmi calumnia Scholam Thomiſticam vindicat. 10 Fatetur *Janſenium* ex *Calvino* ſuam hæreſim deprompſiſſe. 33

P. *Mauſſoulej* mens de cæleſti delectatione 133

P. *Mauſſoleius* rectè negat, potentiam agendi eſſe à gratia efficaci. 67

P. *Meyer*, Theologus Belga, Thomiſmum Calviniſmi inſimulat, & à Concilio Tridentino prædamnatum aſſerit & pluribus titulis ei invidiam conflare molitur. 2. Thomiſtas ad reſpondendum provocat. 11. Eius de *partialitate cauſarum in producendo ſalutifero actu* ſententia. 12. Multùm errat, dùm dicit, *Lutherum*, & *Calvinum* ideò à Tridentino damnatos, quòd docerent, gratiam efficacem eſſe cauſam totalem noſtræ converſionis; nega-

Digitized by Google

garentque, liberum arbitrium ſolùm eſſe cauſam pa: ialem 15. 16. 17. 18. Patrùm ſuo, & ſuæ Societatis honori conſulit, & Eccleſiæ magnam irrogat injuriam. 17. Secundùm ejus principia, ſententia Thomiſtica à Tridentino tanquàm Calviniana damnata eſt, & *Molinæ* ſententia approbata. 17. Inſcitè confundit Thomiſtas cum *Luthero*, & *Calvino*. 19. 20. quaſi per totam Epiſtolam Falsò ſupponit motivum damnationis *Lutheri* & *Calvini* à Tridentino. 19. Quare id faciat? 20. Injuriam irrogat PP. Tridentinis. ibid. Diſſimulat ſe intelligere mentem *Calvini*, & quarè? 26. Dicit *Calvinum* non docuiſſe, Deum eſſe authorem malitiæ peccati. 27. Adverſatur Theologis ſuæ Societatis. 28. Monetur, ut feriò legat *Calvinum* 30 & *P. Annatum*. 31. Thomiſtas Janſeniſmi inſimulat. 32

Molina docet, Deum non influere in cauſam ſecundam. 14. Dicit, influxum Dei eſſe indifferentem ad varias actiones, & determinari à cauſis ſecundis. ibid. Afferit, Deum, & creaturam eſſe cauſas partiales effectuum cauſæ ſecundæ. 15 Negat, Deum eſſe cauſam totalem converſionis humanæ. ibid Primus eſt, qui docuit Syſtema *de partialitate cauſarum*, Dei ſcilicet, & hominis. 19. Ejus *gratiæ ſufficientis* explicatio. 59. Gratiam ſufficientem Thomiſtarum repudiat. 62

Molinæ captui difficilis apparet *D. Thomæ* doctrina de divina motione; & applicatione cauſæ ſecundæ ad agendum. 14. Sententia de partialitate cauſarum Dei ſcilicet, & hominis in producendo ſalutifero actu, ab Eccleſia tolerata, 12. & *PP. Tridentinis* ignota; 18. ab ipſo poſt peractum Concilium inventa, ibid. à Scholis Auguſtiniana, & Thomiſtica, & à pluribus Academiis repudiata, ib. SS. *Auguſtino*, & *Thomæ* opponitur. 20. Ejus Syſtema de ſcientia media, & gratia verſatili novum eſt, & ſolùm ab Eccleſia toleratum. 25

Moliniſtæ magis conveniunt cum *Janſenii* de gratia ſyſtemate, quàm Thomiſtæ. 50. per totam Epiſtolam. Concordant cum Janſeniſtis in notione gratiæ ſufficientis. 52. Non admittunt in ſtatu Innocentiæ gratias per ſe efficaces. 53. Conveniunt cum Janſeniſtis in neganda præmotione phyſica; ibid. Cum eiſdem aſſerunt, quod præmotio phyſica deſtruat libertatem, & inducat neceſſitatem. 55. Malè gratiæ ſufficienti Thomiſtarum Janſeniſmi notam appingunt, eamque averſantur. 62

Molinianum de gratia Syſtema derogat omnipotentiæ Dei. 54

Montaltii, & *Vvendrochi* objectionibus ſatisfit. 102

Moynius primò excogitavit Syſtema de diſtinctione gratiæ orandi, & agendi. 60

N

NEceſſitas peccandi, quam admiſit in vatu naturæ lapſæ *Janſenius*, non eſt moralis, ſed ſimplex, & inſuperabilis. 70. 72.

Neceſſitatis conſequentis, & conſequentiæ diſtinctionem admittunt Thomiſtæ, & Congruiſtæ. 26. 27

P. Nicolai Ord. FF. Præd. rectè negat, potentiam agendi eſſe à gratia efficaci. 67. Janſeniſtarum malleus 222

Nicolius ſub nomine *Vvendrochii* ſubdolè gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinguit 89

Noaillius, Cardinalis, natalitiis tenebris damnavit libellum, cui titulus: *Expoſitio fidei*; 67. & cujuſdam *caſus conſcientiæ* deciſionem. 187

O

OBedientia externa ſinè interna, mera ſimulatio eſt, & perjurium. 187

Obſequioſum Janſeniſtarum ſilentium, damnatum eſt. 187

Occaſio Conſtitutionis. *Vineam Domini Sabbaoth*. 187

Oratio Chriſti duplex. 177

Originale peccatum non inducit neceſſitatem peccandi. 68. & ſeq.

Pari.

P

Pariſienſis facultas Theologica damnavit ſententiam aſſerentium, Judæos non habuiſſe gratiam, qua poſſent obſervare legem Moſaicam. 44. Et Ant. *Arnaldum*, ejuſdem Facultatis Doctorem Theologum. 67.

Patres Concilii Tridentini ex ſola doctrina Scholæ Thomiſticæ depromſerunt arma, ad peſtiferas *Lutheri*. & *Calvini* hæreſes profligandas. 10. 18. ſectati ſunt doctrinam de gratia per ſe, & ab intrinſeco efficaci. 25

Peccator non eſt impotens ad omne opus bonum. 194

Peccatum, ſecundùm S. Auguſtinum, quid ſit? 72. Ejus definitionis intelligentia. 73. 76.

Pelagiani dixerunt, re ipſa extitiſſe ſtatum naturæ puræ. 36. Peccati definitionem à S. *Auguſtino* traditam malè intellexerunt. 76

S. Pius V. quàm rectè damnaverit ſeptuaginta novem Propoſitiones *Baji*? 217. & ſeq.

D. Pleſſis, *D. Argentre* (Doctor Sorbonicus) rectè explicat præmotionem phyſicam. 108. Probat, hanc vocem; *Prædeterminatio*, Bannezio antiquiorem eſſe. ibid.

Præcepta Dei non ſunt impoſſibilia. 195

Q

Queſnelli Propoſitiones redolent Janſeniſmum 5. 194. à *Clemente* XI. damnatæ ſunt in ſenſu *Janſenii*. 488. 191. 194. & ſeq. quaſi per totam Epiſtolam. & 231. Ejus doctrina affinis eſt hæreſi *Baji*. 202. Prima ejus Propoſitio in materia de gratia, rectè damnata eſt, 194. Item ſecunda, 195. tertia, 195 quarta, 196. quinta, 197. ſexta, ibid. ſeptima 199. octava, 199. nona, & decima, 200. undecima, duodecima, & decimatertia &c. 201. Ejus injuſtæ querimoniæ. 231. & ſeq. In omnibus cum *Janſenio* concordat. 234. & ſeq.

Queſnelliſtæ perperàm dicunt, ſe eandem de gratia per ſe efficaci doctrinam tueri, quam Schola Thomiſtica propugnat 4. Mentiuntur, dùm dicunt, Thomiſtarum doctrinam de gratia per ſe efficaci, à *Clemente* XI. in ſua Conſtitutione, *Unigenitus*, fuiſſe damnatam. ibidem Eidem Conſtitutioni ſubſcribere recuſant. 240. Temerariè, & per ſummam calumniam aſſerunt. nullam ex centum, & una Propoſitionibus, erroris notam mereri 193. & ſeq. & 202. Fruſtrà contra modum, quo *Sanctus Pius V.* damnavi, *Bajum*, garriunt. 216. Ab Hæretic s ſimiles conquerendi rationes mutuati ſunt. 217.

Queſnelliſtarum injuſtæ querimoniæ, & calumniæ. 188. 190. 203. 232. & ſeq. Eorum doctrinæ peſſimæ conſecutiones & chymerica ad futurum Concilium appellatio. 204. & ſeq. Vana effugia. 218

Queſnelliſtis (juxtà doctrinæ ſuæ principia) nulla ſalutis ſpes affulget. 211

Queſnellus negavit poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. 35. Docet, Deum non dediſſe Judæis gratiam, qua poſſent obſervare legem Moſaicam. 44. à *Clemente* XI. damnatus. ibid. à germana *Sancti Auguſtini* doctrina alienus fuit. 99. Admiſit gratiam *parvam* Janſenii. 196. Negat, Deum in ſtatu naturæ lapſæ habere ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines. 201 In eodem ſtatu agnoſcit ſolùm gratiam efficacem neceſſitantem. ibidem. Aliquarum *Baji* Propoſitionum renovator. 215. obedire renuit Statutis à Comitiis Generalibus ſuæ Congregationis. 230. In carcerem miſſus, aufugit. ibid. Ab Archiepiſcopo Mechlinenſi condemnatur. ibid. & ſeq.

Quinque famoſæ *Janſenii* Propoſitiones, ex ejus de delectatione relativè victrice Syſtemate, profluunt. 123 uſque 126

Regi-

Digitized by Google

R

P. **R**Eginaldus Ord. Præd. rectè explicat notionem gratiæ ſufficientis Thomiſtarum , 65. Et gratiæ per ſe efficacis . ibid.
Remigii, Archiepiſcopi Lugdunenſis , de morte Chriſti pro omnibus. Doctrina . 142
Reſponſio cuidam caſui conſcientiæ . 187
P. *Ripalda* Soc. Jeſu varia diſcrimina attulit inter doctrinam Scholæ Thomiſticæ , & doctrinam *Janſenii*, & *Queſnelli* . 3. Rationes adfert , cur plures Jeſuitæ Calviniſmi notam doctrinæ Thomiſtarum inuſſerint . 11.

S

SAinct Amour , ſeu *Sanct-Amoræus* , (Janſeniſtarum cauſam agens) quid reſponderit Cardinali *Barberino* ? 95
Scientia media antè tempora Fonſecæ, & Molinæ inaudita erat . 59. 121
Scriptura Sacra, dùm docet , Chriſtum mortuum eſſe pro Prædeſtinatis, in quo ſenſu intelligenda eſt ? 174
Scripturæ Sacræ teſtimonia , de gratia per ſe efficaci . 118
P. *Sebille* , Ord. Præd. benè probat, Thomiſtas à D. *Thoma* gratiæ ſufficientis notionem hauſiſſe. 102. Doctrinam *Janſenii* oppugnat . 221
Senſus compoſitus , & diviſus Thomiſtarum , & *Calvini* . 21. & ſeq.
Societatis Jeſu celebriores ſcriptores faſſi ſunt, doctrinam Thomiſticam,à damnatis *Janſenii* Propoſitionibus , toto cælo diſtare ; Senſum compoſitum & diviſum *Calvini* benè perceperunt . 22
Status naturæ puræ poſſibilitas à Janſeniſtis negatur, à Thomiſtis admittitur. 34
Stephanus . Vide *Dechamps* .
Suarezii ſententia, de præmotione phyſica. 121
Sylvius malè damnatus à nupera Cenſura Duacenſi . 177. In quo ſenſu voluntatem antecedentem , quam Deus habet de ſalute omnium hominum , vocat *Velleitatem* ? 182
Syſtema de gratia per ſe , & ab intrinſeco efficace , conſentaneum eſt *SS. Patribus* , *Conciliis* , & Summorum *Pontificum* definitionibus . 119.
Syſtema duplicis delectationis relativè victricis , libertatis , & gratiæ *verè ſufficientis* everſivum eſt ; 108. Et à doctrina Thomiſtarum remotiſſimum . 115. Ejuſdem explicatio , & condemnatio 122. Opponitur doctrinæ *S. Auguſtini* . 134. & ſeq. quaſi per totam Epiſtolam . Coincidit cum Scientia Media . ibid. Deſtruit intrinſecam gratiæ efficaciam . ibid. *Gratiæ* myſterium evacuat . 135. Cum principiis doctrinæ *S. Auguſtini* ſtare non poteſt . 136

T

THeologia Scholaſtica à Janſeniſtis deprimitur , à Thomiſtis laudatur. 34.
D. Thomæ doctrina , de motione , & applicatione cauſarum ſecundarum à Deo , *Molinæ* , ipſo fatente , intellectu difficilis apparet . 14
D. Thomas ſemper docuit , Deum , & hominem eſſe cauſas totales actionis voluntatis humanæ , licèt diverſimodè . 19. Admiſit poſſibilitatem ſtatus naturæ puræ. 35. Docet , ignorantiam invincibilem excuſare à peccato . 39. & ſeq. Docet Deum dediſſe gratiam Judæis, qua potuerunt obſervare Legem Moſaicam. 43 44. Negat , Deum præcipere impoſſibilia . 45. Docet , Deum omnibus conferre, vel offerre gratiam , ad ſervanda præcepta , & ad peccata vitanda ; 71. 167. & hominem non neceſſitari ad peccandum. 70. 72. Aſſerit , voluntatem peccatoris impedire receptionem gratiæ efficacis . 104 & ſeq Docet , *D. Auguſtinum* non repoſuiſſe efficaciam gratiæ in delectatione . 127 Item , hominem in ſtatu viæ , à nullo bono neceſſitari quoad exercitium . 132 Admiſit in Deo, etiam in ſtatu naturæ lapſæ veram, & ſinceram voluntatem ſalvandi

di omnes homines. 167.169. à nupera cenſura duacenſi calumnioſè injuria afficitur. 178. In quo ſenſu vocat voluntatem Dei antecedentem *velleitatem*? 180.183

Thomiſtæ quarè non ſtatim reſtiterint intentatæ à nonnullis Queſnelliſmi accuſationi? 5. Uniformes ſunt in tradenda doctrina cauſarum ſubordinatarum, eumdem effectum producentium, 14. 17. Jure gloriantur, ſe antiquam de gratia per ſe efficace ſententiam, à Romanis Pontificibus, & à Conciliis, præſertim Tridentino, laudatam, tueri 17. 22. & ſeq Quomodò differant à ſenſu diviſo, & libertate Calvini. 21. Impensè laudant Theologiam Scholaſticam, eique adhærent. 34. Admittunt poſſibilitatem ſtatus naturæ purę ibid. Docent, ignorantiam invincibilem excuſare à peccato. 39. Negant ex peccato Adę invectam eſſe neceſſitatem peccandi 40. 68. & ſeq. Docent, Deum dediſſe Judæis gratiam, qua obſervare poſſent Legem Moſaicam 43. 44. Negant, Deum pręcipere impoſſibilia. 45. Admittunt in ſtatu naturę lapſę gratias *verè ſufficientes*. 46. Tradunt, Deum in ſtatu naturę lapſę habere veram, & ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines. 46. 167. & ſeq Docent, Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute omnium hominum 47. 162. 167. Ex duplici capite gratię efficacitatem repetunt. 47. & ſeq Dicunt, in ſtatu innocentię fuiſſe gratiam per ſe efficacem. ib. & 53. Ponunt efficacitatem gratię in phyſica Dei motione. ib. Dicunt, illam ſe tenere ex parte actus ſecundi. 48. & ſeq. Eorum ſenſus compoſiti, & diviſi explicatio. 49. Docent, Deum conferre, vel ſaltem offerre omnibus gratiam ſufficientem. 68. Alieni omninò ſunt, à gratia ſufficienti, ſeu *parva* Janſenii. 85. Semper admiſerunt diſtinctionem inter gratiam ſufficientem, & efficacem. 90. Agnoſcunt in Deo veram, & ſinceram voluntatem antecedentem 93. Docent, hominem ſępè reſiſtere gratiæ ſufficienti 94. Sedi Apoſtolicę ſemper obedientes fuerunt. 95. Satisfaciunt Janſeniſtis objicientibus; inſufficientiam gratiæ ſufficientis. 101 & ſeq. quaſi per totam Epiſtolam. Antiquiores admiſerunt gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam. 106 Recentiores in materia de gratia concordes ſunt cum antiquioribus. 107 Quomodò intelligendi ſunt, dùm dicunt, gratiam efficacem dare vires agendi. ib. A Janſenii doctrina abhorrent. 166. In doctrina de morte Chriſti pro omnibus, & de auxiliis *verè ſufficientibus*, omnibus præparatis, & oblatis 55. *Auguſtini*, & *Thomæ* mentem aſſecuti ſunt. 170.

Thomiſtarum doctrina, à *Janſenii*, & *Queſnelli* commento aliena eſt. 4. Eam toto cœlo diſtare, à damnatis *Janſenii* Propoſitionibus, demonſtrarunt Thomiſtæ. 5. & celebriores Soc. Jeſu Scriptores. ib. In materia de gratia per ſe efficaci, ſola tempore Concilii Tridentini in Eccleſia obtinebat. 17. & ſeq. Et eam Catholicam affirmarunt doctiores Societ. Jeſu Scriptores 21. Semper fuit publicè propugnata. 27 Optimè quadrat cum Sacris Litteris, cum doctrina. 117. & ſeq. quaſi per totam Epiſtolam. Illam non fuiſſe à *Clemente* XI. damnatam, declararunt duo Cardinales, & omnes Conſultores, ad examinandas *Queſnelli* Propoſitiones deputati. 192

Thomiſtica Schola magis diſtat à *Janſenii* de gratia Syſtemate, quàm Moliniana 56. & ſeq. per totam Epiſtolam.

Tournellius extinctum *Moynii* de gratia Syſtema revocare tentat. 60. Perperam Thomiſtas redarguit. 106. Docet, antiquiores Thomiſtas diſtinxiſſe inter gratiam ſufficientem, & efficacem. 105. Probat, Eccleſiam, etiam diſperſam, varias hæreſes damnaſſe, 209. Janſeniſtarum, & Queſnelliſtarum contrarium ſententium, argumenta ſolvit. ibidem.

Tridentinum. Vide *Concilium* - Vide *Patres*.

V